



S. ANSELM

Opera Omni^a





1
14-126
7 IV-4

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	R
№	15
Tabla	
Número	126

Handwritten signature or scribble

L11843469

(3)
D. ANSELMI
ARCHIEPISCOPI
CANTVARIENSIS THEOLO-
GORVM SVI TEMPORIS
FACILE PRINCIPIS OPERVM
OMNIVM

TOMVS TERTIVS,
CONTINENS VARIA OPVSCVLA, INSIG-
NI PIETATE ATQVE DOCTRINA MVL-
TIPLICI REFERTA.

Accessere hisce, nunquam ante hac in lucem
edita illa, quæ asterisco notata sunt, vti
proxima pagina videre est.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus PETRI CHOLINI.

ANNO M. DC. XII.



TOMO TERTIO CONTINENTVR

HÆC SVBIECTA OPVSCVLA, HISCE ACCES-
SERVNT MANV SCRIPTA QVÆDAM

asteriscis notata, antehac nunquam in lucem edita.

- | | |
|--|---|
| <p>* Carmen de contemptu mundi.
 * Hymni & psalterium D. Virginis Mariæ.
 Monologion, id est, soliloquium, liber vnus.
 Profologion, id est, alloquium, liber vnus.
 Pro insipiente, liber vnus.
 Contra insipientem, liber vnus.
 De incarnatione verbi, liber vnus.
 Cur Deus homo, libri duo.
 De veritate dialogus vnus.
 De libero arbitrio, dialogus vnus.
 De casu diaboli, dialogus vnus.
 * Disputatio Dialectica de Grammatico, dialogus vnus.
 * De conceptu virginali & peccato originali, liber vnus.
 * De sacramento altaris.
 Annotaciones ad eundem.
 Tractatum D. Ioannis Picardi Bellouaci ad S. Victoris Parisien. Augustiniani Canonici. Quoniam V. V. I. I. I. I.
 De processione Spiritus Sancti, liber vnus.
 De similitudinibus, liber vnus.
 De voluntate Dei, liber vnus.
 De concordia præscientiæ & prædestinationis, nec non gratiæ Dei cū libera arbitrio, liber vnus.
 De miseria hominis, liber vnus.
 De vestimentis & membris, & actibus Deo attributis, liber vnus.
 De mensa ratione crucis.
 Liber meditationum.
 De meditatione redemptionis generis humani, liber vnus.
 De passione Domini, dialogus vnus.
 Speculum Euangelici sermonis, siue stimulus amoris.
 Hamilia Euangelij secundum Lucam.
 * Passio D. Guigneri sociorumque.
 De excellentia gloriosissima Virginis Mariæ, liber vnus.
 De imagine mundi, libri duo.
 * Glucidarium siue dialogus, summam totius Christianæ religionis complectens.</p> | <p>Quid debeat.
 Lux qualuces.
 Si quis.
 Eanunc.
 Dubitanti.
 Quoniam non me.
 Domino & Patri.
 Sepe.
 Quoniam Deum
 Cur liberum.
 Illud Apostoli.
 De Grammatico.
 Cum in omnibus.
 Lego & relego
 Quoniam V. V. I. I. I. I.
 Negatur à Græcis.
 Voluntas.
 Humana ratio.
 De tribus illis.
 Terret me.
 Vbicunque.
 Quoniam.
 Domine Deus meus.
 Anima Christiana.
 Beatus Anselmus.
 Iesum Nazarenum.
 Intrauit Iesus.
 Pofcis fideliter.
 Supereminentem.
 Mundus.
 Sapius rogato.</p> |
|--|---|

IN S. ANSELMI CANTVA-
RIENSIS ARCHIEPISCOPI CAR-
MEN DE CONTEMPTU MVNDI.

P R Æ F A T I O

F. Ioannis Picardi Canon. Regular. S. Victor. Parisiensis,



ANSELMVM haud fuisse poëtices imperitum, licet exter-
na reticerent testimonia, clamitarent interna & domestica.
Nam sub finem epist. 2. libr. 1. præmonstrans amicis, quibus
scribebat, mundi versutissimi vaframentum, ad suam rem ver-
tit argutè duo Hemistichia Virgilij & Horatij: & huius qui-
dem hoc:

Fœnum habet in cornu.

Illius verò illud:

Cornu ferit ille, caueto.

Ex illis ergo intercisis & vnico mutatis verbulo, hunc integrum compegit versicu-
lum:

Fœnum habet in cauda, cauda ferit ille, caueto.

Aliàs pro erudiendo adolescente interpellatus ab amico Persianum obiiciente
adagium:

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Nō inuenustè reiecit in eum, mutatis aliquot voculis, epist. 18. lib. 1. sic respōdens: Ad
id, quod mihi dicitur in epistola vestra,

Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.

Quamquam Persius hoc dixerit, vt ostentationem reprimeret, non vt exprimeret, re-
spondeo:

Scire meum nihil est, si quale sit, hoc sciat alter.

His suffragatur Nænia Lanfranci defuncti, versu Leonino cantata, (etsi aliquot fariam
restrictè non seruarit mensuram) & à nobis relata ad epist. 41. lib. 2. quæ demonstrat
ingenium mediocriter peritum versificandi. Neq; ab eis abhorret, quod placuerit suis
Monachis tyrunculis enarrari poëtas. Sic etenim epist. 55. lib. 1. peroptat Mauricium
Beccensem, & in Anglia degentem, dantemq; operam Arnulfo Grammatico, addi-
scere poëtas, ac in primis Virgilium, & alios, inquit, exceptis his, in quibus aliqua tur-
pitudine sonat. Huius autem poëtici studij, quod (vt vidimus) non displicuit Anselmo,
nullum reor ad posteros monumentum peruenisse, præter illud, quod mea opera, re-
cens ex nostra prodit Bibliotheca, & de quo, vel alluchinor, Dodechinus Abbas
in Appendice ad Marianum Scotum his memorat verbis: In versibus aptandis Hexa-
metris, Pentametrisque aliquantulum desudauit. Non diffiteor, Colonenses emi-
sisse poëmatium huiusce inscriptionis: at quis non affirmabit nostrum esse prorsus al-
terum? Illud etenim decem & centum circiter versus habet, nostrum triginta & non-
gentos: ita vt prior Colonensis editio visa sit dedisse tantum specimen & gustum: no-
strum verò exemplar, ipsumq; poëma integrum. Sanè qui contulerit Colonense ex-
cerptum hoc apographo, etiam clausis deprehendet oculis, quod habebat, esse tan-
tum lapidam cuiuspiam delibationem, qui reliquerit, quod suo desipiebat palato. Cæ-
terum quicquid suaue & blandum in delitiis ventris, libidineque Venerea, quicquid
gratum oculis in ornatu corporis, ædium marmorearum, & vt summatim dicam, quic-
quid humanam suspicamur explere posse cupiditatem, quam sit futile vacuum & ina-
ne hîc depingitur versu quidem subinde languido, viuidis tamen documentis, tamq;
laudato colore, vt quem isthæc ardere videris, iure dicas sibi æternum alacriter rogū
construere. Porrò versus aliquot Hexametros, Leonina compositos forma, sed & tres
causas monasterij à monacho mutandi, prosa explicatas; quasq; insequuntur alij ver-
sus; licet viderentur non pertinere ad hoc poema; curauit tamen exscribendos; tum,
quod appareat eos in Anselmi incude esse tornatos, cum quod à proposito non dif-
ferentiant argumento; & in tribus capitulis citetur Lanfrancus Anselmi prædecessor.

D. Anselmi Tom. 3.

* 2

S. A N-

S. ANSELMI CANTVARIENSIS
ARCHIEPISCOPI CARMEN DI-
VINVM.

De contemptu Mundi, secularibus aequè ac Monachis pernecessarium.



Vid deceat monachum, vel qualis debeat
esse,
Qui iubet vt dicam, porrigat ipse manū.
Grege sanctus (monachi) vobis hæc scripsi
mus: hoc vos

Instrui: hæc vitæ pagina pandit iter.
Nec vos dilecti fratres contemnite, si quid
Nostra primum: si quid nostra salubre monet.
Sæpius ingentes lux pellit parua tenebras,
Riuus & dulces sæpe ministrat aquas.
Non consurfa sit monachum, non horrida vestis,
Sed virtus animi, perpetuusq; rigor.
Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaq; sobrietas: hæc faciunt monachum.
Hæc vos in cælum (monachi) quadriga leuabit:
Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.
Nil tonsura iuuat, iuuat aut vilissima vestis,
Si lupus es, quamuis esse videris ouis.
Nam falli possunt homines, sed fallere Christum,
Qui nullum fallit, * fallere nemo potest.
Ille quidem suum simulata religionis,
Dignas, & in reprobis moribus esse nequit.
Vouistis (fratres) vouistis, vstra rogamus,
Vniuersi solliciti reddere vota Deo.
In maiestatem diuinam peccat abundè,
Quisquis quæ non vult reddere vota vouet.
Vouistis Domino vestros conuertere mores,
Iam nunc peccatis sit modus & vitis.
Nunc humilis viuat qui vixerat ante superbus,
Sit castus quisquis luxuriosus erat.
Querebat census aliquis, captabat honores,
Amo vilescant census honoresq; tibi.
Gaudebat dapibus, gaudebat diuitemensa,
Nunc tenuem victum sobria cæna dabit.
Ille suis latus successibus esse solebat,
Nunc lachrymis culpas diluat ipse suas.
Ostro conspicuus, gemmis insignis & auro,
Veste modo vili, qualida membra tegat.
Verbosus taceat, mirescat feruidus ira:
Inuidus inuidia dira venena vomat.
Cuiq; prius cades placuit, placuere rapina,
Nunc pax & mitis pacis amator erit.
Quisquis adulantum ventosa laude tumebat,
Nunc hominum laudes aestimet esse nihil,
Et qui sponte malus gratisq; nocere solebat,
Nunc etiam lasus vtilis esse velit.
Ad lites facilis fuit hic, ad iurgia præceptus,
Fortiter alterius nunc maledicta ferat.
Non hunc contemptus, non hunc iniuria frangat,
Omnia robusto corde molesta ferat.
Pax, animiq; quies inter conuicia duret,
Nam fortis rerum nulla procella monet.
Hæc ventam (fratres) conuersio vera meretur,
Hæc valet offensam vitam placare Deum.
Non vos illucit breuis hæc & falsa voluptas,
Non vos decipiant hæc peritura bona.
Cur queso cupiat quicquam, qui cuncta reliquit?
Ad male cur redeat, qui bona proposuit?
Terram contemnas, qui cælum queris habere,
Si mansura voies, hæc fugit iua fuge.

* nemo potest hominum.

Respicit ad formulam professionis Benedictinorum, iuxta quam voues monachus, dicat: ego promitto stabilitatem, & conuersionem morum meorum, &c.

Dum licet & spacium vita conceditur huius,
Semper ad omne bonum viue paratus opus.
Fac bona quæque potes modica dum tempore viuus,
Multa metes, si nunc semina pauca iactis,
Paruo perpetuam mercare labore quietem,
Et pensa fletu gaudia longa breui.
Mens tua terrenis non hæreat atque caducis:
Labitur & transit quicquid vbiq; vides.
Vita quid est præsens? ventatio, pugna molesta,
Hic acies semper, temper & hostis adest.
Sed cum nulla tibi fuerit iam sarcina carnis,
Turc sine fine quæ: paxq; perennis erit.
Liuor & amor, gula, fraus, metuenda libido,
Ira, tumor mentis, sibi smata laudis amor.
Et quæ de Sata castri sunt cætera mille,
Vndiq; nos vallant astiduoq; premunt.
Hos inter pestes cum mens in prima tenetur,
Fluctuat, & miris estuat illa modis.
Nec casat illa licet semper casura videtur,
Et quatitur tantis exogitata malis.
Et quis habet tantas vitiorum ferre procellas,
Si non diuinum subuenit auxilium?
Hæc monachi toto mentis conamine vitent,
Præteritas culpas flendo, gemendo lauent.
Distinctusq; legant spacium, operentur, & orent:
Astudius sacris tempora nulla vacent.
Vt libus semper studeant, & rebus honestis:
Ros est signis perniciose nimis.
Luxuria fomes res incentiua malorum,
Spiritus nequam præparat ipsa locum.
Funestum monacho cum quid male suggerit hostis,
Et conatur eum fallere mille modis.
Esse Deum credat presentem semper vbiq;
Nec se, si peccata, posse latere putet.
Cuncta scit atque puer, nec quicquam præterit illum,
Omnia sunt oculis nuda & aperta suis.
Cum quid turpe facit, qui me spectante ruberet,
Cur spectante Deo, non magis ipse rubet?
Si patria iudex secretis facta, timebit:
Scit Dominus rerum, cur nihil ergo timet?
Sed tacet, & differt: & nondum crimina punit,
Puniet, & meritis arbiter æquus erit.
Propositum vitæ (monachi) seruate rigorem,
Nec pigeat paruo tempore dura pati.
Sed mundi quamuis delectent vana, caute:
Et certe gustu dulcia sæpe neant.
Nec quicquid carnis sensus demulcet, amate:
Quæ carnem oblectant, mentibus ipsa nocent.
Gaudia perpetuos pariunt mundana dolores,
Tollit & æternum viuere vita breuis.
Exiguus labor est, sed merces magna laboris,
Præterit ille cito præmia sine carent.
Ergo Deo melius si nil cognoscitis esse,
Immo si summum creditur esse bonum.
Contemptis rebus mundi labentibus istis,
Iam sint in solo gaudia vestra Deo.
Et mihi quæ passant amitti, nulla videntur:
Nec longum, quicquid desinit, esse reor.
Nam quid honos, quid opes, quid gloria, quid due iuuentus?
Forma, genus, vires, semina, vestis, æget.

Vt monachi sibi caueat ab inimico tentant.

Propositio dicenda

Gemma

In fallaciam

Voluptas
oculis
ducit
na
miserias
sui cogit
nem.

In miseriam
regum
tatem.

CARMEN DE CONTEMPT. MVNDI.

Gemma vel argentum quid regnum sceptrum vel aurum
 Purpura, quid latus fundus, & ampla domus?
 Magna potentia, multa scientia, falsa voluptas,
 Victa quid & nostri corporis ipsa salus?
 Non amo quod pestis, quod fur, quod subripit hostis,
 Et quae, si parcant caetera, mors adimit.
 Sunt quos falsus honor iuuat, & peritura potestas:
 Seque putant aliquos, quod loco celsa tenent
 Et velut è specula campos & plana viderent,
 Sic quoque de montis vertice quosque vident.
 Dum non attendunt humanam conditionem,
 Non norunt quid sint cernere, sed quid habent.
 Sed dum sceptrum gerunt, retinent diademata reges
 Et gaudent lati finibus imperii:
 Dum distenduntur dapibus, dum nectare feruent,
 Et seruit mensis terra fretumque suis:
 Et dum byssus eos pretiosaque purpura vestit,
 Maieftasque vacat regia deliciis:
 Dumque emolitos delinens blanda libido,
 Carnis, & illecebris in sua iura trahit:
 Dum turpi dominae famulantur turpiter isti,
 Quos falsos reges nomine mundus habet.
 Auertunt oculos, reuoluuntq; videre profecto,
 Quid sint isti homines & moritura caro.
 Quod citius transit mundana potentia fumo,
 Quod vitreum, seu quod fictile vas sit homo:
 Quod caro mortalis tanquam vestis veterascit,
 Et celeri lapsu curua senecta venit:
 Quod nostra semper minuuntur tempora vita,
 Quodque dies hominis fumus & umbra fugit:
 Quod sit vita breuis, quod mors incerta, quod omni
 Tempore nos quauis causa molesta premit.
 Rex appellaris, quid inani nomine gaudes?
 Cur ratio seruit regna libido tenet?
 Cur vitis seruit qui regnis imperat? & non
 Mancipium vilis corporis esse pudet?
 O dilectores mundi, falsique potentes:
 Et quid terrenas esse putatis opes?
 Quid quoque mundanos quos affectatis honores,
 Quorum perpetua est sollicitudo comes?
 Omnia piac pitem formidant ardua casum,
 Et magnis semper vis aliena nocet.
 Sapius alta ruat ventorum flatibus arbor,
 Tut a humilis myrtus tuta myrica manet.
 Bellica cum celsas subuertit machina turres,
 Nil nocet exigua pauperis illa casa.
 Et rapit obstantes fluum in violentia moles,
 Plana satis placido permeat ille gradu.
 Montes & scopulos saui maris obruit umbra,
 Ad placidum litus misior vnda venit.
 Aerias alpes niuib; candescere scimus,
 Frigoribusque premi perpetuoque gelu.
 Illic & rabies ventorum plurima seuit,
 Temperiem gratam proxima vallis habet.
 Sic vobis nunquam desunt aduersa potentes,
 Nec est pax vobis vlla, nec vlla quies.
 O quantos regum patiuntur corda tumultus?
 Quamque procellosis motibus ipsa fremunt
 Inter regales epulas, variosque paratus,
 Tabescunt curis, sollicitoque metu.
 Non paucos metuit multis metuenda potestas,
 Vixque alicui credit, dum canet insidias.
 Mille satellitibus cinctus, telisque suorum,
 Non valet è trepido pellere corde metum.

In falsum ho-
 morem.

Voluptas me-
 ris oculis sub-
 ducit huma-
 na natura
 miseris &
 sui cognitio-
 nem.

In miseram
 regum serui-
 tutem.

Propositio
 dicitur

D. Anselmi Tom. 3.

Rursus quid domino numerosa pecunia prodest?
 Accipe quid cura, quidue timoris habet.
 Et breuis & rarus, sit somnus habentibus aurum,
 Omnis enim vigilat non moderatus amor.
 Non dat securos nec ebur, nec purpura somnos,
 Paupertas vili stramine tuta iacet.
 Auri possessor formidat semper, & omnem
 Ad strepitum factas aestimat insidias.
 Arma, venena timet, furtum timet, atq; rapinam:
 Sollicitus seruat quaque lucrata diu.
 Hunc, dum querit opes, cruciat miseranda cupido
 Cum iam quaesitas cepit habere, timor.
 Sic igitur miser est, dum pauper querit habere:
 Et miser est diues, perdere parta timens,
 Dum iacet in plumis serico contectus & ostro,
 Mordetur curis inuigilatque dolis.
 Continuare suis vicini pauperis agrum
 Ardet & ad facinus cogitat ille modum.
 Expellit domibus pupillos ille paternis,
 Insequitur viduas iudiciisq; premit.
 Cum sit auaritia facibus succensus iniquis,
 Non valet iniustus se satiare lucris.
 Ergo facit multos inopes, diuesq; rapinis,
 Luxuria seruit, sed spoliatus eget
 Delicium fruitur & rebus pauperis istis,
 Sed gemes amissis indignus iste bonis.
 Huic epula varia, vestis pretiosa paratur:
 Sed panem & crassam vix habet ille togam.
 At petet in flammis ingressus tartara, paruam
 De digiti extermo pauperis huius aquam:
 Et vice conuersa, qui diues abundat, egebit:
 Huic, qui pauper eget, copia diues erit.
 Ad quia auarus opes quicumque es, congeris istas?
 Forsitan haec facient vt citius pereas.
 Dic mihi, diuitibus si quando defuit hostis:
 Hos terit & quassat saepe ruina grauis.
 Inuidia comes est melior fortuna, nec vnquam
 Fida satis cuiquam mobilis illa manet.
 Ergo solliciti causas excludit timoris,
 Esse velis pauper, ilico tutus eris.
 Paupertate quidem nihil esse beatius vnquam,
 Paupertate nihil tutius esse potest.
 Non tibi subsidium sunt haec, sed sarcina grandis:
 Qua male te miserum semper ad ima premit.
 Iustitia montes, virtutumque ardua nullus
 Scandet, dum mundi rebus onustus erit.
 Stulte quid haec sequeris, & quid labentibus haeres?
 Mortales quid vis & moriturus opes?
 Cum te post mur. di. curas vanosque labores,
 Cum tibi transferint, quae mala parta tenes:
 Tartarus horrendo pauidum absorbebit hiatu,
 Atque miser variis excruciare modis.
 Cum te terribilis exacto iussus ab aequo
 Iudice sulphurei merget in vna laci.
 Tunc, tunc infelix, super his sero penitebit
 Et falsis istis spem posuisse bonis.
 Non huc argentum, non huc descendet & aurum,
 Non aderit mundi gloria lapsa breui.
 Forsitan has parcas, quas tu modo colligis, omnes
 Effundet quondam prodigus alter oper.
 Tunc pariter rebusq; tuis & coniuge faelix,
 (Cum cinis exiguus siue cadauer eris)
 Magnum nomen habes, clara est tibi fama per orbem:
 Laudat te mundus, sed moriere tamen
 Non profunt quicquam praeconia vana sepulchris,
 An factus quisquam senserit vlla cinis?

Abundans
 pecunia quod
 abundat aris
 omnis, & quod
 sum auarus
 sorquetur.

Hic tangit ho-
 stiam diui-
 tis epulonis
 ardentissima
 stientis
 in inferno.
 Luc. 15.

Inanem esse
 nominis glo-
 riam.

D. ANSELMI CANTVARIENSIS.

Humani corporis misera facies in senectute, sic depingitur.

Fama placet populi, cupida trahis aure fauorem,
 Nescis diuinum quid paret arbitrium.
 Fumus & ymbra leuis tota est hac gloria mundi;
 Torquent famosos tartara saua reos.
 Et color, & facies, & multum grata iuuentus,
 Et vox quae dulces nouerat ante modos:
 Diffugiunt misera tandem uemente senecta,
 Diffugiunt pexa quae decuere coma.
 Os exarmatur decus dentibus, inde
 Vix imperfectus sufficit ille sonus.
 Deficiunt vires, iam prodit ruga senilis,
 Horret in effluo corpore scabra cutis,
 Iam iam curuatur, iam manant ora saliuus
 Exanguis color est, halitus ipse grauis.
 Sicque perit placida paulatim gratia formae,
 Nullaque de multis quae placuere manent.
 Nam gustata minus sapiunt, vix sentit odores,
 Vix quoque clamorosos percipit ore sonos.
 Caligant oculi: de toto sola supersunt,
 Hinc cutis, & neruis ossa ligata suis.
 Vix iam fuste potest nutantes figere gressus,
 Vixque valet tremula quae tenere manu.
 Si qua sibi fuerat prudentia: tota recessit.
 Idque tamen laudat, quod puerile sapit.
 Sic igitur se quisque senex miserabilis ipsum:
 Quotidie perdit subtrahiturque sibi.
 Et cum sit morbus nimium grauis ipsa senectus,
 Attamen innumeris angitur illa malis.
 Hac inquam multis vexatur inutilis atas,
 Semper & vnde senex quisque sit, inde dolet.
 Manducare labor, sit ieiunare molestum,
 Somnus ei grauis est, & vigilare nocet.
 Aestates odit, & hyemes, & frigora culpatur:
 Autumnum, causam quod dolet, esse putatur.
 Hunc quoque non minimum verus clementia laedit,
 Nec querulo possunt vlla placere seni.
 Hac inter quae cuncta senex incommoda sentit,
 Urget eum scabies, tussis anhele quatit.
 Ingratusque suis morbo confectus & annis,
 Conqueritur vita tempora longa sua.
In pulchritudine, e.
 Labile forma bonum species inimica pudoris,
 Utile virtutum saepe retardat iter.
 Nunc insensatos inflat, nunc turpia suadet,
 Sape etiam fortes precipitare solet.
 Et mors, & morbus rapit hanc, & maesta senectus,
 Mille perit causis, nec manet vlla die,
 Nec bona forma Deum, sed mens sincera meretur.
 Iusticiae soli, vita beata datur.
Aduersus iactatores nobilitatis.
 Tu reges atavos, memoras magnosque parentes,
 Et vana carnis nobilitate tumes.
 Nescis cunctorum quod sit communis origo,
 Nec secus emergant Dauus, herusue ferox
 Ortus & occasus, & clarum nomen auorum,
 Si vitis seruus factus es ipse tuus?
 Nobilis est, animi quisquis virtute refulget,
 Degener est solus, cui mala vita placet.
 Nec genus aut mores veneratur curia caeli,
 Et caelum iustus, non generosus habet.
 Sed nec praepositus mortis, scelerumque minister
 Vexat damnatum mirius ingenium.
 Nullus ei seruatur honor, reuerentia nulla,
 Nec magis est tutus nobilitate sua.
 Sed sortes humeros munerosaque brachia iactat,
 Atque tui vires corporis eximias.
 Bellarefers, domitosque duces, gentesque subactas
 Maximaque imperio subdita regna tuo.

Non boue non asino tu fortior, attamen illas,
 Ipse satis vili cornis emi pretio.
 Sic quacunquē feris tecum communiā cernis,
 Nec mirare nimis nec pretiosa puta.
 Quod si vis sensus, viresque attendere carnis,
 Exuperant multa nos in vitroque fera.
 Nam & equi vincunt veloces praepete cursu,
 Et melius nobis audit olet que cernis.
 Quis velit iratos lucta tentare leones?
 Terribiles vrsos fulmineasque fues.
 Sola animi est virtus, quae nos praepoimur illis,
 Caetera sunt equidem nostra minora satis.
 Ieiuna triduum, totum ruit vnde superbis:
 Vix tenuere flatum iam moriture trabis.
 Quod si vel leniter te decoquat ignea febris,
 Statim marcesces, illico nullus eris.
 Sed cum te victum viciis succumbere cernis,
 Miror, te fortem dicis, & esse putas
 Bella libido mouet, tu primos cedis ad ictus,
 Et tua das saedo colla premeunda iugo.
 Sic & auaritia seruis, sic motibus ira,
 Sic facis ardentis iussa pudenda gula.
 Faemina dulce malum, mentem roburque virile
 Frangit, blanditiis insidiosa suis.
 Faemina sax Satana gemmis radiantibus auro,
 Vestibus ut possit perdere compta venit.
 Quod natura sibi sapiens dedit, illa reformat:
 Quicquid & accepit dedecuisse putat.
 Pungit acu & suco limentes reddit ocellos,
 Sic oculorum, inquit, gratia maior eris.
 Est etiam teneras aures qui perforet, ut sic
 Aut aurum aut carum pendeat inde lapis.
 Alter & ieiunat misere minuitque cruorem,
 Et prorsus quare palleat, ipsa facit.
 Nam quae non pallet sibi rustica quaeque videtur,
 Hic decet hic color est verus amantis ait.
 Has quoque diuersis sua sordibus inficit ora,
 Sed quare, melior queritur arte color.
 Arte supercilium rarefcit, rursus & arte,
 In minimum mammas colligit ipsa suas.
 Arte quidem videas nigros flauescere crines,
 Nititur ipsa suo, membra monere loco.
 Sic fragili pingit totas in corpore partes,
 Et quicquid nata est displicuisse putat.
 O quos ingestus se mollis faemina frangit,
 Et placet in blefis subdola lingua sonis.
 Dulcia saepe canit, componit subdola gressum,
 Et quadam credas arte mouere gradum.
 Sape auditores eius facundia torquet,
 Et modo ridendo mox quoque flendo placet.
 Mille modis nostras impugnat faemina mentes,
 Et multos illi perdere grande lucrum est.
 Nil est in rebus muliere nocentius, & nil
 Quo capiat plures lethifer hostis, habet.
 Nec nos in totum iactamus crimina sexum,
 Tempore sed nostro rara pudica manet.
 Sed carnem, faenum clamatur esse propheta,
 Fac procul a saeno flamma sit ista tuo.
 Tu molles risus, nutus & dulcia verba,
 Faemineosque iocos effuge, virus habent.
 Faeminei sensum virus subrepat amoris,
 Hoc tibi ni videas illico captus eris.
 Faemineum fuge colloquium, vir sancte, caucto
 Faemineas si vis vincere blandicias.
 Namque faemineo mens capta ligatur amore,
 Nunquam virtutum surgere ad alta potest.

Perstringit
 historiam
 quam lati
 explanat
 Gregor. li.
 Dialog. ca.
 Videtur in
 tari Hiero
 epist. 3 ad
 potian. 102
 1. Nec san
 Dauidi, n
 Salomon p
 rest esse sa
 entior men
 10 semper,
 quod para
 si colonum
 mulier de
 sessio: su
 uocant.

Contra luxu
 & pompam
 mulierum.

Hic. 40.

Harum

CARMEN DE CONTEMPT. MVNDI.

Harum colloquium quid confert vtilitatis?
 Nocuisti monachus turpior amator abis.
 Ergo viros nisi declinaueris augmen,
 Ni longe facias inficere quidem.
 Accendit mulier quaecunque libidinis ignes
 Et sanctis ipsis proxima facta nocet,
 Fundana Andreas vbi magnus Episcopus vrbis,
 Mutauit? virgo femina causa fuit.
 Si veterum libros & patrum scripta reuoluas,
 Si doleas sanctos sic cecidi se viros:
 Nec docto Salomone quidem tu doctior esse,
 Nec Dauid sancto sanctior esse potes.
 Si Loth, Samsonem, si Dauid, si Salomonem,
 Femina deiecit, quis modo tutus erit?
 Nunquid non hominem mulier de sede beata
 Expulit, & nostra mortis origo fuit?
 Sed facies clara satis est, & forma venusta,
 Exteriora placent, dissonat interior.
 Viscera si pateant, pateant & cetera carnis,
 Cernes quas sordes contegat illa caru.
 Si finum vilem praefulgens purpura veler,
 Et quis ob hoc finum vel male sanus amet.
 Intrer compta satis cellarum femina claustra,
 Suspirans dicit, discere sancta volo.
 Accede ad monachos peccatrix femina; namq;
 Hi monita, & sancta dant documenta via.
 Compta venis, & sancta placent quis credere possit,
 Suspectam te habeo, credo nocere venis.
 Lasciuus visus, ardentis nutus ocelli,
 Et tua garrulitas displicere mihi.
 Pastores vigilate, lupas arcete rapaces,
 Agregibus nostris claustra negentur eis.
 Occidunt animas, multosque ad tartara mittunt,
 Et monachus pestis, nulla timenda magis.
 Femina mors anima, monachis accedere nunquam
 Audeat, a sacro sit procul ipsa choro.
 Sit procul a coetu sanctorum femina; namque,
 Et si non valeat vincere, bella mouet.
 Sed forsitan dices felices esse maritos,
 Et casti laudes foedera coniugij.
 Crede mihi frater, miser est quicumque maritus
 Eris dicam, quantum triste sit istud onus?
 Si quis habet sponsam turpem, fastidit & odit:
 Si pulchram, mechus anxius ipse timet.
 Cernis enim quantum, sibi forma pudorque repugnant,
 Raraque de pulchris esse pudica potest.
 In quam suspirant multorum vota, timebis
 Perdere, vel soli ne sit habenda tibi.
 Si fiat praegrans, accipit & altera cura,
 Accrescuntque tibi multiplicata mala.
 Hinc illam meruis ne quis corrumpat adulter,
 Et pariat quorum non eris ipse pater.
 Hinc res aeternis renis que pecunia, totam
 Infastam tecum cogit egre domum.
 Est quoque perperuas que miscet garrula lites,
 Fitque molesta suo nocte dieque viro:
 Et vinosa quidem multum damnosa marito est,
 Nam quae sita diu, distrahit illa breui.
 Ista dat amplexus molles, & dulcia fingit
 Oscula, sed tacito corde venena premit.
 Hac & de facie vel nobilitate superbit,
 Et scepro dignam credit habere manum.
 Fraudibus vix nunc multi periere virorum,
 Femina nil horret, cuncta licere putat.
 Audet quicquid iam iubet imperiosa libido,
 Et metus & ratio cedit, & ipse pudor.

D. Anf. Tom. 3.

Hec leges sacras contemnit, & omnia iura.
 Turpe sit aut seuum, dum iuuet, illud amat.
 Dalila Samsonem, Clitemestra peremit Atridem;
 In lege femineos sensit vterque dolos.
 Sed cum queso vetus tibi nunc historia narrat,
 Quae fieri nostro tempore multa vides.
 Quas sordes, quantosque metus curasque mariti
 Sustineant, & quis enumerare potest?
 Iam nunc, quam grauis est vxoris sarcina, cernis:
 Quamque premit duro subdita colla iugo.
 Ergo maritalis damnamus foedera lecti?
 Non: sed perfectis non damus ista viris.
 Coniugibus non est fructus centesimus, aut quem
 Reddunt per senos multiplicata decem,
 Nec tamen aeterni priuantur lumine regni,
 Accipient meritis praemia digna suis.
 Ve mollis byssus, te mollis purpura vestit,
 Et texunt mundi singula regna tibi.
 Quae pretiosa tuos pellis non cedit in vsus?
 Quae vestis species, quaeue coloris abest?
 Sed nec ad indecoris cultus pudet addere quicquid
 Artificis nouit plurima docta manus.
 Irradiant gemmis digiti, pariterque lacerti,
 Vixque valet auri pondera ferre tui.
 O quam vana hominum & alis vesania: stulte,
 Quid iuuat externis velle nitere bonis?
 Si vitis sordes, quid prodest fulgida vestis?
 Abstergit maculas purpura nulla tuas.
 Gemmarum & tanti fulgor non efficit auri,
 Ecce careat tenebris mens tua caeca suis.
 Et sancti mores faciunt, non vestis, honestum:
 Et probitas magnos efficit vna viros.
 Quae natura dedit, serua integra: non eget ista
 Vilibus ornari rebus imago Dei:
 Ista qui dem fieri ventosa superbia cogit,
 Sola placet iusto sobria vita Deo.
 Agrorum fines longos extendere queuim,
 Et multas messis horrea plena cupim.
 Sicut Evangelicus, quid auaro sermo miserum
 Hac in nocte animam perdere stulte tuam:
 Inquit, habes, & cuius erunt quaecunque parasit?
 Improbam iam frenam vota timeque mori.
 Tot fruges auxi, tantum vini que tot agri,
 Ad quid? eget paucis vita, salusque breuis.
 Aruum quaeis homo tibi fertile: nec tamen vnquam
 Ad sterilem vitam respicis ipse tuam.
 Agri oleaeque Dei tumidus contemptor vbique,
 Nullos vis fructus reddere iustitia.
 Ad scelerum vepres suffocas semina vita,
 Et peccatorum surgit amara seges.
 Extirpamentis tribulos, spinasque reuelle:
 Et tritico Christi pectoris arua sere.
 Fructificetque Deo cordis nouale, prematque
 Virtutum messis semina, nequitia.
 Esse quid argentum quid gemmas credis & aurum
 Pradia? quidue omnes quas habet, orbis opes?
 Hac Iudaeus habet, gentilis, latro cruentus;
 Crede mihi iratus saepe dat ista Deus.
 Parua puta quaecunque malos contingit habere.
 Parua puta quicquid fur & adulter habet:
 Quod meretrix, quod mechus habet, ne magna putabis
 Omnipotens longe dat meliora suis.
 Ast oculus mentis caecatur puluere terra,
 Et nequeas lumen cernere iustitia:
 Nec tibi cui virtus non lucet & auro,
 Et praefers summis infima quaeque bonis.

Exprimit doctum Hieron. qui est post primum ipsum sua apologia ad Pamphilius pro libris aduersus Iovinianum, si libeat, lege, ut intelligas. Aduersus cultum elegantiorum & molliorum.

Vide hanc parabolam. Luc. 12.

De auri & pecunia contemptu.

Contra luxum & pompam mulierum.

Hic. 48.

D. ANSELMI CANTVARIENS.

Nec mala magna reor, quibus affliguntur amici,
 Nec bona quaeque hostes constat habere Dei.
 An quoties vir iustus eget, scelerosus abundat:
 Non est prauorum copia grande bonum.
 Egrotat sapiens, sed sanus floret iniquus:
 Non est grande bonum corporis arcta salus.
 Dilectus Domini moritur, sed viuit adulter:
 Non est in magnis vita caduca bonis.
 Ergo modo simili tibi collige caetera (fili)
 Et prudens vilis munera sperne soli.
 Vile relinque solum, cupias fastigia caeli:
 Illic percipies dona beata Dei.
 Nec pretiosa facit preciosum purpura quendam,
 Nec mutant mores tradita sceptrum malos.
 Sapius ista Dei data conspiciis hostibus esse,
 Impia pars hominum regnat vbique serè.
 Virtuti si detur honos, si premia dignis,
 Et teneant meritum singula quaeque locum.
 Iam nunc res hominum (mihi crede) & pace beasse,
 Videris & certo se cohibere modo.
 Sed quia regna malis, sceleri donata potestas:
 Debita virtutum frena libido tenet.
 Mundus turbatur, rerum confunditur ordo,
 Inuoluitque simul omnia grande chaos.
 Vis prohibet leges, euertunt crimina mores,
 Et valde vritus turbine quassa latet.
 Dat Libanus tibi ligna: Paros sua marmora mittit:
 Aurum praebet Arabs: Inda praestat ebur.
 Tu Cedro peregrina & marmore construis edes,
 Miraque consurgit fabrica, fundis opes.
 Rident argento postes: laquearia multo
 Auro: distinctum sculptile vestit ebur:
 Porticibus vallas opiferos atria: quales
 Quotque putas thalamos, hac domus intus habet.
 Illic tu videas pictum, sculptumque stupeas,
 Artificis quicquid mensque manusque potest.
 Ostia multa quidem, varia sunt mille fenestrae,
 Mille columnarum est marmor: fulta domus.
 Quid tanto mortiture paras molim nequare
 Das animum vanis, & peritura placent?
 Cur ampla ad fidas busto laudendus in arcto?
 Quem pia rigida claustra tulerunt matris?
 Quid tibi tanta ades? quantos felicius ipse
 Templum esset viuus, viua domus quo Dei.
 Esto domus Domini, quam sacris moribus orna:
 Virtutem cultor religionis ama.
 Quam felix anima est, in qua sibi ponere sedem
 Dignatur summi spiritus ipse Dei.
 Omnis habet sub tum terrena potentia finem,
 Atque fuga vel d' serit ipsa suos.
 Ergo tunc, quisquis celsos conscendit honores:
 Teque ruinoso stare memento loco.
 Magnus erat Caesar, totoque potentior orbe:
 Nunc, quem nec mundus ceperat, vrna capit.
 Sic & Alexander fortissimus ille Macedo,
 Claudatur angusto puluis & ossa loco.
 Maior erat mundo magnus, modo nobile corpus
 Exulis & viti vilis arena regit.
 Et cecidit Babilon: cecidit quoque maxima Troia:
 Olim mundipotens, aspice, Roma iacet.
 Ecce dueres nulla manet mortalibus: ecce
 Nullus honor prohibet gloria nullam mori.
 Summus Aristoteles Logica scrutator acutus,
 Edidit ingenio multa reperta suo.
 Non syllogismo non enthymemate factum est,
 Vt vellent tanto parcere fata viro.

Contra adificium sumptuosam.

Pompeium magnam hic videtur designare: de cuius nece vide auctorem de illust. cap. 77. eutrop. lib 6. Plutar. in Pompeio. Appian. lib. 2. Velleius Pater in poste. votum. Non scientiam sed pietatem in caelum extollere hominem.

Quid penetrasse iuuat natura arcana Platonem,
 Et mundo studio multa dedisse suo?
 Solis iter, caelique plagas, lunaque meatus,
 Et vaga seu summo sidera fixa polo:
 Multaque praetera satis ardua nouerat: & nunc
 Philosophus cinis est: nomen imane manet.
 Dum res, & rerum causas vestigat Hypocras:
 Dum de naturis disputat atque suis,
 Infert illa libris, dum multa libentia prodit,
 Dum medicinali corpora, seruat ope.
 Ingens fama viri toto diffunditur orbe,
 Et meriti fructus ille fauoris habet.
 Sed nullis herbis, nullis radicibus actum est:
 Ne Physico mortis lex subeunda foret.
 Et iustis, non Philosophis dat praemia Christus:
 Rusticus es, iustus esto, beatus eris.
 Philosophus Varro, Petrus piscator: & ecce
 Petrus habet caelum, tartara Varro tenet.
 Ille voluptatum varia dulcedine gaudet,
 Et desideris seruit vbique suis.
 Sicut, quae summa putat meretrix, coquus, histrio, nullum
 His praefert, aut par aestimat esse bonum.
 Quicquid & ad victum mare nutrit, terra, vel aer:
 Querit, habetque viri luxuriosa fames.
 Et modico ventri vastus vix sufficit orbis,
 Ergo ministrorum vocibus aula fremis.
 Argentoque dapes, ridet quoque Bachus in auro:
 Et gemma infusum plurima, nectar habet.
 Vestibus & facie longus nitet ordo clientum,
 Ad Domini nutus turba parata lenes.
 Sexus uterque canit: resonant cytharaeque lyraeque
 Et reddunt illic organa dulce melos.
 Tandem epulis largis, & pleno ventre beatus
 Cum scortis percus gaudia noctis habet.
 O praeterita viri virtus, o vita beata!
 Deliciis pastus cum meretrice cubat.
 Quid vestes referam, lectos & diuitis ades?
 Nescit habere modum prodiga luxuries.
 Huic per longa meant nitidi canalina fontes,
 Herba columnarum marmore clausa viret:
 Fructiferumque genus totum arboris educat hortus:
 Mixtaque sanguineis alba ligustra rosis.
 Nec viola desunt, sed & illic floris & herba,
 Est quicquid specie, quicquid odore viget.
 Nunc phaleratorum tergo veectatur equorum,
 Nunc saturum lento remige cymba vehit.
 Nunc illum esse iuuat sub papilionibus: & nunc
 Geata sub arboreis quaritur umbra comis.
 Nunc delectatur turbis, & plausibus vrbis:
 Et modo priuatus degere rure cupit.
 Quicquid molle iuuat, quod visu cumque decorum est:
 Dulceque corporeis sensibus esse solet:
 Hac misero totum miseros d' s' s' s' in vsus,
 Nullaque declinat sordida turpe pecus.
 Ergo iocis venere & vino, somnoque beata
 Expendit vita tempora tota sua.
 Iamque caro totus, nescit, quam cliuius erret,
 Mens male pressa graui pondere carnis heret.
 Nescit, perpetuo quod torrem nutriat igni
 Corpus, quod tantis curat alitque modis.
 Qualem tu credis vitam mortalibus esse?
 Et breuis & multis est onerata malis.
 Quotquot nascuntur, vox illis prima doloris:
 Incipit a situ viuere quisquis homo.
 Aspice quae miseros feriunt nos vndique: quot sunt,
 Quanta priuatis publica mixta malis.

In Helio galator digredi tur.

Nic exponit varia corporis h' mani cru 666.

Rasus in stratur in communiem loci humana in felicitate.

Frigore

CARMEN DE CONTEMPTU MVNDI.

Frigore nunc nimio, nimio nunc laedimur aestu:
 Nosque fames vexat: torquet amara sitis.
 Musca nocet, modicusque pulex vel regibus ipsis:
 Nec faciunt tutos regia sceptras suos.
 Hic dolet exilium; mortem dolet alter amicum;
 Huic chara orbatu coniuge flere libet.
 Hic iacet infamis; miser hic in carcere luget:
 Hunc metus hostilis territat: alter eger.
 Hic gemit incestum corrupta coniugis: alter
 Delusus falsa suspitione timet.
 Excussas aliquis deplorat grandine vites,
 Iste mari magno deperisse rates.
 Clamosum rigidumque puer timor ille parentem,
 Pars metuit Domini vimq; minasque sui.
 Perdidit hic iustam sub iniquo iudice causam:
 Has rapiunt fures, has cremat ignis opes.
 Et quis non quod plangat habet, nulloque dolore
 Saucius est, voti compos vbique sui?
 Nunc sic blanda fauet rebus fortuna secundis,
 Misceat vt laetis improba triste nihil.
 Non pars parua mali vitium tabescere, torque
 Captiuo ardentes pectore ferre faces.
 Flagrat auaritia, mala mens succenditur ira,
 Et modo vesano feruet amore: velut
 Interius totam dudum conceperat Aethnam,
 Nil quoque quod deceat cata furore videt.
 Saepe graues stimulos liuor malus excitat illi:
 Saepe metum generat, spemque cupitis honor.
 Illum luxuries, illumque superbia vastat:
 Hunc quoque tristitia saua procella quatit.
 Haec, & plura praeuunt nos huius tempore vita,
 Quae neque vel puncti tempore certa manent.
 Et nostram morbi corrumpunt mille salutem,
 Nullus ab humano corpore languor adest.
 Sic nunc aspicias animalia caetera quaque,
 Inuenies tantis subdita nulla malis.
 Nos capitis laterumque dolor, febrisque fatigat:
 Totum hominem tollit lepra, chira gra manuum.
 Dirae podagra perdet, oculos ophthalmia cacat:
 Obsidet arctati pectoris astma vias.
 Lesa suos claudis lithia vesica meatus:
 Viscera torquentur, parsque pudenda colon.
 Dens dolet, aut ceruix: ors torpet; lingua ligatur:
 Splen tumet: agrotat pulmo: laborat hepar:
 Cor marcescit: renes patiuntur: soluitur aluus:
 Brachia nil possunt: languida crura iacent.
 Singula non paucis pars est obnoxia morbis:
 Et patet infelix ad mala totus homo.
 Non haec ergo salus, non haec mihi vita videtur:
 Quam mors exstinguit, tollere morbus habet.
 Sic est; res istas male publicus aestimat error;
 Vilia sunt, stulti quae praeciosa putant.
 Non igitur (fratres) quae so miliora sequamur,
 Quae sunt digna bono, quae sapienteviro.
 Cur Dominus rerum, quae deitatis imago
 Parua cupis? cupias maxima magnus homo?
 Non deceat artificio tantum mirabile plasma
 Mirari propriis cuncta minora bonis.
 Luna tibi fulget, tibi valentur orbita Solis,
 Et tibi sunt toto sidera sparsa polo.
 Nempe dies tuus est: tua nox, tuus igneus ether,
 Et tibi commutant tempora quaeque vices.
 Orbis terrarum tuus est: & quidquid ab illo
 Clauditur, arbitrio subditur omne tuo.
 Nempe parens rerum caelo demissus ab alto
 Ad tua descendens, est tibi factus homo.

Te manet astriferi clarissima regia regum,
 Tu quoque es aeterni regis imago tui.
 Ergo tu tantus, qui tantis caetera vincis,
 Et minor es solo cuncta creante Deo?
 Noli te regno peccati subdere: noli,
 Quae citius fugiunt ista caduca sequi.
 Sed satagas humiles animo transcendere terras,
 Arcumque ad caelos arripe fortis iter.
 Vita, salus, hominum quoque caetera, fumus & umbra est: deccant.
 Omnia praetereunt nulla manere vides:
 Non te quae pereunt delectent infima: non te
 Coelestem sedet puluere terra suo.
 Nec te praecipitet carnis male suada voluptas:
 Nec trahat illecebris esca venusque suis.
 Mens tua continuo flagret bonitatis amore,
 Sic perit aeterni torrida flamma rogi.
 Quare boni fontem virtutum passibus: & te
 Istius fontis sorreat vna sitis.
 Sarcina currentem te mundi nulla retardet:
 Totum delina quicquid obesse solet.
 Cum tu peruenis laetus felixque viator,
 Et data viuifici copia fontis erit:
 Aeternus sies, sapiens, vereque beatus:
 Cuncta tibi fuerint prospera, triste nihil.
 Inque suo regem rex ipse decore videbit,
 Deque beatifico lumine lumen eris.
 Nulla mentis erunt tenebrae, sed nocte fugata
 Intus erit perpes & sine nube dies.
 Tunc rerum causa, scriptura clausa patebunt:
 Omnia clara tibi plenaque lucis erunt.
 Tunc in viuorum lata regione videbis,
 Quae bona sunt Domini quantaque dona Dei.
 Mors aberit, morbus, labor, hostis, cura, senectus,
 Non habet haec felix illa superna domus.
 Non timor afficiet sanctos, sensusue doloris.
 Aestus in his nullus, frigora nulla locis.
 Nemo hic esuriens, nudus quoque nemo, sed vnus
 Omnibus omne bonum fiet eritque Deus.
 Vrbs haec non Luna, non lumine solis egebit:
 Semper erit magno Sole serena Deo.
 Denique iustorum tanquam Sol quisque nitentis,
 Ista re donata gloria carnis erit.
 Spiritibus summus aequabit gratia regis:
 Pro quibus est vltro passus amara crucis
 Ad montem vitae & mortis valle reductus,
 Cuius erit felix nunc miser exul homo.
 Vrbs enim illius Deus est, & publica & inde
 Grandis ibi est cunctis copia nullus eget.
 Non igitur deerunt regi tibi munera; nec te,
 Qui meritos magnis ditat, egere sinet.
 Nam cum gustabis de vita fonte perennis,
 Et dabitur summo participare bono:
 Magna scientia, multa potentia, mira voluptas,
 Reddetur vita militi que tua.
 Quis poterit fari, quis scribere, quis meditari,
 Quae dabis in caelis praemia Chryste tuis?
 Haec monachi fratres, haec tota mente sequamur:
 Nulla saluiferum causa moretur iter.
 Vt maiestatis Dominum tibi cernere detur,
 Vt decus & tantum fas sit habere bonum.
 Thesauros Arabum mensas, & prandia regum,
 Quicquid habet mundus deputo vile lutum.
 Quisquis ad haec igitur paradisi gaudia tendis,
 Sedulus angustam nunc age disce viam.
 Ne laxes vitium angusta mentis habenas,
 Diuini semper frena timoris habe.

Exhortatus
 ad aeterna
 persequen-
 da, ut pote
 qua homi-
 nem melius

Hic expo-
 nit varias
 corporis hu-
 mani cru-
 ces.

In Feligae
 balor digredi
 tur.

Ratio suspic-
 atur in co-
 munem locum
 humana im-
 felicitatis.

D. ANSELMI CANTVARIEN.

Expecta Dominum, formida iudicij iram:
 Et quod promittit Rex tibi, miles ama.
 Parvulus esto, vide, mentis depone tumorem,
 Porta Dei nullum, qui tumet, arcta capis
 Vitamus tauros cornu, & ceruice minaces:
 Non leo, non taurus, non equus, agnus eris.
 Agno, nulla magis agnum iuuat hostis Christum:
 Agnus eris Christo, simplicitate tua.
 Offeritur Domino turtur, simplexq; columba:
 Castus eris turtur, blanda columba gemens.
 Quot sunt, qui Domino se castruere, beati;
 Tartarus incestos flammag, morsq; manebit.
 Summa quidem virtus monachi parere Priori,
 Ferre iugum norma, seque negare sibi.
 Quicquid precipiet, mox & sine murmure serua:
 Peccatum solum dedecuisse puta.

Respexit ad
 illud Matth.
 19. Sunt Ets
 mudi, qui se
 castrauerunt
 propter re-
 gnum caelorum.

Non vilis vestis, non te locus vltimus angat:
 Sape tui stultos ordinis ista mouent.
 Sed si nos sane sapiamus: si vera fatemur,
 Aggreditur virtus ardua, dura probat.
 Qui sibi vilescit, qui se nihil aestimat esse:
 Et timet, & mundi labilis alta fugit:
 Hic est & sapiens & caelo proximus iste,
 Non sine re monachi nomen inane gerit.
 Si vult ditari, si vanos quaerit honores,
 Induit occultum pellis ouina lupum.
 Sed qui cuncta videt mundi pius arbiter, ille
 Nouit oues, tacitos, nouit & ipse lupos.
 Hec igitur monachus labiis & corde frequentet,
 Te mihi, te solum da Deus & satis est.
 O certe felix possessio, quaeque beatum
 Sola facit, miserum caetera pondus habent.

Hic incipit
 Leoninis lu-
 dere versib.

Quid probitas, quid nobilitas, nisi mors animarum?
 Vnde superbit homo cum constet quod moriatur,
 Nam caro mortalis, & qui quis ei famulatur,
 Morte perit duplici, quia post obitum cruciatur.
 Quid prodest homini, si viuat sacula centum?
 Cum moriens vitam transisset: putet quasi ventum?
 Quid prodest homini, sua facere facta crumena,
 Si per eam consumat eum sine tempore poena?
 Ut quia homo gaudet de mundi prosperitate,
 Qua nimium breuis est & habet ar in anxietate?
 Prosperitas mundi cito transit, & ad nihilatur:
 Vnde fatu claret, quoniam nihil esse probatur.
 Res huius mundi, quotquot natura creauit,
 Sunt quasi flos agri quem frigus & aura cremauit.
 Sicut enim flores autumnis tempore nati
 Frigore marcescunt in ventos ire parati:
 Sic cito deficiunt, quae mundus habet pretiosa,
 In quibus infelix hominum mens est studiosa.
 Res huius mundi, proprio cum fine feruntur,
 Et sine lege ruunt, nec cum ratione reguntur.
 Sicut & in fluminis fluit irrevocabilis vnda,
 Tempora sic hominis fugiunt & quaeque secunda.
 Res huius mundi, sunt instabiles velut hora;
 Pro nihilo debent reputari cuncta decora.
 Ergo miser dum viuus, homo sine fine labora,
 Ne perdas ea pro nihilo quae sunt meliora.
 Sic teneas ut praeualeas a morte futura:
 Da quod habes, ut possideas quae sunt sine cura.
 Dic caro mortalis, dic de putredine vermis,
 Cur miser insanis, quid prodest gloria carnis?
 Di homo, dic puluis, quare putredo superbis?
 Di quid sis, quid eris, memor esto quod morieris.
 In cinerem vermis post mortem regredieris:

An casus nescis humane conditionis?
 Despice quod sequeris, cognosce viam rationis.

Tria sunt capitula, pro quibus mutare licet lo-
 ca, in quibus se stabiles esse promiserunt religio-
 si. Primum est, nimia paupertas. Secundum, per-
 secutio nimia. Tertium, irreligiositas. Nam sta-
 bilitas in loco non permittitur nisi propter regu-
 lam seruandam: quae non constat in praecipis,
 vt multi aestimant, sed institutionibus. Aliter e-
 nim transgressores essent, quicumque per omnia
 regulam non seruarent. Nec de praecipis in ar-
 bitrio poneretur: Institutiones vero mutari, &
 fieri possunt ab Abbate, si magis viles sunt ad
 puritatem mentis, quae sola quaerenda est coram
 Deo, & pro qua sola laborandum, non curandū
 de toto exteriori habitu qualis sit, sed quod scan-
 dalum non faciat. Inde Lanfrancus ad quendam
 Monachum. Indicatum est mihi, quia de mona-
 sterio tuo recedere vis: sed de promissa stabili-
 tate sollicitus es, ne vnde Deum placare debes, in-
 de magis offendas. De quo rationem ostendo, &
 in ostendendo me in exemplum fido. Si ego
 Lanfrancus manu propria me de aliquo mona-
 sterio non recessurum iurassem, & viderem hoc
 quod animam meam saluare non possem, exi-
 rem, nec periurij crimen incurrerem. Qui enim
 Deo propter Deum alligatur, non ab ipso nisi co-
 tra ipsum soluitur. Poterit ab ipso contra ipsum
 non soluitur, qui propter amorem eius, vt ei be-
 ne placeat, a filiis superbiae & diffidentiae, a filiis
 discordiae (& vt apertius dicam) a filiis diaboli
 migrat ad filios pacis & spei, humilitatis inno-
 filios Dei. Qui enim sic transit, nonne fugit a se-
 de diaboli ad sedem Dei? Qui autem iudicent
 eum damnandum a Deo, qui vt ad patrem, vt ad
 Deum, vt ad amicum fugit ad ipsum? Praeterea,
 qui sic transit, non ab Ecclesia ad Ecclesiam tran-
 sit: Non enim plures sunt Ecclesiae, sed vna est to-
 to orbe terrarum diffusa, & vni Deo vbique ser-
 uitur, vni regi militatur. Postremo beatus Bene-
 dictus qui stabilitatem praecipit firmare mona-
 chum ab alio monasterio ad aliud venientem iu-
 bet suscipi: & si bonae vitae fuerit, & stabilitatem
 suam firmet, suadet. Quam dubia & breuis sit
 vita hominis, & quam infinita sunt, quae sequun-
 tur bona vel mala incessanter memorare.

Puto hunc
 locum ad pro-
 prium ex una
 epistolarum
 quae La frid
 eius scripserit
 dnm esset
 Prior Beccin
 sis vel abbas
 Cadavian.
 Nam in illa
 quas scripsi-
 tavit Archie-
 piscopus Can-
 tuariensis,
 non apparet.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
 Et subito casu quae valere ruunt.
 Ludit in humanis diuina potentia rebus,
 Et certam praesens vix habet hora fidem.
 Quam nimis, & nimis est Dominum super omnia mi-
 rem.
 Et venia facilem velle negare piium.
 Vis nosse piium? te respice, respice quid sis,
 Quid fueris, quid eris, quid? caro terra Deus.
 Caelum sole tibi, Sol lumine seruit, & aer,
 Flatibus, vnda cilis, terraq; mille bonis.
 Sed quid es? Vnde tibi? quid habes, quid praebet? vtrum-
 que
 Sponte facit pietas dulcis & ampla Dei.
 Fons bona quaeque fluens, fons nescius euacuati,
 Fons sine fine patens, est sine fine Deus.
 Debes namque scelus metiri non breuitate
 Temporis, & debes impietate sui.

Quidiam
 versus huc
 transtulit.

Maiores

CARMEN DE CONTEMPTU MVNDI.

Maior enim impietas non est, quam spernere gratis
 Ipsum, qui gratis contulit esse tibi.
 Qui tibi te tribuens sese promisit, eoque
 Nil habuit melius quam dare ipse Deus.
 Quidquid es & quod habes, sed quodque valebis habere
 Quid tamen ad meritum sunt simul ista Dei?
 Hunc igitur spernens, seseque per omnia subdens
 Demonis obsequio quanta meretur homo?
 Adde quod in vitium quisquis ruit: ipse ruendi
 Sapius indicit turpe necesse sibi.
 Virtus enim vitio, vitij sit seruus: & in se
 Non habet admissum soluere posse suum.
 Ergo perpes ei debetur poena necesse,
 Qui sibi peccandi sponte perenne facit.
 Gratia tollatur non debita: poena sequatur
 Debita mos premens, & sine fine manens.
 O quam dulce decus, quam vera potentia, qualis
 Gloria, quam stabilis quaestus amare Deum.
 Eius amans Abraham plus ciuibus hospes, & vnus
 Plus populo miles plus ita rege potest.
 Nam virtus in amore Dei, verumque perenne
 Perstat, & esse facit illud amare quod est.
 Vere est ipse quidem, qui permanet vnus & idem
 Esse habet aeternum, sine principio, sine fine,
 Semper idem quod idem, si quis amare studet.
 Si non tam solidum, solidum tamen esse meretur:
 Nam sequitur vitam vita beata bonam.
 Cetera si spectes, quam sint nihil, omnia finis
 Indicat, Assyrium consule, testis adest.
 Hac quid honos, quid opes, quid forma, quid arma, quid
 Heu iuuat imperium, iuuat amasse Denm. (amplum
 Sed quia vera salus Deus est, & amore tenetur:
 Expeto propter eum, vos vt ametis eum.
 Dignus & ipse quidem est, vt ametur: amando scietis
 Quis fructus, quis honos, quid sit amare Deum.

Virtus vero Deum vel vita meretur honesta,
 Quale bonum, quod sit semper amare Deum.
 Quam pig est, quam promptus adest, quã deniq; prodest,
 Ipsum quisquis amat hic magis nosse potest.
 Si te facta docent aliena, doceris honeste
 Concipere meritis spernue metumue tuis.
 O qualis iactura, Deo praeponere quicquam,
 Quem bene si quis habet, quaso quid est? quid habet?
 Nam si magna petis, Deus est, super omnia magnus:
 Si bona, quam bonus est! dicere nemo potest.
 Si speciosa cupis, quis eo speciosior? optas
 Forsan opes, dat opes, diues & ipse manet.
 Si te celsa iuuant, generosaque quam generosus!
 Quamue sit excelsus nemo referre potest.
 Quem si forte potens iuuat & pius, ecc: potestas
 Hinc pia, seu pietas est sine fine potens:
 Quid mores? ipse poli, terra, maris auctor, & omnia
 Quod fuit, est, & erit, perstat origo boni.
 Huic famulans regnat parens, dominatur Hebraeus,
 Seruit & est liber subditur est que potens:
 Cui subdi fugiens satana male subditur hosti
 Subditur, & vitius subditur innumeris.
 Tandem vero videns quo lapsus & vnde fuisset,
 Pectora curarum moribus eger erat.
 Multaque voluenti sententia sedit a silum
 Lapsis quarendum fortiter esse Deum.
 Sicque reus, quem laesit, adit: quem spreuerat, orat
 Quem fugit, repetit: quem reprobarat, amat.
 Hunc repetit, veniamque petit, de crimine fletum,
 De pietate spei, gaudia multa capit.
 Et quid ad haec dulcedo placens, dulcedo perennis,
 Dulci disponens ordine cuncta Deus,
 Quid dulcedo potens, dulcisque potentia fecit?
 Quod solet haec fecit, dulcia dulcis agit.

FINIS.

HYMNI DOMINI ANSELMI ARCHIEPISCOPI IN COMMEMORATIONE DOMINAE NOSTRAE SANCTAE MARIAE.

PSALTERIUM VIRGINIS DEIPARAE, S. ANSELMO AVCTORE.

Ad Nocturnum.
 Lux qua lucet in tenebris,
 Ex aluo nata virgine,
 Nostram noctem nos exue
 Tuumque diem indue,
 Maria Dei thalamus,
 Posce te venerantibus,
 Virtutibus vt splendeant.
 Quos reatus obtenebrant.
 Gloria tibi Domine
 Nato de sancta virgine.
 Regnanti lucto funere.
 Cum patre & sancto spiritu,
 Amen.
 Hic versus in fine singulorū dicendus est.
 Ad Laudes.
 Praesulgens sol iustitiae,
 Ortus de sacra virgine

Splendore tuo noxias,
 Nostras illustra tenebras
 Orientis castissima
 Mater fac nobis Domina
 Vita prorsus vt decidat,
 Vetus noua proficiat,
 Amen.

Ad Primam.
 O Christe proles virginis,
 Patri compar altissimi
 Per tuae matris merita,
 Dele nostra peccamina
 O mūdo venerabilis virgo,
 Mater mirabilis,
 Maria plena gratia
 Ora pro nobis Domina
 Ad Tertiam.
 Quem credimus ex virgine
 Natum benigne Domine

Sit nobis hac confessio,
 Peccatorum remissio
 Que genuisti filium
 A summo patre genitum
 Per hac tua nos merita
 A lapsu mortis libera.

Ad Sextam.
 Nate summe rex vtero
 Maria de virgineo
 Emunda nos a vitis
 Et orna sanctis meritis
 Dei mater o Domina,
 Sublimis tanta gratia
 Tua fac exaltatio,
 Sit nostra releuatio

Ad Nonam.
 Fili Mariae virginis

Da nobis eius meritis
 A peccatis resurgere
 Et ad vitam peringere
 Cuius es factus filius,
 Deus pro peccatoribus,
 Hoc qui fide pronuntiant,
 Fac vt salutem sentiant.

Ad vespertas.
 Sol casto nascens vtero,
 Vespera, cente seculo,
 Illustra nos perpetue,
 Nec declines in vespere.
 Aeterni Soli genitrix,
 Tuis hoc sancta meritis
 Age quo perpes maneat,
 Nobis nec vnquã decidat.
 Ad completorium.
 De casta nobis oriens,
 Matre dies indefinens,

D. ANSELMI CANTVARIEN.

Ingi nos fove lumine,
Culpæq; noctem remoue.
Mater dicit perpetis,

Obfiste nostris tenebris,
Ne lucem nobis dissipent,
Et nos delictis implicent.

In benedictionibus.
Quoniam dabit.

¹ Aue mater cuius partum,
Panem vitæ nobis factum,
Pingues terra ex quo viuât
Et manducant & adorâr.

Manducauerunt.
^m Aue nostra aduocatrix,
Cuius partus mensa Patris
Est nobis consolatio,
Ne frangat tribulatio.

Parasti in conspectu.
ⁿ Aue Regina gratiæ,
Cuius partus Rex gloriæ,
Rex est virtutû Dominus,
Lux de luce Christus Deus.

Quis est iste.
^o Aue cuius virgineo,
Processit ex sacrario,
Vna salus omni mundo,
Dulcis Deus rectus homo.

Dulcis & rectus.
^p Aue nostra aduocatrix,
Et lapsorum reparatrix,
De qua Deus factus homo,
Solus stetit in directo.

Puer meus.
^q Aue mater cuius sponsus
Et creator & filius,
Deus illuminatio,
Salus est & protectio.

Idem.
^r Aue mater redemptoris,
Caro cuius effloruit,
Quando passus gustû mortis
De sepulchro resurrexit,

Et resloruit.
^s Aue mater castitatis,
De qua Deus maiestatis,
Scripturarum voces pluit,
Et virtutes in tonuit.

Vox Dei super aquas.
^t Aue mater cuius partus,
Resurgendo nobis factus,
Maturina lætitia,
Nostra spes est & gloria.

Ad vesperum.
^u Aue cœlestis Domina,
Cuius partus iustitia,
Est nostra liberatio,
Et in Deum protectio.

Esto mihi in Deum.
^x Aue mater singularis,
Cuius hæc est fecunditas,
Qua beatis viris, (tas.
Omnis remittitur iniqui-

Idem ipse.
^y Aue stella virginalis,
Cuius partus singularis,
De Cythara nos docuit,
In cruce quando obiit.

Ipsi tunc bene psallimus,
Decem cordis psalterij,
Ad ipsum cum referimus,
Decalogum mysterij.

Consitemini Deum in
cytharis.
Idem.

Aue mater cuius partus,
Cibus vitæ nobis factus,
Gustare dedit mentibus,
Quam suavis est Dominus.

Aue mater cuius partus,
Solutus nobis est effectus,
Effusa datur framea,
Qua scidit nostra vulnera.

Effunde frameam.
Aue mater cuius partus,
Torrens summavoluptatis
Verbû Patris homo factus,
Fons vitæ est splendor lucis.

Inebriasti me.
Aue cœlestis ianua,
Qua processit Emmanuel,
Cuius lumen iustitia,
Iudicium meridies.

Et educet quasi.
Aue mater qua gaudium,
Peperisti fidelium,
Ante quem desiderium,
Manet se diligentium.

Domine ante te.
Aue mater de qua nostra,
Processit expectatio,
In qua nostra substantia,
Parris confedit solio:

Et nunc qua est.
Aue mater cuius partus,
Se pro nobis holocaustum,
Fecit Deus caro factus,
Solutus nostrum remedium.

Holocaustum imprope-
rium.
Aue mater cuius partus,
Nostras sanauit animas,
Solutus potens aduocatus,
Agens causas, soluens cul-
pas.

Ego dixi Domine.
Aue mater castitatis,
Cuius laudes sonus sunt e-
pulantis,
Scripturarum cibi dulces,
In voce confessionis.

In te Domine speravi.
Aue mater pietatis,
Cuius partus est altare Dei
Parris.
Lætificans intuitus,
Inuentus nostra mentis.

Et introibo.
Aue que Patris brachiû,
Peperisti Iesum Christum,
Cuius illuminatio,
Vultus Dei fit visio.

Sed dextera tua.
Aue cuius visceribus,
Deus Pater ingenuus,
Eruclaxit verbum bonum,
Scilicet vnigenitum.

Idem.

Idem.

Salutatio deprecaturæ, ante Psalterium B.
Virginis dicenda.

Salve Regina misericordiæ: vita, dulcedo, &
spes nostra salutis. Ad te clamamus exules filij E-
tæ: ad te suspiramus gementes, & fletentes in hac
lacrimarum valle. Eia ergo aduocata nostra,
illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte,
& Iesum benedictum fructum ventris tui nobis
post hoc exilium ostende: O clemens! ô pia! ô
dulcis gloriosa Domina nostra, pro nobis inter-
cede.

^a Psal. 11. Qui beatus consilio,
Saluum me fac.

^b Psal. 12. Et accepit, quas redemit,
Usquequo Domine

^c Psal. 13. Dixit insi-
piens.

^d Psal. 14. De mine quis
habitabit.

^e Psal. 15. Conserua.
* hîc erat
vocalia fu-
giens ocu-
los.

^f Psal. 16. Ex-
audi Deus.

^g Psal. 17. Diligam.
ne Domini
li enarrât.

^h Psal. 18. Cœ-
li enarrât.

ⁱ Psal. 19. Ex-
audiat.

^k Psal. 20. Do-
mine in vir-

Cuius in templo Dominus
Et in celo sedes eius.
Dominus in templo.

^a Aue cuius in filio,
Salutem Pater posuit,
In quo sicut in vnico,
Fidem nostram constituit.

^b Aue de cuius filia,
Salutari Dei Patris,
Exultamus in Domino,
Qui bona tribuit nobis.

^c Aue nostra aduocatrix,
Captiuorum liberatrix,
De qua Sion Emmanuel,
Salutare sit Israel.

^d Aue cuius mons filius,
Dei Patris est vnicus.
In quo sancti requiescunt,
Qui veritatem diligunt.

^e Aue regina virginum,
Mater Virgo post filium.
Cuius parius hereditas,
In lætis est prælara,
Funes ceciderunt.

^f Aue mater quæ prædicat,
In re nostra mortalitas,
Quia tuus mirificat,
Partus misericordias,
Mirifica misericordias.

^g Aue quæ laudant spiritus
Cui virtus omnium cœlorum,
De cuius cœlo Dominus,
Nube carnis in tonuit.

^h Aue cuius virgineo,
Deus processit thalamo,
Dotali nobis gratia,
Se præbent in sponsalia.

ⁱ Aue Sion de qua Deus,
Nos tuetur incarnatus,
Memor nostri libaminis,
In pace sui corporis.

^k Aue mater cuius partus,
Cœlestis Pater vnicum,
In seculum dat gentibus,

Psalm. 4.
Omnes g-
tes.
Psalm. 47.
Magni D-
minus.
Psalm. 50.
Misere.

Psalm. 52.
Dixit in-
piens.
Psalm. 63.
Exaudi D-
us oratio-
nem.

Psalm. 66.
Exaudi D-
us oratio-
nem.

Psalm. 67.
Exaudi D-
us oratio-
nem.

Psalm. 68.
Exaudi D-
us oratio-
nem.

Psalm. 45.
Deus nost-
Psalm. 48.
Attendite

Psalm. 51.
Quid glo-
riaris.

Psalm. 53.
Deus in mi-
mine.

Psalm. 55.
Misere.

Psalm. 56.
Misere.

IN COMMEMOR. S. MARIE.

Psal. 45. Ave cuius altissimus
Deus noster
Psal. 48. Paterna lucis radius,
Attendite. Factus nobis remedium.
Fluminis.
Psal. 46. Ave mater cuius partus,
Omnes gen-
tes. Nostra salus est effectus,
Vnde clamat nobis psalmus,
Psal. 49. Plaudite gentes manibus.
Deus Deorum
Idem.
Psal. 47. Ave celestis mansio,
Magni Do-
minus. De cuius templi medio,
Suscepimus Incarnatam,
Psal. 50. Dei misericordiam.
Misere. Suscepimus.

Ave celi introitus,
Divina habitatio,
Cuius est nobis filius,
Et frater, & redemptio.
Frater non redemit.
Ave Sion gloriosa,
De qua nobis manifesta,
Fit carne verbi facies,
Decoris Dei species.
A Solis ortu.
Ave celestis ianua,
Qua Dei Patris vnicuique,
Processit nobis reddita,
Salutaris latera.
Redde mihi.

Pater festinans gentium,
Intendit ad adiuvandum
Idem.
Ave secretum virginis,
Quo processit lux luminis,
Et adiecit super omnem,
Iesus Christus laudem.
Pater enim potestatis,
Cunctas creans innotuit,
Pater vero dulcedinis,
In Christo nobis claruit.
Ego autem semper spe-
rabo.
Ave vellus paritatis,
In quo Deus maiestatis,
Inundans tanquam pluvia,
Distillavit in gratia.
Descendet sicut.
Ave cuius est filius,
Rectis corde bonus Deus,
Qui in eum convertitur,
Pienos dies consequitur,
Ileo converteretur.
Ave terra virginea,
In cuius Deus medio,
Saluta est mysteria,
Operatus in filio.
Deus autem Rex no-
ster.

Solus Deus diiudicans,
Et in se beatissimus.
Idem.
Ave stella paradisi,
Mater illius filij.
Qui solus est altissimus,
Et nomen eius Dominus.
Et cognoscant.
Ave stella virginalis,
Cuius partus lator legis.
Est in sinu Dei Patris,
Dator benedictionis.
Etenim benedictionem.
Ave terra benedicta,
Sanctificans mysteria,
Cuius sacra se unditas,
Dei Patris est veritas.
Veritas.
Ave mater cuius partum,
Omnes gentis verum Deum
Adorant & glorificant,
Confitentur, magnificant.
In lina.
Ave celestis civitas,
Cuius Deus se unditas.
Ave Sion in qua natus
Est fundator ipse tuus.
Nunquid Sion.
Ave mater veri Dei,
Quo pro nobis est in reus,
Portas cor frigit infans,
In mortuis liber solus.
Estimatus sum.
Ave celestis lilium,
Per florem cuius vni us,
Fidelibus est eternum,
Testamentum dispositum.
Disposui.
Ave cuius est filius,
Refugium nobis factus,
Per carnis contubernium,
Quod est vite remedium.
Idem.
Ave splendor singularis,
Cuius virtus virginalis,
Fecit nobis altissimum,
Deum Patrem refugium.
Dicit Dominus.
Ave bonum virginale,
Quod Domino consistit,
Cum virgine peperisse,
Deum veni postremum.
Idem.
Ave decora virginalis,
Quem verbum Patris induit
Cum de fonte castitatis,
Nostra carne se praecepsit.
Idem.
Ave mater cuius partus,
Vt rationum Rex Dominus,
Liberata em plene egit,
Cum de morte resurrexit.
Idem.
Ave mater puerpera,
Cuius regali filio,
Iubilamus in gratia,
Deo salutari nostro.

Deus in adiutorium.
Psal. 82. Deus quis similis.
Psal. 70. In te Domine.
Psal. 83. Quam dilectus.
Psal. 84. Benedixisti
Psal. 71. Deus iuven-
tum.
Psal. 85. Omnes gen-
tes.
Psal. 72. Quia bonus
Psal. 86. Fundamen-
ta.
Psal. 73. Vt quid
Deus.
Psal. 87. Domine
Deus.
Psal. 74. Confitebi-
mur.
Psal. 88. Memento
dus Domi-
ni.
Psal. 75. Notus in
Iudaea.
Psal. 76. Voce mea.
Psal. 90. Vt
honorat.
Psal. 77. Avertite.
Psal. 91. Bonus est.
Psal. 78. Deus
Venerunt.
Psal. 92. Dominus
regnavit.
Psal. 79. Quia reg-
navit.
Psal. 93. Deus vni-
versus.
Psal. 80. Exultate.
Psal. 94. Venite
exultemus.
Psal. 81. Idem. Deus scit.

PARS II. PSALTERII BEA-
TAE MARIE VIRGINIS.

Psal. 51. Quid glori-
naris. Ave mater cuius partus,
Vt oliva fructifera,
Psal. 60. Patibulum crucis passus,
Exaudi De-
us deprec-
tionem. Ego autem.
Psal. 52. Ave mater cuius partus,
Sine culpa factus vnus,
Dixit infi-
piens. Qui nec traxit origine,
Culpam natus ex virgine.
Psal. 61. Ave mater cuius partus,
Nonne Deo.
Celestis Patris vnicuique,
Psal. 53. Nobis voluntarium,
Deus in no-
mine. Est factus sacrificium.
Voluntarie.
Psal. 62. Ave ex qua Christus ortus,
Deus Deus
Vespere Pascha docuit,
meus. Ad Pilatum manum ductus,
Psal. 54. Veritatem nuntiavit.
Exaudi De-
us. Meridie crucifixus,
A Patre est exauditus,
Psal. 63. Et moriens mortem vicit,
Exaudi De-
us oratione
meam. Qui de morte resurrexit.
Vespere & mane.
Ave Regina virginum,
Letitia fidelium,
Psal. 55. Quae peperisti gaudium,
In lumine vivensium.
Psal. 64. Te accers.
Quoniam eripuisisti.
Psal. 56. Ave cuius est filius,
Super caelos exaltatus,
Psal. 65. Et ipsius gloria,
In omnia terrestria.
Deo. Exaltare super caelos.
Psal. 57. Ave de qua natus,
Si vero. Vtique est iustus fructus,
Psal. 66. Iudicans eos in terra,
Deus misere-
reatur. Vt exalter a latera.
Et dicet homo.
Psal. 58. Ave cuius in arcanis,
Eripe me. Incarnatum verbum patris,
Psal. 67. Et cucurrit sine culpa,
Exurgat. Et direxit in gloria.
Psal. 59. Neque iniquitas,
Deus repu-
listi. Ave de qua Patris verbum,
Causa nostri caro factum.
Psal. 68. In Iudam gentium,
Saluum me
fac. Extendit calcamentum,
In Idumeam.
Psal. 69.

Ave mater cuius solus,
Deus & homo filius,
A finibus terra clamat,
Dum nos sibi membra sonat.
A finibus terra.
Ave mater cuius partum
Semelest Deus locutus,
Dum verbum Patris vnicuique,
Tuis est vere filius.
Semel locutus est.
Ave stella celestium,
Pariens lucem gentium,
Partum cuius adoramus,
Dum de luce vigilamus.
Idem.
Ave iustorum gaudium,
In cuius sperant filium,
Et laudantur recti corde,
Vt laetentur in requie.
Laeabunt iusti.
Ave Sion illa pacis,
In qua decet hymnum Deum,
Aulam tuam castitatis,
Qui sibi fecit thalamum.
Idem.
Ave de cuius filio,
Iubilamus Deo Patri,
Psalmos damus & lauda-
mus,
Et in psalmis iubilamus.
Idem.
Ave terra que dedisti,
Fructum Deo consistendi.
Cuius est benedictio,
Vera sui cognitio.
Vt cognoscamus.
Ave templum Hierusalem,
Habens celestem speciem,
A cuius sanctuario,
Processit Patris visio.
Confirma hoc Deus.
Ave per quam salua,
Fit consistens Sion nostra.
Et quibus datur gratia,
Inhabitabunt in ea.
Quoniam Deus salutem
Ave per cuius filium,
Deus in adiutorium,

Ave cuius est filius,
Rectis corde bonus Deus,
Qui in eum convertitur,
Pienos dies consequitur,
Ileo converteretur.
Ave terra virginea,
In cuius Deus medio,
Saluta est mysteria,
Operatus in filio.
Deus autem Rex no-
ster.
Ave potens virtutibus,
Cuius in cruce filius,
Exaltans iusti cornua,
Peccati fregit vincula.
Et omnia cornua.
Ave cuius est filius,
Notus in Iudaea Deus,
In Israel nomen eius,
Magnum & crede, ibus.
Idem.
Ave mater ex qua nota
Fecit Pater manum suam,
Ex populo in brachio,
Redemit vni genito.
Notam fecisti.
Ave mater de qua nobis,
Anglorum natus panis,
Nos reuocat & resicit,
Et in seipso perficit.
Panem Angelorum.
Ave regina gaudij,
Cuius celestis filij,
Christianus est populus,
Et oves pascua eius,
Nobis autem populus.
Ave de qua Deus sumus,
In sinu Patris vnicuique,
Qui sedet super Cherubim
Apparet coram Effraim.
Qui sedet.
Ave ex qua Christus
Non est nobis recens Deus,
Qui Deo Patri filius,
Est eterno coaeternus,
Audi populus.
Ave cuius est filius,
Deus decorum Dominus,

Ave mater cuius partum,
Omnes gentis verum Deum
Adorant & glorificant,
Confitentur, magnificant.
In lina.
Ave celestis civitas,
Cuius Deus se unditas.
Ave Sion in qua natus
Est fundator ipse tuus.
Nunquid Sion.
Ave mater veri Dei,
Quo pro nobis est in reus,
Portas cor frigit infans,
In mortuis liber solus.
Estimatus sum.
Ave celestis lilium,
Per florem cuius vni us,
Fidelibus est eternum,
Testamentum dispositum.
Disposui.
Ave cuius est filius,
Refugium nobis factus,
Per carnis contubernium,
Quod est vite remedium.
Idem.
Ave splendor singularis,
Cuius virtus virginalis,
Fecit nobis altissimum,
Deum Patrem refugium.
Dicit Dominus.
Ave bonum virginale,
Quod Domino consistit,
Cum virgine peperisse,
Deum veni postremum.
Idem.
Ave decora virginalis,
Quem verbum Patris induit
Cum de fonte castitatis,
Nostra carne se praecepsit.
Idem.
Ave mater cuius partus,
Vt rationum Rex Dominus,
Liberata em plene egit,
Cum de morte resurrexit.
Idem.
Ave mater puerpera,
Cuius regali filio,
Iubilamus in gratia,
Deo salutari nostro.

Psal. 85. Omnes gen-
tes.
Psal. 72. Quia bonus
Psal. 86. Fundamen-
ta.
Psal. 73. Vt quid
Deus.
Psal. 87. Domine
Deus.
Psal. 74. Confitebi-
mur.
Psal. 88. Memento
dus Domi-
ni.
Psal. 75. Notus in
Iudaea.
Psal. 76. Voce mea.
Psal. 90. Vt
honorat.
Psal. 77. Avertite.
Psal. 91. Bonus est.
Psal. 78. Deus
Venerunt.
Psal. 92. Dominus
regnavit.
Psal. 79. Quia reg-
navit.
Psal. 93. Deus vni-
versus.
Psal. 80. Exultate.
Psal. 94. Venite
exultemus.
Psal. 81. Idem. Deus scit.

D. ANSELMI CANTVARIEN.

Idem.
 Psal. 95. Ave de cuius filio,
 Cantate. Cantamus nouū canticū,
 a Psal. 108. Cuius carnis commercio,
 Deus laudat. Salus est facta gentium.
 Idem.
 Psalm. 96. Ave mater gloriosa,
 Dominus te Lux solaris clara stella,
 gnauit. De qua iustus lux est orta,
 b Psal. 109. Rectis corde letitia.
 Dixit Do- Lux orta est.
 minus. Ave mater qua processit,
 Psal. 97. Qui fecit mirabilia,
 Cantate. Cuius sibi non saluauit,
 c Psal. 110. Sua virtute dextera.
 Confitebor Saluauit.
 Psal. 98. Ave Regis sacrarium,
 Dominus te Cuius honor iudicium,
 gnauit. Pedum cuius est scabellum
 d Psal. 111. Sumpta carnis indumentū.
 Beatus vir. Exaltate.
 Psal. 99. Ave cuius fecunditas,
 Iubilate. Est diuina suauitas,
 e Psal. 112. Cuius misericordia,
 Laudate. Est in aeterna secula.
 Laudate nomen eius.
 Psal. 100. Ave mater gratiarum,
 f Psal. 113. Quae peperisti Dominum,
 In exitu. Ipsi misericordiam,
 Cantamus & iudicium.
 Psal. 101. Idem.
 Domine ex PARS III.
 audi. Ave per quā Sion nostra,
 g Psal. 114. Videbitur in gloria,
 Dilexi. Cuius partus sunt opera,
 h Psal. 115. Omnis simul creatura.
 Credidi. Quoniam adificauit
 Dominus.
 Psal. 102. Ave cuius sacrariis.
 Benedic. Ille processit filius,
 Cuius est admirabilis,
 i Psal. 116. Omni loco dominatus.
 Laudate. Benedicite Domino om-
 nia opera eius in om-
 Psal. 103. Ave de cuius intem-
 Benedic. Decorem Deus induit,
 Et nostra veste fidei,
 k Psal. 117. Ut lumine se vestiuit.
 Confitemini Confessionem,
 Psal. 104. Ave stella paradisi,
 Confitemini Cuius lumen adoramus,
 In laudes tui filij,
 l Psal. 118. Alleluia dum cantamus.
 Beati im- Titulus Psalmi Alleluia.
 maculati. Ave stella caelestium,
 Psal. 105. Alleluia fidelium,
 Confitemini Per quam Dei inter gentes
 m Psal. 119. Nuntiatur omnes laudes.
 Ad Domi- Item Alleluia in titulo.
 num. Ave mater cui redempti,
 Psal. 106. De manibus inimici,
 Confitemini Induri stola gemina,
 n Psal. 120. Duplex dicunt Alleluia.
 Leuauit. Duplex Alleluia in rit.
 Psal. 107. Ave mater ex qua Deus,
 Paratum. Deducitur incarnatus,
 o Psal. 121. In munitam ciuitatem,
 tatus sum.

Ecclesia firmans fidem.
 Quia deducet.
 Ave de cuius filio,
 a Laudes Pater non tacuit
 Ipsumq; de sepulchro,
 A mortuis suscitauit.
 Idem.
 b Ave Dauid tu filia,
 Ex qua vestra substantia,
 Sedet in Patris dextera,
 Iesus Christus in gloria.
 Idem.
 c Ave Regina virginum,
 Que peperisti filium,
 Qui factus est redemptio,
 a Patre missa populo.
 Redemptionem.
 d Ave mater vera lucis,
 Ex qua natus in tenebris,
 Lumen rectis corde Deus,
 Misericors est & iustus.
 Exortum est.
 e Ave mater cuius partus,
 Super gentes est excelsus,
 Respiciens humilia,
 Et in caelo, & in terra.
 Quis sicut Dominus.
 f Ave mater cuius partū,
 Non laudabūt in infernū,
 Sed nos ipsi qui viuimus,
 Domino benedicimus.
 Non mortui.
 g Ave mater cuius partus,
 Deo Patri sit acceptus,
 In viuorum regione,
 Qua viuunt eius morte.
 Placebo.
 h Ave mater cuius partus,
 Salutari nos calice,
 Comparauit crucifixus,
 Aqua simul & sanguine.
 Calicem.
 i Ave per quam confirmata,
 Dei misericordia,
 Veritatem prophetia,
 Aperuit & gratia.
 Quoniam confirmata.
 k Ave mater ex qua Deus,
 Illuxit Dei filius,
 Conceptus sancto Spiritu,
 Et resurgens ex obitu.
 Benedictus qui venit.
 l Ave mater per quam uia,
 Immaculata patuit,
 Qui a Deo flore,
 Virginitas effloruit. Idem.
 m Ave mater huius partus,
 Ad quē fide proclamamus,
 Ut sit pius ex auditor,
 Ne valeat tribulator.
 Idem.
 n Ave mater qua processit
 Iesus Christus Emmanuel.
 Qui nō dormit, sed custodit
 Verus protector Israel.
 Ecce non dormit.
 o Ave mater huius Regis,

Cuius sedes iudicantis,
 Sedebunt in iudicio,
 Ad consistendum Domino.
 Quia illic.
 p Ave mater cuius partus,
 Deus in caelis habitat,
 In sanctorum dū mēribus,
 Dulcedine sua regnat.
 Idem.
 q Ave cuius in filium,
 Proclamat fides Martyrū,
 Nisi Deus adiuuisset,
 Persecutor deglutisset.
 Cum exurgerent.
 r Ave cuius in filio,
 Qui confidunt ex animo,
 Ut mons Sion sumus Deo,
 In quo pacis est visio.
 Idem.
 s Ave cuius in filio,
 Facti sumus consolati,
 Et replentur ex gaudio,
 Captiuitate exuti.
 Idem.
 t Ave caelestis domina,
 Cuius fructus merces su-
 mus,
 Eius morte pretiosa,
 Quia vitam recepimus.
 Cum dederit.
 u Ave mater singularis,
 Cuius partus Emmanuel,
 Commercio sua carnis,
 Effectus est pax Israel.
 Ut videas.
 x Ave mater Summi regis,
 Cuius est benedictio,
 Vita semper aeternalis,
 Sempiterna possessio.
 Et non dixerunt.
 y Ave cuius in filio,
 Haec est misericordia,
 Ut fiat suo populo,
 Redemptio copiosa.
 Quia apud Dominum.
 z Ave cuius in filium,
 Verus iam sperat Israel.
 Qui non elatus moribus,
 De se non sensit humiliter.
 Speret Israel.
 a Ave mater Virgopura,
 Cuius partus homo Deus,
 Sedet in Patris dextera,
 Deus Dauid & filius.
 Idem.
 b Ave cuius in filij,
 Habitamus sic ouili,
 Sicut illa germanitas,
 Quam regit vna charitas,
 Idem.
 c Ave cuius in filij
 Inhabitamus atriis,
 In ipsius quando fide
 Dilatamur charitate.
 Qui stas.
 d Ave mater in qua Deus,
 Est ex Sion benedictus,

Qui habitat Hierusalem,
 Pacis habens visionem.
 Benedictus Deus ex Sion.
 Ave cuius in filio,
 Confitemur Patri Deo,
 Quoniam sit in secula,
 Eius misericordia.
 Idem.
 Ave terra benedicta,
 In qua catatur canticum,
 Quia in terra aliena,
 Cantari non est licitum.
 Quomodo cantabimus,
 Ave cuius ad filium,
 Dei Patris verum templū,
 Prout decet, adoramus,
 Dum credentes confitemur,
 In conspectu.
 Ave cuius partus,
 In tumulo soporatus,
 Sicut diem noctem fecit,
 Cum de nocte resurrexit,
 Quia tenebra.
 Ave cuius est filij,
 Pater, virtus salutaris,
 Agens in die belli,
 Vim nostra redemptionis.
 Domine, Domine v. r.
 tus salutis mea.
 Ave mater cuius partus,
 Viam fecit singularis,
 Donec peregit transicus,
 Quibus vitam dedit nobis,
 Cadent in retiaculo.
 Ave mater cuius partum
 Expectabant omnes iusti,
 Donec Pater genus nostrū,
 Retribuit eius morti.
 Educ de custodia.
 Ave mater huius partus,
 Cuius nos ducit spiritus,
 In terram rectitudinis,
 Terram resurrectionis.
 Spiritus tuus bonus,
 Ave mater cuius partus,
 Dum virtutes fulgurauit,
 Infideles principatus,
 Sua morte dissipauit.
 Fulgura.
 Ave mater cuius partus,
 Laudabilis est Dominus.
 Et magnitudinis eius,
 Non est finis nec terminus
 Magnus Dominus.
 Ave mater cuius partus,
 Verē soluit compeditos,
 Quia sola fides eius
 Illuminat mente cecos.
 Dominus soluit.
 Ave mater cuius partus,
 Aedificat Hierusalem,
 Dum clemēter nos ad eius,
 Coadunat visionem.
 Aedificans.
 Ave mater cuius partum
 Laudat illa Hierusalem,
 Et suspirat in aeternum,
 Cuius Laudate.

Psal. 148.
 Laudate.
 Psal. 15
 Laudate
 Dominum
 in Sanctis
 Psal. 14
 Cantate.

Psal. 135.
 Confitemini
 Psal. 122.
 ad releuauit

Psal. 136.
 Super flu-
 mina.
 Psal. 127.
 Nisi quia.
 Psal. 137.
 Confitebor
 Psal. 124.
 Qui con-
 dunt.

Psal. 138.
 Domine
 probasti.
 Psal. 125.
 In conuer-
 tendo.

Psal. 139.
 Eripe me.
 Psal. 126.
 Nisi Domi-
 nus.

Psal. 140.
 Domine
 clamauit.
 Psal. 127.
 Beati o-
 mnes.

Psal. 141.
 Voce mea,
 Psal. 128.
 Sape expr-
 gnauerūt.

Psal. 142.
 Domine ex
 audi.
 Psal. 129.
 De profun-
 dis.
 Psal. 143.
 Benedictus
 z Psal. 130.
 Domine nō
 Psal. 144.
 Exaltabit
 a Psal. 131.
 Memento.
 Psal. 145.
 Laudate
 ma.
 b Psal. 132.
 Ecce quam
 Psal. 146.
 Laudate Do-
 minum.
 c Psal. 133.
 Ecce nunc.
 Psal. 147.
 Lau-
 da Hieruf-
 d Psal. 134.
 Cuius Laudate.

HYMNI B. DEI GENITRICIS.

Cuius fines dedit pacem,
Qui posuit fines.
Aue mater cuius partum,
Ex debita iustitia
Laudant ciues angelorū,
Laudat omnis creatura.
Laudate eū omnes angeli.
Aue de cuius filio,
Sion exultant filie,
Dum de eius consorti o,
Sanctorū gaudent anima.
Exultabunt Sancti.
Aue mater cuius partū,
In timpanis meritorum,
Sancti laudant ex gratia,
Mortificantes vitia.
Laudate Dominum in
timpano.

CONCLUSIO SALVTATIO-
NVM.

Aue gemma singularis,
Habens scripta mysteria,
In aeterni Pontificis,
Rationali posita.
Aue lamina aurea.
In te ipsa cir. umscripta,
Nomen propitiabile,
Quod est indicibile.
Aue sola virginitas,
Cuius Deus facunditas,
Nostrum super humerale
Diuina sit ex virtute.

Postea dicenda est Antiphona.

AUE REGINA COELORVM. &c.

Postquam est hæc altera.

Gaude Dei genitrix Virgo immaculata,
Gaude quæ gaudium ab Angelo suscepisti,
Gaude quæ genuisti aeterni luminis claritatem,
Gaude mater pietatis & misericordiae,
Gaude sancta Dei genitrix virgo,
Tu sola mater innupta,
Te laudat omniū factura,
Genitricem lucis,
Sis pro nobis quæsumus pia interuentrix.

Oratio: Deus qui de beatæ, &c.

O Maria nomen bonum, nomen memorabile,
O nomen quod melius est quam multa diuitia,
Balsamum aromatizans thus mira fragrantia,
Flos aeternus, rosa lenis, lignum semper viride,
Stella Solis claritatem suo vincens iubare,
Semper mater quia nunquam eris sine sobole,
Speciosa & suauis canticum latitiae,
Prædicanda, laudanda priuatim & publice:
Non hic tantum, sed in tota mundi latitudine,
Et in caelis, angelorum dulci modulamine,
Quam amare nolle nullus potest sine crimine,
Cui placere fide stare, & Deo est viuere.
Dum nos tibi commendamus, vota nostra suscipe:
Dum te proni salutamus, quamuis hoc rarissime,
Aue tibi coram tua dicentes imagine,
Incorrupta & secunda noli me despicere,
Cælum cæli, domus Dei, vas misericordiae,
Pronum verò tibi constat & omnino facile,
Ad quoscunque velis vsus angelos transmittere,
Quod exempla multa probant, quæ longum est ponere.
Ideo, sanctum nobis Gabrielem dirige,
Qui te matrem Dei sui salutauit congruè,
Atque sancto grandiandam præconauit flamine,
Absque generatione naturalis copula:
Ipsam ergo ad te nobis causidicum tribue,
Vt tibi preces nostras dignetur suggerere,
Cælestiq; corda nostra curet medicamine,
Quoniam sunt vanitati subdita superflue.
Sed tu mater gloriosa miseris compatere
Tendens aurem, si quis petit sua vincula soluere,
Nec dedignans miserum arumnas attendere:
Sed parata inuocanti cui libet succurrere.
O patrona peccatorum huc ad nos conuertere:
Illustrato terras nostras, vultus tui splendere

Et ex illa sede tua domum istam respice,
Et commenda Saluatori locum hunc assidue,
Ac benigne nostri memor, nos à malis eripe:
Beneficium tuum incessanter refoue,
Qui nos tibi commendamus satis necessarie,
Implorantes opem tuam super nos descendere:
Pro peccatis quippe nostris tribulamur vndique,
Et præualuerunt in nos hostium insidia,
Qui nos dente genuino non cessant corrodere:
Heu miseri! cur sum natus tanta mala cernere.
Mater pia, stella maris, in hoc consolare me,
Et amico Dei magno Nicolao condole,
Et ancilla Dei pie Hunegundi condole,
Cuius pene iam defecit honor Reipublica,
Esto eius interuentu custos huius vineæ,
Et circumdans eam muro, rapientes ab igne,
Palmites, quos produxit, benedic & protege:
Ipsa quippe te dilexit affectuosissime,
Semper ardens esse tua commoda Ecclesie.
Ergo & tu seruos eius consequenter dilige,
Consolare destitutos, lapsis manum porrige,
Et educ de luto facis, & lacu miseriae,
Ne nos mortis sempiterna comprehendant tenebrae,
Sed illustret mentes nostras lux cælestis gratia,
Dono cuius sordes tantas possumus euadere:
Quibus membra suus mundus polluit nefarie:
Tu es enim mater Christi suauis memoria,
Ob quam nobis sunt aperta paradisi ianua,
Quæ tam potens es in omni bonitatis opere,
Vt omnino sit beatum, qualis sis agnoscere.
Benedictum nomen eius sanctum & terribile,
Qui per orbem tuum nomen fecit esse celebre,
Per quam posset reis suis peccata remittere.
Semper quæso pia Virgo mei remissere,
Semperq; veritatis dona mihi obtine,
Vt me suo tueatur sacro moderamine,
Sicq; meæ prece tua consolator anima,
Et infundat peccatrici oleum in lampade,
Quo parata possit sponso cælesti occurrere.
Aue Virgo singularis, sumens hoc benigne,
Aue templum gratiarum omnium capabile,
Aue cuius peccatores pascunt elemosyna,
Gaude felix, & ex ipsis vnam mihi tribue.
Vt sublata per hanc omni hostium formidine,
Sine fine possim Deo gratias rependere.
Benedicant te per eum virtutes angelicae,
Et ad laudem creatoris te in omni tempore,
Omnes sancti benedicant, & tu me, & ego te.

HYMNVS SECVNDVS IN DIVER-
SIS BEATÆ DEI GENITRICIS CANTANDVS
SOLENNIS.

Aue sponsa in sponsata, per quæ orbis lapsi facta est ereptio,
Aue per quam prima matris est Eua redemptio,
Sancta Maria ora pro nobis. Aue sponsa, &c.
Altitudo cogitandi tu inaccessibilis,
Inuisibile profundum angelorum oculis,
Χαῖρε κεχωροτομένη Θεοτόκε & παρθένε,
Sancta Dei genitrix ora pro nobis. Aue sponsa, &c.
Omnia portantem portans; solium imperij.
Tu stella demonstrans solem: Sol diei mystici,
Occidentis astrum mundi, luminis conspicui,
Sancta Virgo virginum ora pro nobis. Aue sponsa, &c.
Incarnationis diuæ veteris tu facta es.
Per quam renouatur omnis creatura species,
Cum qua adoratur factor & origo omnium
Angelorum Domina ora pro nobis. Aue sponsa, &c.
Tu ex-

HYMNI B. DEI GENITRICIS.

Tu extans initiatrix arcani consilij,
 Mirandorum viræ Christi operum primitia,
 Dogmatum illius extans tu fons & initium,
 Cælorum regina ora pro nobis. *Aue sponsa, &c.*
 Scala tu cælestis per quam descendit ipse Deus,
 Sponsa traducens terrena super cælestia,
 Tu mater innupta omni honore superior,
 Virgo perpetua ora pro nobis. *Aue sponsa, &c.*
 Dæmanum forte lamentum, mæror & tristitia,
 Angelorum sed bonorum laus decus & gloria,
 Electorum tu cunctorum satians latitia,

Templum Domini ora pro nobis. *Aue sponsa, &c.*
 Generans perennem lucem, & inaccessibilem
 Sophorum superascendens omnium scientiam,
 Animarum tu sanctarum splendor & prudentia.
 Sacrarum Spiritus Sæcti ora pro nobis. *Aue sponsa, &c.*
 Cuiam vita coronam fructu ventris germinans.
 Possidens diuinitatem, & in ea pullulans,
 Nutricans humanitatem, & eam agricolans,
 Tu sola sine exemplo ora pro nobis.
 Virginis illa, cui sunt sua salua sigilla,
 Et fecunda tamen det nobis dulce iuuamen.



PRAEFATIO
BEATI ANSELMI
 EPISCOPI CANTVA-
 riensis in Monologium.

BEATI ANSELMI
CANTVARIENSIS
 EPISCOPI MONOLOGIVM.

Quod sit quoddam optimum & maximum & sum-
 mum omnium quae sunt. Caput I.



Vidam fratres saepe me studiososq;
 precati sunt, ut quaedam de illis,
 quae de meditando diuinitatis es-
 sentia, & quibusdam alijs huius
 meditationi coherentibus vsitato
 sermone colloquendo protuleram,
 sub quodam eius meditationis ex-
 emplo describerem. Cuius scilicet scribenda medita-
 tionis magis secundum suam voluntatem quam secun-
 dum rei facilitatem, aut meam possibilitatem, hanc
 mihi formam praestiterunt: quatenus auctoritate scri-
 pturae penitus nihil in ea persuaderetur. Sed quicquid
 per singulas inuestigationes finis assereret, id ita esse
 plano stylo & vulgaribus argumentis simpliciq; dispu-
 tatione, & rationis necessitas breuiter coheret, & ve-
 ritatis claritatem patenter ostenderet. Voluerunt eti-
 am, ut nec simplicibus penes, sicutis obiectionibus mihi
 occurrentibus obuiare contemnerem, quod quidem diu-
 tentare recusavi, atque mecum re ipsa comparans,
 multas me rationibus excusare tentavi. Quamto enim
 id quod petebant vsu sibi optabant facilius: tanto mihi
 illud actu iniungebant difficilius. Tandem tamen vi-
 ctus, tum precum modesta importunitate, tum studij
 eorum non contemnenda honestate, inuitus quidem
 propter rei difficultatem, & ingenij mei imbecillita-
 tem, quod precabantur incipi: sed libenter propter
 eorum charitatem, quantum potui, in eorum defini-
 tionem effeci. Ad quod cum ea spe sim adductus, ut
 quicquid facerem illis solis, a quibus exigebatur, esset
 notum, & paulo post id ipsum ut vilem rem fastidien-
 tibus, contemptu esset obruendum: scio enim me in eo
 non tam precantibus satisfacere potuisse, quam preci-
 bus me prosequentibus finem posuisse. Nescio tamen
 quomodo sic praeter spem euenit, ut non solum praedicti
 fratres: sed & plures alij scripturam ipsam, quisque
 eam sibi transcribendo in longum memoria commen-
 dare satagerent: quam ego saepe tractans nihil potui
 inuenire me in ea dixisse, quod non Catholicorum pa-
 trum, & maxime beati Augustini, scriptis cohaereat.
 Quapropter si cui videbitur quod in eodem opusculo
 aliquid protulerim, quod aut minus nouum sit, aut a
 veritate dissentiat: rogo ne statim me aut vi presum-
 ptorem nouitatum, aut falsitatis assertorem exclamet:
 sed prius libros beati Augustini de Trinitate diligen-
 ter perspicat, deinde secundum eos opusculum meum
 iudicet. Quod enim dixi, summam Trinitatem posse
 dici tres substantias, Graecos sequutus sum, qui confi-
 rentur tres substantias esse in vna persona eadem fide,
 qua nos tres personas in vna substantia. Nam hoc sig-
 nificant in Deo per substantiam, quod nos per perso-
 nam. Quaecumque autem dixi sub persona secum, sola
 cogitatione disputantis & inuestigantis, ea quae prius
 non animaduertisset prolata sunt: sicut sciebam illos
 velle quorum petitioni obsequi intendebar. Precor
 autem & obsecro vehementer, si quis hoc opusculum
 voluerit transcribere, ut hanc praefationem in capite
 libelli, ante ipsa capitula studeat proponere. Multum
 enim prodesse puto ad intelligenda ea, quae legerit ibi.
 Si quis prius, qua intentione, quoue modo disputata
 sint, cognouerit. Puto etiam, quod si quis hanc ipsam
 praefationem viderit prius non temere iudicabit:
 si quid & contra suam opinionem pro-
 latum inuenerit.

D. ANSELMI TOMVS III.



Si quis vniam naturam summam
 omnium quae sunt solam, sibi
 in aeterna beatitudine sua suffi-
 cientem: omnibusq; rebus alijs
 hoc ipsum quod aliquid sunt,
 aut quod aliquo modo bene
 sunt: per omnipotentem boni-
 tatem suam dantem & facientem, aliaq; per plu-
 ra: quae de Deo, siue de eius creatura necessariò
 credimus, aut non audiendo, aut non credendo
 ignorat: puto quia ea ipsa ex magna parte, si vel
 mediocri ingenij est, potest ipse sibi saltem sola
 ratione persuadere. Quod cum multis modis face-
 re possit vnũ ponam, quem illi aestimo esse promp-
 tissimum. Etenim cum omnes frui solis his appet-
 tant, quae bona putant, in promptu est, ut aliquan-
 do mentis oculum conuertat ad inuestigandum
 illud, unde sint bona ea ipsa, quae non appetit, nisi
 quia iudicat esse bona: ut deinde ratione ducente
 & illa persequente ad ea, quae irrationabiliter ig-
 norat, rationabiliter proficiat. In quo tamen si
 quid dixerò, quod maior non monstrat autoritas,
 sic volo accipi: ut quantum ex rationibus, quae mihi
 videbuntur quasi necessarium concludatur, non
 ob hoc tamen omnino necessarium: sed tantum
 sic interim videri posse dicatur. Facile est igitur,
 ut aliquis sit qui secum tacitus dicat: Cum tam
 innumerabilia bona sint, quorum tam multam
 diuersitatem & sensibus corporeis experimur, &
 ratione mentis discernimus: est ne credendum
 esse vnũ aliquid, per quod vnũ sunt bona
 quaecumque bona sunt, aut sunt bona alia per ali-
 ud. Certissimum quidem & omnibus est volenti-
 bus aduertere perspicuum, quia quaecumque di-
 cuntur aliquid, ita ut ad inuicem magis aut mi-
 nus aut aequaliter dicantur, per aliud dicuntur:
 quod non aliud & aliud, sed idem intelligitur in
 diuersis, siue in illis aequaliter siue inaequaliter
 consideretur. Nam quaecumque iusta dicuntur
 ad inuicem siue pariter siue magis vel minus
 non possunt intelligi iusta nisi per iustitiam,
 quae non est aliud & aliud in diuersis. Ergo
 cum certum sit quod omnia bona si ad inuicem
 conferantur, aut aequaliter aut inaequaliter sint
 bona: necesse est omnia sint per aliquid bona,
 quod intelligitur idem in diuersis bonis, licet ali-
 quando videantur bona dici alia per aliud. Per
 aliud enim videtur dici bonus equus, quia fortis
 est: & per aliud bonus equus, quia velox est. Cum
 enim videatur dici bonus per fortitudinem, &
 bonus per velocitatem: non tamen idem videtur
 esse velocitas & fortitudo. Verum si equus, quia
 est fortis aut velox, bonus est quomodo fortis &
 velox latro malus est? Potius igitur quemadmo-
 dum fortis & velox latro ideo malus, quia noxi-
 us est: ita fortis & velox equus ideo bonus est,
 quia utilis est? Et quidem nihil solet purari bo-
 num, nisi aut propter utilitatem aliquam, ut bo-
 na dicitur salus, & quae saluti profunt: aut prop-
 ter quamlibet honestatem, sicut pulchritudo æ-
 stimatur bona, & quae pulchritudinem inuant
 Sed quoniam iam perspecta ratio nullo potest
 dissolui pacto, necesse est omne quoque utile vel
 honestum, si verè bona sunt, per ipsum esse bona

AA

per

per quod necesse est cuncta esse bona, quicquid illud sit. Quis autem dubitet illud ipsum, per quod cuncta sunt bona, esse magnum bonum. Illud igitur est bonum per seipsum: quonia omne bonum est per ipsum, ergo consequitur, ut omnia alia bona sint per aliud quam quod ipsa sunt: & ipsum solum per seipsum. At nullum bonum quod per aliud est, est æquale aut maius eo bono quod per se est bonum. Illud itaque est summum bonum, quod solum est per se bonum. Id enim summum bonum est, quod per se eminet alijs: ita ut nec par habeat nec præstantius: sed quod est summum bonum, est etiam summum magnum. Est igitur unum aliquid summum magnum, & summum bonum, id est, summum omnium quæ sunt.

De eadem re. Cap. II.

Quemadmodum autem inuentum est aliquid esse summum bonum: quoniam cuncta bona per unum aliquid sunt bona, quod est bonum per seipsum: sic ex necessitate colligitur aliquid esse summum magnum, quoniam quæcunque magna sunt per unum aliquid magna sunt, quod magnum est per seipsum. Dico autem non magnum spatio, ut est corpus aliquod: sed quod quanto maius, tanto melius aut dignius, ut est sapientia. Et quoniam non potest esse summum magnum, nisi id quod est summum bonum: necesse est aliquid esse maximum & optimum, id est, summum omnium quæ sunt.

Quod sit quedam natura, per quam est quicquid est, quæ per se est, & est summum omnium quæ sunt.

Cap. III.

BDenique non solum omnia bona per idem aliquid sunt bona: & omnia magna per idem aliquid sunt magna: sed quicquid est, per unum aliquid videtur esse. Omne namque quod est: aut per aliquid, aut per nihil: sed nihil est, per nihil. Non enim est vel cogitari potest, ut sit aliquid non per aliquid. Quicquid igitur est, non nisi per aliquid est, quod cum ita sit, aut est unum, aut sunt plura, per quæ sunt cuncta quæ sunt. Sed si sunt plura, tunc ipsa referuntur ad unum aliquid, per quod sunt: aut eadem plura singula sunt per se: aut ipsa per se inuicem sunt. At si plura ipsa sunt, per unum iam non sunt omnia per plura: sed potius per illud unum per quod plura sunt. Si verò ipsa plura singula sunt per se, utique est una aliqua vis vel natura existendi per se, quam habent ut per se sint. Non est autem dubium, quod per ipsum unum sint per quod habent, ut sint per se. Verius ergo per ipsum unum cuncta sunt, quam per plura: quæ sine eo uno esse non possunt: ut verò plura per se inuicem sint, nulla patitur ratio quoniam irrationalis cogitatio est: ut aliqua res sit per illud cui dat esse, nam nec ipsa relativa, sic sunt per inuicem. Nam cum Dominus & seruus referantur ad inuicem, & ipsi homines qui referuntur, omnino non sunt per inuicem: & ipse relationes quibus referuntur, non omnino sunt per inuicem, quia eadem sunt subiecta. Cum itaque veritas omnimodo excludat plura esse, per quæ sunt cuncta: necesse est unum illud esse, per quod sunt cuncta quæ sunt. Quoniam ergo cuncta quæ sunt, sunt per ipsum unum: hoc est dubio & ipsum unum est per seipsum. Quæcunque igitur alia sunt, sunt per aliud & ipsum solum per seipsum. At quicquid est per aliud, minus est quam illud per quod cuncta sunt alia, & quod solum est per se, quare illud quod est per se, maxime omnium est. Est igitur

unum aliquid, quod solum maxime & summum omnium est, quod autem maxime omnium est, & per quod est quicquid est bonum vel magnum, & omnino quicquid aliquid est, id necesse est esse summum bonum, & summum magnum, & summum omnium quæ sunt. Quare est aliquid quod siue essentia, siue substantia, siue natura dicitur, optimum & maximum est, & summum omnium quæ sunt.

De eadem re, quod sicut illa est per se, & alia per illam: ita alia sit ex se, & alia ex illa.

Caput IIII.

Amplius si quis intendat rerum naturas, velit, nolit, sentit non eas omnes contineri una dignitatis paritate: sed quasdam earum distinguere graduum imparitate. Qui enim dubitat, quod in natura suo ligno melior sit equus, & equo præstantior homo, is profecto non est dicens homo. Cum igitur naturarum alia alijs negari non possunt meliores, nihilominus persuadet ratio aliquam in eis sic supereminere, ut non habeat se superiorem. Si enim huius graduum distinctio, sic est infinita: ut nullus sit ibi gradus superior, quo superior alius non inueniatur. Ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum nullo sine claudatur. Hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. Est igitur ex necessitate aliqua natura, quæ sic est aliquid vel aliquibus superior, ut nulla sit cui ordinetur inferior. Hæc verò natura quæ talis est, aut sola est, aut plures huiusmodi & æquales sunt, verum si plures sunt & æquales sunt, cum æquales esse non possint per diuersa quædam, sed per idem aliquid: illud unum per quod æqualiter tam magnæ sunt, aut est id ipsum quod ipse sunt, id est, ipsa earum essentia, aut aliud quam quod ipse sunt. Sed si nihil est aliud, quam ipsarum essentia: sicut earum essentia non sunt plures, sed una, ita & naturæ non sunt plures, sed una. Idem namque naturam hic intelligo, quod essentiam. Si verò id, per quod plures ipsarum naturarum magnæ sunt, aliud est quam quod ipse sunt: pro certo minores sunt, quam id per quod magnæ sunt. Quicquid enim per aliud est magnum, minus est quam id per quod est magnum, quare non sunt sic magnæ, ut illis nihil sit maius aliud. Quod si nec per hoc quod sunt, nec per aliud possibile est tales esse plures naturas, quibus nihil est præstantius, nullo modo possunt esse naturæ plures huius. Restat igitur unam & solam naturam aliquam esse, quæ sic est alijs superior, ut nullo sit inferior: sed quod tale est, maximum & optimum est omnium quæ sunt. Hoc autem esse non potest, nisi ipsa sit per se id quod est: & cuncta quæ sunt, sint per ipsam id quod sunt. Nam cum paulò ante ratio docuerit id quod per se est, & per quod alia cuncta sunt, esse summum omnium existentium, aut e conuerso: id quod est summum, est per se, & cuncta alia per illud, aut erunt plura summa: Sed plura non esse, manifestum est. Quare est quedam natura, vel substantia, vel essentia, quæ est per se bona vel magna, & per se est, id quod est, & per quam est quicquid vere aut bonum aut magnum aliquid est, & quæ est summum magnum, summumque bonum summum ens siue existens, id est, summum omnium quæ sunt. Quoniam itaque placet quod inuentum est: iuuat indagare, utrum hæc ipsa natura & cuncta quæ aliquid sunt, non sint nisi ex ipsa, quemadmodum non nisi per ipsam. Sed licet posset dici: quia quod ex aliquo est, etiam per id ipsum quod est per aliquid, est, & ex eo ipso: quemadmodum & est

A & est ex materia, & per artificem, potest enim dici esse per materiam & ex artifice: quoniam per vtrunquē, & ex vtroque & ab vtroque habet vt fit, quauis aliter per materiam, & ex materia, quam per artificem & ex artifice. Consequenter ergo, vt quomodo cuncta quæ sunt per summam sunt naturam id quod sunt: & id eo illa est per seipsam, alia verò per aliud, ita omnia quæ sunt, sunt ex eadem natura summa, & idcirco illa ex seipsa, alia autem ex alio.

Quod illa non sit vlla iuuante causa ducta ad esse: nec tamen sit per nihil aut ex nihilo & quomodo intelligi possit esse per se, & ex se.

Cap. V.

Quoniam igitur non semper habet eundem sensum quod dicitur esse per aliquid, aut est ex aliquo: querendum est diligentius quomodo per summam naturam, vel ex ipsa sint omnia quæ sunt, & quoniam id quod est per se ipsum, & id quod est per aliud, non eandem suscipiunt existendi rationem, prius separatim videamus de ipsa summa natura, quæ per se est: postea de his, quæ per aliud sunt. Cùm igitur constet, quod illa est per seipsam quicquid est, & omnia alia sunt per illam id quod sunt, quomodo est ipsa per se?

Quod enim dicitur esse per aliquid: videtur esse, aut per efficiens, aut per materiam, aut per aliquod aliud adiumentum vel instrumentum. Sed quicquid ex aliquo his tribus modis est, per aliud est, & posterius, & aliquo modo minus est eo, per quod habet, vt sit: at summa natura nullatenus est per aliud, nec est posterior, aut minor seipsa, vt aliqua alia re: quare summa natura, nec a se, nec ab alio fieri potuit nec ipsa sibi, nec aliquid aliud illi materia vnde fieret, fuit aut ipsa se aliquo modo, aut aliqua res ipsam, vt esset quod non erat, adiuit.

B Quid igitur? Quod enim non est a quo faciente, aut ex qua materia, aut ex quibus adiumentis ad esse peruenerit, id videtur aut esse nihil: aut si aliud est, per nihil esse, & ex nihilo. Quod licet ex his, quæ rationis luce de summa iam animaduerti substantia putem nullatenus in illam posse cadere: non tamen negligam huius rei probationem contexere. Quoniam nanque ad magnum & delectabile quoddam me subito perduxit hæc mea meditatio, nullam vel simplicem penèque fatuam objectionem mihi disputanti occurrentem, negligenter volo præterire. Quatenus & ego nihil ambiguum in præcedentibus relinquens, certior valeam ad sequentia procedere: & si forte, cui quod speculor persuadere voluero, omni vel modico remoto obstaculo quilibet tardus intellectus audita facile possit accidere. Quod igitur illa natura, sine qua nulla est natura, sit nihil, tam falsum est quam absurdum erit dicatur, quicquid est nihil esse, per nihil verò non est, quia nullo modo intelligi potest, vt quod aliquid est sit per nihil, aut si quomodo est ex nihilo, aut per se, aut per aliud, aut per nihil est ex nihilo. Sed constat, quia nullo modo aliud est per nihil. Si igitur est aliquo modo ex nihilo, aut per se, aut per aliud est ex nihilo. Per se autem nihil potest esse ex nihilo, quia si quid est ex nihilo, per aliquod necesse est, vt id per quod est prius sit. Quoniam igitur hæc essentia prior seipsa non est, nullo modo ex nihilo per se. At si dicitur per aliquam naturam aliam extitisse ex nihilo, non est summa omnium, sed aliquo inferior: nec est per se, hoc est, sed per aliud. Item si per aliud est ipsa ex nihilo, id per quod est magnum bonum fuit cùm

causa tanti boni fuit. At nullum bonum potest intelligi ante illud bonum, sine quo nihil est bonum, hoc autem bonum, sine quo nihil est bonum, satis liquet hanc esse summam naturam de qua agitur. Quare res nulla vel intellecta præcessit, per quam ista ex nihilo esset. Denique si hæc ipsa natura est aliquid aut per nihil, aut ex nihilo: procul dubio aut ipsa non est per se & ex se, quicquid est: aut dicitur ipsa nihil, quod vtrunque superfluum est exponere quam falsum sit, licet igitur summa substantia non sit per aliquid efficiens, aut ex aliqua materia, nec aliquibus adiuta sit causis, vt ad esse produceretur: nullatenus tamen est per nihil, aut ex nihilo: quia per seipsam, & ex seipsa est quicquid est. Quomodo ergo tandem esse intelligenda est per se & ex se: si nec ipsa se fecit, nec ipsa sibi materia extitit, nec ipsa se quolibet modo, vt quod non erat esset, adiuit: nisi forte eo modo intelligendum videtur, quod dicitur: quia lux lucet, vel lucens est, per seipsam & ex seipsa. Quemadmodum enim sese habent ad inuicem lux, & lucere, & lucens. sic sunt ad inuicem essentia, esse, & ens, hoc est, existens siue subsistens, ergo summa essentia, & summe esse, & summe ens, id est, summe existens, siue summe subsistens non dissimiliter sibi conuenient, quam lux, & lucere, & lucens.

Quomodo alia omnia sint per illam, & ex illa.

Caput VI.

Restat nunc de rerum earum vniuersitate, quæ per aliud sunt, discutere, quomodo sint per summam substantiam, vtrum quia ipsa facit vniuersa, aut quia materia fuit vniuersorum. Non enim opus est querere, vtrum adeo sint vniuersa per ipsam: quia alio faciente, aut alia materia existente illa tantum quolibet modo, vt res omnes essent adiuiat: cùm repugnet his quæ iam supra patuerunt, si secundo loco & non principaliter sint per ipsam, quæ cunque sunt. Primum itaque mihi querendum esse puto, vtrum vniuersitas rerum, quæ per aliud sunt, sit ex aliqua materia. Non autem dubito hanc mundi molem, cum partibus suis, sicut videmus, formatam constare ex terra & aqua, & aere & igne, quæ sunt quatuor elementa, aliquo modo intelligi posse, sine his formis quas conspiciamus in rebus formatis, vt eorum informis aut etiam confusa natura videatur esse materia omnium corporum suis formis discretorum, non inquam hoc dubito: sed quero, vnde hic ipsa quam dixi, mundana molis materia sit. Nam si huius materiae est aliqua materia, alia verins est corporeæ vniuersitatis materia. Si igitur vniuersitas rerum seu visibilium seu invisibilium est ex aliqua materia profecto non solum non potest esse: sed nec dici potest ex alia materia, quam ex summa natura: aut ex se ipsa, aut ex aliqua tertia essentia: quæ utique nulla est. Quippe nihil omnino vel cogitari potest esse præter illud summum omnium, quod est per seipsam, & vniuersitatem eorum quæ non per se, sed per idem summum sunt, quare quod nullo modo aliquid est nullius rei materia est. Ex sua verò natura rerum vniuersitas quæ per se non est, esse non potest: quoniam si hoc esset, aliquo modo esset per se & per aliud, quoniam per id per quod sunt cuncta: & non solum id per quod cuncta sunt, quæ sunt omnia falsa. Item, omne quod ex materia est, ex aliquo est, & posterius est eo, quoniam igitur nihil est aliud a seipso, vel posterius seipso, consequitur vt nihil sit materialiter ex seipso. Ac si ex

summæ materia nature potest esse aliquid minus ipsa, summum bonum mutari & corrumpi potest, quod nefas est dicere. Quapropter, quoniam omne quod aliud est quam ipsa, minus est ipsa. Impossibile est aliquid aliud hoc modo esse ipsa. Amplius dubium non est, quia nullatenus est bonum per quod mutatur vel corrumpitur summum bonum. Quod si qua minor natura est ex summi boni materia: cum nihil sit vnumcunque, si per summam essentiam, mutatur & corrumpitur summum per ipsum bonum. Quare summa essentia, quæ est ipsum summum bonum, nullatenus est bonum, quod est inconueniens. Nulla igitur minor natura materialiter est ex summa natura. Cum igitur eorum essentiam, quæ per aliud sunt, constet non esse velut ex materia ex summa essentia nec ex se, nec alio, manifestum est quod ex nulla materia est. Quare: quoniam quicquid est per summam essentiam est: nec per ipsam aliquid aliud esse potest, nisi ea aut faciente, aut materia existente: consequitur de necessitate, ut præter eam nihil sit, nisi ea faciente, & quoniam nihil aliud est vel fuit, nisi illa, & quæ facta sunt ab illa nihil omnino facere potuit per aliud, vel instrumentum, vel adumentum quam per seipsam. Ac omne quod fecit sine dubio aut fecit ex aliquo, velut ex materia, aut ex nihilo. Quoniam igitur certissime patet, quia essentia omnium, quæ præter summam essentiam sunt, ab eadem summa essentia facta est. Et quia nulla materia est, procul dubio nihil apertius quam quod illa summa essentia tantam rerum molem tam numerosam multitudinem, tam formosæ formatam, tam ordinatæ variatam, tam conuenienter diuersam, sola per seipsa est, produxit ex nihilo.

B *Quomodo intelligendum sit quod omnia fecit ex nihilo.*

Capit VII.

SED occurrit quædam dubitatio de nihilo. Nam ex quocunque sit, aliquid, id causa eius, quod ex se fit: & omnis causa necesse est aliquid ad essentiam effectus præbeat adumentum. Quod sic omnes tenent experimento, ut etiam nulli rapiatur contendendo, ut vix vlli surripiatur decipiendo. Si ergo factum est ex nihilo aliquid, ipsum nihil fuit causa eius, quod ex ipso factum est. Sed quomodo id quod nullum habebat esse, adiunxit aliud ut perueniret ad esse. Si autem nullum adumentum de nihilo provenit ad aliquid, cui aut qualiter persuadeatur, quia ex nihilo aliquid efficiatur. Propterea, nihil aut significat aliquid, aut non significat aliquid. Sed si nihil est aliquid, quæcunque facta sunt ex nihilo, facta sunt ex aliquo. Si verò nihil non est aliquid: quoniam intelligi non potest ut eo, quod penitus non est fiat aliquid? nihil fit ex nihilo. Sicut vox omnium est quia nihil de nihilo. Vnde videtur consequi, ut quicquid fit, fiat ex aliquo. Aut enim fit de aliquo, aut de nihilo. Si igitur nihil sit aliquid: siue nihil non sit aliquid consequi videtur, ut quicquid factum est, factum sit ex aliquo. Quod si verum esse ponitur, omnibus quæ supra disputata sunt opponitur. Vnde quoniam quod erat nihil aliquid erit: id quod maxime aliquid erat, nihil erit. Ex eo nanque, quod quandam substantiam maxime omnium existentiam inueneram, ad hoc ut omnia alia ab ea facta essent: sic ut nihil esset vnde facta esset ratiocinando perueneram. Quare si illud vnde facta sunt, quod putabam esse nihil, est aliquid: quicquid inuentum æstimabam de summa essentia, est nihil, quid igitur intelligendum est

de nihilo, nam nihil quod videam posse obijci tibi penè iam fatuum statui in hac meditatione negligere.

Quod ea quæ facta sunt ex nihilo, non nihil erant antequam fierent, quantum ad rationem facientis.

Capit VIII.

TRIBUS itaque ut puto modis, quod ad præsentis impedimenti sufficit expeditum, exponi potest: si qua substantia dicitur esse facta ex nihilo. Vnus quidem modus est, quo volumus intelligi penitus non esse factum quod dicitur ex nihilo esse cui simile est cum quærenti de tacente, vnde loquatur, respondetur de nihilo, id est, non loquitur. Secundum quemadmodum de ipsa summa essentia, & de eo quod penitus nec fuit, nec est: quærendi, vnde factum sit, rectè responderi potest: de nihilo, id est, nequaquam factum est, qui sensus de nullo eorum quæ facta sunt, intelligi potest. Alia significatio est, quæ dici potest quidem vera, esse tamen non potest, ut si dicatur sic esse factum ex nihilo, ut ex ipso nihil, id est, ex eo quod penitus non est, factum sit: quasi ipsum nihil sit aliud existens, ex quo possit aliquid fieri, quod quoniam semper falsum est, quotiens est ponitur, impossibilis inconuenientia consequitur. Tertia interpretatio qua dicitur aliquid esse factum de nihilo, cum intelligimus esse quidem factum: sed non esse aliquid vnde sit factum. Per similem significationem dici videtur cum homo contristatus sine causa, dicitur contristatus de nihilo. Secundum igitur hunc sensum si intelligatur, quod supra conclusum est, quia præter summam essentiam cuncta, quæ sunt ab eadem, ex nihilo facta sunt, id est, non ex aliquo: sicut ipsa conclusio præcedentia conuenienter sequetur, ita ex eadem conclusione nihil inconueniens subsequetur, quanuis non inconuenienter & sine omni repugnantia, ea quæ facta à creatrice substantia dici possunt ex nihilo, eo modo quo dici solet, diues ex paupere, & recepisse quis sanitatem ex ægritudine, id est, qui prius pauper erat, nunc est diues, quod antea non erat, & qui prius habebat ægritudinem, nunc habet sanitatem, quam antea non habebat. Hoc igitur modo non inconuenienter intelligi potest, si dicatur creatrix essentia vniuersa fecisse de nihilo, siue quod vniuersa per illam facta sunt de nihilo, id est, quæ prius nihil erant, nunc sunt aliquid. Hac ipsa quippè, voce qua dicitur: quia illa fecit, siue quod ista facta sunt, intelligitur: quia cum illa fecit, aliqua fecit: & cum ista facta sunt, non nisi aliqua, facta sunt. Sic enim aspicientes aliquem de valde humili fortuna, multis opibus ab aliquo honoribusque exaltatum, dicimus: ecce ille fecit istum de nihilo, aut factus est ille ab isto de nihilo, id est, ipse qui prius quasi nihilum reputabatur, nunc illo faciente vere aliquid æstimatur. Verum videor mihi videre quoddam quod negligenter discernere cogit, secundum quid ea quæ facta sunt antequam fierent, dici possunt fuisse nihil. Nullo nanque pacto fieri potest aliud rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quasi exemplum, siue (ut aptius dicitur) forma vel similitudo aut regula. Patet itaque quoniam priusquam fierent vniuersa erant in ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent, quare cum ea quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc: quia non erant, quod nunc sunt: nec erat

A ex quo fierent, non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis, per quam & secundum quam fierent.

Quod illa ratio sit quadam rerum locutio, sicut faber dicit prius apud se quod factum est.

Caput IX.

Illa autem forma rerum, quæ in eius ratione res creandas præcedebat, quid aliud est quam rerum quædam in ipsa ratione locutio, veluti cum faber facturum aliquod suæ artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione. Mentem autem siue rationis conceptionem, locutionem hæc intelligo: non cum voces rerum significatiue cogitantur, sed cum res ipsæ, vel futuræ, vel iam existentes acie cogitationis in mente conspiciuntur. Frequenti namque usu cognoscitur, quia rem unam tripliciter loqui possumus. Aut enim res loquimur, signis sensibilibus, id est, quæ sensibus corporeis sentiri possunt sensibilibus utendo, aut eadem signa, quæ foris sensibilia sunt intra nos sensibilibus cogitando, aut nec sensibilibus his signis utendo. Sed res ipsas vel corporum imaginatione, vel rationis intellectu pro rerum ipsarum diuersitate, intus in nostra mente dicendo. Aliter namque hominem dico, cum eum hoc nomine, quod est homo, significo: aliter cum idem nomen tacens cogito: aliter cum eum ipsum hominem mens aut per corporis imaginem, aut per rationem intuetur, per corporis quidem imaginem, cum eius sensibilem figuram imaginatur. Per rationem verò, ut cum vniuersalem eius essentiam, quæ est animal rationale mortale cogitat. Hæc verò tres loquendi varietates, singulæ verbis sui generis constant: sed illius, quam tertiam & vltimam posui, locutionis verba, cum de rebus non ignoratur sunt, naturalia sunt, & apud omnes gentes sunt eadem. Et quoniam omnia alia verba propter hæc sunt inuenta, vbi ista sunt: nullum aliud verbum est necessarium ad rem cognoscendam, & vbi ista esse non possunt, nullum aliud est vtile ad rem ostendendam. Possunt etiam non absurde dici, tanto veriora quanto magis rebus, quarum sunt verba similia sunt, & eas expressius signant, exceptis namque rebus illis, quibus ipsis utimur pro nominibus suis ad easdem significandas, ut sunt quædam voces, velut **A** vocalis: exceptis inquam his nullum aliud verbum sic dicatur rei simile, cuius est verbum, aut sic eam exprimit, quomodo illa similitudo quæ in acie mentis rem ipsam cogitantis exprimit. Illud igitur iure dicendum est, maxime proprium & principale rei verbum. Quapropter si nulla de qualibet re locutio, tantum propinquat rei quantum illa, quæ huiusmodi verbis constat: nec aliquid aliud tam simile rei futuræ, vel iam existentis in ratione alicuius potest esse: non immerito videri potest, apud ipsam summam substantiam, talenti rerum locutionem & fuisse, antequam essent, ut per eam fierent: & esse cum facta sunt, ut per eam sciantur.

Quod tamen multa sit in hac similitudine dissimilitudo. Cap. X.

Sed quauis summam substantiam constet prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quæ eam secundum eandem & per eandem suam intimam locutionem conderet: quemadmodum faber prius mente concipit, quod postea secundum mentis conceptionem opere perficit. Multam tamen in hac similitudine intueor dissimili-

D. ANSELMI TOMVS III.

itudinem. Illa namque nihil omnino aliunde assumpsit, vnde vel eorum quæ factura erant, formam in se ipsa compingeret vel ea ipsa, id quod sunt, perficeret, faber verò penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul, aut per partes ex aliquibus rebus aliquo modo iam didicit, nec opus mente conceptum perficere, si desit aut materia, aut aliud, sine quo opus præcogitatum fieri non possit, quanquam enim homo tale aliquod animal possit cogitando vel pingendo, quale nunquam sit, confingere, nequaquam tamen hoc facere valet, nisi componendo in eo partes, quas ex rebus alijs cognitis in memoriam attraxit. Quare in hoc differunt ab inuicem, illæ in creatrice substantia, & in fabro suorum operum faciendorum intimæ locutiones, quod illa nec assumpta, nec adiuta aliunde, sed prima, & sola eam sufficeret suo artifici ad suum opus perficiendum. Ista verò, nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum incipiendum. Quapropter ea quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid, quod non sit per illam. Quæ verò per ipsam fiunt, penitus non essent nisi esset aliquid, quod non sit per ipsam.

Quod hac summa essentia locutio sit summa essentia. Cap. XI.

Sed cum pariter ratione docente sit certum, quia quicquid summæ substantia fecit, per aliud quam per semetipsam. Et quicquid fecit, per intimam locutionem fecit, siue singulis verbis, siue potius vno verbo simul omnia dicendo, quid magis necessarium videri potest, quam hæc summæ essentia locutionem non esse, aliud quam summam essentiam? Non igitur negligenter prætereundam huius locutionis considerationem puto: sed priusquam de illa possit tractari diligenter, eiusdem summæ substantiæ proprietates aliquas studiose inuestigandas existimo.

Quod sicut omnia per summam essentiam facta sunt, ita vigeant per ipsam.

Caput XII.

Constat ergo per summam naturam esse factum, quicquid non est idem illi. Dubium autem, non nisi irrationabili menti esse potest, quod cuncta quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigeant & perseverant esse quamdiu sunt, quo faciente de nihilo habente esse quod sunt. Simili namque per omnia ratione, qua collectum est, omnia quæ sunt esse per vnum aliquid, vnde ipsum solum est per seipsum, & alia per aliud. Simili inquam ratione potest probari, quia quæcunque videntur per vnum aliquid videntur. Vnde illud solum viget per seipsum, & alia per aliud. Quod quoniam aliter esse non potest, nisi ut ea quæ sunt facta per aliud videntur: & id a quo facta sunt, vigeat per seipsum, necesse est, ut sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam: ita nihil vigeat, nisi per eiusdem seruatricem potentiam.

Quod illa sit in omnibus, & in omnia sint ex illa, & per illam, & in illa. Cap. XIII.

Quod sit ita est, immò quia ex necessitate sic est, consequitur ut vbi ipsa non est, nihil sit. Vbi igitur est, & per omnia, & in omnibus. Ac quoniam absurdum est, ut scilicet, quemadmodum nullatenus aliquid creatum potest exire creantis & fouentis immensitatem, sic creans & fouens nequaquam valeant aliquo modo excedere factorum vniuersitatem, liquet quomodo ipsa est,

AA 3

quæ

A quæ cuncta alia portat, & superat, & claudit, & penetrat. Si igitur hæc illis, quæ superius sunt inventa, iungantur: eadem est quæ in omnibus est, & per omnia, & ex qua, & per quâ, & in qua omnia.

Quod possit aut non possit de illa dici substantialiter.

Caput XIV.

Iam non immeritò valde moueor, quàm studiosè possum inquirere, quid omnium quæ de aliquo dici possunt, huic tam admirabili naturæ queat continere substantialiter. Quanquam enim mirer, si possit in nominibus vel verbis, quæ aptamus rebus factis de nihilo, reperire, quod dignè dicatur de creatrice vniuersorum substantia, tantandum tamen est, ad quid hanc indagacionem ratio perducatur. Itaque de rebus quidem nulli dubium, quia nullum eorum substantiale est illi, de quo rebus dicitur. Quare si quid de summa natura dicitur rebus, non est eius significatum substantiale. Vnde hoc ipsum quæ summa est omnium, siue maior omnibus, quæ ab illa facta sunt, vel aliquid aliud, quod similiter rebus dicitur potest: manifestum est, quoniam non eius naturalem designat essentiam. Si enim nulla eorum rerum vnquam esset, quarum relatione summa, & maior dicitur ipsa: nec summa, nec maior intelligeretur: nec tamen idcirco minus bona esset, aut essentialis suæ magnitudinis in aliquo detrimentum pateretur. Quod ex eo manifestè cognoscitur: quoniam ipsa quicquid boni vel magni est, non est per aliud quàm per ipsam. Si igitur summa natura sit, potest intelligi non summa, vt tamen nequaquam sit maior aut minor, quàm cum intelligitur summa omnium: manifestum est, quoniam summum non simpliciter significat illam summam essentiam, quæ omninò maior & melior est, quàm quicquid non est quod ipsa. Quod autem ratio docet de summo, non dissimiliter inuenitur in similibus rebus. Illis itaque quæ rebus dicuntur ommissis, quia nullam eorum simpliciter demonstrat alicuius essentiam. Ad alia discutenda se conuertat intentio. Equidem si quis singula diligenter intueatur, quicquid est præter rebus: aut tale est, vt ipsum omninò melius sit, quàm non ipsum: aut tale, vt non ipsum in aliquo melius sit, quàm ipsum. Ipsum autem & non ipsum, non aliud hic intelligo, quàm verum non verum, corpus non corpus, & his similia. Melius quidem est omninò aliquid, quàm non ipsum: vt sapiens quàm non sapiens, id est, melius est sapiens, quàm non sapiens. Quamuis enim iustus non sapiens melior videatur, quàm non iustus sapiens: non tamen melius simpliciter est, non sapiens quàm sapiens. omne enim non sapiens simpliciter in quantum non sapiens, est minus quàm sapiens, quia omne non sapiens, melius esset, si esset sapiens. Similiter omninò melius est verum, quàm non ipsum, id est, quàm non verum: & iustum, quàm non iustum: & viuere, quàm non viuere. Melius autem est in aliquo non ipsum, quàm ipsum: vt non aurum, quàm aurum. Nam melius est homini esse non aurum, quàm aurum: quamuis forsitan melius esset alicui aurum esse, quàm non aurum esse: vt plumbo. Cum enim vtrunque scilicet homo & plumbum sit non aurum, tantò melius aliquid est, homo quàm aurum, quanto inferioris naturæ esset, si esset aurum: & plumbum tanto vilius est, quanto preciosius esset, si aurum esset. Patet autem ex eo quod summa natura sic intelligi potest non summa, vt nec

summum omninò melius sit, quàm non summum: nec non summum alicui melius, quàm summum: multa rebus esse, quæ nequaquam hac contineantur diuisione. Vtrum autem aliqua contineantur, inquirere supersedeo: & ad propositum sufficiat, quod de illis notum est nullum, scilicet eorum simplicem summæ naturæ substantiam designare. Cum igitur quicquid aliud est, si singula despiciantur: aut si melius quàm non ipsum, aut non ipsum in aliquo sit melius, quàm ipsum: sicut nefas est putare, quod substantia humanæ naturæ sit aliquid, quò melius sit aliquid, quò modo non ipsum, sic necesse est, vt sit quicquid omninò melius est, quàm non ipsum. Illa enim sola est, qua penitus nihil est melius: & quæ melior est omnibus, quæ non sunt, quod est ipsa. Non est igitur corpus, vel aliquid eorum quæ corporei sensus discernunt. Quippe his omnibus melius est aliquid, quod non est quod ipsa sunt. Mens enim rationalis quæ nullo corporeo sensu quid, vel qualis, vel quanta sit percipitur: quanto minor esset si esset aliud eorum quæ corporeis sensibus subiacent, tanto maior est quam quodlibet eorum. Penitus enim ipsa summa essentia tacenda est esse aliquid eorum, quibus est aliquid, quod non est quod ipsa sunt superius: & est omninò, sic ratio docet, dicenda, quodlibet eorum, quibus est omne quod non est quod ipsa sunt inferius, quare necesse est esse eam viuentem, sapientem, potentem, & omnipotentem, veram, iustam, beatam, æternam, & quicquid simpliciter absolute melius quàm non ipsum. Quid ergò queratur amplius, quid summa illa sit natura, si manifestum est, quid omnium sit, & quod non sit.

Quod idem sit illi iustam quod est esse iustitiam & eodem modo de his quæ similiter de illa dici possunt, & quod nihil horum monstrat qualis illa, vel quanta sit, sed quid sit.

Caput XV.

SED fortasse cum dicitur iusta, vel magna, vel aliud similitum, non ostenditur quid sit, vel potius qualis, vel quanta sit. Per qualitatem quippe, vel quantitatem, quodlibet eorum dici videtur. Omne nanque quod iustum est, per iustitiam iustum est: & alia huius similitur. Quare ipsa summa natura non est iusta, nisi per iustitiam. Videtur igitur participatione qualitatis iustitie, scilicet iusta dici summæ bona substantia: quod si ita est, per aliud est iusta, non per se. Ac hæc contrarium est veritati perspecta: quia bona, vel magna, vel subsistens, quod est omnino, per se est, non per aliud. Si igitur non est iusta, nisi per iustitiam: nec summa potest esse, nisi per se, quid magis conspicuum, quid magis necessarium, quàm quod eadem natura, est ipsa iustitia: cum iusta per se dicitur esse, non aliud intelligitur quàm per iustitiam. Quapropter, si queratur, quid sit ipsa summa natura, de qua agitur, quid verius responderetur, quàm iustitia. Videndum igitur quomodo intelligendum sit, quando illa natura, quæ est ipsa iustitia, dicitur iusta. Quoniam enim homo non potest esse iustitia, iustitiam autem habere potest. Non enim intelligitur iustus homo, existens iustitia, sed habens iustitiam. Quoniam igitur summa natura non proprie dicitur iusta, quia habet iustitiam, sed existit iustitia: cum dicitur iusta, proprie intelligitur existens iustitia, non autem habens iustitiam, quare si cum dicitur existens iustitia, non dicitur qualis est, sed quid est: consequitur, vt cum dicitur iusta, nõ dica-

A dicatur qualis sit, sed quid sit. Deinde, quoniam de illa suprema essentia idem est dicere: quia est iusta, & quia est existens iustitia: & cum dicitur est existens iustitia, non est aliud quam est iustitia: nihil differt in illa, siue dicatur, est iustitia, siue est iusta. Quapropter cum quaeritur de illa quid est, non minus congrue responderetur iusta, quam iustitia, quod verò in exemplo iustitiæ ratum esse conspicitur, hoc de omnibus quæ similiter de ipsa summa natura dicuntur, intellectus sentire per rationem constringitur. Quicquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis, vel quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summè illud est. Illa igitur est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa eternitas, summa potestas, summa vnitas quod non est aliud, quam summè ens, summè viuens, & alia simpliciter.

Quod ita sit simplex, vt omnia qua de eius essentia dici possunt, vnum idemq, sint in illa, & nihil de ea dici possit substantialiter nisi in eo quod quid est.

Caput XVI.

Quid ergo, si illa summa natura tot bona est, eritne composita tot pluribus bonis, an potius non sunt plura bona, sed vnum bonum tam pluribus nominibus significatum. Omne enim compositum vt subsistat, indiget his ex quibus componitur, & illis debet quidem quod est, quia quicquid est, per illa est: & illa quod sunt, per illud non sunt: & idcirco penitus summum non est. Si igitur summa natura illa composita ex pluribus bonis, hæc omnia quæ omni composito insunt in illam incidere necesse est: Quod nefas falsitatis apta ratione destruit & obruit tota quæ supra patuit, necessitas veritatis. Cum igitur illa natura nullo modo composita sit, & tamen omnimodo tot illa bona sit, necesse, vt illa omnia nõ plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum quod omnia sunt simul, siue singula, vt cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula. Quemadmodum itaq; vnum est, quicquid essentialiter de summa substantia dicitur: ita ipsa vno modo vna consideratione est quicquid est essentialiter. Cum enim aliquis homo dicatur corpus, & rationalis, & homo: non vno modo vel consideratione hæc tria dicitur. Secundum aliud enim est corpus, & secundum aliud rationale, & singulum horum non est totum id, quod est homo. Illa verò summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem non sit: quia quicquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est. Nihil dicitur quod de eius essentia verè dicitur, in eo quod qualis, vel quanta: sed in eo quod quid sit accipitur. Quicquid enim est, vel quale vel quantum, est & aliud in eo quod quid est vnde non simpliciter, sed compositum est.

Quod sit sine principio, & sine fine. Cap. XVII.

EX quo igitur hæc tam simplex natura creatrix, & vigor omnium fuit, vel vsquequo futura est? an potius, nec ex quo, nec vsquequo est: sed sine principio & sine fine. Si enim principium habet: aut ex se, vel per se hoc habet: aut

ex alio vel per aliud: aut ex nihilo, vel pro nihilo. Sed constat per veritatem iam perspectam, quia nullo modo ex alio, vel ex nihilo, vel per aliud, vel per nihil est. Nullo igitur modo per aliud, vel ex alio, aut per nihil, vel ex nihilo initium sortita est. Ex seipsa verò, vel per se initium habere non potest: quanquam ex seipsa, & per seipsam sit. Sic enim est ex se per se, vt nullo modo sit alia essentia, quæ est per se & ex se & alia per quam & ex qua est. Quicquid autem ex aliquo vel per aliquid incipit esse: non est omnino idem illi ex quo, vel per quod incipit esse. Summa igitur natura non incipit per se vel ex se. Quoniam igitur nec per se, nec ex se, nec per aliud, nec ex alio, nec per nihil, nec ex nihilo habet principium: nullo modo habet principium, sed neque finem habebit. Si enim finem habitura est, non est summè immortalis & summè incorruptibilis: sed constat, quia est summè immortalis & incorruptibilis: non habebit igitur finem. Amplius si finem habitura est, aut volens aut nolens deficiet. Sed pro certo non est simplex bonum cuius voluntate perit summum bonum: At ipsa est verum & simplex bonum, quare sua sponte non deficiet ipsa, quam certum est esse summum bonum. Si verò nolens peritura est, non est summè potens, nec omnipotens: sed rationis necessitas alleruit eam summè potentem esse, & omnipotentem. Non ergo nolens deficiet, quare si nec volens neque nolens summa natura finem habebit, nullo modo finem habebit. Amplius, si illa summa natura finem habebit, vel principium, non est vera æternitas, quod est supra inexpugnabiliter inuentum. Deinde cogitet qui potest, quando incipit, aut quando nõ fuit hoc verum, scilicet: quia futurum erat aliquid: aut quando desinet, & non erit hoc verum, scilicet: quia præteritum erit aliquid. Quod si neutrum horum cogitari potest, & vtrunque hoc verum sine veritate esse non potest, impossibile est vel cogitare, quod veritas principium vel finem habeat. Denique si veritas habuit principium: vel habebit finem, antequam ipsa inciperet, verum erat tunc: quia non erat veritas: & postquam finita erit, verum erit: quia non erit veritas. At quia verum non potest esse sine veritate, erat igitur veritas antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas, quod inconuenientissimum est. Siue igitur dicatur veritas habere, siue intelligatur non habere principium vel finem, nullo claudi potest veritas principio vel fine: quare idem sequitur de summa natura, quia ipsa summa veritas est.

Quomodo nihil fuit ante, aut erit post illam.

Cap. XVIII.

Sed ecce iterum insurgit nihil, & quæcunque Shactenus ratio in veritate & necessitate concorditer attestantibus differuit, asserit esse nihil. Si enim ea quæ supra digesta sunt necessitate veritatis munimine firmata sunt: non fuit aliud ante summam essentiam, nec erit aliud post eam: quare nihil fuit ante eam, & nihil erit post eam. Nam aliud, aut nihil necesse est præcessisse, vel subsequutum esse. Qui autem dicit, quia nihil fuit ante ipsam: & nihil erit post ipsam, id pronuntiare videtur: quia fuit ante ipsam, quando nihil erat, & erit post ipsam, quando nihil erit. Quando ergo nihil erat, illa nõ erat, & quando nihil erit, illa non erit. Quomodo ergo non incipit ex nihilo, aut quomodo non detinetur ad nihilum: si illa nondum erat, cum iam erat nihil. Quid ergo molita

est tanta moles argumentorum : si tam facile demolitur nihilum molimina eorum. Si nanque constituitur ut summum esse nihilo, & precedenti succedat, & subsequenti decebat : quicquid supra statuit verum, necessitate destruitur per inane nihilum. An potius repugnandum est nihilo, ne tot structuræ necessaria rationis à nihilo, expugnentur, & summum bonum, quod lucerna veritatis quaesitum & inuentum est, amittatur pro nihilo. Potius igitur asseratur si fieri potest, quia nihil non fuit ante summam essentiam : nec erit post illam, quam cum locus datur ante vel post illam nihilo per nihilum reducat ad nihilum, illud esse quod per seipsum conduxit, id quod erat nihil adesse. Duplicem nanque vna pronuntiatio gerit sententiam, cum dicitur : quia nihil fuit ante summam essentiam. Vnus enim est eius sensus, quia priusquam summa essentia esset, fuit cum erat nihil. Alter vero eius est intellectus, quia ante summam essentiam, non fuit aliud, veluti, si dicam, nihil docuit me volare, hoc autem sic exponam : quia ipsum nihil quod signat non aliquid, docuit me volare, & erit falsum, aut quia, non me docuit volare, quod est verum. Prior itaque sensus est, quem sequitur supra tractata inconuenientia, & omnimoda ratione pro falso repellitur. Alter vero est, qui superioribus perfecta cohaeret conuenientia, & tota illorum contextione verus esse compellitur, qui cum dicitur : nihil fuit ante illam secundum posteriorem intellectum accipiendum est, nec sic est exponendum, ut intelligatur aliquando fuisse, quando illa non erat, & nihil erat, sed ita ut intelligatur, quia ante illam non fuit aliquid. Eadem ratio est duplicis intellectus, si nihil dicatur post illam esse futurum. Si ergo hæc interpretatio, quæ facta est de nihilo, diligenter discernitur, verissime nec aliquid, nec nihil summam essentiam aut præcessisse aut subsequiturum esse, & nihil fuisse ante vel post illam esse secuturum concluditur, & tamen nulla iam constitutorum soliditas nihili inanitate concutitur.

Quod illa sit in omni loco & tempore.

Caput XIX.

Quamquam autem supra conclusum sit, quia creatrix hæc natura vbique, & in omnibus, & per omnia sit : & ex eo, quia nec incepit, nec desinit esse consequatur : quia semper fuit, est, & erit, sentio tamen quidam contradictionis submurmurare quod me cogit diligentius, ubi & quando illa sit, indagare. Itaque summa essentia, aut vbique & semper est, aut tantum alicubi & aliquando, aut nusquam & nunquam. Quod dico, aut in omni loco vel tempore, aut determinate in aliquo, vel in nullo. Sed quid videretur repugnantius, quam ut quod verissime & summe est, id nusquam & nunquam esse, falsum est igitur nusquam & nunquam esse. Deinde, quomodo nullum bonum, nec penitus aliquid est sine ea : si ipsa nusquam vel nunquam est : nusquam vel nunquam aliquod bonum est, & nusquam vel nunquam omnino aliquid est. Quamquam falsum sit, nec dicere opus est, falsum igitur est & illud, quod illa nusquam & nunquam sit. Aut est ergo determinate alicubi & aliquando, aut ubique, & semper. At si determinate est in aliquo loco vel tempore, ibi & tunc tantum, ubi & quando ipsa est, potest aliquid esse. Vbi vero & quando ipsa non est, ibi & tunc penitus nulla est essentia : quia sine ea nihil est, unde consequitur, ut sit aliquis locus & aliquod tempus, ubi & quando omnino nihil est,

Quod, quoniam est falsum, ipse nanque locus, & tempus ipsum aliquid est, non potest esse summa natura alicubi, & aliquando determinata quod si dicitur, quod determinare ipsa per se alicubi & aliquando est, sed per potentiam suam est vbique, vel quādoque aliquid est, non est verum, quoniam enim potentiam eius nihil aliud, quam ipsam esse manifestum est, nullo modo potentia eius sine ipsa est. Cum ergo non sit alicubi vel aliquando determinate, necesse est ut sit vbique & semper, id est, in omni loco vel tempore.

Quod in nullo sit loco aut tempore.

Caput XX.

Quod si ita est, aut tota est in omni loco vel tempore : aut tantum quælibet pars eius, ut altera pars sit extra omnem locum & tempus. Si vero partim est, & partim non est in omni loco vel tempore, partes habet : quod falsum est. Non igitur partim est vbique & semper : tota autem quomodo est vbique & semper, aut enim sic est intelligendum, ut tota simul sit in omnibus locis, vel temporibus, & per partes in singulis : aut sit ut tota etiam in singulis. Verum si per partes est in singulis, non effugit partium compositionem & diuisionem, quod valde alienum à summa natura inuentum est. Quapropter non est ita tota in omnibus locis vel temporibus, ut per partes sit in singulis. Restat altera pars discutienda, scilicet qualiter summa natura sit tota in omnibus, & singulis locis vel temporibus. Hoc nimirum esse non potest, nisi aut simul, aut diuersis temporibus. Sed quoniam ratio loci aut ratio temporis, quas hæctenus simul progressas, eisdem vestigijs vna potuit indagare persecutio, hic abinuicem disgradientes disputationem videntur diuersis quasi fugere anfractibus, singillatim suis inuestigentur discussionibus. Primum ergo videatur, si in summa natura tota possit esse in singulis locis, aut simul, aut per diuersa tempora. Deinde, id ipsum in temporibus inquiratur. Si igitur tota est simul in singulis locis, per singula loca sunt singula tota. Sicut enim locus a loco distinguitur, ut singula loca sint : ita id quod totum est in vno loco, ab eo quod eodem tempore totum est in alio loco distinguitur, ut singula tota sint. Nam quod totum est in aliquo loco, nihil eius est quod non sit in ipso loco. At de quo nihil est, quod non sit in aliquo loco, nihil est de eo quod sit eodem tempore extra eundem locum. Quod igitur totum est in aliquo loco, nihil est eius, quod eodem tempore sit extra ipsum locum. Sed de quo nihil est extra quemlibet locum, nihil eius est eodem tempore in alio loco. Quare quod totum est in quolibet loco, nihil est simul in alio loco. Quod igitur totum est in aliquo loco : quomodo totum simul est in alio loco, si nihil de eo potest esse in alio loco ? Quoniam igitur vnum totum non potest esse simul in diuersis locis totum : consequitur ut per singula loca, singula sint tota, si in singulis locis simul aliquid est totum. Quapropter si summa natura tota est vno tempore, in singulis omnibus locis : quot singula loca esse possunt, tot singula sunt naturæ summæ : quod irrationabile est opinari. Non est igitur tota vno tempore in singulis locis. At vero in diuersis temporibus tota est in singulis locis, quando est in vno loco, nullum bonum & nulla essentia est in interim in alijs locis, quia sine ea prorsus aliquid non existit. Quod absurdum esse, vel ipsa loca probant, quæ non nihil, sed aliquid sunt. Non est itaque summa natura,

A natura, tota in singulis locis, diuersis temporibus. Quod si nec eodem tempore, nec in diuersis temporibus tota est in singulis locis, liquet quia nullo modo est tota in singulis omnibus locis. Nunc igitur est indagandum, si eadem summa natura sit tota in singulis temporibus, aut simul, aut distincte per singula tempora.

Quomodo sit in omni, & in nullo loco.

Caput XXI.

Sed quomodo est aliquid totum simul in singulis temporibus, si ipsa tempora simul non sunt. Si vero separatim & distincte tota est in singulis temporibus: quemadmodum aliquis homo totus est heri, & hodie, & cras, proprie dicitur quia fuit, & est, & erit. Ergo eius aetas quae nihil aliud est quam eius aeternitas, non est tota simul: sed est partibus, extensa per temporum partes. At eius aeternitas nihil aliud est, quam ipsa essentia Summa igitur essentia erit diuisa per partes secundum temporum distinctiones. Si enim eius aetas per temporum cursus producit, habet cum ipsis temporibus praesens, praeteritum & futurum. Qui autem aliud est eius aetas, vel existendi diuturnitas, quam eius aeternitas? Ergo cum eius aeternitas nihil aliud sit, quam eius essentia: sicut supra digesta ratio indubitabiliter probat, si eius aeternitas habet praeteritum, praesens, & futurum: consequenter quoque eius essentia habet praeteritum, praesens, & futurum. At quod praeteritum est, non est praesens, vel futurum: & quod praesens est, non erit praeteritum, nec futurum: & quod futurum est, non est praeteritum, vel praesens, quomodo ergo stabit, quod supra rationabili & perspicua necessitate claruit, quia illa summa natura scilicet nullo modo composita, sed summe simplex est & summe incommutabilis, si aliud & aliud est in diuersis temporibus, & per tempora distributas habet partes: aut potius si illa vera sunt, immo quia liquido vera sunt quomodo haec possibilia sunt? Nullo igitur modo creatrix essentia, aut aetas, aut aeternitas eius recipit praeteritum vel futurum. Praesens enim quomodo non habet, si vere est? sed fuit significat praeteritum: & erit futurum. Nunquam igitur illa fuit, vel erit, quare non est distincta, sicut nec simul tota in diuersis singulis temporibus. Sic igitur discussum est, nec sic est tota in omnibus locis vel temporibus, ut semel sit tota in omnibus, & per partes in singulis: nec sic, ut tota sit in singulis, manifestum est: quia non est villo modo in omni loco vel tempore tota. Et quoniam similiter praesens est, quia nec sic est in omni loco vel tempore, ut pars sit in omni: & pars sit extra omnem locum vel tempus, impossibile est, ut sit vbiq; & semper. Nullatenus enim potest intelligi esse vbiq; & semper: nisi aut tota, aut pars. Quod si nequaquam est vbiq; & semper, aut erit determinate in aliquo loco vel tempore, aut in nullo, determinate autem eam in aliquo non posse esse, iam discussum est. In nullo igitur loco vel tempore, id est, nusquam & nunquam est. Non enim potest esse, nisi aut in omni, aut in aliquo. Sed rursus cum constet inexpugnabiliter, non solum quia est per se, & sine principio, & sine fine: sed quia aliquid sine ea nec vsquam nec vnquam est, necesse illam esse vbiq; & semper.

Quomodo melius possit intelligi esse semper quam in omni tempore. Cap. XXI.

Quomodo ergo conuenient haec tam contraria secundum prolationem, & tam necessaria

secundum probationem? Fortasse quodammodo est summa natura in loco vel tempore, quo non prohibetur sic esse simul tota in singulis locis vel temporibus: ut tamen non sint plures totae, sed vna sola tota: nec eius aetas, quae non est nisi vera aeternitas, non sit distributa in praeteritum, praesens, & futurum. Non enim videntur hac lege loci ac temporis cogi, nisi ea quae sic sunt in loco vel tempore, vel loci spatium vel temporis diuturnitas non excedant. Quare, sicut de his quae huiusmodi sunt, vnum idemque totum simul non posse esse totum in diuersis locis vel temporibus omni veritate asseritur: ita in his quae huiusmodi non sunt id ipsum nulla necessitate concluditur. Iure namq; dici videtur, quod tantum eius rei sit aliquis locus, cuius quantitatem locus, circumscribendo continet, & continendo circumscribit: & quod eius rei solum sit aliquod tempus, cuius diuturnitatem tempus metiendo aliquo modo terminat, & terminando metitur. Quapropter cuius amplitudini aut diuturnitati, nulla meta vel a loco vel a tempore opponitur, illi nullum esse locum vel tempus vere proponitur. Quoniam namque nec locus illi facit quod locus, nec tempus quod tempus: non irrationabiliter dicitur, quia nullus locus est eius locus, & nullum tempus est eius tempus. Quod vero nullum locum aut tempus habere conspicitur, id profecto nullatenus loci aut temporis legem subire conuincitur. Nulla igitur lex loci aut temporis naturam illam aliquo modo cogit: quam nullus locus aut tempus aliqua continentia claudit. Quoniam autem rationalis consideratio omnimoda ratione non concludat, ut creatricem summamque omnium substantiam, quam necesse est alienam esse & liberam a natura, & iure omnium, quae ipsa fecit de nihilo, vlla loci cohibitio vel temporis includat: cum potius eius potentia, quae non est aliud quam eius essentia, cuncta a se facta sub se continendo concludat? Quomodo quoque non est impudentis imprudentiae dicere, quod summae veritatis aut locus circumscribat quantitatem, aut tempus metiatur diuturnitatem: quae nullam penitus localis & temporalis dimensionis magnitudinem suscipit vel paruitatem? Quoniam itaq; loci hoc est vel temporis conditio, ut tantummodo quicquid eorum metis clauditur, nec partium fugiat rationem, vel qualem suscipit locus eius secundum quantitatem, vel qualem patitur tempus eius secundum diuturnitatem: nec villo modo possit totum a diuersis locis vel temporibus simul contineri quicquid vero loci vel temporis continentia nequaquam coercetur, nulla locorum vel temporum lege ad partium multiplicitatem cogatur, aut praesens esse totum simul pluribus locis aut temporibus prohibeatur, quoniam inquam haec est conditio loci aut temporis, procul dubio summa substantia, quae nulla loci vel temporis continentia cingitur, nulla eorum lege cumstringitur. Quare quoniam summam essentiam totam & inuitabilis necessitas exigit nulli loco vel tempore deesse, & nulla ratio loci aut temporis prohibet omni loco vel tempore simul totam adesse, necesse est eam simul totam omnibus & singulis locis & temporibus praesentem esse. Non enim, quia huic loco vel tempore praesens est, idcirco prohibetur illi vel illi loco aut tempore simul & similiter praesens esse: nec quoniam fuit, aut est, aut erit: ideo aeternitatis eius aliquis euauit a praesenti tempore, & praeterito, quod iam non est, aut transit cum praesenti, quod vix est: aut venturum est cum futuro, quod nondum est. Nullatenus nan-

A nanque cogitur vel prohibetur legem locorum vel temporum alicubi aut aliquando esse vel non esse, quod nullo modo intra locum vel tempus claudit suum esse. Nam si ipsa summa essentia dicitur esse in loco aut tempore, quamvis de illa & de localibus siue temporalibus naturis una sit prolatio, propter loquendi consuetudinem: diuersus tamen est intellectus, propter rerum dissimilitudinem. In illa nanque duo quædam eadem prolatio significatio est, quia presentia sunt locis & temporibus, in quibus esse dicuntur: & quia continentur ab ipsis. In summa verò essentia, unum tantum percipitur, id est, quia presentis est, non etiam quia continetur. Unde si vsus loquendi admitteret, conuenientius dici videretur, esse cum loco vel tempore, quam in loco vel tempore. Verius enim significatur contineri aliquid, cum dicitur esse in alio, quam cum dicitur esse cum alio. In nullo itaque loco vel tempore proprie dicitur esse, quia omnino à nullo alio continetur: & tamen in omni loco vel tempore suo quodammodo dici potest esse, quoniam quicquid aliud est, ne in nihilum cadat, ab ea presente sustinetur: in omni loco & tempore est, quia nulli abest & in nullo est: quia nullum locum aut tempus habet, nec in se recipit distinctiones locorum aut temporum: nec habet, nec illic, vel alicubi, vel tunc, vel nunc, vel aliquando: nec secundum labile presentis, quo utimur, tempus est, aut secundum præteritum, vel futurum fuit vel erit: quoniam hæc circumscriptionum & mutabilium propria sunt: quod illa non est, & tamen hæc de ea quodammodo dici possunt: quoniam sic est presentis omnibus circumscriptionis & mutabilibus, ac si illa circumscribatur eisdem locis & mutetur temporibus. Patet itaque, quod quantum satis est ad dissoluendam, quæ insonabat contrarietatem, qualiter summa omnium essentia ubique & semper & nusquam, & nunquam, id est, in omni & in nullo loco, aut tempore sit, iuxta diuersorum intellectuum concordem veritatem.

Quomodo melius intelligi possit esse ubique, quam in omni loco. Cap. XXIII.

Verum eam constet eandem summam naturam non magis esse in omnibus locis, quam in omnibus quæ sunt, non velut quæ contineatur, sed quæ penetrando cuncta contineat: cur non dicatur esse ubique: hoc sensu, ut potius intelligatur esse in omnibus quæ sunt, quam tantum in omnibus locis: cum hunc intellectum & rei veritas exhibeat, & ipsa localis verbi proprietates nequaquam prohibeat. Solemus nanque localia verba sepe irreprehensibiliter attribuere rebus, quæ nec loca sunt, nec circumscriptione locali continentur: velut si dicam, ibi esse intellectum in anima, ubi est rationalitas. Nam cum ibi, & ubi, aduerbia localia sint: non tamen locali circumscriptione, aut anima continet aliquid, aut intellectus aut rationalitas continetur. Quare summa natura secundum rei veritatem, dicitur aptius ubique esse secundum hanc significationem: ut intelligatur esse in omnibus quæ sunt, quam intelligatur in omnibus. Et quoniam sicut supra exposita rationis docent, aliter esse non potest, necesse est eam sic esse in omnibus quæ sunt, ut una eademque perfecte tota simul sit in singulis.

Quod nullis mutabilis sit accidentibus. Cap. XXIV.

Eandem quoque summam substantiam constat sine principio & sine fine esse: nec habere

C præteritum, aut futurum: nec temporale, hoc est, labile presentis quo nos utimur: quoniam ætas siue æternitas eius, quæ nihil aliud est quam ipsa, immutabilis & sine partibus est. Nonne ergo semper, quod videtur designare totum tempus, multo verius (si de illa dicitur) intelligitur significare æternitatem, quæ sibi ipsi nunquam est dissimilis, quam temporum varietatem, quæ sibi ipsi semper est in aliquo non similis. Quare si dicitur semper esse, quoniam idem est illi esse & viuere: nihil melius intelligitur, quam æternitatis esse vel viuere, id est, interminabilem vitam simul perfectam totam obtinere. Videtur autem eius æternitas, esse interminabilis vita simul perfecte tota existens. Cum enim supra iam satis liqueat, quod eadem substantia non sit aliud quam vita sua & æternitas sua: nec sit aliquo modo terminabilis, nec nisi simul & perfecte tota: quid aliud est vera æternitas, quæ soli illi conuenis, quam interminabilis vita simul & perfecte nota existens? Nam vel hoc solo, veram æternitatem soli inesse illi substantiæ, quæ sola non facta, sed factrix esse inuenta est, aperte percipitur, quoniam vera æternitas principij suisque meta carere intelligitur, quod nulli rerum creaturarum conuenire, eo ipso quod de nihil factæ sunt, conueniunt. Sed hæc essentia, quam patuit omnimode sibi esse eandem substantialiter, non est aliquando à se diuersa vel accidentaliter. Verum quomodo est summæ incommutabilis, si per accidentia potest non dicam esse: sed vel intelligi variabilis? Et e contra, quomodo non est particeps accidentis, cum & hoc ipsum quod maior est omnibus alijs naturis, & quod illis dissimile est illi videatur accidere. Sed quid repugnat quorundam, quæ accidentia dicuntur susceptibilitas & naturalis incommutabilitas, si ex eorum assumptione nulla substantiæ consequitur variabilitas? Omnium quippe quæ accidentia dicuntur: alia non nisi cum aliqua participantis variatione adesse & abesse posse intelliguntur & omnes colores: Alia omnino nullam vel accedendo vel recedendo mutationem, circa id de quo dicuntur, efficere noscuntur, ut quædam relationes. Constat nanque, quia homini post annum presentem nascituro, nec maior, nec minor, nec æqualis sim, nec similis. Omnes autem relationes has utique eam natus fuerit sine omni mei mutatione, ad illum habere poterit, & amittere. secundum quod crescit, vel per qualitates diuersas mutabitur. Palam itaque fit, quia eorum quæ accidentia dicuntur: quædam aliquatenus attrahunt commutabilitatem, quædam verò nullatenus subtrahunt immutabilitatem. Sicut igitur summa natura accidentibus mutatione efficientibus nunquam in sua simplicitate locum tribuit: sic secundum tribuit: sic secundum ea quæ nullatenus summæ incommutabilitati repugnant, aliquando dici aliquid non restat, & tamen aliquid eius essentia, unde ipsa variabilis intelligi possit, non accidit. Unde hoc quoque conclusi potest, quia nullius accidentis susceptibilis est, quippe quemadmodum illa accidentia, quæ mutationem aliquam accedendo vel recedendo faciunt, ipsa suo effectu verè accidere rei, quam mutant perpendiculariter: sic illa quæ à simili effectu deficiunt, improprie dici accidentia deprehenduntur. Sicut igitur semper sibi esse est omnimodo eadem substantialiter: ita nunquam est à se diuersa vilo modo, vel accidentaliter. Sed quoquo modo sese habeat ratio de proprietate nominis accidentium, illud

A illud sine dubio verum est: quia de summe incommutabili natura, nihil potest dici vnde mutabilis possit intelligi.

Quomodo illa dicenda sit substantia: & quod sit extra omnem substantiam, & singulariter sit quicquid est. Cap. XXV.

Sed si ratum est, quod de huius naturae simplicitate perspectum est: quomodo substantia est? Nam cum omnis substantia admixtionis differentiarum vel mutationis accidentium sit susceptibilis: huiusmodi immutabilis sinceritas omnimode admixtioni siue mutationi est inaccessibleis: quomodo ergo obtinebitur eam esse qualibet substantiam: nisi dicatur substantia pro essentia, & sic sit extra, sicut est supra, omnem substantiam? Nam quantum illud esse, quod per se est quicquid est, & de nihilo facit, omne aliud esse diuersum est ab eo esse, quod per aliud esse diuersum est ab eo esse, quod per aliud sit de nihilo quicquid est: tantum omnino distat summa substantia, ab his que non sunt idem quod ipsa. Cumque sola omnium naturarum habeat a se sine alterius naturae auxilio esse quicquid est: quomodo non est singulariter absque suae creaturae consortio quicquid ipsa est? Vnde si quando illi est cum alijs nominis alicuius communio: valde procul dubio intelligenda est diuersa significatio.

Quod non contineatur in communi tractatu substantiarum, & tamen sit substantia, & indiuiduus spiritus.

Cap. XXVI.

B Constat igitur, quia illa substantia nullo communi tractatu substantiarum includitur, a cuius essentiali communione omnis natura excluditur. Nempè cum omnis substantia tractetur aut esse vniuersalis, quae pluribus substantijs essentialiter communis est, vt hominem esse commune est singulis hominibus: aut esse indiuidua, quae vniuersalem essentiam communem habet cum alijs, quemadmodum singuli homines commune habent cum singulis, vt homines sint: quomodo aliquis summam naturam in aliarum substantiarum tractatu contineri intelligit, quae nec in plures substantias se diuidit, nec cum aliqua alia per essentialem communionem se colligit? quoniam tamen ipsa non solum certissime existit, sed etiam summa omnium existit: & cuiuslibet rei essentia, dici solet substantia, profecto itaque, si quid dici potest digne, non prohibetur dici substantia: & quoniam non noscitur dignior essentia, quam spiritus, & corpus: & ex his dignior est spiritus, quam corpus: vt ique eadem asserenda est esse spiritus, & non corpus. Quoniam autem nec vllae partes sunt eiusdem spiritus, nec plures esse possunt eiusmodi spiritus: necesse est, vt sit omnino indiuiduus spiritus. Quoniam enim, sicut supra constat nec partibus est compositus, nec vllis differentijs vel accidentibus intelligi potest esse mutabilis, impossibile est, vt qualibet sectione sit diuisibilis.

Quod idem spiritus simpliciter sit: & creatura illi comparata non sint. Cap. XXVII.

Videntur ergo consequi ex praecedentibus, quod iste spiritus, qui sic suo quodam mirabiliter singulari, & singulariter mirabili modo est, quadam ratione solus sit: alia vero quaecunque videntur esse, huic collata, non sint. Si enim diligenter intendatur, ille solus videbitur simpliciter & perfecte & absolute esse: alia vere omnia

vere non esse, & vix esse: quoniam namque ideam spiritus, propter incommutabilem aeternitatem suam nullo modo secundum aliquem motum dici potest, quia fuit, aut erit: sed simpliciter est: nec mutabiliter est aliquid, quod aliquando, aut non fuit, aut non erit, neque non est quod aliquando fuit, aut erit: se. I. quicquid est semel, & simul, & interminabiliter est. Quoniam in quantum huiusmodi est, esse eius iure ipse simpliciter & absolute & perfecte dicitur esse. Quoniam vero omnia alia secundum aliquid mutabiliter aliquando aut fuerunt, aut erunt quod non sunt: aut sunt quod aliquando non fuerunt, vel non erunt: & quoniam hoc, quia fuerunt, iam non est: illud autem scilicet, quia erunt, nondum est, & hoc quia in labili breuissimoque & vix existente praesenti sunt, vix est. Quoniam ergo tam mutabiliter sunt: non immerito negantur simpliciter & perfecte & absolute esse, & asseruntur ferè non esse, & vix esse. Deinde, cum omnia quaecunque aliud sunt quam ipse: de non esse venerunt ad esse, non per se, sed per aliud: & cum de esse redeant ad non esse, quantum ad se nisi sustineantur per aliud: quomodo illis simpliciter conuenit, aut perfecte sine absolute esse, & non magis vix esse aut ferè non esse? Cumque esse solius eiusdem ineffabilis spiritus intelligi nullo modo possit, aut non esse inceptum, aut aliquid pati posse, ex eo quod est in non esse defectum: & quicquid ipse est, non sit, per aliud quam per se, id est, per hoc quod ipse est, nonne huius esse merito intelligitur simpliciter solum perfectum & absolutum: Quod vero sic simpliciter & omnimoda ratione solum est perfectum simpliciter & absolutum, id nimirum quodammodo iure dici potest solum esse: & è contra, quicquid per superiorem rationem, nec simpliciter, nec perfecte, nec absolute esse, sed vix esse, aut ferè non esse, cognoscitur: id vti que aliquo modo rectè non esse dicitur. Secundum hanc igitur rationem ille solus creator spiritus est: & omnia creata, non sunt: nec tamen omnia non sunt, quia per illum qui solus absolute est, de nihilo aliquid facta sunt.

Quod eius locutio id ipsum sit quod ipse: nec tamen sint duo sed vnus spiritus.

Cap. XXVIII.

IAM nunc his, quae de proprietatibus huius summae naturae ad praesens mihi ducem rationem sequenti occurrunt: perspectis opportunum existimo, vt de eius locutione, per quam facta sunt omnia, si quid possim considerem. Etenim cum omnia, quae de illa supra potui animaduertere, rationis robur inflexibile teneant. Illud me maxime cogit de illa diligentius discutere, quia id ipsum quod ipse summus spiritus est, probatur esse. Si enim ille nihil fecit, nisi per seipsum: & quicquid ab eo factum est, per illam est factum: quomodo illa est aliud, quam est idem ipse? Amplius, asserunt vtiq; inexpugnabiliter ea quae iam inuenta sunt: quia nihil omnino potuit vnquam aut potest subsistere praeter errantem spiritum & eius creaturam. Hanc vero spiritus eiusdem locutionem, impossibile est inter creata contineri, quoniam quicquid creatum subsistit, per illam factum est: illa vero per se fieri non potuit. Nil quippe per seipsum fieri potest: quia quicquid fit, posterius est eo per quod fit: & nihil est posterius seipso. Relinquitur itaque, vt haec summi spiritus locutio, cum creatura esse non possit, non sit aliud quam summus spiritus. Denique, haec ipsa

A ipsa locutio nihil aliud potest intelligi, quam eiusdem spiritus intelligentia qua cuncta intelligit. Quid enim est aliud illi rem loqui aliquam, hoc loquendi modo quam intelligere? Nam non ut homo, semper dicit quod intelligit. Si igitur summè simplex natura non est aliud, quam quod est sua intelligentia, quemadmodum est id quod est sua sapientia: necesse est ut similiter non sit aliud, quam quod est sua locutio. Sed quoniam iam manifestum est summum spiritum unum tantum esse & omnimode indiuiduum: nec esse est ut sit illi hæc sua locutio consubstantialis, ut non sint duo, sed vnus spiritus.

Quid eadem locutio non constet ex pluribus verbis, sed sit vnum verbum. Cap. XXXIX.

CVR igitur dubitem, quod supra dubium dimiseram: scilicet vtram hæc locutio in pluribus verbis, an in vno verbo consistat? Nam si sic est summæ naturæ consubstantialis, ut nõ sint duo, sed vnus spiritus: vtq; sicut ille summè simplex est, ita & illa. Non igitur constat pluribus verbis sed vnum verbũ per quod facta sunt omnia. Sed ecce videtur mihi suboriri nec facilis, nec vllatenus sub ambiguitate relinquenda quæstio. Etenim omnia huiusmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, id est, cogitamus, similitudines & imagines sunt rerum quarum verba sunt, & omnis similitudo & imago, tantò magis vel minus est vera, quantò magis vel minus imitatur rem, cuius est similitudo. Quid igitur tenendum est de verbo, quo dicuntur & per quod facta sunt omnia? Erit aut non erit similitudo eorum, quæ per ipsum facta sunt? Si enim ipsum est vera mutabilium similitudo: non est consubstantialiale summæ incommutabilitati, quod falsum est. Si autem non est omnino vera, sed qualiscunque similitudo mutabilium est: non est verbum summæ veritatis omnino verum, quod absurdum est. At si nullam mutabilium habet similitudinem: quomodo ad illius exemplum facta sunt? Verum forsitan nihil huiusmodi remanebit ambiguitatis, si quemadmodum in viuo homine veritas hominis esse dicitur: in picto verò similitudo siue imago illius veritatis sic existendi veritas intelligitur in verbo cuius essentia sic summè est, ut quodammodo illa sola sit. In his verò quæ in eius comparatione quodammodo non sunt: & tamen per illud & secundum illud facta sunt aliquid, aliqua immutatio illius summæ essentia perpendatur: sic quippe verbum summæ veritatis quod & ipsum est summa veritas, nullum augmentum vel detrimentum sentiet, secundum hoc quod magis vel minus creaturis sit simile: sed potius necesse erit, omne quod creatum est, tantò magis esse, & tantò esse præstantius, quanto similis est illi, quod summè est, & summè magnum est. Hinc etenim fortasse, immò non fortasse, sed pro certo, hinc omnis intellectus iudicat naturas, quolibet modo viuentes præstare non viuentibus, sentientes non sentientibus, rationales irrationabilibus. Quoniã enim summa natura suo quodammodo singulari non solùm est, sed & viuunt, & sentit, & rationalis est: liquet quoniam omnia quæ sunt, id quod aliquo modo viuunt, magis est illi simile, quam id quod nullatenus viuunt: & quod modo quolibet vel corporeo sensu cognoscit aliquid, magis est, quam quod nihil omnino sentit: & quod rationale est, magis quam rationis capax non est. Quoniam verò simili ratione quædam naturæ magis minusque sunt quam aliæ, perspicuum est. Quemad-

modum enim natura illud præstantius est, quod per naturalem essentiam propinquius est præstantissimo: ita vtique illa natura magis est, cuius essentia similior est summæ essentia. Quod sic quoque animaduerti facile posse existimo. Nempe si cuiuslibet substantia quæ & viuunt, & sensibilis, & rationalis est, cogitatione auferatur quod rationalis est deinde, quod sensibilis: & postea quod vitalis: postremo, ipsum nudum esse quod remanet: quis non intelligat, quod illa substantia quæ sic paulatim destruitur: ad minus, & ad minus esse, & ad vltimum ad non esse gradatim perducitur. Quæ autem singillatim assumpta, quamlibet essentiam ad minus & minus esse deducunt: eadem ordinatim assumpta, illam ad magis & magis esse perducunt. Pater igitur, quia magis est viuens substantia, quam non viuens: & sensibilis, quam non sensibilis: & rationalis, quam non rationalis. Non est itaque dubium, quo omnis essentia eo ipso magis est præstantior quæ est: quo similior est illi essentia, quæ summè est & summè præstat. Satis itaque manifestum est in verbo, quod facta sunt omnia non esse eorum similitudinem, sed veram simplicemque essentiam. In factis verò non esse simplicem absolutamque essentiam, sed verè illius essentia vix aliquam imitationem. Vnde nec esse est, non idem verbum secundum rerum creaturarum similitudinem magis vel minus esse verum: sed omnem creatam naturam eo altiori gradu essentia dignitatisque consistere: quo magis illi propinquare videtur.

Quod ipsum verbum non sit similitudo factorum, sed veritas essentia: facta vero sint aliqua veritatis imitatio: & que natura magis sint quam alia & præstantiores.

Cap. XXX.

SED cum ita sit: quomodo illud quod simpliciter est veritas, potest esse verbum eorum quorum non est similitudo? cum omne verbum quo aliqua res sic mente dicitur similitudo sit rei eiusdem: & si non est verbum eorum quæ facta sunt per ipsum: quomodo constabit quia sit verbum? Nempe, omne verbum alicuius rei verbum est. Denique si nunquam creatura esset, nullum eius esset verbum. Quid igitur? An concludendum est: quia si nullo modo esset creatura, nequaquam esset verbum illud, quod est summa & nullus indigens essentia, aut fortasse illas summa essentia, quæ verbum est, essentia quidem esset æterna: sed verbum non esset, si nihil vnquam per illam fieret? Eius enim quod nec fuit, nec est, nec futurum est, nullum verbum esse potest, verum secundum hanc rationem, si nunquam vlla præter summum spiritum esset essentia, nullum omnino esset verbum in illo. Si nullum in illo verbum esset, nihil apud se diceret: cum idem sit illi sic dicere aliquid quod est intelligere: non aliquid intelligeret si nihil intelligeret: ergo summa sapientia, quæ non est aliud quam idem spiritus, nihil intelligeret: quod absurdissimum est. Quid igitur? Si enim nihil intelligeret, quomodo esset summa sapientia: aut si nullo modo esset aliquid præter illam, quid illa intelligeret? Sed nunquid seipsam non intelligeret? aut quomodo vel cogitari potest, quod summa sapientia se aliquando non intelligat, cum aliquando mens rationalis possit non solùm suimet, sed & illius summæ sapientia reminisci: sed & illam & se intelligere. Si enim mens humana nullam eius;

A ius, aut suam habere memoriam, aut intelligentiam posset, nequaquam se ab irrationabilibus creaturis, & illam ab omni creatura, secum sola tacite disputando sicut nunc mens mea facit, discerneret. Ergo summus ille spiritus, sicut est æternus: ita æternæ sui memor est, & intelligit se ad similitudinem mentis rationalis: immo non ad vllius similitudinem, sed ille principaliter: & mens rationalis ad eius similitudinem. At si æternè se intelligit, æternè se dicit. Si æternè se dicit, æternè est verbum eius apud ipsum. Siue igitur ille cogitur nulla alia existente essentia, siue alijs existentibus: necesse est verbum illius coæternum illi esse cum ipso.

Quod summus spiritus seipsum dicat coæterno verbo.

Cap. XXXI.

Sed ecce querenti mihi de verbo, quo creator dicit omnia quæ fecit: obtulit se verbum, quo seipsum dicit, quia omnia fecit. An ergo alio verbo dicit seipsum, & alio ea quæ fecit: aut potius eodem ipso verbo quo dicit seipsum, dicit quæcunque fecit. Nam hoc quoque verbum, quo seipsum dicit, necesse est id ipsum esse quod ipsum est: sicut constat de verbo illo, quo dicit, ea quæ facta sunt a se. Cùm enim etiã si nihil vnquam aliud esset, nisi summus ille spiritus, ratio tamen cogit verbum illud, quo se dicit, ex necessitate esse. Quod verius quam hoc verbum eius, non esse aliud quam quod ipse est? Ergo si & seipsum & ea quæ facit consubstantiali sibi verbo dicit: manifestum est, quia verbi, quo se dicit, & verbi quo creaturam dicit vna substantia est. Quomodo ergo si vna substantia est, duo verba sunt? Sed forsitan non cogit identitas substantiæ, verbi vnitatem admittere. Nam idem ipse qui his verbis loquitur, eandem illis habet substantiam & tamen verbum non est. Sed vtique verbum quo se dicit summa sapientia, conuenientissime dici potest verbum eius, secundum superiorem rationem: quia eius perfectam tenet similitudinem. Nam nulla ratione negari potest, cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius naici in sua cogitatione: immo ipsam cogitationem sui esse imaginem, ad sui similitudinem tanquam ex eius impressione formatam. Quamcunque enim rem mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtique similitudinem, quantum valet in ipsa sua cogitatione conatur ex primere: quod quantum verius facit tantò rem ipsam verius cogitat, & hoc quidem cum cogitat aliquid aliud quod ipsa non est, & maxime cum aliquid cogitat corpus, clarius perspicitur. Cùm enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis mee, in talem imaginem eius qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cogitatione verbum est eiusdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cùm se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex se natam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sua impressione formatam: quamuis ipsa se à sua imagine non nisi ratione sola separare possit, quæ imago eius verbum eius est.

Quod vno verbo dicat se: & quod fecit.

Caput XXXII.

Hoc itaque modo quis neget summam sapientiam, cùm se dicendo intelligat, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id

D: ANSELMI TOMVS III.

est, verbum suum. Quod verbum, licet de re tam singulariter eminenti propriè aliquid, satis conuenienter dici non possit, non tamen inconuenienter, sicut similitudo: ita & imago & figura, & character eius dici potest. Verbum autem quo creaturam dicit, nequaquam similiter est verbum creaturæ: quia non est eius similitudo, sed principalis essentia: consequitur igitur vt ipsam creaturam non dicat verbo creaturæ. Cuius ergo verbo eam dicit, si non dicis eam verbo eius? Nam quod dicit verbo, dicit: & verbum alicuius est verbum, id est, similitudo. Sed si nihil aliud dicit, quam se aut creaturam, nihil dicere potest: nisi aut suo, aut eius verbo. Si ergo nihil dicit verbo creaturæ: quicquid dicit, verbo suo dicit. Vno igitur eodemque verbo dicit seipsum, & quæcunque fecit.

Quod suo verbo videre possit dicere creaturam.

Caput XXXIII.

Sed quomodo tam differentes res scilicet creatas & creatas essentia, dici possunt vno verbo: præsertim cùm verbum ipsum sit dicenti coæternum, creatura autem non sit illi coæterna? Forsitan, quia ipsa est summa sapientia & summa ratio, in qua sunt omnia quæ facta sunt: quemadmodum opus quod fit secundum aliquam artem, non solum quando fit verum, & antequam fiat, & postquam dissoluitur: semper est in ipsa arte non aliud, quam quod est ars ipsa. Idcirco cùm ipse summus spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt. Nam & antequam fierent, & cùm iam facta sunt, & cùm corrumpuntur seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt: non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis secum mutabilem rationem creatas: in ipso vero sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas: cui prout magis vtique illa familia sunt, ita verius & præstantius existunt. Hoc itaque modo non irrationabiliter asseri potest, quia cùm seipsum dicit summus ille spiritus: dicit etiam quicquid factum est vno eodemque verbo.

Quod quicquid factum est, in eius verbo & scientia, sit vita & veritas. Cap. XXXIV.

Verum cùm constet, quia verbum consubstantiale est illi, & perfecte simile: necessario consequitur, vt omnia quæ sunt in illo eadem, & eodem modo sunt in verbo eius. Quicquid igitur factum est, siue viuat, siue non viuat, aut quocunque fit in se, in illo est ipsa vita & veritas. Quoniam autem idem est summo spiritui scire, quod intelligere, siue dicere: necesse est, quod eodem modo sciat omnia quæ scit, quo ea dicit aut intelligit. Quemadmodum igitur omnia sunt in verbo eius vita & veritas, ita sunt in scientia eius. Qua ex re manifestissime comprehendi potest, quomodo dicat idem spiritus, vel quomodo sciat ea quæ facta sunt, aut humana scientia comprehendi non posse. Nam nulli dubium, creatas substantias multò aliter esse in seipsis, quam in nostra scientia. In seipsis nanque sunt per ipsam suam essentiam: in nostra vero scientia, non sunt earum essentia: sed earum similitudines. Restat igitur, vt tantò verius sit in seipsis, quam in nostra scientia: quantum verius sunt alicubi per suam essentiam, quam per suam similitudinem.

Quam in comprehensibili modo dicat, vel sciat res a se factas. Cap. XXXV.

CVM ergo & hoc constet, quia omnis creatas substantia, tantò verius est in verbo, & intelligentia

BB

A ligentia creatoris, quam in seipsa: quanto verius existit creatrix, quam creata essentia: quomodo comprehendat humana mens, cuiusmodi sit illud dicere & illa scientia, quæ sic longè superior, & verior est creatis substantijs: si nostra scientia tantum superatur ab illis: quantum earum similitudo distat ab earum essentia.

Quòd quicquid ipse est ad creaturam, hoc sit, & verbum eius: nec tamen ambo simul pluraliter.

Cap. XXXVI.

VERùm cum manifestè rationes superiores doceant, summum spiritum per verbum suum fecisse omnia, nunquid non & ipsum verbum fecit eadem omnia? Quoniam enim illi est consubstantiale, cuius est verbum, necesse est, ut sit summa essentia. Summa autem essentia non est, nisi una, quæ sola creatrix & solum principium est omnium quæ facta sunt. Ipsa nanque sola fecit, non per aliud, quam per se, omnia ex nihilo. Quare quæcunque summus spiritus facit: eadem & verbum eius facit similiter. Quicquid igitur summus spiritus est ad creaturam: hoc & verbum eius est, & similiter. Nec tamen ambo simul pluraliter, quia non sunt plures creatrices summæ essentia. Sicut igitur ille creator est rerum & principium, sic & verbum eius: nec tamen sunt duo, sed vnus creator & vnum principium.

Quòd dici non possit, quid duo sint: quamuis necesse sit esse duos. Cap. XXXVII.

STUDIOSè itaque attendendum est quiddam quod valde in solitum alijs rebus, in summo spiritu & verbo eius videtur etenire. Nam certum est, vniusque singulariter, & vtrisque simul in esse quicquid sunt in essentia, & quicquid sunt ad creaturam: ut & singulariter perfectum sit ambobus: & tamen pluralitatem non admittat in duobus. Licet enim singulariter & ille perfectè sit summa veritas, & creator: & verbum eius sit summa veritas & creator: non tamen ambo simul sunt duæ veritates aut duo creatores. Sed cum hæc ita sint: miro tamen modo apertissimum est, quia nec ille cuius est verbum, potest esse verbum suum: nec verbum potest esse cuius est verbum, ut in eo quod significat, vel quid sint substantialiter, vel quid sint ad creaturam, semper indiuiduam teneant unitatem. In eo verò, quod ille non est ex isto, hic autem est ex illo: ineffabilem admittant pluralitatem, ineffabilem certè. Quamuis enim necessitas cogat, ut sint duo: nullo tamen modo exprimi potest, quid duo sint. Nam si fortè duo pares, aut aliquid aliud similiter adiuicem possint dici: in his ipsis tamen relatiuis si quærat, quid sit illud de quo dicuntur, nõ potest dici pluraliter, quemadmodum dicuntur duæ pares lineæ, aut duæ homines similes. Quippe non sunt duo pares spiritus, nec duo pares creatores, nec duo aliquid, quod significat eorum aut essentiam, aut habitudinem ad creaturam: sed nec duo aliquid, quod designet propriam habitudinem alterius ad alterum, quia nec duo verba, nec duæ imagines. Verbum nanque hoc ipsum quod verbum est, aut imago ad alterum est, quia non nisi alicuius verbu est aut imago: & sic propria sunt hæc alterius, ut nequaquam alteri coaptentur. Nam ille, cuius est verbum aut imago, nec imago, nec verbum est.

Quòd idem verbum sit à summo spiritu nascendo.

Cap. XXXVIII.

Constat igitur, quod ex primi non potest quid duo sint, summus spiritus, & verbum eius

quamuis quibusdam singulorum proprietatibus cogantur esse duo. Etenim proprium vnus est, esse ex altero: & proprium est alterius, alterum esse ex illo. Quod ipsum nullo vtrique verbo videtur familiariter posse proferri, quam si dicatur proprium esse vnus nasci ex altero: & proprium alterius, nasci alterum ex ipso. Certum nanque iam constat, quod verbum summi spiritus, non sic est ex eo, quemadmodum ea quæ ab illo facta sunt, sed quemadmodum de creatore, summum de summo. Et ut plena breuitate omnimoda absoluat similitudo, penitus idem ipsum est de eodem ipso: & ita ut nullatenus sit nisi ex eo. Cum igitur pateat verbum summi spiritus, sic esse ex ipso solo, ut perfectam eius quasi proles parentis, teneat similitudinem: nec sic esse ex eo ipso, ut fiat ab eo: profectò nullo modo conuenientius cogitari potest: ex illo esse quam nascendo. Nempe si innumerabiles res indubitanter dicuntur nasci ex his: ex quibus habent ut sint, cum nullam eorum ex quibus nasci dicuntur teneant similitudinem, sicut proles parentis. Dicimus enim capillos nasci de capite, & poma ex arbore: licet nec illi capitis, nec ista arboris similia sint: Si inquam, multa huiusmodi non absurde dicuntur nasci, tantò congruentius dici potest verbum summi spiritus, ex illo existere nascendo, quanto perfectius quasi proles parentis, trahit eius similitudinem ex illo existendo.

Quòd verissimè ille sit parens, ille verò proles.

Caput XXXIX.

QUòd si conuenientissimè dicitur nasci, & tam simile est illud quo nascitur: cur asseratur simile quasi proles parenti, & non potius asseratur: quia tantò verior est ille parens & ista proles: quanto magis & ille ad huius natiuitatis perfectionem solus sufficit: & quod nascitur, eius similitudinem exprimit. Nanque in rebus alijs, quas parentis prolesque certum est habitudinem habere, nulla sic gignit, ut omninò nullius indigens sola per se ad gignendam prolem sufficiat: nulla sic gignitur, ut nulla admixta dissimilitudine omnimodam similitudinem parentis exhibeat. Si ergò verbum summi spiritus sic est omninò ex ipso sola essentia, & sic singulariter est illi simile, ut nulla proles sic sit omninò ex sola parentis essentia, aut sic similis parenti: profectò nullis rebus tam conuenienter videtur aptari habitudo parentis & proles, quam summo spiritui & verbo eius. Quapropter illius est verissimum proprium esse parentem, istius verò veracissimam esse prolem.

Quòd ille verissimè gignat, ille verissimè gignatur.

Caput XL.

AT hoc constare non poterit, nisi pariter ille verissimè gignat: & istud verissimè gignatur. Sicut igitur illud est perspicuum, ita hoc esse certissimum necesse est, quare summi spiritus est verissimè gignere, & verbi eius verissimè gigni. Vellem iam quidem & fortè possem, illum esse verissimè patrem: hoc verò verissimè esse filium concludere. Sed nec hoc negligendum existimo: an patris & filij, & an matris & filia magis illis apta sit appellatio: cum in eis nulla sit sexus discretio. Nam si idcirco conuenienter est ille pater, & proles eius filius, quia vterque est spiritus: cur non pari ratione alteri conuenit esse matrem, alteri filiam: quia vterque est veritas & sapientia? An quia in his naturis, quæ sexus habent differentiam, melioris sexus est patrem esse vel filium, minoris

A noris verò matrem vel filiam. Et hoc quidem naturaliter in pluribus: in quibusdam verò e contrario: ut in quibusdam animi generibus, in quibus foeminius sexus semper maior & validior est: masculinus verò minor & infirmior. Aut certe idcirco magis conuenit summo spiritui dici patrem quam matrem: quia prima & principalis causa prolis semper est in patre. Nam si maternam causam quolibet modo semper paterna præcedit: nimis est incongruum, ut illi parenti adaptetur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia causa aut sociatur aut præcedit. Verissimum est igitur summum spiritum, patrem esse prolis suæ. Quod si filius semper similior est patri quam filia. Nihil autem similius est alteri, quam summo patri proles sua: verissimum est hanc prolem non esse filiam, sed filium.

Quod alterius verissime sit esse genitorem & patrem, alterius genitum & filium. Cap. XLII.

Sicut igitur proprium est illius verissime gignere, istius verò gigni: sic proprium est illius esse verissimum genitorem, istius verò verissimum esse genitum. Et sicut alter est verissimus parens alter verissima proles: sic alter est verissimus pater, alter verissimus filius. Inuentis tot & tantis singulorum proprietatibus, quibus mira quedam tam ineffabilis quam inuitabilis in summa unitate probatur esse pluralitas, valde mihi videtur delectabile, retractare sæpius tam impenetrabile secretum. Ecce enim cum sit impossibile sic, eundem esse qui gignit, & eum qui gignitur: atque eundem esse parentem & prolem: ut necesse sit alium esse genitorem, alium genitum: & alium esse patrem, alium filium: sic tamen necesse est idem esse illum qui gignit, & illum qui gignitur, nec non parentem & prolem: ut impossibile sit alium esse genitorem, quam quod est genitus: aliud esse patrem, quam quod est filius.

Retractio communionis amborum & proprietatum singulorum. Cap. XLIII.

ET cum ita sit alius ille, & alius ille: ut omnino pateat, quod duo sint: sic tamen vnum & idem ipsum est, id quod est ille & ille ut penitus lateat quid duo sint. Nam sic est alius pater, alius filius: ut cum ambos dixerim, videam me duos dixisse: & sic est idipsum quod est, & pater & filius, ut non intelligam quid duos dixerim. Quamuis nanque singulis pater sit perfecte summus spiritus & singulus filius sit perfecte summus spiritus: sic tamen vnus idemque est summus spiritus pater, & spiritus filius: ut pater & filius non sint duo spiritus: sed vnus spiritus: ut sicut singula propria singulorum non recipiunt pluralitatem, quia non sunt duorum: ita id quod commune est amborum indiuiduam teneat unitatem, quamuis totum sit singulorum. Nam sicut non sunt duo patres aut duo filij, sed vnus pater, & vnus filius, quoniam singula sunt singulorum propria: ita non sunt duo, sed vnus spiritus: quamuis & singuli patris, & singuli filij, sit perfectum esse spiritum. Sic sunt oppositi relationibus, ut alter nunquam sufficiat proprium alterius: sicut sunt concordantes natura, & alter semper teneat essentiam alterius.

Quomodo alter alterius sit essentia.

Cap. XLIII.

Sic enim diuersi sunt, per hoc quod alter est pater, & alter filius, ut nunquam dicatur aut pater filius, aut filius pater: & sic idem sunt per sub-

D. ANSELMI TOMVS III.

stantiam, ut semper sit in patre essentia filij, & in filio essentia patris. Est enim non diuersa, sed eadem: non plures, sed vna vtriusque essentia. Vnde etiam si alter alterius dicatur essentia, non erratur à veritate: sed summa unitas simplicitasque commendatur communis naturæ. Non enim quemadmodum intelligitur sapientia hominis, per quam homo sapiens est, qui non potest esse per se sapiens: ita intelligi potest, si dicatur pater essentia filij, & filius essentia patris, ut eo modo sit filius existens per patrem, & pater per filium, quasi non possit alter existens esse nisi per alterum: sicut homo non potest esse sapiens nisi per sapientiam. Sicut nanque summa sapientia semper sapit per se, ita summa essentia semper est per se: Est autem perfecte summa essentia pater, & perfecte summa essentia filius: pariter ergo perfectus pater per se est, & pariter perfectus filius per se est, sicut vtrique sapit per se. Non enim idcirco perfecta est essentia vel sapientia filius, quia est essentia nata de patris essentia, & sapientia de sapientia: sed tunc minus perfecta essentia vel sapientia esset, si non esset per se, aut non saperet per se. Nequaquam enim repugnat, ut filius per se subsistat, & de patre habeat esse. Sicut enim pater habet essentiam, & sapientiam, & vitam in semetipso, ut non per alienam, sed per suam essentiam sit per suam sapientiam sapiat, per suam vitam vitat: ita gignendo dat filio essentiam habere, & sapientiam & vitam in semetipso: ut non per extraneam, sed per suam essentiam, sapientiam, & vitam subsistat, sapiat, & vitat: alioquin non erit idem esse patris & filij, nec erit par patri filius. Quodque falsum sit, liquidissime superius peruisum est: quare non repugnat filium, & subsistere per se, & esse de patre: quia hoc ipsum, id est, per se ipsum posse subsistere, necesse est illum de patre habere. Nam si quis sapiens, suam me habere sapientiam, cuius prius expertus esset, doceret: utique hæc ipsa sapientia eius facere non incongruè diceretur: sed quamuis mea sapientia ab illius sapientia haberet esse & sapere: tamen cum iam non esset, nisi sua sapientia esset, nec saperet nisi se ipsa. Multo igitur magis æterni patris coæternus filius, qui sic habet à patre esse, ut non sint duæ essentia, per se subsistit, sapit, & vitat. Non igitur sic intelligi potest: quod pater filij aut filius patris sit essentia: quasi alter non possit subsistere per se, sed per alterum: sed ad designandum, quam habent communionem summe simplicis, summeque vnus essentia, si congruè dici & intelligi potest, quod sic est alter idipsum quod alter, ut alter habeat essentiam alterius. Hac itaque ratione, quoniam vtrique non aliud est habere essentiam, quam essentiam esse, sicut habet alter alterius essentiam, ita est alter alterius essentia, id est, idem esse est alteri, quod alteri.

Quod aptius dici possit filius essentia patris, quam pater essentia filij: & quod similiter sit filius patris virtus: & sapientia, & similia.

Caput XLIV.

Quod licet secundum perspectam rationem verum sit: valde tamen magis congruit filium dici essentiam patris quam patrem essentiam filij, quoniam nanque pater à nullo habet essentiam nisi à seipso, non satis aptè dicitur habere essentiam alicuius nisi suam: quia verò filius essentiam suam habet à patre, & eandem habet pater, aptissime dici potest habere essentiam patris. Quare quoniam neuter aliter habet essentiam quam

BB 2

existen-

A existendo essentia sicut satis aptius intelligitur habere filius patris essentiam quam pater filij: ita conuenientius dici potest filius patris essentia quam pater filij. Nam hæc vna sit fiat prolatio, satis acuta breuitate commendat filium, non solum eandem essentiam habere cum patre: sed hanc ipsam habere de patre, vt hic sit filius est essentia patris, quod est, filius est non differens essentia de patris essentia, immò de patris essentia, similiter ergò est filius, patris essentia, virtus, & sapientia, siue veritas, & iustitia: & quicquid summi spiritus conuenit essentia.

Quomodo quedam ex his quæ sic proferuntur, aliter quoque possint intelligi.

Cap. XLV.

Videtur tamen quedam ex his quæ sic proferri & intelligi possunt, aliam quoque non incongruam sub hac ipsa pronuntiatione intelligentiam suscipere. Liqueat enim filium, esse verum verbum, id est, perfectam intelligentiam, siue perfectam totius paternæ substantiæ cognitionem, & scientiam, & sapientiam: id est, quæ ipsam patris intelligit essentiam, & cognoscit, & scit, & sapit. Si igitur hoc sensu dicatur, filius patris intelligentia, & sapientia, & scientia, & cognitio, siue notitia: quoniam intelligit, sapit, scit, & nouit patrem, nequaquam à veritate disceditur. Veritas quoque patris aptissime dici potest filius, non solum eo sensu, quia est eadem filij veritas quæ est & patris: sicut iam perspectum est, sed etiam hoc sensu, vt in eo intelligatur non imperfecta quedam imitatio, sed integra veritas paternæ substantiæ: quia non est aliud, quam quod est pater. At si ipsa substantia patris est intelligentia, & scientia, & sapientia, & veritas, consequenter colligitur: quia sicut filius est intelligentia, & scientia, & sapientia, & veritas paternæ substantiæ: Ita est intelligentia intelligentiæ, scientia scientiæ, sapientia sapientiæ, & veritas veritatis.

Quod filius sit intelligentia intelligentia, & veritas veritatis: & similiter de similibus.

Caput XLVI.

DE memoria verò, quod sentiendum est? an estimandus est filius intelligentia memoriæ, siue memoria patris, aut memoria memoriæ? Equidem cum summa sapientia sui memor esse negari non possit, nihil competentius quam in memoria pater: sicut in verbo filius intelligitur: quoniam de memoria nasci verbū videtur, quod clarius in nostra mente percipitur. Quoniam nanque mens humana non semper se cogitat, sicut sui semper meminit: liqueat cum se cogitat, quod verbum eius nascitur, de memoria. Vnde apparet, quia si semper se cogitaret, semper verbum eius de memoria nasceretur. Rem etenim cogitare, cuius memoriā habemus, hoc est, mente eam dicere, verbum verò rei: est ipsa cogitatio ad eius similitudinem ex memoria formata: Hinc itaque liquido animaduerti potest de summa sapientia, quæ sic semper se dicit, sicut semper sui memor est: quia de æterna memoriā coæternum verbum nascitur. Sicut igitur verbum congrue intelligitur proles: ita memoria, parentis nomen aptissime suscipit. Si ergò proles, quæ omnino de solo summo spiritu nata est, proles est memoriæ, eius nihil conuenientius, quam quia memoria eius est idem ipse quippe non est, in eo quod sui memor est, sic est in sui memoria velut alia res in alia, quemadmodum ea quæ sic sunt in

humane mentis memoria, vt non sint ipsa in nostra memoria: sed sic est memor sui, vt ipse memoria sua sit. Consequitur itaque, vt quomodo filius est intelligentia, siue sapientia patris ita sit & paternæ memoriæ. At quicquid filius sapit aut intelligit, eius similiter & meminit.

Quod in memoria intelligatur pater, sicut in intelligentia filius: & quomodo filius sit intelligentia vel sapientia memoriæ & memoria patris & memoriæ.

Caput XLVII.

EST igitur filius memoria patris, & memoriæ memoriæ, id est, memoria memor patris, qui est memoria, sicut est sapientia patris, & sapientia sapientiæ, id est, sapientia sapiens patrem sapientiam, & filius quidem memoria nata de memoria, sicut sapientia nata de sapientia: pater verò de nullo nata memoria vel sapientia. Sed ecce dum huius patris filijque proprietates, communionemque delectabiliter intueor: nihil delectabilius in illis contemplandum intueni, quam mutui amoris affectum. Quoniam enim absurde negatur summus spiritus se amare sicut sui memor est, & se intelligit, cum mens rationalis & se & illum amare posse conuincatur: ex eo quia sui & illius memor esse, & se & illum intelligere potest: otiosa nanque & penitus inutilis est memoria & intelligentia cuiuslibet rei, nisi prout ratio exigit: res ipsa ametur aut re probetur. Amat ergò seipsum summus spiritus sicut sui meminit & se intelligit.

Quod summus spiritus se amet: & quod idem amor pariter procedat à patre & filio.

Caput XLVIII.

PALAM certe est rationem habenti, cum idcirco sui memorem esse, aut se intelligere, quia se amat: sed idem se amare, quia sui meminit, & se intelligit: nec eum se posse amare: si sui non sit memor, aut se non intelligit. Nulla enim res amatur, sine eius memoriā & intelligentia: & multa tenentur memoria, & intelliguntur, quæ non amantur. Patet igitur amorem summi spiritus ex eo procedere: quia sui memor est, & se intelligit. Quod si in memoria summi spiritus intelligitur pater, in intelligentia filius, manifestum est: quia à patre pariter & à filio summi spiritus amor procedit.

Quod vterque pari amore diligit se, & alterum.

Caput XLIX.

SED si se amat summus spiritus, procul dubio se amat pater, amat se filius, & alter alterum: quia singulus pater summus est spiritus: & singulus filius, summus spiritus: & ambo simul, vnus spiritus. Et quia vterque pariter sui & alterius meminit, & se & alterum intelligit: & quoniam omnino idipsum est quod amat, vel amatur in patre, & quod in filio, necesse est vt pari amore vterque diligit se & alterum.

Quod tantus est ipse amor, quantus est ipse spiritus.

Caput L.

Quantus ergò est amor summi spiritus, sic communis patri & filio: sed si se tantum diligit, quantum sui meminit & se intelligit: tantum autem sui memor est & intelligit se, quanta est eius essentia, quod aliter esse non potest: profectò tantus est amor eius quantus ipse est.

Quod

A *Quodd idem amor sit idipsum quod est summus spiritus, & tamen ipse cum patre & filio vnus spiritus. Cap. LI.*

Verum quid potest esse par summo spiritui, nisi summus spiritus? Iste itaque amor, est summus spiritus. Denique, si nulla vnquam creatura, id est, si nihil vnquam aliud esset, quam summus spiritus pater, & filius nihilominus se ipsos & inuicem pater & filius diligere. Consequitur itaque hunc amorem, non esse aliud quam quod est pater & filius, quod est summa essentia. At quoniam summe essentiae plures esse non possunt: quid magis necessarium, quam patrem & filium, & vtriusque amorem, vniam esse summam essentiam? Est igitur idem amor summa sapientia, summa veritas, summum bonum, & quicquid de summi spiritus substantia dici potest.

Quod totus procedat à patre, totus à filio, & tamen non sit nisi vnus amor.

Cap. LII.

Intuendum est diligenter, vtrum sint duo amores, vnus à patre procedens, alter à filio: an vnus non totus ab vno procedens, sed partim à patre, partim à filio; an nec plures, nec vnus partim procedens à singulis: sed vnus totus à singulis, & idem totus à duobus simul. Sed huiusmodi dubitationis certitudo, hinc indubitanter cognoscitur; quia non ex eo procedit, in quo plures sunt pater, & filius: sed ex eo in quo vnus sunt. Nam non ex relationibus suis, quae plures sunt. Alia est enim relatio patris, alia filij: sed ex ipsa sua essentia, quae pluralitatem non admittit, emittunt pater & filius tantum pariter bonum. Sicut ergo singulus pater, est summus spiritus & singulus filius, est summus spiritus: & simul pater & filius non duo sed vnus spiritus: ita à singulo patre, manat totus amor summi spiritus: & à singulo filio, totus & simul à patre & filio non duo toti, sed vnus idemque totus.

Quod non sit eorum filius, amor.

Cap. LIII.

Quid ergo? cum hic amor pariter habeat esse à patre & filio: & sic similis sit ambobus, vt nullatenus dissimilis sit illis, sed omnino idem sit quod illi. Nunquid filius eorum aut proles aestimandus est? sed sicut verbum mox vt consideratur, sed prolem esse eius à quo est euidentissime probat, promptam praefendo parentis imaginem: sic amor aperte se prolem negat, quia dum à patre & filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti eius ex quo est similitudinem: quantum ipsum considerata ratio doceat omnino idipsum esse, quod est pater & filius. Denique, si proles eorum est: aut alter eorum erit pater eius, alter mater: aut vterque pater siue mater est: quae omnia veritati repugnare videntur. Quoniam namque nullatenus aliter à patre procedit quam à filio: nulla veritas patitur, vt dissimili vocabulo ad illum pater & filius referantur, non est igitur alter pater eius, alter mater. Vt autem duo aliqua sint, quae singula perfectam, & nulla consideratione differentem habeant pariter ad aliquod vnum, patris aut matris habitudinem, nulla natura aliquo monstrari concedit exemplo. Ergo non est vterque, scilicet, pater & filius pater aut mater amoris à se manantis. Nequaquam itaque videtur veritati conuenire, vt idem amor eorum filius sit aut proles.

D. ANSELMI TOMVS III.

C *Quod solus pater sit genitor & ingenitus, solus filius genitus, solus amor nec genitus nec ingenitus.*

Cap. LIIII.

Sed videtur tamen amor idem, nec omnino secundum communis locutionis modum dici posse ingenitus: nec ita proprie sicut verbum genitus. Solemus enim saepe dicere aliquid gigni ex ea re de qua existit: vt cum dicimus, splendorem aut calorem gigni ab igne: seu aliquem effectum ex causa sua. Secundum hanc igitur rationem, amor à summo spiritu exiens, non omnino asseri potest ingenitus: ita verò proprie, sic verbum, dici genitus non potest: quia verbum, verissimam esse prolem, & verissimum filium: amorem verò, nullatenus filium aut prolem esse, manifestum est. Potest itaque, immo debet dici solus ille cuius verbum est, genitor & ingenitus: quia solus est pater & parens: & nullo modo ab alio est. Solum autem verbum, genitum: quia solum filius & proles est. Solus verò amor vtriusque, nec genitus nec ingenitus: quia nec filius nec ingenitus est, nec omnino non est ab alio.

Quod amor idem sit increatus & creator sicut pater & filius: & tamen ipse cum illis non tres: sed vnus increatus, & vnus creator: & quod idem possit dici spiritus patris & filij.

Cap. LV.

Quoniam autem idem amor singulus est summa essentia, sicut pater & filius, & tamen simul pater & filius & vtriusque amor non plures, sed vna summa essentia, quae sola à nullo facta, non per aliud quam per se omnia fecit: necesse est vt quemadmodum singulus pater & singulus filius est increatus & creator: ita & amor singulus sit increatus & creator, & tamen omnes tres simul, & non plures, sed vnus increatus & vnus creator. Patrem itaque nullus facit, siue creat aut gignit: filium verò pater solus gignit, sed non facit, pater autem pariter & filius non faciunt neque gignunt, sed quodammodo si sic dici potest, spirant suum amorem: quantum enim non nostro more spiret summe incommutabilis essentia, tamen ipsum amorem à se ineffabiliter procedentem, non discedendo ab illa, sed existendo est illa, forsitan non alio modo videtur posse dici apertius ex se emittere quam spirando. Quod si dici potest, sicut verbum summae essentiae filius est eius: ita eiusdem amor, satis conuenienter appellari potest spiritus eius, vt eum essentialiter ipse sit spiritus, sicut pater & filius, illi non putentur alicuius spiritus, quia nec pater ab vilo alio est, nec filius à patre quasi spirante nascitur, iste autem aestimetur spiritus vtriusque quia ab vtroque suo quodam inenarrabili modo spirante mirabiliter procedit. Qui etiam ex eo quia est communio patris & filij, non absque ratione quasi proprium assumere posse videtur aliquod nomen, quod patri filioque commune sit, si proprii nominis exigit indigentia. Quod quidem si fiat, scilicet vt ipse amor nomine spiritus, quod substantiam pariter patris & filij significat quasi proprio designetur. Ad hoc quoque non inutiliter valebit: vt per hoc idipsum esse quod est pater & filius, quamuis ab illis esse suum habeat, intuetur.

Quod sicut filius est essentia vel sapientia patris, eo sensu, quia habeat eandem essentiam vel sapientiam quam pater: sic idem spiritus sit patris & filij essentia & sapientia, & similia.

BB 3

Capus

A

Caput LVI.

POtest quoque quemadmodum filius est substantia, & sapientia, & virtus patris, eo sensu: quia habet eandem essentiam & sapientiam, & virtutem quam pater: ita utriusque spiritus intelligi essentia, vel sapientia, vel virtus patris & filij, quia habet omnino eandem quam habent illi.

Quod pater & filius & eorum spiritus, pariter sint in se inuicem. Cap. LVII.

Iocundum est intueri in patre & filio & utriusque spiritu, quomodo sint in se inuicem tanta æqualitate, ut nullus alium excedat. Præter hoc enim, quia unusquisque eorum sic est perfecte summa essentia, ut tamen omnes tres simul non sint, nisi essentia vna summa: quæ nec sine se vel extra se, nec maior vel minor seipsa esse potest. Per singulos tamen id ipsum non minus valet probari. Est etenim totus pariter in filio & communi spiritu, & filius in patre & eodem spiritu, & idem spiritus in patre & filio: quia memoria summæ essentia tota est in eius intelligentia & amore, & intelligentia in memoria & in amore, & amor in memoria & intelligentia. Totam quippe suam memoriam summus intelligit spiritus & amat, & totius intelligentiæ meminit & totam amat, & totius amoris meminit & totum intelligit. Intelligitur autem in memoria pater: in intelligentia filius, in amore utriusque spiritus. Tanta igitur pater & filius & utriusque spiritus, æqualitate sese complectuntur, & sunt in se inuicem, ut eorum nullus alium excedere, aut sine eo esse probetur.

Quod nullus eorum alio indigeat ad memorandum, vel intelligendum, vel amandum: quia singulus quisque est memoria, & intelligentia, & amor:

B

& quicquid necesse est inesse summa essentia.

Caput LVIII.

Sed in his nullatenus negligenter memoriæ commendandum, quod intuenti mihi occurrit, existimo. Sic enim necesse est, ut pater intelligatur memoria, filius intelligentia, spiritus amor: ut nec pater indigeat filio, aut communi spiritu, nec filius patre vel eodem spiritu, siue idem spiritus patre & filio: quasi pater per se meminisse solum possit, intelligere autem non nisi per filium, & amare non nisi per suum filium; spiritus: & filius per se intelligere tantum queat, per patrem autem memor sit, & per spiritum suum amet: & idem spiritus per se non aliud quam amare valeat, sed pater illi sit memor, & filius illi intelligat. Nam cum in his tribus, unusquisque singulus sit summa essentia & summa sapientia sic perfecta, ut ipsa per se memor sit, & intelligat, & amet: necesse est ut nullus eorum trium alio indigeat, aut ad memorandum, aut ad intelligendum, aut ad amandum. Singulus enim quisque essentialiter est & memoria & intelligentia & amor: & quicquid summæ est necesse inesse essentiæ.

Quod tamen non sint tres, sed vnus seu pater, seu filius, seu utriusque spiritus.

Cap. LIX.

Qvandam hic video quæstionem occurrere. Nam si pater ita est intelligentia & amor, sicut est memoria: & filius sic est memoria & amor, quomodo est intelligentia: & utriusque spiritus non minus est memoria & intelligentia quam amor: quomodo non est pater, & filius, & alicuius spiritus: & quare non est filius, pater & alicuius spiritus: & cur non est idem spiritus alicuius pater, &

alicuius filius: sic quippe intelligebatur, quod memoria esset pater, filius intelligentia, utriusque spiritus amor? Verum hæc quæstio non difficile soluitur, si ea quæ iam ratione inuenta sunt considerentur. Idcirco enim non est pater filius, aut alicuius spiritus, licet sit intelligentia & amor: quia non est intelligentia genita, aut amor ab aliquo procedens: sed quicquid est gignens est tantum, & a quo procedit alius. Filius quoque ideo non est pater aut alicuius spiritus, quauis seipso memor sit & amet: quia non est memoria gignens, aut amor ab alio ad similitudinem sui spiritus procedens: sed quicquid existit tantum gignitur, & est a quo spiritus procedit. Spiritus quoque non cogit esse patrem aut filium, hoc, quia contentus est memoria aut intelligentia, cum non sit memoria gignens: aut intelligentia genita, sed solum quicquid est, procedat. Quid igitur prohibet concludi: quia vnus tantum est in summa essentia pater, vnus filius, vnus spiritus, & non tres patres aut filij aut spiritus?

Quomodo ex his multi filij nasci videantur.

Caput LX.

Sed ne forte repugnet, huic assertioni quid intueor. nam dubium esse non debet quia pater & filius & eorum spiritus unusquisque seipsum & alios ambos dicit, sicut se & alius intelligit. Quod si ita est: quomodo non sunt in summa essentia tot verba, quot sunt dicentes, & quot sunt qui dicuntur: Si enim plures homines vnum aliquid cogitatione dicant: tot eius videntur esse verba, quot sunt cogitantes: quia in singulorum cogitationibus verbum eius est. Item, si vnus homo cogitat aliqua plura, tot verba sunt in mente cogitantis, quot sunt res cogitatae. Sed in omni cogitatione cum cogitat aliquid, quod extra eius mentem est, non nascitur verbum cogitatae rei ex ipsa rei: quia ipsa absens est a cogitationis intuitu, sed ex rei aliqua similitudine vel imagine, quæ est in cogitantis memoria, aut forte que tunc cum cogitat per corporeum sensum ex re præsentis in mentem attrahitur. In summa verò essentia ficti tibi semper sunt præsentis pater & filius & eorum spiritus. Est enim, sicut iam perspectum est, vnusquisque non minus in alijs, quam in seipso: ut cum inuicem se dicunt, sic videatur idem ipse qui dicitur gignere verbum suum, quemadmodum cum a seipso dicitur: Quomodo ergo nihil gignit filius, aut eius patrisque spiritus, si vnusquisque eorum verbum gignit suam, cum a seipso dicitur vel ab alio. Quod autem verba probari possunt de summa nasci substantia: tot eam necesse secundum superiorem considerationem filios gignere, & tot emittere spiritus. Hac itaque ratione, videntur in illa esse non solum multi patres & filij & procedentes, sed & alia necessitudines: aut certe pater & filius & eorum spiritus, de quibus iam certissimum est, quia vere existunt, non sunt tres dicentes quauis singulus quisque sic dicens: nec sunt plura quæ dicuntur, cum vnusquisque seipsum & alios duos dicit. Sicut enim summæ sapientiæ inest scire & intelligere, ita utriusque æternæ incommutabilisque scientiæ & intelligentiæ naturale, est id semper præsens intueri, quod scit & intelligit. Nihil autem aliud est summo spiritui huius dicere, quam quasi cogitando intueri sicut nostræ mentis locutio nihil aliud est, quam cogitantis inspectio. Certissimum autem iam considerata ratione reddiderunt, quicquid summæ natu-

natu-

A naturæ inest essentialiter, id perfectè conuenire patri & filio & eorum spiritui singulatim: & tamen id ipsum, si simul dicatur de tribus, non admittere pluralitatem. Cum ergò constet quia sicut pertinet ad eius essentiam, scientia & intelligentia: sic eius scire & intelligere non est aliquam dicere, id est, semper præsens intueri quod scit & intelligit: necesse est, vt quemadmodum singulus pater, singulus filius, & singulus eorum spiritus, est sciens & intelligens: & tamen hi tres simul, non sunt plures scientes aut intelligentes sed vnus sciens, & vnus intelligens: ita singulus quisque sit dicens, nec tamen sint tres dicentes simul: sed vnus dicens. Hinc illud quoque liquide cognosci potest: quia cum hi tres dicuntur, vel à seipsis, vel ab inuicem, non sunt plura quæ dicuntur. Quid nanque ibi dicitur, nisi eorum essentia? Si ergò illa vna sola est, vnum solum est quod dicitur, ergò vnum solum est in illis quod dicit, & vnum quod dicitur. Vna quippe sapientia est: quæ in illis dicit, & vna substantia quæ dicitur: consequitur non ibi esse plura verba, sed vnum. Licet igitur vnusquisque seipsum & omnes inuicem se dicant, impossibile tamen est in summa essentia, esse verbum aliud præter illud, de quo iam constat, quod sic nascitur ex eo cuius est verbum, vt etiam vera eius dici possit imago, & verè filius eius sit. In quo mirum quiddam & inexplicabile video. Ecce enim cum manifestum sit, vnumquenque scilicet patrem, & filium, & patris filijque spiritum, pariter se & ambos alios dicere, & vnum solum ibi esse verbum, nullatenus tamen ipsum verbum videtur posse dici verbum omnium trium, sed tantum vnus eorum. Constat enim esse imaginem, & filium eius cuius est verbum, & pater, quod nec imago, nec filius summet, nec à se procedentis spiritus congruè dici potest. Nam nec ex seipso, nec ex procedente à se nascitur: nec seipsum, aut procedentem à se existendo imitatur. Seipsum quippe non imitatur, nec à se trahit existendi similitudinem: quia imitatio & similitudo non est in vno solo, sed in pluribus: illum verò non imitatur, nec ad eius similitudinem existit: quia iste non habet ab illo esse, sed ille ab isto.

Quomodo non sit ibi vnus vnus. Cap. LXI.

Restat igitur hoc solum verbum illius solius esse, de quo nascendo habet esse, & ad cuius omnimodam similitudinem existit. Vnus ergò pater non plures patres, vnus filius non plures filij, vnus procedens spiritus, non plures procedentes spiritus sunt in summa essentia. Qui cum ita tres sint, vt nunquam pater sit filius, aut procedens spiritus: nec filius aliquando sit pater, aut spiritus procedens, nec vnquam spiritus patris aut filij sit pater, aut filius: & singulus quisque si sit perfectus, vt nullo indigeat: id tamen quod sunt, sic est vnum: vt sicut de singulis pluraliter dici non potest: ita nec de tribus simul. Et cum pariter vnusquisque seipsum, & omnes inuicem se dicant, non tamen sunt ibi plura verba sed vnum: & ipsum non singulorum aut omnium simul, sed vnus tantum.

Quid hoc licet inexplicabile sit, tamen credendum sit. Cap. LXII.

Videtur mihi huius tam sublimis rei secretum transcendere omnem intellectus aciem humani: & idcirco conatum explicandi qualiter hoc sit, continendum puto. Sufficere nanque de-

bere existimo rem incomprehensibilem indaganti, si ad hoc rationando peruenerit, vt eam certissime esse cognoscat, letiam si penetrare nequeat intellectu, quomodo ita sit: nec idcirco minus his ad habendam fidei certitudinem, quæ probationibus necessarijs nulla alia repugnante ratione afferuntur, si suæ naturalis altitudinis incomprehensibilitate explicare non patiantur. Quid autem tam incomprehensibile, quam id quod supra omnia est? Quapropter si ea quæ de summa essentia hæcenus disputata sunt, necessarijs rationibus sunt asserta, quamuis sic intellectu penetrari non possint, vt & verbis valeant explicari: nullatenus tamen certitudinis eorum nutat soliditas. Nam si superior consideratio rationabiliter comprehendit incomprehensibile esse, quomodo eadem summa sapientia sciat ea quæ fecit, de quibus tam multa nos scire necesse est: quis explicet, quomodo sciat aut dicat seipsam, de qua aut nihil, aut vix aliquid ab homine sciri possibile est? Ergò si in eo quod seipsam dicit, generat pater, & generatur filius. *Generationem eius quis enarrabit?* Sed rursus, si ita se ratio ineffabilitatis illius habet, imò quia sic est: quomodo stabit quicquid de illa substantia secundum patris & filij & procedentis habitudinem disputatum est? Nam si vera illud ratione explicatum est, qualiter est illa ineffabilis. Aut si illa ineffabilis est, quomodo est ita sicut disputatum est? Aut quod antenus de illa potuit explicari: & ideò nihil prohibet esse verum, quod disputatum est. Sed quia penitus non potuit comprehendi, idcirco est ineffabilis. Sed ad illud quid responderi poterit, quod iam supra in hac ipsa disputatione constitit: quia sic est summa essentia supra & extra omnem aliam naturam, vt si quando de illa dicitur aliquid verbis, quæ communia sunt alijs naturis, sensus nullatenus sit communis. Quem enim sensum in omnibus his verbis quæ cogitati, intellexi, nisi communem & vsitatum? Si ergò vsitatus sensus verborum alienus est ab illa: quicquid ratio cinatus sum, non pertinet ad illam. Quomodo igitur verum inuentum est esse aliquid de summa essentia: si quod est inuentum longe diuersum est ab illa? Quid ergò? An quodammodo inuentum est aliquid de incomprehensibili re, & quodammodo nihil perspectum est de ea? Sæpe nanque multa dicimus, quæ propriè sicut sunt non exprimimus, sed per aliud significamus id quod propriè aut volumus, aut non possumus depromere: vt cum per ænigmata loquimur. Et sæpe videmus aliquid, non propè quemadmodum res ipsa est, sed per aliquam similitudinem aut imaginem: vt cum vultum cuius consideramus in speculo: sic quippe vnâ eandemque rem dicimus & non dicimus, videmus & non videmus: dicimus & videmus per aliud: non dicimus & non videmus, per suam proprietatem.

Quomodo de ineffabili re, verum disputatum sit. Cap. LXIII.

Hac itaque ratione nihil prohibet & verum esse, quod disputatum est hæcenus de summa natura, & ipsam tamen nihilominus ineffabilem persistere: si nequaquam illa putetur per essentia suæ proprietatem expressa, sed vtunque per aliud designata. Nam quæcunque nomina de illa natura dici posse videntur: non tam mihi eam ostendunt per proprietatem, quam per aliquam innuunt similitudinem. Etenim cum earundem vocû significationes, cogito, familiarius

A concipio mente, quod in rebus factis conspicio, quam id quod omnem humanum intellectum transcendere intelligo: nam valde minus aliquid: immo longè aliud in mente mea, sua significatione constituunt, quam sit illud ad quod intelligendum per hanc tenuem significationem mens ipsa mea conatur proficere. Nam hæc nomen sapientiae mihi sufficit ostendere illud, per quod omnia facta sunt de nihilo & seruantur à nihilo: nec nomen essentiae mihi valet exprimere illud, quod per singularem altitudinem longe est supra omnia, & per naturalem proprietatem valde est extra omnia. Sic ergo illa natura & ineffabilis est: quia per verba, sicuti est, nullatenus valet intimari: & falsum non est, si quid de illa ratione docente per aliud velut in ænigmate potest æstimari.

Quod per rationalem mentem maximè accedatur ad cognoscendum summam essentiam.

Caput LXIV.

Cvin igitur pateat, quod nihil de hac natura possit percipi per suam proprietatem, sed per aliud: certum est, quia per illud magis ad eius cognitionem acceditur, quod illi magis per similitudinem propinquat. Quicquid enim inter creata constat illi esse similius, id necesse est esse natura præstantius. Quapropter id & per maiorem similitudinem plus inuat mentem indagantem summæ veritati propinquare, & per excellentiorem creatam essentiam plus docet quid de create mens ipsa debeat æstimare. Procul dubio itaque tanto altius creatrix essentia cognoscitur, quanto per propinquiorem sibi creaturam indagatur. Nam quod omnis essentia, in quantum est, intantum sit similis summæ essentiae, ratio iam supra considerata dubitare non permittit. Patet itaque, quia sicut sola est mens rationalis inter omnes creaturas, quæ ad eius investigationem assurgere valeat: ita nihilominus eadem sola est, per quam maximè ipsamet ad eiusdem inventionem proficere queat. Nam iam cognitum est, quia hæc illi maximè per naturalis essentiae propinquat similitudinem. Quid igitur apertius, quam quia mens rationalis quanto studiosius ad se descendam intendit, tanto efficacius ad illius cognitionem ascendit: & quanto se ipsam intueri negligit, tanto ab eius speculatione descendit.

Quod mens ipsa speculum eius & imago eius sit.

Caput LXV.

Aptissime igitur ipsa sibi met esse velut speculum dici potest, in quo speculetur, ut ita dicam, imaginem eius quam facie ad faciem videre nequit. Nam si mens ipsa sola ex omnibus quæ facta sunt, sui memor & intelligens & amans esse potest: non video cur negetur esse in illa vera imago illius essentiae, quæ per sui memoriam & intelligentiam & amorem in Trinitate ineffabili consistit. At certè inde verius esse illius se probat imaginem: quia illius potest esse memor, illam intelligere & amare. In quo enim maior est & illi similior, in eo verior illius esse imago cognoscitur. Omnino autem cogitari non potest rationali creaturæ naturaliter esse datum aliquid tam præcipuum tamque simile summæ sapientiae quam hoc: quia potest reminisci, & intelligere, & amare id quod optimum & maximum est omnium. Nihil igitur aliud est inditum alicui creaturæ, quod sic præferat imaginem creatoris: Consequi itaque videtur, quod rationalis creatura nihil tantum debet studere, quam hanc ima-

ginem sibi per naturalem potentiam impressam, per voluntarium effectum exprimere. Etenim præter hoc, quod creati se debet hoc ipsum quod est: huic quoque, quia nihil tam præcipuum posse quam reminisci & intelligere & amare summum bonum, cognoscitur: nimirum nihil tam præcipue debere velle conuincitur. Quis enim neget quæcunque meliora sunt in potestate, ea magis esse debere in voluntate? Denique rationali naturæ non est aliud esse rationalem, quam posse discernere iustum à non iusto, verum à non verò, bonum à non bono, maius bonum à minus bono: hoc autem posse omnino inutile est illi & superuacuum, nisi quod discernit, amet vel reprobet secundum veræ discretionis iudicium.

Quod rationalis creatura ad amandum illam facta sit. Caput LXVI.

Hinc itaque satis patenter videtur, omne rationale ad hoc existere, ut sicut ratione discretionis aliquid maius vel minus bonum siue non bonum iudicat, ita magis aut minus id ametur aut respuat. Nihil enim aptius quam rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum: imò ut nihil amet nisi illam, aut propter illam: quia illa est bona per se, & nihil aliud est bonum nisi per illam. Amare autem eam nequit, nisi eius reminisci, & eam studuerit intelligere. Clarum est ergo rationalem creaturam, totum suum velle & posse ad memorandum, & intelligendum, & amandum summum bonum impendere debere, ad quod ipsum esse suum se cognoscit habere.

Quod anima semper illam amans, aliquando verè & beatè viuat. Cap. LXVII.

Dubium autem non est, animam humanam esse rationalem creaturam, ergo necesse est eam esse factam ad hoc, ut amet summam essentiam. Necesse est igitur eam esse factam aut ad hoc, ut sine fine amet, aut ad hoc, ut aliquando vel sponte vel violenter hunc amorem amittat. Sed nefas est æstimare, summam sapientiam ad hoc eam fecisse, ut aliquando tantum bonum, aut contemnat, aut volens tenere aliqua violentia perdat. Restat igitur eam esse ad hoc factam, ut sine fine amet summam essentiam. Et hoc facere non potest nisi semper viuat. Sic igitur est facta ut semper viuat, si semper velit facere ad quod facta est. Deinde incontinentiens est nimis summè bono, summeque sapienti, & omnipotenti Creatori: ut quod fecit esse ad se amandum, id faciat non esse quandiu verè amauerit: & quod sponte dedit non amanti ut semper amaret, id auferat vel auferri permittat amanti, ut ex necessitate non amet, præsertim cum dubitari nullatenus debeat, quod ipse omnem naturam se verè amantem amet. Quare manifestum est, humane animæ nunquam auferri suam vitam, si semper studeat amare summam vitam. Qualiter ergo viuat? Quid enim magnum est longa vita, nisi sit à molestiarum incursione verè secura? Quisquis enim dum viuat, aut timendo, aut patiendo molestijs subiacer, aut falsa securitate fallitur, quid nisi misere viuat? Si quis autem ab his libere viuat beatè viuat. Sed absurdissimum est, & aliqua natura semper amando illum, qui est summè bonus & omnipotens, semper misere viuat. Liqueat igitur humanam animam huiusmodi esse, ut si seruet id ad quod est, aliquando verè secura ab ipsa morte & omni alia molestia beatè viuat.

Quod

Quod illa se amanti seipsam tribuat.

Caput LXVIII.

DEnique nullatenus verum videri potest, ut iustissimus & potentissimus nihil retribuatur amanti se perseveranter: cui non amanti tribuit essentiam, ut amans esse posset. Si enim nihil retribuatur amanti, non discernit iustissimus inter amantem & contemnentem id quod summè amare debet, nec amat amantem se, aut non prodest ab illo amari, quæ omnia ab illo dissonant, retribuit igitur omni se amare perseveranti. *Quid autem retribuit? Si nihilo dedit rationabilem essentiam, ut amans esset: Quid dabit amanti, si amare non cesset? Si tam grande est quod amori famulatur, quam grande est, quod amori recompensatur. Et si tale est amoris fulcimentum, quale est amoris emolumentum? Nam si rationalis creatura, quæ sibi inutilis est sine hoc amore, si eminet in omnibus creaturis: utique nihil potest esse præmium huius amoris, nisi quod supereminet in omnibus naturis. Etenim ipsum, idem bonum, quod sic se amari exigit, non minus se ab amante desiderari cogitur. Nam quis sic amet iustitiam, veritatem, beatitudinem, incorruptibilitatem, ut his frui non appetat? Quid ergo summa bonitas retribuet amanti & desideranti se nisi seipsam? Nam quicquid aliud tribuat, non retribuit: quia nec compensatur amori, nec consolatur amantem, nec satiat desiderantem, aut si se vult amari & desiderari, ut aliud retribuatur: nec se vult amari & desiderari propter se, sed propter aliud: & sic non vult se amari, sed aliud, quod cogitari nefas est. Nihil ergo verius, quam quod omnis anima rationalis, si, quemadmodum debet, studeat amando desiderare suam beatitudinem, aliquando illam ad fruendum percipiat: ut quod nunc videat, quasi per speculum & in enigmate, tunc videat facie ad faciem.*

Quod omnis humana anima sit immortalis.

Caput LXIX.

Vtrum autem ea sine fine fruatur, dubitare stultissimum est: quoniam illa fruens nec timore torqueri poterit, nec fallaci securitate decipi, nec eius indulgentiam iam experta, illam poterit non amare, nec illa deseret amantem se, nec aliquid erit potentius, quod eas separet inuitas. *Quare quæcunque anima summa beatitudine semel frui coeperit, æternè beata erit. Hinc utique consequenter colligitur, quod illa, quæ summi boni amorem contemnit, æternam miseriam incurrit. Nam si dicitur, quod pro tali contemptu sic iustius puniatur, ut ipsum esse vel vitam perdat: quia se non vitur ad id ad quod est facta, nullatenus hoc admittit ratio, ut post tantam culpam pro pœna recipiat esse quod erat ante omnem culpam. Quippe antequam esset, nec culpam habere, nec pœnam sentire poterat. Si ergo anima contemnit id, ad quod facta est, sic moritur, ut nihil sentiat, aut omnino nihil sit, similiter se habebit, & in maxima culpa sine omni culpa, nec discernit summè sapiens, iustitiam inter id, quod nullum bonum potest, & nullum malum vult: & id quod maximum bonum potest, & maximum malum vult. Ad hoc satis patet quam inconueniens sit.*

Quod aut semper misera, aut aliquando beata verè sit.

Caput LXX.

Nihil igitur videri potest consequentius, & nihil credi debet certius, quam hominis ani-

amam sic esse factam, ut si contemnat amare summam essentiam, æternam patietur miseriam: ut sicut amans æternò gaudebit premio, ita contemnentis æterna pœna doleat. Et sicut illa sentiat immutabilem sufficientiam, ita ista sentiat inconsolabilem indigentiam. Sed nec amantem animam necesse est æternè beatam esse, nec contemnentem miseriam, si sit mortalis. Siue igitur amet, siue contemnat, id ad quod amandum creata est, necesse est eam immortalem esse. Si autem aliquæ sunt animæ rationales, quæ nec amantes, nec contemnentes iudicandæ sint, sicut esse videntur animæ infantum, quid de his sentiendum est? Sunt mortales, siue immortales? Sed procul dubio omnes humanæ animæ eiusdem naturæ sunt. *Quare, quoniam constat quasdam esse immortales, necesse est omnem animam esse immortalem. Verùm cùm omne quod vivit, aut nunquam, aut aliquando sit verè securum ab omni molestia, nihilominus est necesse, omnem humanam animam aut semper miseriam esse, aut aliquando verè beatam.*

Quod nulla anima iniuste priuatur summo bono, & quod omnino ad ipsum sit. *Cap. LXXI.*

Quæ verò animæ incunctanter iudicandæ sunt, sic amantes illud ad quod amandum factæ sunt, ut illo quandoque frui, quæ autem sic contemnentes, ut illo semper indigere mereantur, aut qualiter quòque merito illæ, quæ nec amantes, nec contemnentes dici posse videntur ad beatitudinem æternam miseriamue distribuantur, aliquem mortalium disputando posse comprehendere, procul dubio vel difficillimum, vel impossibile existimo, quod tam a summè iusto summèq; bono creatore rerum nulla, ex bono, ad quod facta est iniuste priuatur, certissimè est tenendum, & ad idem ipsum bonum est omni homini toto corde, tota anima, tota mente amando & desiderando nitendum.

Quod summa essentia sit speranda.

Caput LXXII.

Sed in hac intentione humana anima nullatenus se poterit exercere, si desperet, quo intendit se posse peruenire. Quapropter quantum illi est vile studium adnitendum, tantum necessaria est spes pertingendi. Amare autem & sperare non potest, quod non credit. Expedi itaque eidem humanæ animæ summam essentiam, & ea sine quibus illa amari non potest credere, ut illa credendo tendat in illam. *Quod idem aptè breuiusque signari posse puto, si pro eo quod est credendo tendere in summam essentiam, dicatur credere in summam essentiam. Nam si quis dicat se credere in illam, satis videtur ostendere, & per fidem quam profitetur, ad summam se tendere essentiam: & illa se credere, quæ ad hanc pertinent intentionem, nam non videtur credere in illam, siue qui credit quod attendendum in illam non pertinet, siue qui per hoc quod credit, non ad illam tendit.*

Quod credendum sit in illam.

Caput LXXIII.

Et fortasse indifferentè dici potest, credere in illam, & ad illam: sicut pro eodem accipi potest credendo tendere in illam, & ad illam: nisi quia quisquis tendendo ad illam pervenerit, non extra illam remanebit, sed intra illam permanebit. *Quod expressius & familiarius significatur, si dicitur: tendendum esse in illam, quam*

A quàm si dicitur, ad illam. Hac itaque ratione pu-
to, congruentius posse dici, credendum esse in il-
lam, quàm ad illam.

*Quòd in Patrem, & Filium, & eorum Spiritum pariter,
& in singulos, & simul in tres credendum sit.*

Cap. LXXIV.

Credendum igitur est pariter in Patrem, &
Filium, & eorum Spiritum, & in singulos, &
simul in tres: quia & singulus Pater, & singulus
Filius, & singulus eorum Spiritus est summa ef-
fentia, & simul Pater, & Filius, cum suo Spiritu
sunt vna eademq; summa essentia, in quam solam
omnis homo debet credere: quia est solus finis,
quem in omni cogitatu actuq; suo per amorem
debet intendere. Vnde manifestum est, quia sicut
in illam tendere, nisi credat illam nullus potest: ita
illam credere, nisi tendat in illam nulli prodest.

Quæ sit viua, quæ mortua fides. Cap. LXXV.

Quapropter quantacumque certitudine cre-
datur tanta res, inutilis erit fides, & quasi
mortuum aliquid nisi dilectione valeat & viuat.
Etenim nullatenus fidem illam, quam competens
comitatur dilectio, si se opportunitas offerat ope-
randi, otiosam esse: sed magis se quadam operum
exercere frequentia, quod sine dilectione facere
non possit, vel hoc solo probari potest: quia quod
summam iustitiam diligit, nihil iustum contem-
nere, nihil valet iniustum admittere. Ergo quo-
niam quod aliquid operatur in esse sibi vitam,
sine qua operari non valeret, ostendit: non absur-
dè dicitur operosa fides viuere, quia habet vitam
dilectionis, sine qua non operaretur, otiosa fides,
B non viueret: quia caret vita dilectionis, cum qua
non otiaeretur. Quare si cæcus dicitur, non tan-
tùm qui perdidit visum: sed qui cum debet ha-
bere non habet, cur non similiter potest dici *fides
sine dilectione mortua*: non quia vitam suam, id est,
dilectionem perdidit: sed quia non habet quam
semper habere debet. Quemadmodum igitur
illa fides, quæ per dilectionem operatur, viua esse co-
gnoscitur: ita illa, quæ per contemptum otiaeretur,
mortua esse conuincitur. Satis itaque conueni-
enter dici potest viua fides credere in id, in quo
credi debet; mortua verò fides, credere tantùm
id, quod credi debet.

Quòd tres summa essentia quodammodo dici possit.

Capit. LXXVI.

Ecce patet omni homini expedire, vt credat
in quandam ineffabilem trinam Vnitatem &
vnam Trinitatem. Vnam quidem & Vnitatem
propter vnam essentiam, trinam verò & Trinita-
tem propter tres, nescio quid, licet enim possim
dicere Trinitatem, propter Patrem, & Filium, &
veriusque Spiritum, qui sunt tres: non tamen pos-
sum proferre vno nomine, propter quid tres, ve-
lut si dicerem propter tres personas, sicut si dice-
rem vnitatem propter vnam substantiam. Non e-
nim putandæ sunt tres personæ: quia omnes plu-
res personæ sic subsistunt separatim ab inuicem:
vt tot necesse sit esse substantias, quot sunt perso-
næ: quod in pluribus hominibus, qui quot perso-
næ, tot in diuiduæ sunt substantiæ, cognoscitur.
Quare in summa essentia, sicut non sunt plures
substantiæ, ita nec plures personæ. Si quis itaque
inde velit alicui loqui, quid tres dicet esse Patrem,
& Filium, & vtriusque Spiritum, nisi fortè indi-
gentia nominis propriè conuenientis coactus ele-
gerit aliquid de illis nominibus, quæ pluraliter in

summa essentia dici non possint, ad designandum
id quod congruo nomine dici non potest: vt si
dicat illam admirabilem Trinitatem esse vnam ef-
fentiam vel naturam, & tres personas siue substan-
tias. Nam hæc duo nomina aptius eliguntur ad
designandam pluralitatem in summa essentia: quia
persona non dicitur, nisi de indiuidua rationali
natura, & substantia principaliter dicitur, de indi-
uiduis, quæ maxime in pluralitate subsistunt. In-
diuidua namq; maxime substant, id est, subiacent
accidentibus: & ideo magis propriè nomen sub-
stantiæ suscipiunt. Vnde iam supra manifestum
est, summam essentiam, quæ nullis subiacer acci-
dentibus, propriè non posse dici substantiam, nisi
substantia ponatur pro essentia. Potest ergo hac
necessitatis ratione irreprehensibiliter illa summa
& vna Trinitas siue trina Vnitas, dici vna essentia,
& tres personæ siue tres substantiæ. Videretur ergo,
immò incunctanter asseritur. Quia verò nihil est
id quod dicitur Deus: & huic soli summæ essen-
tiæ propriè nomen Dei assignatur. Quippe omnis
qui Deum esse dicit, siue vnum, siue plures: non
intelligit nisi aliquam substantiam, quam censet
supra omnem naturam, quæ Deus non est, ab ho-
minibus, & venerandam propter eius eminentem
dignitatem, & exorandam sibi propter quamli-
bet imminentem necessitatem.

*Quòd ipsa dominetur omnibus, & regat omnia, &
sit solus Deus. Cap. LXXVII.*

Quid autem tam pro sua dignitate veneran-
dum, & pro qualibet re deprecandū, quàm
summè bonus, & summè potens Spiritus, qui do-
minatur omnibus, & regit omnia? Sicut enim
constat, quia omnia per summè bonam summèq;
sapientem omnipotentiam eius facta sunt & vi-
gent: ita nimis & inconueniens est, si æstimetur,
quòd rebus à se factis ipse non dominetur: siue
quòd factæ ab illo, ab alio minus potente, minus-
ue bono, vel sapiente: aut nulla penitus ratione,
sed sola casuum inordinata volubilitate regantur:
cùm ille solus sit, per quem cuiuslibet, & sine quo
nulli bene est: & ex quo, & per quem, & in quo sunt
omnia. Cùm igitur solus sit ipse non solum bo-
nus Creator, sed & potentissimus Dominus, &
sapientissimus rector omnium: liquidissimum
est, hunc solum esse, quem omnis alia natura se-
cundum totum suum posse, debet diligendo ve-
nerari, & venerando diligere: de quo solo pro-
pera sunt speranda, ad quem solum in aduersis
fugiendum, cui soli pro quauis re supplicandum.
Verè igitur hic est non solum Deus, sed solus
Deus, ineffabiliter trinus, & vnus.

*Beati Anselmi liber, qui Monologion præscri-
bitur, explicit.*

INCIPIT PROOEMIUM IN
Prologion librum Anselmi Abbatis
Beccensis, & Archiepiscopi
Cantuariensis.

Postquam opusculum quoddam velut exemplū me-
ditandi de ratione fidei, cogentibus me precibus
quorūdam fratrum in persona alicuius tacitè secum ra-
tionando quæ nesciat inuestigādis edidi, considerans il-
lud esse multorum concathenatione contextum argu-
mentorū, cœpi mecum querere: si fortè posset inueni-
ri vnum argumentum, quod nullo alio ad se probādum,
quàm se solo indigeret: & solum ad astruendum, quia
Deus verè est, & quia est summum bonum nullo alio in-
digens, & quo omnia indigent, vt sint & bene sint, &
quæ-

A quaecumque credimus de diuina substantia sufficeret. Ad quod cum sepe studiosè, cogitationes conuerterem, atque aliquando mihi videretur iam capi posse quod querebam, aliquando mentis aciem omnino fugeret: tandem desperans, volui cessare, velut ab inquisitione rei, quam inueniri esset impossibile. Sed cum illam cogitationem, ne mentem meam frustra occupando, ab alijs, in quibus proficere possent impediret, penitus à me vellem excludere: tunc magis ac magis volenti à defendenti se cœpit cum importunitate quadam ingerere. Quadam igitur die cum vehementer eius importunitati resistendo fatigarer, in ipso cogitationum conflictu sic se obtulit quod desperaueram: vt studiosè cogitationem amplecterer, quam sollicitus repellebam. Aestimans igitur quod me gaudebam inuenisse, si scriptum esset, alicui legenti placiturum. De hoc ipso & quibusdam alijs, sub persona conantis erigere mentem suam ad contemplandum Deum, & querenti intelligere quod credit subditum scripsi opusculum. Et quoniam nec istud, nec illud, cuius supra memini, dignum libri nomine, aut cui auctoris præponeretur nomen iudicabam: nec tamen sine aliquo titulo, quo aliquem, in cuius manus venirent, quodammodo ad se legendum inuitarent, dimittenda putabam, vnicuique dedi titulum: vt prius, exemplum meditandi de ratione fidei: & sequens, fides quærens intellectum, diceretur. Sed cum iam à pluribus & his titulis vtrunque transumptum esset, cœgerunt me plures, & maxime Reuerendus Archiepiscopus Lugdunensis Hugo nomine fungens in Gallia legatione Apostolica, præcepit autoritate, vt nomen meum, illis præscriberem. Quod vt aptius fieret, illud quidem Monologium, id est, Soliloquium: istud verò Prologion, id est, Allocutionum nominavi.

Explicit Proœmium.

B **INCIPIIT PROSO-**
LOGION LIBER, REVEREN-
di Patris Anselmi Abbatis Beccensis, Ar-
chiepiscopi Cantuariensis, Ordinis
sancti Benedicti.

Excitatio mentis ad contemplandum Deum.

Caput I.

EIA nunc homuncio fuge patulum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis: Abiice nunc onerosas, & postpone laboriosas diuisiones tuas: Vaca aliquantulum Deo, & requiesce aliquantulum in eo: Intra in cubiculum mentis tuæ, exclude omnia præter Deum, & quæ in te iuuent, ad quærendum eum, & clauso ostio quære eum. Dic tunc, totum cor meum, dic nunc Deo: *Quæro vultum tuum, vultum tuum Domine requiro.* Eia nunc ergo, tu Domine Deus meus doce cor meum, vbi & quomodo te quærat, vbi & quomodo te inueniat. Domine si non es hic, vbi te quæram absentem? Si ergo vbique es, cur non video te presentem. Sed certè habitas lucem inaccessibilem. Et vbi est lux inaccessibilis, aut quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? Aut quis me ducet, aut inducet in illam, vt videam te in illa? Deinde quibus lignis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi Domine Deus meus, non noui faciem tuam. Quid faciet altissime Domine, quid iste tuus longinquus exul? Quid faciet seruus tuus anxius amore tui, & longe proiectus à facie tua? Anhelat videre te, & nimis abest illi facies tua. Accedere ad te desiderat, & inaccessibilis est habitatio tua. Inuenire te cupit, & nescit locum tuum.

Dominus meus es, & Deus meus, & nunquam te vidi. Tu me fecisti, & refecisti, & omnia mea bona tui mihi contulisti, & nondum noui te. Denique ad te videndum factus sum, & nondum feci propter quod factus sum. O misera fors hominis, cum hoc perdidit ad quod factus est. O durus, & durus casus ille. Heu quid perdidit, & quid inuenit? quid abcessit, & quid remansit? Perdidit beatitudinem, ad quam factus est: & inuenit miseriam, propter quam factus non est: abcessit, sine quo infelix est: & remansit, quod per se non nisi miserum est. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit, manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat. heu publicus luctus hominum, vniuersalis planctus filiorum Adæ. Ille ructabat saturitate, nos suspiramus esurie. Ille abundabat, nos mendicamus. Ille feliciter tenebat, & misere deseruit: nos infeliciter egemus, & miserabiliter desideramus. & heu, vacui remanemus. Cur non nobis custodiuit, cum facile posset, quo tam grauitate caremus? Quare sic nobis obserauit lucem, & obduxit nos tenebris. Vt quid abstulit nobis vitam, & infligit mortem? A erumnosi vnde sumus expulsi, quò sumus impulsus? Vnde præcipitati? quo obruti? A patria in exilium: à visione Dei in cæcitatem nostram: à iocunditate immortalitatis in amaritudinem & horrorem mortis. Misera mutatio de quanto bono in quantum malum. Graue damnum, grauis dolor, graue totum. Sed heu me miserum, vnum, de alijs miseris filijs Eua, elongatis à Deo: quid incepi? quid effeci? quò tendebam? quò deueni? Ad quid aspirabam, in quibus suspiro? Quasi bona, & ecce turbatio? Tendebam in Deum, & offendi in meipsum. Requiem querebam in secreto meo, tribulationem & dolorem inueni in intimis meis. Volebam ridere à gaudio mentis meæ, & cogor rugire à gemitu cordis mei. Sperabatur lætitia, & ecce vnde densentur suspiria. Et tu Domine vsquequo? vsquequo Domine obliuisceris nos, vsquequo auertis faciem tuam à nobis? Quando respicies, & exaudies nos? quando illuminabis oculos nostros, & ostendes nobis faciem tuam? Quando restitues te nobis? Respice Domine, exaudi, illumina nos, ostende nobis te ipsum. Restitue te nobis, vt bene sit nobis: sine quo tam male est nobis. Miserere, labores & conatus nostros ad te, qui nihil valemus finire. Inuita nos, adiuua nos. Obsecro Domine, ne desperem suspirando: sed respirem sperando. Obsecro Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione: indulcora illud tua consolatione. Obsecro Domine, esuriens incepi quærere te, ne desinam ieiunus de te: famelicus accessi, ne recedam impastus. Pauper veni ad diuitem: miser ad misericordem, ne redeam vacuus & contemptus. Et si ante quam comedam suspiro, da vel post suspiria, quod comedam. Domine, incuruatus non possum nisi deorsum aspicere, erige me vt possim sursum intendere. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, obuoluunt me: & sicut onus graue grauant me.* Euolue me, exonera me: ne virgeat puteus earum os suum super me, licet mihi suscipere lucem tuam, vel de longe, vel de profundo. *Doce me* quærere te, & ostende te querenti: quia nec quærere te possum, nisi tu doceas: nec inuenire, nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem quærendo, inueniam amando, amem inueniendo. Fateor Domine, & gratias ago, quia creasti in me hanc imaginem tuam, vt tui memor, te cogitem, te amem. Sed

hic est

A sic est abolita attritione vitiorum, sic est obfusata fumo peccatorum, ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu renoues & reformes eam. Non tento Domine penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum: sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quia credit & amat cor meum. Neque enim quero intelligere, ut credam: sed credo, ut intelligam. Nam & hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam.

Quod verè sit Deus. Cap. II.

ERGO Domine, qui das fidei intellectum, da mihi, ut quantum scis expedire intelligam: quia es, sicut credimus: & hoc es, quod credimus. Et quidem credimus: te esse aliquid, quo nihil maius cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura: quia dixit insipiens in corde suo non est Deus. Sed certe idem ipse insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico, aliquid quo maius nihil cogitari potest, intelligit, quod audit, & quod intelligit, in intellectu eius est, etiam si non intelligat illud esse. Aliud est enim rem esse in intellectu, aliud intelligere rem esse. Nam cum pictor præcogitat quæ facturus est, habet quidem in intellectu: sed nondum esse intelligit, quod nondum fecit. Cum verò iam pinxit, & habet in intellectu, & intelligit esse quod iam fecit. Conuincitur ergo insipiens esse vel intellectu aliquid, quo nihil maius cogitari potest: quia hoc cum audit, intelligit: & quicquid intelligitur, in intellectu est. Et certe id, quo maius cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse, & in re quod maius est. Si ergo id, quo maius cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum quo maius cogitari non potest, est quo maius cogitari potest, sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo maius cogitari non valet, & in intellectu, & in re.

Quod non possit cogitari non esse. Cap. III.

QUOD utique sic verè est, ut nec cogitare possit non esse. Nam potest cogitari esse aliquid, quod non possit cogitari non esse, quod maius est quam quod non esse cogitari potest. Quare si id, quod maius nequit cogitari, potest cogitari non esse: id ipsum quo maius cogitari nequit, non est id quo maius cogitari nequit, quod conuenire non potest. Sic ergo verè est aliquid, quo maius cogitari non potest, ut nec cogitari possit non esse. Et hoc est tu Domine Deus noster. Si ergo verè es Domine Deus meus, ut nec cogitari possis non esse: Et meritò. Si enim aliqua mens posset cogitare aliquid melius te, ascenderet creatura super Creatorem: & iudicaret de Creatore, quod valde est absurdum. Et quidem quicquid est aliud præter solum te, potest cogitari non esse. Solus igitur verissime omnium, & ideo maxime omnium habes esse, quia quicquid aliud est, non sic verè est, & idcirco minus habet esse. Cur itaque dixit insipiens in corde suo non est Deus? cum causa in promptu sit rationali menti, te maxime omnium esse? Cur, nisi quia stultus & insipiens?

Quomodo insipiens dixit in corde suo, quod cogitari non potest. Cap. IV.

VERUM quomodo dixit insipiens in corde suo quod cogitare non potuit: aut quomodo cogitare non potuit, quod dixit in corde? cum idem sit dicere in corde, & cogitare? Quod si verè, imò quia verè, & cogitauit: quia dixit in corde, & non dixit in corde, quia cogitare non potuit, non

uno tantum modo, dicitur aliquid in corde vel cogitatur. Aliter enim cogitatur res, cum vox eam significans cogitatur: aliter cum id ipsum, quod res est, intelligitur. Illo itaque modo, potest cogitari Deus non esse: isto verò, minime. Nullus quippe intelligens id quod Deus est, potest cogitare: quia Deus non est. licet hæc verba dicat in corde, aut sine vlla, aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim, est id, quod maius cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse: ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare. Gratias tibi bone Domine, gratias tibi: quia quod prius credidi te donante, iam sic intelligo te illuminante: ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere.

Quod Deus sit quicquid melius est esse quam non esse, & solus existens per se, omnia alia facit de nihilo. Cap. V.

QUIGITUR es Domine Deus, quo nihil maius valet cogitari. Sed quis es, nisi quod summum omnium solum existens per seipsum, omnia alia fecit de nihilo. Quicquid enim hoc non est, minus est quam cogitari possit: Sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod est omne bonum? Tu es itaque iustus, verax, beatus, & quicquid melius est esse quam non esse, melius nanque est esse iustum, quam non iustum: beatum, quam non beatum.

Quomodo sit sensibilis, cum non sit corpus.

Caput VI.

VERUM cum melius sit esse sensibilem omnipotentem, misericordem, impassibilem, quam non es: quomodo esse sensibilis, si non es corpus? aut omnipotens, si omnia non potes? aut misericors simul & impassibilis? Nā si sola corporea sunt sensibilia: quoniam sensus circa corpus, & in corpore sunt: quomodo est sensibilis, cum non sis corpus, sed summus Spiritus, qui corpore melior est: sed si sentire non est nisi cognoscere, aut non nisi ad cognoscendum: qui enim sentit, cognoscit secundum sensuum proprietatem: ut per visum colores, per gustum sapes: Non inconuenienter dicitur aliquo modo sentire, quicquid aliquo modo cognoscit. Ergo Domine quāuis non sis corpus, verè tamen eo modo summe sensibilis es, quo summe omnia cognoscis: non quo animal corporeo sensu cognoscit.

Quomodo sit omnipotens, cum multa non possit.

Caput VII.

SED & omnipotens quomodo est, si omnia non potes? Aut si non potes corrumpi, nec mentiri, nec facere verum esse falsum: ut quod factum est, non esse factum, & plura similiter: quomodo potes omnia? An hæc posse, non est potentia, sed impotentia? Nam qui hæc potest, quod sibi non expedit: & quod non debet, potest: quæ quanto magis potest, tanto magis aduersitas & peruersitas possunt in illum, & ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest, non potentia potest, sed impotentia. Non enim dicitur posse, quia ipse possit. Sed quia sua impotentia facit aliud in se posse, sine aliquo alio genere loquendi, sicut multa improprie dicuntur, ut cum ponimus esse, pro non esse: & facere, pro eo quod est non facere, aut pro nihilo facere. Nam sæpe dicimus ei, qui rem aliquam esse negat: sic est, quemadmodum dicis esse, cum magis proprie videatur dici: sic non est, quemadmo-

A admodum dicit non esse. Item, dicimus iste sedet sicut ille facit, aut iste quiescit sicut ille facit: cum sedere sit quiddam non facere, & quiescere sit nihil facere. Sic itaque cum quis dicitur habere potentiam faciendi aut patiendi quod sibi non expedit, aut quod non debet, impotentia intelligitur per potentiam: quia quo plus habet hanc potentiam, eo aduersitas & peruersitas in illum sunt potentiores, & ille contra eas impotentior. Ergo Domine Deus, inde verius es omnipotens, quia potes nihil per impotentiam, & nihil potes contra te.

Quomodo sit misericors, & impassibilis.

Caput VIII.

Sed & misericors simul & impassibilis quomodo es? Nam si es impassibilis, non compateris: si non compateris, non est tibi misericors ex compassione miseri, quod est esse misericordem. At si non es misericors, unde miseris est tanta consolatio? Quomodo ergo es, & non es misericors Domine, nisi quia es misericors secundum nos, & non es secundum te. Es quippe secundum sensum nostrum, & non es secundum tuum. Etenim cum tu respicis nos miseros, nos sentimus misericordis effectum: tu non sentis affectum, & misericors es: igitur quia miseros saluas, & peccatoribus tuis parcis, & misericors non es, quia nulla miserie compassione afficeris.

Quomodo totus iustus & summe iustus parcat malis, & quod iuste misereatur malis.

Caput IX.

Verum malis quomodo parcis, si es totus iustus & summe iustus? Quomodo enim totus & summe iustus facis aliquod non iustum? Aut quæ iustitia est merenti mortem aeternam, dare vitam sempiternam? Unde ergo bone Deus, bone bonis & malis? unde tibi saluare malos, si hoc non est iustum, & tu non facis aliquod non iustum? An quia bonitas tua est incomprehensibilis, latet hoc in luce inaccessibili, quam inhabitas? Verè in altissimo & secretissimo bonitatis tuæ latet fons, unde manat fluuius misericordiae tuæ. Nam cum totus & summe iustus sis: tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus summe bonus es. Minus nanque bonus esses, si nulli malo esses benignus. Melior enim est, qui & bonis & malis bonus est, quam qui bonis tantum est bonus. Et melior est, qui malis & puniendo & parcendo est bonus, quam qui puniendo tantum. Ideo ergo misericors es, quia totus & summe bonus es. Et cum forsitan videatur, cur bonis bona, & malis mala retribuas. Illud certe penitus est mirandum, cur tu totus & summe iustus, & nullo egens, malis & reis tuis bona retribuas. O altitudo bonitatis tuæ Deus, & videtur unde sis misericors, & non peruidetur. Cernitur unde flumen manat, & non perspicitur fons unde nascitur. Nam & de plenitudine bonitatis est: quia peccatoribus tuis pius es, & in altitudine bonitatis latet, qua ratione hoc es. Etenim licet bonis bona, & malis mala, ex bonitate retribuas: ratio tamen iustitiæ hoc postulare videtur. Cum verò malis bona tribuis, & scitur quia summe bonus hoc facere voluit, & mirum est cur summe iustus hoc velle potuit. O misericordia Dei, de qua opulenta dulcedine & dulci opulencia nobis profluit. O immensitas bonitatis Dei, quo affectu amanda est peccatoribus. Iustos enim saluas iustitia comitante, istos verè liberas iustitia damnante.

D. ANSELMI TOMVS III.

C Illos meritis adiuuantibus, istos meritis repugnantibus. Illos bona quæ dedisti cognoscendo, istis mala quæ odisti ignoscendo. O immensa bonitas, quæ sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulencia tua procedit. Influat in me quæ profluit de te. Parce per clementiam, ne ulciscaris per iustitiam. Nam etsi difficile sit intelligere, quomodo misericordia tua non absit a tua iustitia: necessarium tamen est credere: quia nequaquam aduersatur iustitiæ, quod exundat ex bonitate, quæ nulla est sine iustitia: imò verè concordat iustitiæ. Nempe si misericors es, quia es summe bonus, & summe bonus non es, nisi quia es summe iustus: verè idcirco es misericors, quia summe iustus es. Adiuua me iuste & summe & misericors Deus, cuius licem quærò, adiuua me vt intelligam quod dico. Verè ergo ideo misericors es, quia iustus. Ergone misericordia tua nascitur ex iustitia tua? Ergone parcis malis ex iustitia? Si sic est Domine, si sic est, doce me quomodo est? An quia iustum est te sic esse bonum, vt nequeas intelligi melior, & sic potenter operari, vt non possis cogitari potentius? Quid enim hoc iustus? Hoc vtiq; non fieret, si esses bonus tantum retribuendo, & non parcendo: & si faceres de non bonis tantum bonos, & non etiam de malis. Hoc itaque modo iustum est, vt parcas malis, & vt facias bonos de malis. Denique, quod non iuste fit, non debet fieri; & quod non debet fieri, iniuste fit. Si ergo non iuste malis misereris, non debes misereri. Et si non debes misereri, iniuste misereris. Quod si nefas est dicere, fas est credere, te iuste misereri malis.

Quomodo iuste puniat, & iuste parcat malis.

Caput X.

Sed & iustum est vt malos punias, quid nanque iniustus, quam vt boni bona, & mali mala recipiant? Quomodo ergo & iustum est, vt malos punias: & iustum est, vt malis parcas? An alio modo iuste punis malos, & alio modo iuste parcis malis? Cum enim punis malos, iustum est: quia illorum meritis conuenit, cum verò parcis malis, iustum est: non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ condécens est. Nam parcendo malis ita iustus es secundum te, & non secundum nos: sicut misericors es secundum nos, & non secundum te, quoniam saluando nos, quos iuste perderes, sicut misericors es, non quia tu sentias affectu, sed quia nos sentimus effectum: ita iustus es, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod decet te summe bonum. Sic itaque sine repugnantia iuste punis, & iuste parcis.

Quomodo vniuersa via Domini misericordia, & veritas, & tamen iustus Dominus in omnibus vis suis. Cap. XI.

Sed nunquid etiam non est iustum secundum te Domine, vt malos punias? Iustum quippe est, te sic esse iustum, vt iustior nequeas cogitari. Quod nequaquam esses, si tantum bonis bona, & non malis mala redderes. Iustior enim est, qui & bonis & malis, quam qui bonis tantum merita retribuit. Iustum igitur est secundum te, iuste & benigne Deus, & cum punis, & cum parcis. Verè igitur, vniuersa via Domini misericordia, & veritas: & tamen iustus Dominus in omnibus vis suis. Et vtiq; sine repugnantia: quia quos vis punire, non est iustum saluari: & quibus vis parcere, non est iustum damnari. Nam id solum iustum est, quod

CC

vis:

A vis : & non iustum, quod non vis. Sic ergo nascitur de iustitia tua, misericordia tua: quia iustum est te sic esse bonum, ut & parcendo sis bonus: & hoc forsitan est, cur summe iustus potest velle bona malis. Sed si vtrunque capi potest, cur malos potes velle saluare, illud certe nulla ratione comprehendi potest, cur de similibus malis hos magis salues, quam illos per summam bonitatem; & illos magis damnes, quam istos per summam iustitiam. Sic ergo verè es sensibilis, omnipotens, misericors, & impassibilis: quemadmodum viuens, sapiens, bonus, beatus, æternus: & quicquid melius est esse, quam non esse.

Quòd Deus sit ipsa vita qua viuit, & sic de similibus.

Caput XII.

SED certè quicquid es, non per aliud es, quam sper te ipsum. Tu es igitur ipsa vita, qua viuis: & sapientia, qua sapis: & bonitas ipsa, qua bonis & malis, bonus es: & ita de similibus.

Quomodo solus sit incircumscriptus & æternus, cum alij spiritus sint incircumscripti, & æterni.

Caput XIII.

SED omne quod clauditur aliquatenus loco aut tempore minus est, quam quod nulla lex loci aut temporis coercet, Quoniam ergo maius te nihil est, nullus locus aut tempus te cohibet: sed vbiq; & semper es, quod quia de te solo dici potest, tu solus incircumscriptus es, & æternus. Quomodo igitur dicuntur & alij spiritus incircumscripti & æterni? Et quidem solus es æternus: quia solus omnium sicut non desinis, sic non incipis esse. Sed solus quomodo es circumscriptus? An creatus spiritus ad te collatus sit circumscriptus, ad corpus verò incircumscriptus. Nempe omnino circumscriptum est, quod cum alicubi totum est, non potest simul esse alibi, quod de solis corporeis cernitur. Incircumscriptum verò, quod simul est vbiq; totum, quod de te solo intelligitur. Circumscriptum autem simul & incircumscriptum est, quod cum alicubi sit totum, potest simul esse totum alibi, non tamen vbiq;, quod de creatis spiritibus cognoscitur. Si enim non esset anima tota in singulis membris sui corporis, non sentiret tota in singulis. Tu ergo Domine singulariter es incircumscriptus & æternus: & tamen & alij spiritus sunt incircumscripti & æterni.

Quomodo, & cur videtur, & non videtur Deus à quærentibus eum. Cap. XIV.

AN inuenisti animam meam, quod quærebas? Quærebas Deum, & inuenisti eum esse quiddam summum omnium, quo nihil melius cogitari potest, & hoc esse vitam ipsam, lucem, sapientiam, bonitatem, æternam beatitudinem, & beatam æternitatem, & hoc esse vbiq;, & semper. Nam si non inuenisti Deum tuum, quomodo est ille hoc quod inuenisti: & quod illum tam certa veritate & vera certitudine intellexisti? Si verò inuenisti, quid est quod non sentis quod inuenisti? Cur non te sentit Domine Deus anima mea, si inuenit te? An non inuenit esse lucem & veritatem? Quomodo nanque intellexit hoc, nisi videndo lucem & veritatem? aut potuit omnino aliquid intelligere de te, nisi per lucem tuam & veritatem tuam? si ergo vidit lucem & veritatem, vidit te: si non vidit te non vidit lucem nec veritatem. An & veritas & lux est quod vidit, & tamen nondum te vidit: quia vidit te aliquatenus, & non vidit te sicuti es. Domine Deus meus, for-

mator & reformator meus, dic desideranti animæ meæ, quid aliud es quam quod vidit, ut purè videat quod desiderat. Intendit se ut plus videat, & nihil videt ultra hoc quod vidit, nisi tenebras. Imò non vidit tenebras, quæ nullæ sunt in te: sed videt se non plus posse videre propter tenebras suas. Cur hoc Domine, cur hoc? Tenebratur oculus eius in infirmitate sua, aut reuerberatur fulgore tuo. Sed certè, & tenebratur in se, & reuerberatur à te. Vtique & obscuratur sua breuitate, & obruitur tua immensitate. Verè & contrahitur angustia sua, & vincitur amplitudine tua. Quanta nanque est lux illa, de qua micat omne verum, quod rationali mente lucet? Quam ampla est illa veritas, in qua etiam est omne quod verum est, & extra quæ non nisi nihil & falsum est? Quam immensa est, quæ vno intuitu videt quæcunque facta sunt, & à quo, & per quem, & quomodo de nihilo facta sunt. Quid puritatis, quid simplicitatis, quid certitudinis, & splendoris ibi est? Certè, plus quam à creatura valeat intelligi.

Quòd maior sit, quam cogitari possit.

Caput XV.

ERGO Domine, non solam es quo maius cogitari nequit: sed es quiddam maius quam cogitari possit. Quoniam nanque valet cogitari esse aliquid huiusmodi: si tu non es hoc ipsum potest cogitari aliquid maius te, quod fieri nequit.

Quòd hæc sit lux inaccessibilis, quam inhabitat.

Caput XVI.

VERè Domine, hæc est lux inaccessibilis, in qua habitas, verè enim non est aliud, quod hanc penetret, ut ibi te peruideat. Verè ideo hanc non video, quia nimia mihi est: & tamen quicquid video, per illam video: sicut infirmus oculus, quod videt, per lucem solis videt: quam in ipso sole nequit aspicere. Non potest intellectus meus ad illam, nimis fulget, non capio illam, nec suffert oculus animæ meæ diu intendere in illam. Reuerberatur fulgore, vincitur amplitudine, obruitur immensitate, confunditur capacitate. O summa & inaccessibilis lux. O tota & beata veritas, quam longe es à me, qui tam propè tibi sum? Quam remota es à conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo? Vbiq; tota præsens, & non te video. In te moueor, & in te sum, & ad te non possum accedere. Intra me, & circa me es, & non te sentio.

Quòd in Deo sit harmonia, odor, sapor, lenitas, pulchritudo suo ineffabili modo.

Caput XVII.

ADhuc lates Domine animam meam in luce & beatitudine tua: & idcirco versatur illa adhuc in tenebris & miseria sua. Circumspicit enim, & non videt pulchritudinem tuam. Auscultat, & non audit harmoniam tuam. Olfacit, & non percipit odorem tuum. Gustat, & non cognoscit saporem tuum. Palpat, & non sentit lenitatem tuam. Habes enim hæc Domine Deus in te tuo ineffabili modo, qui ea dedisti rebus à te creatis suo sensibili modo: sed obriguerunt, sed obstupuerunt, sed obstructi sunt sensus animæ meæ: vultu languore peccati.

Quòd in Deo nec in æternitate eius, quæ ipse est, nulla sint partes. Cap. XVIII.

ET iterum ecce turbatio, ecce iterum obtrahit moeror, & luctus quærenti gaudium & lætitiarum.

A titiam. Sperabat iam anima mea fatietatem, & ecce iterum obruitur egestate. Affectabam iam comedere, & ecce magis esurio. Conabar assurgere ad lucem Dei, & recidi in tenebras meas. Imò non modò cecidi in eas, sed sentio me inuolutum in eis. Ante cecidi, quàm conciperet me mater mea. Certè in illis *conceptus sum*, & cum earum obuolutione natus sum. Olim certè in illo omnes cecidimus, in quo omnes peccauimus. In illo omnes perdidimus, qui facile tenebat, & malè sibi & nobis perdidit, quod cum volumus quærere, nescimus: cum quærimus, non inuenimus: cum inuenimus, non est quod quærimus. Adiuua me tu propter bonitatem tuam Domine. *Quæsiui vultum tuum, vultum tuum requiram, ne auertas faciem tuam à me.* Reueta de me ad te. Munda, sana, acue, illumina oculum mentis meæ, vt intueatur te. Recolligat vires suas anima mea, & toto intellectu iterum intendat in te Domine. *Quid es Domine, quid es, quid te intelliget, cor meum? Certè, vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es, & omne verum bonum es.* Multa sunt hæc, non potest angustus intellectus meus totus vno simul intuitu videre, vt omnibus simul delectetur. *Quomodo ergo Domine es omnia hæc? An sunt partes tui, aut potius vnumquodque horum totum est quod es? Nam quicquid est partibus iunctum, non est omnino vnum, sed quodammodo plura, & diuersum à seipso, & vel actu, vel intellectu dissolui potest, quæ aliena sunt à te, quo nihil melius cogitari potest.* Nullæ igitur partes in te sunt Domine, nec es plura, sed sic es vnum quoddam, & idem tibi ipsi, vt in nullo tibi ipsi sis dissimilis: imò tu es ipsa vnitas, nullo intellectu diuisibilis. Ergo vita, & sapientia, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt vnum: & vnumquodque horum est totum quod es, & quod sunt reliqua omnia. *Quomodo nec tu habes partes, nec tuæ æternitas quæ tu es, nusquam, & nunquam est pars tua aut æternitatis tuæ: sed vbique totus es, & æternitas tua tota est semper.*

Quòd non sit in loco aut tempore, sed omnia sint in illo.

Caput XIX.

Sed si per æternitatem tuam fuisti, & es, & eris, & fuisse, non est futurum esse: & esse, non est fuisse vel futurum esse: quomodo æternitas tua tota est semper? An de æternitate tua nihil præterit, vt iam non sit, nec aliquid futurum est, quasi nondum sit? Non ergo fuisti heri, aut eris cras. Sed heri, & hodie, & cras es: imò non heri, nec hodie, nec cras: sed simpliciter es extra omne tempus. Nam nihil aliud est heri, & hodie, & cras, quàm in tempore: tu autem licet nihil sit sine te, non es tamen in loco aut tempore: sed omnia sunt in te, nihil enim te continet, sed tu continens omnia.

Quòd sit ante & vltra omnia etiam æterna.

Caput XX.

Tv ergo imple & complecteris omnia, tu es ante & vltra omnia. Et quidem ante omnia es, quia antequam fierent, tu es. Vltra omnia verò, quomodo es? Qualiter enim es vltra ea quæ finem non habebunt? An quia illa sine te nullatenus esse possunt? Tu autem nullo modo minus es, etiam si illa redeant in nihilum? Si enim quodammodo es vltra illa, An etiam, quia illa cogitari possunt habere finem, tu verò nequaquam? Nam sic illa quidem habent finem quodammodo, tu verò nullo

D. ANSELMI TOMVS III.

modo. Et certè quod nullo modo habet finem, vltra illud est, quod aliquo modo finitur. An hoc quoque modo transis omnia etiam æterna: quia tua & illorum æternitas tota tibi præsens est, cum illa nondum habeant de sua æternitate quod venturum est: sicut iam non habent, quod præteritum est. Sic quippe semper es vltra illa, cum semper ibi sis præsens, seu cum illud semper sit tibi præsens, ad quod illa nondum perueniunt.

An hoc sit seculum seculi, siue secula seculorum.

Caput XXI.

A N ergo hoc est seculum seculi, siue secula seculorum? Sicut enim seculum temporum continet omnia temporalia: sic tua æternitas continet etiam ipsa secula temporum. Quod seculum quidem est, propter indiuisibilem vnitatem: secula verò, propter interminabilem immensitatem. Et quamuis ita sis magnus Domine, vt omnia sint te plena, & sint in te: sic tamen es sine omni spacio, vt nec mediū, nec dimidium, nec vlla pars sit in te.

Quòd solus sit quod est, & qui est.

Caput XXII.

Tv solus ergo Domine es quod es, & tu es qui es? Nam quod aliud est in toto, & aliud in partibus, & in quo aliquid est mutabile: nõ omnino est quod est. Et quod incepit à non esse, & potest cogitari non esse, & nisi per aliud subsistat, redit in non esse: & quod habet fuisse, quod iam non est, & futurum esse, quod nondum est, id non est proprie & absolute. Tu verò es, quod es: quia quicquid aliquando, aut aliquo modo es, hoc totus & semper es. Et tu es qui proprie & simpliciter es: quia nec habes fuisse, aut futurum esse: sed tantum præsens esse, nec potest cogitari aliquando non esse. Sed vita es, & lux, & sapientia, & beatitudo, & æternitas, & multa huiusmodi bona: & tamen non es nisi vnum & summum bonum, tu tibi omnino sufficiens, & nullo indigens, quo omnia indigent, vt sint, & vt bene sint.

Quòd hoc bonum sit pariter Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & hoc sit vnum necessarium, quod est omne, & totum, & solum bonum.

Caput XXIII.

Hoc bonum es tu Deus Pater, hoc est Verbum tuum, id est, Filius tuus. Etenim non potest aliud, quàm quod es, aut aliquid maius vel minus te esse in Verbo, quo te ipsum dicis, quoniam Verbum tuum sic est verum, quomodo tu verax. Et idcirco est ipsa veritas, sicut tu non alia, quàm tu, & sic es tu simplex, vt de te non possit nasci aliud, quàm quod tu es. Hoc ipsum est amor vnus, & communis tibi & Filio tuo est, sanctus Spiritus ab vtroque procedens. Nam idem amor non est impar tibi aut Filio tuo: quia tantum amas te & illum, & ille te & seipsum: quantum es tu, & ille: nec est aliud à te & ab illo, quod dispar non est tibi, & illi: nec de summa simplicitate potest procedere aliud, quàm quod est, de quo procedit. Quod autem est singulus quisque, hoc est, tota Trinitas, simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quoniam singulus quisque non est aliud, quàm summe simplex vnitas, & summe vna simplicitas: quæ nec multiplicari, nec alitè & aliud esse potest. Porro *vnum est necessarium.* Porro hoc est illud *vnum necessarium*, in quo omne bonum, imò quod est omne, & vnum totum, & solum bonum.

CC 2

Conie-

A *Coniectatio quale & quantum sit hoc bonum.*

Caput XXIV.

EXcira nunc anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita quantum potes, quale & quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intentè quam delectabile sit illud bonum, quod continet iocunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt Creator à creatura. Si enim bona est vita creata, quàm bona est vita creatrix? Si iocunda est salus facta, quàm iocunda est salus quæ facit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quàm amabilis est sapientia, quæ omnia condidit ex nihilo? Denique si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta delectatio est in illo, qui fecit ipsa delectabilia.

Qua & quanta bona sint fruentibus eo.

Caput XXV.

QVI hoc bono fructur, quid illi erit: & quid illi non erit? Certè, quicquid volet, erit: & quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitavit*. Cur ergo per multa vagaris homuncio, querendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. *Quid enim amas caro mea, quid desideras anima mea? Ibi est, ibi est, quicquid amatis, quicquid desideratis*. Si delectat pulchritudo, *fulgebunt iusti sicut sol*. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obistere possit, *erunt similes Angelis Dei, quia seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale, potestate utique non natura*. Si longa & salubris vita, ibi sana est æternitas, & æterna sanitas: quia *iusti in perpetuum viuunt, & salus iustorum à Domino*. Si satietas: *satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei*. Si ebrietas: *inebriabuntur ab ubertate domus Dei*. Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si qualibet non immunda, sed munda voluptas? *torrente voluptatis tuæ potabis eos Deus*. Si sapientia: ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia: diligunt Deum, plus quàm seipsos, & inuicem, tanquam seipsos; & Deus illos, plusquam illi seipsos: quia illi illum, & se, & inuicem per illum: & ille se, & illos per seipsum. Si concordia, omnibus illis erit vna voluntas: quia nulla illis erit nisi sola Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis vt Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum: ita poterunt illi quod volent per illum, quia sicut illi non aliud volent, quàm quod ille: ita ille volet quicquid illi volent, & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles *supra multa* constituet, immò *filij Dei, & dij vocabuntur, & vbi erit Filius eius, ibi erunt & illi, & hæredes quidem Dei, hæredes autem Christi*. Si vera securitas, certè ita certi erunt nunquam, & nullatenus ista vel potius istud bonum sibi defuturum: sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis inuitos ablaturum, nec aliquid Deo potentius inuitos Deum & illos separaturum. Gaudium verò quale aut quantum est, vbi tale aut tantum bo-

Isaie 54.
1. Cor. 2.

B
Matth. 13.

1. Cor. 15.

Sapient. 5.
Psal. 36.
Psal. 16.

Psal. 35.
Ibidem.

Luca 13.
Rom. 8.

num est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, immò obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certè si quis alius, quem omnino sicut teipsum diligeres, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum: quia non minus gauderes pro eo, quàm pro teipso. Si verò duo, vel tres, vel multo plures idipsum haberent, tantundem pro singulis, quantum pro teipso gauderes: si singulos sicut teipsum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum beatorum & hominum, vbi nullus minus diligit alium, quàm seipsum: non aliter gaudebit quisque pro singulis alijs, quàm pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto, suo bono vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Et utique quoniam quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono eius gaudet: sicut in illa perfecta felicitate vnusquisque plus amabit sine comparatione Deum quàm se, & omnes alios secum: ita plus gaudebit absque æstimatione de felicitate Dei, quàm de sua, & omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligunt *toto corde, tota mente, tota anima*, vt tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis: profectò sic gaudebunt *toto corde, tota mente, tota anima*: vt totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudij.

An hoc sit gaudium plenum, quod promittit Dominus.

Caput XXVI.

DEus meus, & Dominus meus, spes mea, & gaudium cordis mei: dic animæ meæ, si hoc est gaudium, de quo nobis dicis per Filium tuum: *Perite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum*. Inueni nanque gaudium quoddam plenum, & plusquam plenum. Pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine, gaudio illo, adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes: sed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Dic Domine, dic seruo tuo: intus in corde suo, si hoc est gaudium, in quod intrabunt serui tui: qui intrabunt in gaudium Domini sui. Sed gaudium illud certè, quo gaudebunt electi tui, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*. Nondum ergo dixi, aut cogitavi Domine, quantum gaudebunt illi beati tui. Vtique tantum gaudebunt, quantum amabunt: tantum amabunt, quantum cognoscent. Quantum te cognoscent Domine tunc, & quantum te amabunt? Certè *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit* in hac vita: quantum te cognoscent, amabunt in illa vita. Oro Deus cognoscam te, amem te, vt gaudeam de te. Et si non possum in hac vita ad plenum, vt proficiam in dies, vtque dum veniat illud ad plenum, proficiat hic in me notitia tua, & ibi fiat plena, crescat amor tuus, & ibi sit plenus: vt hic gaudium meum sit in spe maguum, & ibi sit in re plenum Domine, per Filium tuum iubes, imò consulis, petere: & promittis accipere, vt gaudium nostrum sit plenum. Peto Domine quod consulis, per admirabilem consiliarium nostrum accipiam, quod promittis, per veritatem tuam, vt gaudium meum plenum sit. Deus Verax peto accipiam, vt gaudium meum plenum sit. Meditetur interim mens mea, loquatur inde lingua mea. Amer illud cor meum, sermo-

Ioan. 16.

Isaie 64.
1. Cor. 2.

A sermocinetur os meum. Esuriat illud anima mea, sitiatur caro mea, desideret tota substantia mea: donec intrem in gaudium Domini, qui es trinus & vnus Deus, benedictus in secula. Amen.

Explicit Profologion liber Reuerendi patris Anselmi Abbatis Beccensis, & post Archiepiscopi Cantuariensis.

EIVSDEM BEATI
Anselmi Liber pro insipiente
incipit.

Dubitant, Vtrum sit: vel neganti, quod sit aliqua talis natura, quam nihil maius cogitari possit: tamen esse illam, huic dicitur primo probari: quod ipse negans vel ambigens de illa, iam habeat eam in intellectu, cum audiens illam dici, id quod dicitur intelligit: deinde, quia quod intelligit, necesse est, ut non in solo intellectu, sed etiam in re sit. Et hoc ita probatur: quia maius est esse in intellectu & in re, quam in solo intellectu. Et si illud in solo est intellectu, maius illo erit quicquid etiam fuerit in re ac si maius omnibus, minus erit aliquo, & non erit maius omnibus, quod utique repugnat. Et ideo necesse est, ut maius omnibus, quod est iam probatum, est in intellectu, & non in solo intellectu, sed in re sit: quoniam aliter maius omnibus esse non poterit. Responderi potest, quod hoc iam esse dicitur in intellectu meo, non ob aliud, nisi quia id quod dicitur intelligo. Nonne, & quaecunque falsa, ac nullo prorsus modo in seipsis existentia, in intellectu habere similiter dici possit, cum ea dicente aliquo, quaecunque ille diceret, ego intelligerem, nisi forte tale illud constat esse: ut non eo modo, quo etiam falsa quæque vel dubia haberi possint in cogitatione, & ideo non dico illud auditum cogitare vel in cogitatione habere, sed intelligere, & intelligitur habere, quia scilicet, licet non possim hoc aliter cogitare nisi intelligendo, id est, scientia comprehendendo, re ipsa illud existere: sed hoc non est. Primo quidem, non hoc erat aliud idemque tempore præcedens habere rem in intellectu, & aliud, idque tempore sequens intelligere rem esse: ut sit de pictura, quæ prius est in animo pictorum, deinde in opere. Deinde, vix vnquam poterit esse credibile, cum dictum & auditum fuerit illud non eo modo posse cogitari non esse, quo etiam potest non esse Deus. Nam si non potest: cur contra negantem aut dubitantem, quod sit aliqua talis natura, tota ista disputatio assumpta est? Postremo, quod tale sit illud, ut non possit nisi mox cogitatum in dubitabilis existentia suæ certo percipi intellectu, indubio aliquo probandum mihi est argumento: non autem isto, quod iam sit hoc in intellectu meo, cum auditum intelligo: in quo similiter esse posse quaecunque alia incerta vel etiam falsa ab aliquo, cuius verba intelligerentur dicta: adhuc puto & insuper magis, si illa deceptus, ut sæpe fit, credentur: quod istud nondum credo. Vnde nec illud exemplum de pictore, picturam, quam facturus est, iam in intellectu habente, satis potest huic argumento congruere. Illa enim pictura antequam fieret, in ipsa pictoris arte haberetur, & tale quippiam in arte artificis alicuius nihil est aliud, quam pars quædam intelligentiæ ipsius: quia (sicut sanctus

D: ANSELMI TOMVS III.

C Augustinus ait) cum faber arcam facturus in opere, prius habet illam in arte. Arca, quæ sit in opere, non est vita: arca, quæ est in arte, vita est: quia vivit anima artificis, in qua sunt ista omnia, antequam proferantur. Vt quid enim vivente anima, vita sunt ista? nisi, quia nihil sunt aliud quam scientia, vel intelligentia animæ ipsius? At verò quicquid extra illa, quæ ad ipsam mentis noscuntur pertinere naturam, aut auditum, aut excogitatum intellectu percipitur. Verum aliud est sine dubio verum illud aliud intellectus ipse, quo capitur: quocirca etiam si verum sit esse aliquid, quo maius quicquam nequeat cogitari, non tamen hoc auditum & intellectum, tale est: qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris. Huc accedit illud, quod prætaxatum est superius, quia scilicet illud omnibus, quæ cogitari possint maius, quod nihil aliud posse esse dicitur quam ipse Deus. Tam ergo secundum rem vel ex specie mihi vel ex genere notam cogitare auditum vel intellectum habere non possum, quam nec ipsum Deum, quem utique ob hoc ipsum etiam non esse cogitare possum. Neque enim aut rem ipsam novi, aut ex alia possum conijcere simili, quandoquidem & tu talem asseris illam, ut esse non possit simile quicquam. Nam si de homine aliquo mihi prorsus ignoto, quem etiam esse nescirem: dici tamen aliquid audirem per illam specialem generalium notitiam, qua quid sit homo vel homines novi: de illo quoque secundum rem ipsam, quæ est homo, cogitare possem: & tamen fieri posset, ut metiente illo qui diceret, ipse quem esse cogitarem, homo non esset, cum tamen ego de illo secundum veram nihilominus rem non qui esset ille homo, sed qui est homo quilibet cogitarem. Nec sic igitur, ut haberem falsum istud in cogitatione vel in intellectu, habere possum illud cum audio dici: Deus, aut aliud omnibus maius. Cum quando illud secundum rem veram, mihi que notam cogitare posse istud omnino nequeam, potest vltimum cogitari verum. Siquidem cum ita cogitatur: non tam ipsa vox, quæ res est utique vera, hoc est, literarum sonus vel syllabarum, quam vocis auditæ significatio cogitetur: sed non ita, ut ab illo, qui novit, quid ea soleat voce significari, a quo scilicet cogitatur secundum rem vel in sola cogitatione vera. Verum ut ab eo, qui illud non novit, & solummodo cogitat secundum animi motum illius auditu vocis effectum significationemque perceptæ vocis conantem effingere: sibi quod mirum est si vnquam rei veritate potuerit. Ita ergo nec prorsus aliter adhuc ab intellectu meo constat illud haberi, cum audio, intelligo que dicentem esse: aliquid maius omnibus quæ valeant cogitari: hoc de eo, quod summa illa natura iam esse dicitur in intellectu meo. Quod autem & in re necessario esse inde mihi probatur: quia ibi fuerit, quicquid est maius, in re illa erit: ac si per hoc, non erit illud maius omnibus: quod utique iam esse probatum est in intellectu. Ad hoc respondeo, sic esse dicendum. Est in intellectu, quod secundum veritatem cuiusque rei nequit saltem cogitari: & in hoc in meo sic esse non denego. Sed quia per hoc esse quoque in re non potest nullatenus obtinere: illud ei esse adhuc penitus non concedo, quousque mihi argumento probetur indubio, quod qui esse dicit: hoc quod maius omnibus, aliter non erit omnibus minus: non satis attendit cui loquatur. Ego enim nondum dico, immò etiam

CC 3 nego,

A nego, vel dubito, vlla re vera esse maius illud: nec aliud ei esse concedo, quam illud si dicendum est, esse cum secundum vocem tantum auditam rem prorsus ignotam sibi conatur animus effingere. Quando igitur inde mihi probatur, maius illud rei veritate subsistere, quia constet illud maius omnibus esse: cum id ego eousque negem, adhuc dubitemus constare: vt ne intellectu quidem vel cogitatione mea eos saltem modo maius ipsum esse dicam, quo dubia etiam multa sunt & incerta. Prius enim certum mihi necesse est, fiat re vera esse alicubi maius ipsum & tamen deinde ex eo, quod maius est omnibus, in seipso quoque subsistere non erit ambiguum. Exempli gratia: Aiunt quidam alicubi Oceani esse insulam, quam ex difficultate vel potius ex impossibilitate inueniendi, quod non est, cognominant, aliqui perditam: quamque fabulantur multo amplius, quam de fortunatis insulis fertur, diuitiarum, deliciarumque omnium inestimabili vbertate pollere, nulloque possessore aut habitatore: vniuersis alijs, quas incolunt homines, terris possidendorum redundantia vsquequaque prestare. Hoc ita esse dicat mihi quispiam: & ego facile dictum, in quo nihil est difficultatis, intelligam. Ac si tunc velit, consequenter adiungat, ac dicat: non potes vltra dubitare insulam illam omnibus terris prestantiorem vere esse alicubi in re, quam in intellectu tuo non ambigis esse: & quia prestantius est non in intellectu solo, sed etiam esse in re. Ideo sic eam necesse est esse, quia nisi fuerit, quicumque alia in re est terra prestantior: illa erit ac si ipsa iam a te prestantior, & intellecta prestantior non erit. Si, inquam, per hoc ille mihi velit astruere de insula illa, quod vere sit, ambigendum vltra non esse, aut iocari ipsum credam, aut nescio quem stultiorem debeam reputare. Vtrum me, si ei concedam: an illum, si se puter aliqua certitudine insulae illius essentiam astruxisse, nisi prius ipsam prestantiam eius solummodo, sicut rem vere atque indubie existentem: nec vllatenus sicut falsum aut incertum aliquid in intellectu, in eo esse docuerit. Hoc interim ad obiecta insipiens ille responderit, cui cum deinceps asseritur tale esse maius: illud, vt nec sola cogitatione valeat non esse: & hoc rursus non aliunde probatur, quam eo ipso, quod aliter non erit omnibus maius, idem ipsum possit respondere & dicere. Quando enim ego rei veritatem esse tale aliquid, hoc est, maius omnibus dixi: vt ex hoc mihi debeat probari in tantum etiam re ipsa, id esse, vt nec possit cogitari non esse. Quapropter certissimo primitus aliquo probandum est argumento: aliquam superiorem, hoc est, maiorem ac meliorem omnium, qua sunt, esse naturam: vt ex hac alia iam possimus omnia probare, quibus necess. est, ac quod maius melius est, illud omnibus non carere. Cum autem dicitur, quod summa res ista non esse nequeat cogitari melius fortasse diceretur, quod non esse, aut etiam posse non esse, non possit intelligi: nam secundum proprietatem verbi istius, falsa nequeunt intelligi: qua possunt vtiq. eo modo cogitari, quo Deum non esse, insipiens cogitauit, & me quoque esse certissime scio, sed & posse non esse nihilominus scio: summum vero illud, quod est scilicet, & Deus, & esse, & non esse non posse, indubitanter intelligo. Cogitare autem me non esse, quandiu esse certissime scio, nescio vtrum possim, sed si possum, cur & nunquid aliud eade certitudine scio. Si autem non possum, non erit

iam istud proprium Deo. Caetera libelli illius tam veraciter & tam praclare sunt magnificeque praestantia, tanta demique restricta vtilitate & pij ac sancti effectus, intimo quodam odore fragrantia, vt nullo modo propter illa, qua virtus recte quidem sensa, sed minus firmiter argumentata, sibi ista sint contemnenda: sed illa potius argumentanda robustius, ac omnia cum ingenti veneratione & laude suscipienda.

Beati Anselmi liber pro insipiente explicat.

EIVSDEM BEATI ANSELMI LIBER CON- tra insipientem incipit.

Quoniam non me reprehendit in his dictis ille insipiens, contra quem sum locutus in meo opusculo: sed quidam non insipiens & catholicus pro insipiente, sufficere mihi potest respondere catholico. Dicis quidem (quicumque es, qui dicis hoc posse dicere insipientem) quia non est in intellectu aliquid suo maius quod cogitari non possit aliter, quam quod secundum veritatem cuiusque rei nequit saltem cogitari: & quod magis consequitur, hoc quod dico, quo maius cogitari non possit: ex eo, quia est in intellectu, esse & in re, quam perditam insulam certissime ex eo cum describitur verbis audiens eam non ambigit in intellectu suo esse. Ego vero dico, si quo maius cogitari non potest, non intelligitur, vel cogitatur, nec est in intellectu vel cogitatione: profecto Deus, aut non est quo maius cogitari non possit, aut non intelligitur vel cogitatur, & non est in intellectu vel cogitatione. Quod quam falsum sit, fide, & conscientia tua pro firmissimo vtor argumento. Ergo, quo maius cogitari non potest, vere intelligitur & cogitatur, & est in intellectu & cogitatione. Quare, aut vera non sunt quibus conaris contra probare, aut ex eis non consequitur, quod te consequenter opinaris concludere. Quod autem putas, ex eo quod intelligitur aliquid quo maius cogitari nequit, non consequi illud esse in intellectu: nec si est in intellectu, ideo esse in re. Certè, ergo dico, si vel cogitari potest esse, necesse est illud esse. Nam quo maius cogitari nequit non potest cogitari esse, nisi sine initio. Quicquid autem potest cogitari esse & non esse, per initium potest cogitari esse. Non ergo quo maius cogitari nequit, cogitari potest esse & non esse. Si ergo potest cogitari esse, illud ex necessitate est. Amplius. Si vtiq. vel cogitari potest, necesse est illud esse. Nullus enim negans aut dubitans esse aliquid, quo maius cogitari non possit, negat vel dubitat, quia si esset, nec actu nec intellectu posset non esse. Aliter nanque non esset, quo maius cogitari non posset: sed quicquid cogitari potest, & non est: si esset, posset vel actu vel intellectu non esse. Quare si nihil cogitari potest, non potest non esse, quo maius cogitari nequit. Sed ponamus non esse, si vel cogitari valet: aut quicquid cogitari potest, & non est: si esset, non esset quo maius cogitari non possit, quod nimis est absurdum. Falsum est igitur non esse aliquid, quo maius cogitari non possit, si vel cogitari potest: multo magis, si intelligi & in intellectu esse potest. Plus aliquid dica: procul dubio quicquid alicubi aut aliquando non est, etiam si est alicubi aut aliquando, potest tamen cogitari nunquam nusquam esse: sicut non est

A est alicubi, aut aliquando, Nam quod heri non fuit, & hodie est: sicut heri non fuisse intelligitur, ita nunquam esse subintelligi potest: & quod hoc non est, & alibi est: sicut non est hoc, ita potest cogitari nusquam esse. Similiter cuius partes singulae non sunt ubi, aut quando sunt aliae partes eius: omnes partes, & ideo ipsum totum, possunt cogitari nunquam aut nusquam esse. Nam etsi dicatur tempus semper esse, aut mundus ubique: non tamen illud totum semper, aut iste semper est ubique: & sicut singulae partes temporis non sunt, quando aliae sunt: ita possunt etiam nunquam cogitari, & singulae mundi partes, sicut non sunt ubi aliae sunt, ita subintelligi possunt nusquam esse: sed & quod partibus iunctum est, cogitatione dissolui & non esse potest. Quare quicquid alicubi aut aliquando totum non est: etiam si est, potest cogitari non esse: ac quo maius cogitari nequit si est, non potest cogitari non esse, alioquin si est, non quo maius cogitari non possit: quod non conuenit. Nullatenus ergo alicubi, aut aliquando totum non est: sed semper & ubique totum est. Putasne aliquatenus posse cogitari, vel intelligi, aut esse in cogitatione vel intellectu, de quo hoc intelliguntur. Si enim non potest, non possunt hoc intelligi de eo. Quod si dicitur non intelligi, & non esse in intellectu, quod non penitus intelligitur: dic, quia qui non potest intueri purissimam lucem solis, non videt lucem diei, quae non est nisi lux solis. Certè vel haecenus intelligitur, & est in intellectu, quo maius cogitari nequit, ut haec de eo intelligantur. Dixi itaque in argumentatione, quam reprehendis: quia cum insipiens audit proferri, quo maius cogitari non potest: intelligit, quod audit. Vtique si non intelligit, si nota lingua dicitur: aut nullum, aut nimis obrutum habet intellectum. Deinde dixi, quia si intelligitur, est in intellectu; an non est in nullo intellectu, quod necessarium in rei veritate esse monstratum est? Sed dicis, quia si est in intellectu, non tamen consequitur quia intelligitur. Vide, quia consequitur esse in intellectu, ex eo quia intelligitur. Sic enim quod cogitatur, cogitatione cogitatur: & quod cogitatione cogitatur sicut cogitatur, sic est in cogitatione: ita quod intelligitur, intellectu intelligitur: & quod intellectu intelligitur, sicut intelligitur, sic est in intellectu. Quid hoc planius? Postea dixi, quia si est, vel in solo intellectu potest cogitari esse & in re, quod maius est. Si ergo in intellectu solo est, id ipsum scilicet quo maius non potest cogitari: est quo maius cogitari potest: rogo quid consequentius? An enim si est vel in solo intellectu, non potest cogitari esse in re: aut si potest, nonne qui hoc cogitat, aliud cogitat maius eo, si est in solo intellectu? Quid ergo consequentius, quam si quo maius cogitari nequit, est in solo intellectu, idem esse quo maius cogitari possit. Sed utique, quo maius cogitari potest, in nullo intellectu est, quo maius cogitari non possit: An ergo non sequitur, quo maius cogitari nequit, si est in vilo intellectu, non est in solo intellectu. Si enim est, in solo intellectu est, quo maius cogitari potest, quod non conuenit. Sed tale est maius, ac si aliquis insulam Oceani omnes terras sua fertilitate vincentem, quae difficultate, immo impossibilitate inueniendi quod non est, perditam nominatur. Dicat idcirco non posse dubitari verè esse in re: quia verbis descriptam facile quis intelligit. Fidens loquor: quia si quis non venerit, nisi aut re ipsa, aut sola cogitatione existens, quod

maius cogitari non possit, cui aptare valeat connexionem huius meae argumentationis, inueniam & dabo illi perditam insulam amplius non perendam. Palam autem iam videtur: quo non valet cogitari maius, non posse cogitari non esse: quod tam certa ratione veritatis existit, aliter enim nullatenus existeret. Denique si quis dicit, se cogitare illud non esse. Dico, quia cum hoc cogitat: aut cogitat aliquid, quo maius cogitari non possit: aut non cogitat. Quod si non cogitat, non cogitat non esse quod non cogitat. Si verò cogitat, utique cogitat aliquid, quod nec cogitari possit non esse. Si enim posset cogitari non esse, cogitari posset habere principium & finem: sed hoc non potest. Qui ergo illud cogitat, aliquid cogitat, quod nec cogitari non esse possit, hoc verò quod cogitat, non cogitat id ipsum esse: alioquin cogitat, quod cogitari non potest. Non igitur potest cogitari non esse, quo maius nequit cogitari. Quod autem dicis: quia cum dicitur, quod summa res ista non esse nequeat cogitari: melius fortasse diceretur, quod non esse, aut etiam posse non esse, non possit intelligi: potius dicendum fuit, non posse cogitari. Si enim dixissem rem ipsam, non posse intelligi non esse: fortasse tu ipse, qui dicis, quia secundum proprietatem verbi istius, falsa nequeunt intelligi, obijceres: nihil quod est posse intelligi, non est falsum, est enim non esse quod est: quare non est proprium Deo, non posse intelligi non esse. Quod si esset aliquid eorum, quae certissime sunt, potest intelligi non esse, similiter & alia certa non esse posse intelligi. Sed hoc utique non potest obijci de cogitatione, si bene consideretur. Nam etsi nulla, quae sunt, possunt intelligi non esse: omnia tamen possunt cogitari non esse, praeter id quod summè est: Illa quippe omnia & sola possunt cogitari non esse, quae initium, aut finem, aut partium habent conjunctionem. Et sicut iam dixi: quicquid alicubi, aut aliquando totum non est: illud verò solum non potest cogitari non esse, in quo nec initium, nec finem, nec partium conjunctionem, & quod non nisi semper & ubique totum vlla inuenit cogitatio. Scito igitur, quia potes cogitare te non esse, quando esse certissime scis: quod te miror dixisse nescire. Multa namque cogitamus non esse, quae scimus esse: & multa esse, quae non esse scimus: non existimando, sed fingendo ita esse cogitamus. Et illud quidem possumus, & istud scimus: & non possumus cogitare aliquid non esse, quando scimus esse: quia simul & illud possumus, & istud scimus: & non possumus cogitare non esse, quia non possumus cogitare esse simul, & non esse. Si quis igitur sic distinguat huius prolationis has duas sententias: intelligit nihil, quando esse scitur, posse cogitari non esse, & quicquid est, praeter id quo maius cogitari nequit, etiam cum scitur esse, posse cogitari non esse. Si igitur & proprium est Deo, non posse cogitari non esse: & tamen multa possunt cogitari, quando sunt non esse. Quomodo tamen dicatur cogitari Deus non esse, in isto libello puto sufficienter esse dictum. Qualia verò sint & alia, quae mihi obijcis pro insipiente, facile est deprehendere vel parum sapienti. & ideo id ostendere supersedendum existimaueram. Sed quoniam audio quibusdam ea legentibus aliquid contra me valere videri, paucis de illis commemorabo. Primum, quod saepe repetis me dicere: quia quod est maius omnibus in intellectu, & si est in intellectu, est & in re, aliter etenim omnibus maius non esset omnibus maius:

A Nusquam in omnibus dictis meis inuenitur talis probatio. Non enim idem valet, quod dicitur: maius omnibus, & quo maius cogitari nequit, ad probandum, quia est in re, quod dicitur. Si quidem cum dicitur, quo maius cogitari non possit, non esse aliquid in re, aut posse non esse, aut vel non esse posse cogitari, facile refelli potest. Nam quod non est, potest non esse: & quod non esse potest, cogitari potest non esse. Quicquid autem cogitari potest non esse, si est: non est quod maius cogitari non possit. Quod si non est: vti que si esset, non esset quo maius non possit cogitari. Sed dici non potest: quia qui maius non possit cogitari si est, si non est qui maius cogitari non possit, aut si esset, non esset quo non possit cogitari maius. Patet ergo, quia nec non est, nec potest non esse, aut cogitari non esse. Aliter enim si est, non est quod dicitur, & si esset, non esset. Hoc autem non tam facile probari posse videtur de eo, quod maius dicitur omnibus. Non enim ita patet: quia quod non esse cogitari potest, non est maius omnibus quæ sunt: sicut quia non est quo maius cogitari non possit, nec sic est indubitabile: quia si est aliquid maius omnibus, non est aliquid quam quo maius non possit cogitari: aut si esset, non esset similiter aliquid: quoniam certum est, de eo quod dicitur, quo maius cogitari nequit. Quid enim si quis dicat esse aliquid maius omnibus quæ sunt, & id ipsum tamen posse cogitari non esse, & aliquid maius esse, etiam si non sit: posse tamen cogitari, an hoc sic aperte inferri potest. Non est ergo maius omnibus quæ sunt: sicut ubi apertissime diceretur: ergo non est quo maius cogitari nequit. Illud nanque alio indiget argumento, quam hoc quod dicitur omnibus maius. In isto vero non est opus alio, quam hoc ipso quod sonat: quo maius cogitari non possit, ergo si non similiter potest probari de eo quod maius omnibus dicitur: quod de se per se ipsum probat, quo maius nequit cogitari: iniuste me reprehendisti dixisse quod non dixi, cum tantum differat ab eo quod dixi. Si vero vel post aliud argumentum posuisti: nec sic me debuisti reprehendere dixisse, quod probari potest. Vtrum autem possit facile perpendi qui hoc posse, quo maius cogitari nequit, cognoscit: nullatenus enim potest intelligi, quo maius cogitari non possit: nisi id quod solum omnibus est maius. Sicut ergo quo maius cogitari nequit intelligitur, & est intellectu, & ideo esse in rei veritate asseritur, sic quod maius dicitur omnibus intelligi, & esse in intellectu: & idcirco re ipsa esse ex necessitate concluditur. Vides ergo, quam recte me comparasti stulto illi, qui hoc solo quod descripta intelligeretur, perditam insulam esse, velle asserere. Quod autem obijcis, quælibet falsa vel dubia similiter posse intelligi, & esse in intellectu: quemadmodum illud quod dicebam. Miror, quod hoc sensisti contra me dubium probare volentem, cui primum hoc fat erat, ut quolibet modo illud intelligi, & esse in intellectu ostenderem: quo consequenter consideratur, vtrum esset in solo intellectu, velut falsa: an & re, ut vera. Nam si falsa & dubia, hoc modo intelliguntur, & sunt in intellectu: quod cum dicuntur, audiens intelligit quid dicens significet: nihil prohibet quod dixi intelligi, & esse in intellectu. Quomodo autem sibi conueniat quod dicis, quod falsa dicente aliquo quæcunque ille diceret, intelligeres: & quia illud quod non est, eo modo quo etiam falsa habentur in cogitatione, non di-

cens auditum cogitare, aut in cogitatione, habere, sed intelligere, & in intellectu habere, quia scilicet non possum hoc aliter cogitare nisi intelligendo, id est, scientia comprehendendo re ipsa illud existere. Quomodo, inquam, conueniant & falsa intelligi, & intelligere esse, scientia comprehendere existere: aliud nihil ad me, tu videaris. Quod si & falsa aliquo modo intelliguntur: & non omnis, sed cuiusdam intellectus est hæc diffinitio, non debui reprehendi: quia dixi, quo maius cogitari non possit intelligi, & in intellectu esse, etiam antequam certum esset re ipsa illud existere. Deinde, quod dicis vix unquam posse esse credibile, cum dictum & auditum fuerit istud, non eo modo posse cogitari non esse, quo etiam potest cogitari non esse Deus. Respondeant pro me, qui vel paruam scientiam disputandi argumentandique attigerunt. An enim rationale est, ut idcirco neget aliquis quod intelligit: quia esse dicitur id quod negat, quia non intelligit: aut si aliquando negatur, quod aliquatenus intelligitur. & idem est illi, quod nullatenus intelligitur: nonne facilius probatur, quod dubium est, de illo quod in aliquo, quam de eo quod in nullo est intellectu? Quare nec credibile potest esse, idcirco quamlibet negare, quo maius cogitari nequit, quod auditum aliquatenus intelligit: quia negat Deum, cuius sensum nullo modo cogitat. Ac si & illud, quia non omnino intelligitur, negatur minime: tamen facilius id quod aliquo modo, quam id quod nullo modo intelligitur, probatur: Non ergo irrationabiliter contra insipientem ad probandum Deum esse attuli, quo maius cogitari non possit: cum illud, nullo modo: istud aliquo modo intelligeret. Quod vero tam studiosè probas, quo maius cogitari nequit, non tale esse, qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris, sine causa fit. Non enim ad hoc protuli picturam præcogitatam, ut tale illud, de quo agebatur, vellem asserere: sed tantum, ut aliquid esset in intellectu, quod esse non intelligeretur, possem ostendere. Item, quod dicis: quo maius cogitari nequit, secundum rem vel ex genere tibi vel ex specie notam te cogitare auditum, vel intellectum habere non posse: quoniam nec ipsam rem nosci, nec eam ex alia simili potes conijcere, palam est rem aliter sese habere: quoniam nanque omne minus bonum, in tantum est simile maiori bono, in quantum est bonum. Patet cuiuslibet rationabili menti, quia de minoribus bonis ad maiora conscendendo, ex his, quibus aliud quid maius cogitari potest, multum possumus conijcere illud, quo nihil potest maius cogitari. Quis enim, verbi gratia, vel hoc cogitare non potest, etiam si non credat in re esse, quod cogitat scilicet, si bonum est aliquid, quod initium & finem habet: multo melius esse bonum, quod licet incipiat, non tamen desinit: & sicut istud illo melius est, ita istud esse melius illo, quod nec finem habet, nec initium: etiam si semper de præterito per præsens transeat ad futurum, & siue sit in re aliquid huiusmodi, siue non sit, valde tamen eo melius esse id, quod nullo modo indiget, vel cogitur mutari, vel moueri: an hoc cogitari non potest: aut non est hoc ex his tribus maius: cogitare valet conijcere id, quod maius cogitari nequit. Est igitur, unde possit conijci, quo maius cogitari nequeat. Sic itaque facile re felli potest insipiens, qui sacram auctoritatem non recipit, si negat, quod maius cogitari non valet, ex his rebus conijci posse: At si quis Catholicus

A hoc neget: meminerit quia *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Sed etsi verum esset non posse cogitari vel intelligi illud, quo maius nequit cogitari, non tamé falsum esset, quo maius cogitari nequit, cogitari posse & intelligi. Si enim nihil prohibet dici ineffabile, licet illud dici non possit, quod ineffabile dicitur, & quemadmodum cogitari non possit, cui conuenit non cogitabile dici: ita cum dicitur, quo nihil maius valet cogitari: procul dubio quod auditur, cogitari & intelligi potest etiam, si res illa cogitari non valeat, aut intelligi, quo maius cogitari nequit. Nam etsi quisquam est tam insipiens, ut dicat non esse aliquid, quo maius non possit cogitari: non tamen ita erit prudens, ut dicat se non posse intelligere, quid dicat: aut si quis talis inuenitur, non modo sermo eius est respiciendus, sed & ipse conspiciendus. Quisquis igitur negat aliquid esse, quo maius nequeat cogitari, utique intelligit & cogitat negationem, quam facit: quoniam negationem intelligere, aut cogitare non potest sine partibus eius: pars autem eius est, quo maius cogitari non potest. Quicumque igitur hoc negat, intelligit & cogitat, quo maius cogitari nequit: Palam autem est, quia similiter potest cogitari & intelligi, quod non potest non esse: maius verò cogitat qui hoc cogitat, quam qui cogitat quod possit non esse. Cum ergo cogitatur, quod maius non possit cogitari, cogitatur quod possit cogitari maius: sed nequit idem simul cogitari, & non cogitari. Quare qui cogitat quo maius non possit cogitari, non cogitat quod possit, sed quod non possit non esse. Quapropter necesse est esse, quod cogitat, quia quicquid non esse potest, non est quod cogitat. Puto, quia monstrauit me non infirma, sed satis necessaria argumentatione probasse in præfato libello, re ipsa existere aliquid, quo maius cogitari non possit: nec eam alicuius obiectionis infirmari firmitatem. Tantam enim vim huius probationis in se continet significatio: ut hoc ipsum quod dicitur ex necessitate, eo ipso quod intelligitur vel cogitatur, & re vera probetur existere: & id ipsum esse quicquid de diuina substantia oportet credere. Credimus nanque de diuina substantia, quicquid absolute cogitari potest: melius esse quam non esse. Verbi gratia: Melius est esse æternum, quam non æternum: bonum quam non bonum: immò bonitatem ipsam, quam non bonitatem ipsam. Nihil autem huiusmodi non esse potest, quo maius aliquid cogitari non potest: necesse igitur est, quo maius cogitari non potest, esse quicquid de diuina essentia credi oportet. Gratias ago benignitati tuæ & in reprehensione, & in laude opusculi mei. Cum enim ea, quæ tibi digna susceptione videntur, tanta laude extulisti, satis apparet: quia quæ tibi infirma visa sunt, beneuolentia non maleuolentia reprehendisti.

Beati Anselmi liber de insipiente explicuit,

P R A E F A T I O S A N C T I A N S E L M I Cantuariensis Episcopi, Ordinis Benedicti, in librum de fide, quem alias de Incarnatione Verbi per se reperimus prænotatum.

Q Vanis post Apostolos sancti Patres & doctores nostri multi, tot & tanta de fidei nostræ ratio-

ne dicunt ad confutandam insipientiam, & frangendam duritiam infidelium, & ad pascendum eos, qui iam corde fide mundato eiusdem fidei ratione (quam post eius certitudinem debemus esurire) delectantur: ut nec nostris nec futuris temporibus, vllum illis parem in veritatis contemplatione speremus, nullum tamen reprehendendum arbitror. si fide stabilitus, in rationis eius indagine se voluerit exercere. nam & illi, quia breues dies hominis sunt, non omnia quæ possent, si diutius vixissent, dicere potuerunt: & veritatis ratio tam ampla tamque profunda est, ut à mortalibus nequeat exhauriri: & Dominus in Ecclesia sua, cum quæ se esse vsque ad consummationem seculi promittit, gratiæ suæ dona non desinit impertiri. Et, ut alia taceam, quibus sacra pagina nos ad inuestigandam rationem inuitat, ubi dicit: nisi credideritis, non intelligetis, aperte monet intentionem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum debeamus proficere. Denique quoniam inter fidem & speciem intellectû, quem in hac vita capimus, esse medium intelligo, quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propinquare speciei, (ad quam omnes anhelamus) existimo. Hac igitur ego consideratione, licet sim homo parua nimis scientiæ confortatus, ad eorum, quæ credimus, rationem intueudam, quantum superna gratia mihi dare dignatur, aliquando conor assurgere. & cum aliquid, quod prius non videbam reperio, id alijs libenter aperio: quatenus quid secure tenere debeam, alieno discam iudicio. Quapropter mi Pater & Domine, Christianis omnibus cum reuerentia amande, & cū amore reuerende Papa Urbane, quem Dei providentia in sua Ecclesia summum constituit Pontificem, quoniam nulli rectius possum, vestre sanctitatis præsentis conspectui subditum opusculum: ut eius autoritate, quæ ibi suscipienda sunt, approbentur: & quæ corrigenda sunt, emendentur.

*Iob. 14.
Isaie 7.*

INCIPIT LIBER ANSELMI DE INCARNATIONE VERBI

CAPVT PRIMVM.

Domino & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, summo Pontifici Urbano frater Anselmus, vita peccator, habitu monachus, siue iubente, siue permittente Deo, Cantuariæ metropolis vocatus Episcopus, debitam subiectionem cum humili seruitio, & deuotis orationibus. Quoniam diuina providentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia: ut eius autoritate corrigatur, nec vili alij tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius præsentem epistolam, quam vestre destino sapientiæ, quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra celsura castigetur: & quod regulam veritatis tenet, vestra autoritate roboretur. Cum adhuc in Becci monasterio essem Abbas, præsumpta est a quodam clerico in Francia talis assertio: Si in Deo, inquit, tres personæ sunt, vna tantum res: & non sunt tres res vnaqueque per se separatim, sicut tres Angeli, aut tres anime: ita tamen ut potentia & voluntate omnino sint idem, ergo Pater & Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus. Quod cum ad me perlatum esset, in cepi contra hunc errorem quanda epistolam, quam parte quadam edita, perficere cōtempsi:

credens

A credens non ea opus esse, quoniam & ille, contra quem fiebat, in concilio à venerabili Remensi Archiepiscopo Reynaldo collecto, errorem suum abiurauerat: & nullus videbatur, quia eum errare ignoraret: partem tamen illam, quam feceram, quidam fratres me nesciente transcripserunt, atque alijs legendam tradiderunt: quod idcirco dico, ut si in alicuius manu pars illa venerit, quanquam ibi nihil falsum sit, tamen tanquam imperfecta, & non exquisita relinquatur: & hoc quod ibi incepi, diligentius inceptum & perfectum requiratur. Postquã enim in Anglia ad Episcopatum, nescio qua Dei dispositione captus & retentus sum, auctori præfatæ nouitatis auctorem in sua perseverantem sententia dicere, se non ob aliud abiurasse quod dicebat, nisi quia à populo interfici timebat. Hæc igitur causa quidam fratres precibus suis me coegerunt, ut soluerem quæstionem, qua ipse sic irretitus erat, ut nullo modo se expediri ab ea crederet, nisi aut incarnatione Dei Patris & Spiritus sancti, aut deorum multitudine se impediret. Quod rogo, ne quis putet præsumpsisse me, quasi fortitudinem fidei Christianæ meæ existimem indigere defensionis auxilio. Quippe si ego contemptibilis homuncio, tot sanctis & sapientibus ubique existentibus, ad confirmandum fidei Christianæ firmamentum, quasi mea indigeat defensione, aliquid scribere tentarem, præsumptor utique iudicari & deridendus possem videri. Si enim me viderent homines alij, onustum paxillis & funibus & alijs rebus, quibus nurantia ligari & solidari solent, elaborare circa montem Olympum ad confirmandum eum, ne alicuius impulsu nutaret, aut subuerteretur: mirum si se à risu & derisu continerent. quanto magis cum lapis, qui absisus est de monte sine manibus, & percussus & comminutus statuat, quam vidit in somno Nabuchodonosor, iam factus est mons magnus: & impleverit uniuersam terram, si eum meis rationibus fulcire, & quasi nurantem stabilire nitatur, tot sancti & sapientes, qui pro eius æterna firmitate se stabilitos esse gaudent, indignari mihi possunt, & hoc imputare, non studiosæ gratitati, sed iactabundæ leuitati. Si quid ergo de firmitate fidei nostræ in epistola disputauero, non est ad confirmandam illam, sed ad fratrum hoc exigentiam precibus satisfaciendum: Sed si ille, qui præfatam protulit sententiam Deo corrigente ad veritatem redijt, nullatenus putet me in hac epistola contra se loqui: quia iam non est quod fuit. Si enim fuit aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino: non sunt arguendæ tenebra, quæ iam non sunt, sed lux approbanda quæ lucet. Veruntamen siue adhuc ad lucem redierit, siue non, quoniam sentio laborare plures in eadem quæstione, etiam si fides in illis superet rationem quæ illis fidei videtur repugnare, non mihi videtur superfluum repugnantiam istam dissoluere.

Quod sacra fidei quæstiones, quas disputamus, aut rimamur, non quilibet dialectici, sed in Scripturis sacris experti suscipere humiliter debent. Cap. 11.

Sed priusquam de quæstione differam, aliquid præmittam ad compescendam eorum præsumptionem, qui nefanda temeritate audent disputare contra aliquid eorum, quæ fides Christiana conficitur, quoniam id intellectu capere nequeunt, & potius insipienti superbia iudicant nullatenus posse esse, quod nequeunt intelligere: quam humili sapientia fateantur esse

multa, quæ ipsi non valeant comprehendere. C Nullus quippe Christianus debet disputare quod Catholica Ecclesia corde credit, & ore confitetur, quomodo non sit: sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando, & secundum illam viuendo humiliter, quantum potest quære rationem, quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat: si non potest, non immittat cornua ad ventilandum: sed submittat caput ad venerandum. Citius enim in se potest condens humana sapientia impingendo cornua sibi euellere, quam innitendo petram hanc euellere. Solent enim quidam, cum ceperint quasi cornua confidentiæ sibi scientiæ producere, nescientes, quod si quis æstimat se scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire, antequam habeant per soliditatem fidei alias spirituales presumendo in altissimas de fide quæstiones assurgere. Vnde fit, ut dum ad illa, quæ prius fidei scalam exigunt, sicut scriptum est, nisi credideritis, non intelligetis. præposterè prius per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere. Palam nanque est, quia illi non habent fidei firmitatem, qui, quoniam quod credunt, intelligere non possunt, disputant contra eiusdem fidei à sanctis Patribus confirmatam veritatem: velut si vespertilioes & noctuæ, non nisi in nocte cælum videntes, de meridianis Solis radijs disceptent contra aquilas, solem ipsum irreuerberato visu intuentes. Prius ergo fide mundandum est cor, sicut dicitur de Deo: fide mundans corda eorum, & prius præceptorum Domini custodia illuminandi sunt oculi: quia præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, & prius per humilem obedientiam testimoniorum Dei debemus fieri paruuli, ut discamus sapientiam, quam dat testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Vnde Dominus: Confiteor tibi Domini Pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Prius, inquam, ea quæ carnis sunt postponentes, secundum spiritum viuamus, quam profunda fidei dijudicando discutiamus, nam qui secundum carnem viuit, carnalis siue animalis est, de quo dicitur: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Qui verò spiritu facta carnis mortificat, spiritualis efficitur: de quo legitur, quia spiritualis omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur. Verum enim est, quia quanto opulenti-
us nutrimur in sacra Scriptura, ex his, quæ per obedientiam pascunt, tanto subtilius prouehimur ad ea, quæ per intellectum fatiant, frustra quippe conatus dicere: super omnes docentes me intellexi, qui proferre non audet: quia testimonia tua meditatio mea est. Et mendaciter pronuntiat: Super senes intellexi, cui non est familiare quod sequitur: mandata tua quasiui. Nimirum hoc ipsum quod dico, qui non crediderit, non intelliget. Nam qui non crediderit, non experietur: & qui expertus non fuerit, non intelliget. Nam quantum rei auditum superat experientia, tantum vincit audientis cognitionem experientis scientia. & non solum ad intelligendum altiora prohibetur mens ascendere sine vitæ & mandatorum Dei obedientia: sed etiam aliquando datus intellectus subtrahitur, & fides ipsa subuertitur, neglecta bona cōscientia. At enim de quibusdam Apostolus: Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.

Et

D
Acto. 15.
Psal. 18.Ioan. 18.
Matth. 2.

1. Cor. 2.

Ibidem.

Psal. 118.

Ibidem.
Vt supra.

A Et cum præcipere Timotheo militare militiam bonam, ait, habens fidem & conscientiam bonam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. Nemo ergo se temere mergat incondensa difficillimarum quæstionum, nisi prius in soliditate fidei, conquisita morum & sapientiæ grauitate. ne præ multiplicia sophismatum diuerticula in tanta leuitate discurrens, aliqua tenaci illaquæretur falsitate. Cumque omnes, vt cautissime ad sacræ pagine quæstiones accedant, sunt commonendi, illi vtique nostri temporis dialectici (immò dialecticæ hæretici, qui quidem non nisi statum vocis putant esse vniuersales substantias, & qui colorem non aliquid queunt intelligere nisi corpus, nec sapientiam hominis aliud quam animam) profus a spiritualium quæstionum disputatione sunt exsulandi. In eorum quippe animabus ratio, quæ princeps & iudex omnium debet esse, quæ sunt in homine, sic est imaginationibus corporalibus obuoluta: vt ex eis se non possit euoluere: nec ab ipsis ea, quæ sola & pura ipsa contemplari debet, valeat discernere. Qui enim nondum intelligit, quomodo plures homines in specie sint vnus homo, qualiter in illa secretissima & altissime natura comprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint vnus Deus. Et cuius mens obscurata est ad discernendum inter equum suum & colorem eius, qualiter discernet inter vnum Deum & plures relationes eius. Denique qui non potest intelligere aliquid esse hominem, nisi indiuiduum: nullatenus intelliget hominem, nisi humanam personam. Omnis enim indiuiduus homo persona est. Quomodo ergo iste intelliget hominem assumptum esse à Verbo non personam, id est, aliam naturam, non aliam personam esse assumptam. Hæc dixi: ne quis antequam sit idoneus, altissimas de fide quæstiones præsumat discutere: aut si præsumpserit, nulla difficultas aut impossibilitas intelligendi valeat illum à veritate, cui per fidem adhefit, excutere. Iam veniendum est ad id, propter quod inceperimus.

Quod non sunt tres dii, quanquam tres res personales, vna tamen res essentialis.

Caput III.

Dicit (sicut audio) ille, qui tres personas dicitur asserere esse velut tres Angelos, aut tres animas. Pagani defendunt legem suam: Iudæi defendunt legem suam, ergo & nos Christiani debemus defendere fidem nostram. Audiamus quomodo iste Christianus defendat fidem suam. Si, inquit, tres personæ sunt vna tantum res, & non sunt tres res, vnaquæque per se, separatim sicut tres Angeli, aut tres animæ: ita tamen vt voluntate & potentia omnino sint idem, ergo Pater & Spiritus sanctus cum filio incarnatus est. Videte quid dicat iste homo, quomodo defendat iste Christianus fidem suam. Certè aut vult confiteri tres deos, aut non intelligit quod dicit. Sed si tres deos confitetur, non est Christianus. Si autem affirmat quod non intelligit, non illi credendum est, huic homini non est respondendum, autoritate sacræ scripturæ, quia aut ei non credit, aut eam peruerso sensu interpretatur. Quid enim apertius dicit scriptura sacræ, quam quod Deus vnus & solus est. Ratione igitur qua se defendere nititur, eius error demonstrandus est. Vt autem facilius & breuius hoc faciam, loquar tantum de Patre & Filio: quoniam hæc duæ personæ suis proprijs vocibus aliæ

ab inuicem aperte designantur. Nam nomen Spiritus sancti non est alienum à Patre & Filio, quia vterque est & Spiritus, & sanctus. Quod autem in Patre & Filio de vnitæ substantiæ vel pluralitate personarum inuenimus, hoc in tribus absque dubio cognoscimus. Dicat ergo: Si duæ personæ Pater & Filius, non sunt duæ res. Quæramus primum, quid velit hic dicere duæ res: Nam vnamquamque personam credimus esse hoc, quod commune est ambobus & esse hoc, quod proprium est sibi. Persona enim Patris & Deus est, quod commune est illi cum Filio: & Pater est, quod ei proprium est. Similiter persona Filij & Deus est, quod commune est illi cum Patre: & Filius est, quod non nisi de hac sola persona dicitur. In his igitur duabus personis vnus est commune, id est, Deus: & duo propria, quæ sunt, Pater & Filius. Quæcumque enim illis sunt communia, vt omnipotens, æternus, in hoc solo communi intelliguntur. Et quæ sunt singulis propria, vt est pater, genitor, vel gignens: & filio verbum, vel genitus: his duobus nominibus patris, scilicet & filij significantur: Cum igitur dicit has duas personas esse duas res, quæro: quid dicat ibi duas res, an id quod commune est illis, an ea quæ propria sunt singula singulis. Sed si duas res esse dicit duo propria, id est, patrem & filium: vt tamen id quod commune est nõ sit plures res, sed vna & sola res: superflue hoc dicit, quia nemo Christianus confitetur patrem & filium secundum hæc duo propria, vnam rem esse, sed duas. Solemus enim vsu dicere rem, quicquid alio modo dicimus esse aliquid. Qui autem dicit de Deo patrem aut filium: aliquid de eo dicit, & omnes sciunt in Deo patrem, non esse filium: & filium, non esse patrem, quauis in vno homine pater sit filius, & filius sit pater: si idem homo est pater & filius: quod ideo fit: quia in Deo dicuntur oppositæ, in vno verò homine non adinuicem: sed ad alium filium pater, & ad alium patrem filius dicitur. hoc ergo modo nihil prohibet dicere duas personas, patrem & filium esse duas res, si tamen intelligatur cuiusmodi sunt res: Non enim sic sunt pater & filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes, quauis ille per ea quæ subiungit, aperte ostendat, se non intelligere hoc modo duas personas esse duas res. Nam cum dicit: si tres personæ sint vna tantum res & nõ tres res, subiungit per se separatim. Quippe talem videtur pronuntiare separationem, quæ prohibeat esse simul in eodem homine patrem & filium. Per hanc namque solam putat se posse liberare patrem à communionem incarnationis cum filio. Nam per illam separationem, qua aliud est esse patrem: & aliud est esse filium, nam aliæ sunt ab inuicem paternitas & filiatio: si credit vnus & solum esse Deum qui est Pater & filius, non videt patrem & filium posse separari, quin sint in eodem homine simul. Aut ergo aliam separationem personarum patris & filij loquitur, quam illam qua secundum propria alij sunt ab inuicem pater & filius, quia per hanc non intelligit incarnationem alienam esse à Patre: immo si simul sunt pater & filius, opinatur consequi patrem esse participem incarnationis cum filio: Aut si illam dicit, frustra laborat sicut iam dixi, quia Christiana fides hoc modo intelligit patrem & filium esse duas res. Sed cum ait, sicut sunt tres Angeli aut tres anime, aperte monstrat se non de pluralitate vel separationem illa loqui, quæ illis est personis secundum propria. Nempe de nulla vna eademque numero, re duo Angeli dicuntur, aut duæ anime: nec vnus aliquid

D
Acto. 15.
Psal. 18.

Ioan. 18.
Matth. 2.

1. Cor. 2.

Ibidem.

Psal. 118.

Ibidem.
Vt supra.

aliquid numero de duobus angelis dicitur, aut de duabus animabus: sicut patrem & filium dicimus de Deo vno numero, & vnum numero Deum de patre & filio. Credimus enim & dicimus, quia Deus est pater, & Deus est filius: & conuertim, pater est Deus, & filius est Deus: & tamen nec credimus nec dicimus plures esse deos, sed ita vnum esse Deum numero, sicut natura: quamuis pater & filius non sint vnus, sed duo. Angelum enim & animam secundum substantiam dicimus, non secundum relationem. Nam licet angeli nomen ab officio dictum sit: quia angelus nuntius dicitur, tamen sicut anima pro specie substantiæ accipitur, ita & Angelus. Quod ipse intelligere se monstrat, cum pariter dicit: sicut sunt tres Angeli, aut tres animæ. Talem namque signat pluralitatem & separationem, qualem habent plures Angeli aut animæ, id est, qualem habent plures substantiæ. Quod adhuc aperte monstrare videtur, cum subdit: ita tamen ut voluntate & potestate omnino sint idem. Sic enim intelligit voluntatem & potestatem in illis pluribus rebus, quemadmodum in pluribus Angelis, aut animabus. Quod intelligi non potest, si illæ plures res putantur secundum proprietates personarum esse, non secundum hoc quod communiter dicuntur. Nullatenus namque Patris & Filij secundum ipsas proprietates, id est, secundum paternitatem & filiationem vlla voluntas aut potentia est: sed secundum diuinitatis substantiam, quæ communis est illis. Quare si dicit tres personas esse tres res secundum ipsa propria: palam est quam superflue hoc dicat, quam etiam inconuenienter addit: sicut sunt tres Angeli, aut tres animæ. Ac si dicat eadem personas duas esse res secundum hoc quod commune est illis, id est, secundum quod singula quæque & plures simul, vnus perfectus Deus est. Primum quæro an sit Christianus, Respondebit, ut æstimo, hic se esse: ergo credit vnum esse Deum, & ipsum esse tres personas, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & Filij personam solam incarnatam, alijs tamen duabus cooperantibus. Qui autem ita credit: affirmat eum non esse Christianum, qui aliquid vult asserere contra aliquid horum. Si ergo iste ita credit, negat eum esse Christianum, qui contra hoc disputat. Vtrum autem hanc fidem subuertere ipse nitatur, videamus. Cum igitur dicit, ut de duabus personis dicam sicut incoepi, quod de tribus intelligatur, cum, inquam, dicit: Si duæ personæ sunt vna res, & non duæ: sicut sunt duo Angeli, aut duæ animæ, consequi Patrem quoque esse incarnatum, si Filius est incarnatus, puto quia sic ratiocinatur seculum: Si vna & eadem numero res Deus est, & ipsa eadem est Pater, est & Filius: cum Filius sit incarnatus, quomodo non & Pater est incarnatus? De vna quippe & eadem re non est vera simul affirmatio, & eius negatio: sed de alia re affirmare aliquid, & de alia idem ipsum negare nihil prohibet. Non enim idem Petrus Apostolus est, & non est Apostolus. Sed etsi alio nomine idem ipse affirmetur Apostolus, & alio negetur: ut Petrus est Apostolus, & Simon non est Apostolus, non est vtraque vera enuntiatio, sed vna harum falsa. Petrum autem esse Apostolum, & Stephanum non esse Apostolum: quoniam alius est Petrus, & alius est Stephanus, possibile est verum esse. Si ergo eadem numero, & non alia res est Pater, quam Filius, non est verum affirmari debere aliquid de Filio, & negari de Patre: aut affirmari debere de Patre, & Filio negari. Quicquid igitur est Pater, est

& Filius, & quod dicitur de Filio, non debet negari de Patre. Est autem incarnatus Filius: est ergo incarnatus quoque Pater. Sed hæc ratiocinatio si vera est & rata, vera est hæres Sabellij. Si enim quicquid dicitur de vna persona, dicitur & de altera, idcirco quoniam vna res duæ sunt personæ, ergo sicut de Filio dicitur Filius, & Verbum, & genitus: ita hæc dicentur de Patre. Et quemadmodum Pater est, & Pater, & genitor, & ingenitus: sic hæc de Filio dicenda sunt. At si ita est: non est alius Pater, quam Filius: nec Filius alius à Patre, quare non sunt duæ personæ, sed vna persona. Ideo namque dicuntur personæ duæ: quia alij creduntur ab inuicem Pater & Filius: si tamen Deus erit Pater & Filius. Nam semper Pater, est alicuius Pater, & Filius alicuius Filius: nec vnquam Pater suimet ipse est pater, aut filius suimet ipse filius est. Sed alius est pater, alius cuius est pater, & similiter alius est filius, & alius cuius est filius. Quare si in Deo non est alius Pater, & alius cuius est Pater: nec similiter Filius alius est, & alius cuius est Filius, falsè dicitur Deus Pater aut Filius. Si enim in Deo non est alius à Patre, cuius Pater sit, non potest esse Pater. Et similiter si non est in eo alius à Filio, cuius sit Filius, non valet esse Filius. Quapropter non erit vnde illæ duæ personæ dicantur in Deo, quæ ideo dicuntur: quia Deus est Pater: & Deus est Filius: & semper alius est Pater, alius est Filius. Videtis ergo quomodo destruat fides nostra secundum sensum eius, qui putat consequi Patrem esse eum Filio incarnatum, si vna, & non plures sunt res in Deo personæ plures. Si enim vera est hæc eius consequentia, non solum hoc, quod de Patre & Filio dixi: sed in omnibus tribus personis tanta sequetur confusio: ut quicquid de singulis proprie dicitur, de omnibus dicendum communiter sit. Quamobrem non erit, vnde Pater, & Filius, & Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio sint alij ab inuicem, sicut ostendi in Patre & Filio. Quare nec vlla erit ibi relatio, quæ nullatenus ibi est, nisi secundum hoc, quod alij sunt ab inuicem. Ergo nec plures erunt personæ. Posito namque vnâ rem esse tres personas: aut illud non sequitur quod dicit: aut omnia illa simul, quæ dixi consequentur. Similis namque est in omnibus vis consequentiæ. Cur ergo pergit ad incarnationem, quasi ipsa sola faciat quæstionem, & non potius dicit, si tres personæ sunt vna res, non sunt tres personæ. Nam non minus ante incarnationem, quam post, facere hanc quæstionem potest. Si autem hoc omnino vult asserere: tres, scilicet personas, secundum quod vnaquæque Deus est, non esse vnâ rem, sed tres res, vnâquamque perse, sicut sunt tres Angeli, apertissimum est. quia tres deos constituit. Sed forsitan ipse non dicit, sicut sunt tres animæ, aut tres Angeli, sed ille, qui mihi eius mandauit quæstionem, hanc ex suo posuit similitudinem: sed solum tres personas affirmat esse tres res, sine additamento alicuius similitudinis. Cur ergo fallitur, aut fallit sub nomine rei, cum id ipsum significetur sub nomine Dei. Nempe aut Deum esse rem illam negabit, in qua tres personas, immò quam tres fatemur esse personas. Aut si hoc non negat, consequens est: ut, sicut ipse asserit, personas tres non vnâ, sed tres esse res. Ita quoque affirmet easdem personas non vnum, sed tres deos. Quæ quam impia sint, iudicent Christiani. Sed dicet, non cogit quod dico tres fateri tres deos, quoniam tres illæ res simul sunt vnus Deus: & nos dicimus. Ergo singula quæque de tribus illis, id est, singula quæque persona non est Deus: sed

A ex tribus rebus conficitur Deus. Pater igitur non est Deus, Filius non est Deus, Spiritus sanctus non est Deus, quoniam nec de singulis, nec de duobus sed solam de tribus simul nominatis, dicens est Deus: quod similiter est impium. Nam si ita est, non est Deus simplex natura, sed partibus composita. Sed si simplicem habet intellectum, & non multiplicitate phantasmatum obrutum, intelligit simplicia præstare compositis, quantum ad simplicitatem & compositionem attinget. Quoniam omne compositum necesse est, aut intellectu posse disungi, aut re ipsa, quod de simplicibus intelligi nequit. Cuius enim partes cogitari non possunt, id in partes nullis intellectus dissolvere potest. Si ergo Deus tribus ex rebus compositus est, aut nulla natura simplex est: aut aliqua natura est alia, quæ in aliquo est præstantior natura Dei: quæ utraque quam falsa sint, non est obscurum. Quod si ille de illis dialecticis modernis est: qui nihil esse credunt, nisi quod imaginationibus comprehendere possunt: nec putant aliquid esse, in quo partes nullæ sunt, vel non negabit intelligere se: quia si esset aliquid, quod nec actu, nec intellectu dissolui posset, maius esset, quàm quod vel intellectu est dissolubile. Itaque si omne compositum saltem cogitatione dissolui potest: cum dicit Deum esse compositum, dicit Deo aliquid maius se posse intelligere: transit itaque eius intellectus ultra Deum, quod nullus facere potest intellectus. Sed videamus quid addat, quasi ad inconuenientiam repellendam, quæ videtur nasci, si tres illæ personæ sunt tres res. Sic tamen, inquit, ut vna trium earum ferum sit voluntas & potestas, hic querendum est, an illæ tres res secundum hoc, quod separatim ab inuicem intelliguntur, an secundum communem voluntatem & potestatem, an neque secundum illud solum, quod separatim habent neque secundum hoc quod commune est illis: sed secundum utrumque simul sint diuine naturæ. Quippe si secundum illud, quod sunt separatim, habent diuinitatem, erunt tres dii: & idem intelligi poterunt sine voluntate & potestate. Semper enim propria discretè intelliguntur à communibus, & communia à discretis. Sed diuina natura sine voluntate nullatenus intelligi valet. Quod si secundum vnam & communem voluntatem & potestatem sunt, & singulæ & binæ & tres simul Deus: quid ibi faciunt illæ tres discordes res, quæ nec nisi per aliud in vnitatem concordare possunt deitatis, nec ad perfectionem, nec ad auxilium aliquod, ut Deus sit valeant. Nam si vna sufficit voluntas & potestas ad perfectionem Dei: quæ sunt illæ tres res, quibus indiget Deus, aut ad quid illis eget? Credimus enim Deum nullo indigere: frustra igitur cogitantur illæ tres res in Deo. Ac si nec solæ tres res, nec sola voluntas & potestas: sed hæc omnia simul conficiunt Deum. Item dico, quia compositus est: & ea, quæ non sunt per se Deus aut dii faciunt Deum. Aut si dicit, quia illæ tres res ita nomen Dei habent per potestatem & voluntatem, sicut homo dicitur rex per regiam potestatem: non est Deus nomen substantiæ, sed accidentaliter dicuntur illæ (nescio quæ) tres res dii, sicut tres homines eandem habentes regiam potestatem tres reges dicuntur. Tres enim homines vntis rex esse nequeunt. Quod quam nefandum sit, non est opus dicere. Codex magnus implendus est, si volueris scribere absurditates & impietates, quæ sequuntur, si verum est vna Dei persona incarnata, reliquas duas consequi esse incarnatas: quia tres illæ personæ sunt vna

D. ANSELMI TOMVS III.

C res: secundum id quod communiter de tribus dicitur: aut si sunt tres res separate, quemadmodum ille putat, contra quem ista dixi, quomodo solus filius est incarnatus. Palam ergo est, quoniam non debeat esse promptus ad disputandum de rebus profundis: & maxime de illis, in quibus non erratur sine periculo.

Tres personæ esse incarnatas Filio incarnato impossibile est: Filio tamen amplius conuenit incarnari, quam Patri & Spiritui sancto.

Cap. 1111.

SED forsitan dicit iste mihi. Sicut putas ista pariter consequi ex necessitate, quæ dicit: sic & sequitur quod dico, ita necessaria mea videtur consequentia. Ergo ostende non consequi quæ dico, & fatebor ego tecum, nullum inconueniens sequi, si solus Filius est incarnatus: aut si tres personæ sunt vna res. Quod si ab hac ostensione deficiis, non soluis, sed magis ligas quæstionem, cum tu ipse mecum probas innumerabilia nasci inconuenientia. Quæ si neganda sunt ambo debemus pariter concludere tres personæ non esse vnam rem; si solus Filius est incarnatus: aut si sunt vna res, omnes pariter esse incarnatas. Ostendendum ergo est, in quo iste fallitur: & quomodo incarnationem solius Filij non sequitur tres personæ esse tres res separate: aut, si sunt vna res, tres personæ, omnes eas esse incarnatas. Quod utique, Deus vna, & sola, & indiuidua, & simplex sit natura, & tres personæ, sanctorum Patrum, & maxime beati Augustini post Apostolos & Evangelistas in expugnabilibus rationibus disputatum est. Sed & si quis legere dignabitur duo parua opuscula mea Monologion scilicet, & Profologion, quæ ad hæc maxime facta sunt: ut quod fide tenemus, de diuina natura & eius personis præter incarnationem, necessarijs rationibus, sine Scripturæ auctoritate probari possit, si inquam, ea aliquis legere voluerit, puto quia & ibi inueniet de hoc, quod nec improbare poterit, nec contemnere volet. In quibus (si aliquid quod alibi aut non legi: aut quæ non meminisse me legisse, non quasi docendo, quod doctores nostri nescierunt, aut corrigendo, quod non bene dixerunt: sed dicendo forsitan, quod illi tacerunt: quod tamen ab eorum dictis non discordet, sed illis cohæreat) posui ad respondendum pro fide nostra contra eos, qui volentes credere, quod non intelligunt, derident credentes: siue ad adiutandum religiosum studium eorum, qui humiliter querunt intelligere, quod firmissime credunt, nequaquam ob hoc me redarguendum existimo. Ne tamen hæc legentibus epistolam, laborem iniungam querendi alia scripta: ut non solum modo fide, verum etiam euidenti cognoscant ratione tres personæ non esse tres deos, sed vntim solum: nec tamen Deo secundum vnam personam incarnato, ex necessitate secundum alias personas eundem Deum incarnari (aliquid hic) quantum ad repellendum opinionem huius defensoris sicut ipse putat, nostræ fidei sufficere credo subiungam. Apertè dicit, aut Patrem, & Spiritum sanctum cum Filio esse incarnatum, aut tres illas personæ esse tres res separate. Quam nimirum separationem talem existimat, ut nec Pater, nec Spiritus sanctus, sint in Filio. Nam si duæ alię personæ sunt in Filio: & Filius in homine: ille quoque sunt in homine. Vnde putat consequi, cum tres personæ simul sint in eodem homine, si sunt vna res: nullatenus personam Filij posse in homine ipso incarnari, sine alijs duabus personis. Personas tamen

D D

tamen

A tamen tres esse non negat: nec Filium esse incarnatum. Quod igitur (ut supra monstratum est) si tres personæ sunt tres res separatae, aut tres deos esse consequi, aut alias (de quibus iam dictum est) absurditates, nunc breuiter ostendam adiutate vno solo Deo. Primum, quia etiam si sint tres dii, nihil illi proderit ad defendendum Patrem & Spiritum sanctum ab incarnatione, quod fieri non posse putat sine deorum multitudine. Denique, quod non sunt plures dii, sed vnus solus. Postea patefaciam, quantis sit vnus Deus tres personæ, non tamen qualibet vna incarnata, alias quoque incarnari necesse esse: sed potius esse impossibile. Diuinae vtiq; naturæ est, sicut semper, & vbique esse, ut nihil vnquam aut alicubi sit sine eius presentia: alioquin nequaquam vbique & semper est potens: & quod vbique potens non est, & semper, nullatenus est Deus. Si enim dicit, non ipsam diuinam substantiam, sed potestatem eius esse semper, & vbique, non tamen negabit potestatem illi esse, aut accidentalem, aut substantialem, accidentalis quidem non est Deo potestas: quia cum omne subiectum sine accidenti, aut esse, aut intelligendi possit: Deus sine potestate nec esse, nec intelligi potest. Si verò Deo potestas substantialis est, aut pars eius essentia, aut est id ipsum quod est tota eius essentia. Pars autem non est: quia (sicut supra dictum est) quod partes habet, aut actum, aut intellectum est dissolubile, quod omnino extraneum est à Deo. Idem igitur est esse Dei, & potestas eius. Sicut itaque potestas Dei est semper, & vbique, ita quicquid est Deus, vbique & semper est. Ergo cum prædictus nostræ fidei defensor secundum se, dicit esse tres deos: monstrare nequit, quomodo sint separatim ea separatione, qua putat se Patrem & Spiritum sanctum ab incarnatione liberare. Non ergo illum potest adiutare multitudo deorum, ad defendendum Patrem & Spiritum sanctum ab incarnatione: quoniam inueniri non potest in deorum multiplicatione illa distinctio, sine qua defensionem istam fieri posse nequaquam existimat. Quod autem vnus solus Deus sit, & non plures, hinc facile probatur: quia aut Deus non est summum bonum, aut sunt plura summa bona: aut non sunt plures dii, sed vnus solus. Deum verò summum bonum esse, nullus negat: quia quicquid aliquo minus est, nullatenus Deus est: & quicquid summum bonum non est, minus est aliquo, quia minus est summo bono. Summum certe bonum pluralitatem sui non admittit, ut plura sint summa bona. Si enim plura sunt summa bona, paria sunt. Summum ergo bonum est, quod sic præstat alijs bonis, ut nec par habeat, nec præstantius. Summum ergo bonum vnum & solum est: non igitur sunt plures dii, sed vnus & solus est Deus: sicut summum bonum est vnum & solum, sic summa substantia, vel essentia, siue natura, quæ eadem ratione, qua summum, nullatenus pluraliter dici posse probantur. Qui vnus solus Deus, cum sint tres personæ, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non tamen Filio incarnato necesse est alias quoque personas (sicut ille disparator putat) incarnari, sed impossibile. Personas enim non negat plures esse, idcirco quoniam aliæ sunt ab inuicem. Si enim ab inuicem non essent aliæ, plures non essent. Sed (ut breuius explicem quod volo: & facilius loquar tantum, sicut supra feci, de Patre & filio, quia per hos clarum erit quid intelligendum sit de Spiritu sancto. Pater ergo & Filius secundum substantiam non sunt plures, nec alij ab inuicem, quia non sunt duæ substantiæ, nec alia sub-

stantia Patris, alia Filij, sed vna & eadem substantia sunt Pater & Filius. Secundum personam verò sunt plures, & alij ab inuicem: quia Pater & Filius non sunt vna & eadem persona, sed duæ, & aliæ inuicem. Dic ergo: si Filius incarnatus est, & Filius non est alia, sed vna & eadem numero res, quæ Pater: ergo necesse est Patrem quoque esse incarnatum. Vnam enim & eandem numero rem impossibile est simul esse, non esse in eodem homine incarnatam. Et ego dico: Si Filius incarnatus est, & Filius non est vna & eadem numero persona, quæ Pater est, sed alia: non idcirco esse Patrem incarnatum necesse est. Aliam enim personam esse in vno homine incarnatam, & aliam simul non esse in eodem homine incarnatam possibile est. Et ille: Si Deus Filius incarnatus est, & Deus, qui est Filius, non est alius, sed vnus & idem numero Deus, qui Pater est. Plus tamen (quanuis diuersæ personæ sint Pater & Filius) videtur necesse esse Patrem quoque incarnatum cum Filio, propter identitatem deitatis, quam possibile esse propter diuersitatem personarum, non esse simul incarnatum. Videte quid hic dicit, quomodo claudicat vtroque pede in incarnatione Filij Dei. Nam qui recte suscipit eius incarnationem, credit eum non assumpsisse hominem in vnitatem naturæ, sed in vnitatem personæ. Hic autem somniat, hominem à Filio Dei magis esse assumptum in naturæ vnitatem, quam in personæ vnitatem. Si enim hoc non opinaretur: non diceret magis necessarium esse Patrem cum Filio incarnatum (quoniam vnus est Deus Pater, & Filius) quam esse possibile illum simul non esse incarnatum: quia plures sunt personæ. Viroque igitur pede, id est, vtraque parte claudicat, in incarnatione Filij Dei (quia vna natura est cum Patre, & alia persona à Patre) quicunque existimat hanc incarnationem sic esse secundum naturæ vnitatem: ut Filius non possit incarnari sine Patre, nec intelligit eam sic secundum vnitatem esse personæ, ut Pater non possit incarnari cum Filio. Quippe Deus non sic assumpsit hominem, ut natura Dei & hominis sit vna & eadem: sed ut persona Dei & hominis, vna eademque sit: quod non nisi in vna persona Dei esse potest. Ditas enim personas, vnam & eandem personam esse cum vno eodemque homine nequit intelligi. Nam si vnus homo cum singulis pluribus personis vna persona est: necesse est plures personas, quæ aliæ sunt à se inuicem, esse vnam eandemque personam, quod non est possibile. Quapropter impossibile est Deo incarnato secundum vnamquamlibet personam, illum secundum aliam quoque personam incarnari. Cur autem Deus magis assumpsit hominem in vnitatem personæ Filij, quam in vnitatem alicuius aliarum personarum: quantis in hac epistola nostrum hoc propositum non fuit, tamen quoniam huius rei mentio se obtrulit, aliquam reddendam rationem existimo. Nempe si Spiritus sanctus incarnatus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus sanctus Filius hominis. Essent igitur duo Filij in Trinitate Dei, scilicet Filius Dei, & Filius hominis. Vnde quædam nasceretur dubietatis confusio, cum de Deo Filio loquerentur, vterque enim esset Deus, & Filius, quanuis alter Dei, alter hominis: fieret quoque quasi quædam inæqualitas diuersarum personarum secundum hoc quod filij essent, qui omnino æquales esse debent, cum alter filius maioris parentis dignitate excelleret: alter minoris parentis humilitate subesset. Quâto enim maior est natura Dei, quam hominis, tanto dignius est esse filium Dei, quam fili-

Filius assumpsit naturam humanitatis in vnitatem personæ, non naturæ.

Cur Filius assumpsit humanitatem, non Patrem, aut Spiritus sanctus.

Philip. 2.
Sapient. 7.

Philip. 2.
Ioan. 10.
Ioan. 14.

A filium hominis. Si ergo Spiritus sanctus natus esset ex Virgine: cum Filius Dei haberet excellentiorem natiuitatem solam, quæ ex Deo est, & Spiritus sanctus minorem tantum, quæ esset ex homine, alia persona esset maior, & alia minor secundum dignitatem natiuitatis, quod non conuenit. Quod si Pater in unitatem suæ personæ hominem assumpsisset, eandem faceret in Deo pluralitas filiorum incontinentias, & adhuc aliam. Nam si esset filius Virginis, duæ personæ in Trinitate nomen nepotis assumerent, quia & pater, & nepos esset parentum Virginis, & filius eius, Virginis esset nepos: cum ipse tamen nihil haberet ex Virgine. Quoniam ergo quodlibet paruum inconueniens in Deo est impossibile, non debuit alia persona incarnari quam Filius. Illo enim incarnato nullum sequitur inconueniens. Quod enim Patrem inot dicitur Filius & Spiritu sancto secundam humanitatem, non tamen illæ duæ personæ ideo excellunt Filio: quia eandem maiestatem, quæ maiores sunt humanitas Filij, habet & Filius: quæ & ipse præest cum illis suæ humanitati. Est & aliud, cur magis conueniat Filio incarnatio, quam alij. Qui enim erat incarnandus, oraturus erat pro humano genere. Et satis conuenientius suscipit mens humana Filium Patri, quam alium alijs supplicare: quantum hæc supplicatio non fiat à diuinitate, sed ab humanitate ad diuinitatem. Quam idcirco Filius Dei facit, quia homo per unitatem personæ Filius Dei est. Amplius. Qui hominem erat assumpturus, venturus erat ad pugnandum contra diabolum, & ad intercedendum (sicut dixi) pro hominibus. Qui ambo, diabolus scilicet & homo, per rapinam se voluerunt facere similes Deo: cum propria sunt vsi voluntate. Et quia per rapinam, voluerunt non nisi falsitatem, quoniam non, nisi iniuste voluerunt. Propria enim voluntas hominis siue Angeli est, quæ contra voluntatem Dei est. Cum enim vult aliquis, quod Deus velle prohibet, nullam habet autorem suæ voluntatis, nisi seipsum: & ideo sua propria est. Nam quantum homo voluntatem suam aliquando subdat voluntati alterius hominis: propria tamen est, si contra Deum est, quoniam non eam subdit, nisi vt aliquid, quod vult, attingat: & idcirco seipsum habet autorem, cur eam alij subdat. Quapropter propria voluntas est, quæ nulli alij est subdita. Solius autem Dei est propriam habere voluntatem, id est, quæ nulli subdita sit. Quicumque igitur propria voluntate vititur ad similitudinem Dei, per rapinam nititur & Deum propria dignitate, & singulari excellentia priuare, quantum in ipso est, conuincitur. Si enim est alia aliqua voluntas, quæ nulli subdita sit, non ferit voluntas Dei omnibus prælata: nec erit ipsa sola, cui nulla alia præsit. Nulla igitur trium personarum Dei congruentius semetipsam exinaniuit formam serui accipiens, ad debellandum diabolum, & intercedendum pro homine, qui per rapinam falsam similitudinem Dei præsumpserant, quam Filius: qui splendor lucis æternæ, & vera Patris imago, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: verum per veram æqualitatem, & similitudinem, dixit: ego & Pater vnum sumus. Et qui videt me, videt & Patrem. Nullus nanque iustus expugnat reum, vel punit, aut illi misericordius parcat, vel pro eo intercedit, quam cui specialius iniuria fieri probatur: nec aliquid conuenientius opponitur falsitati ad expugnandum, aut opponitur ad saluandum, quam veritas. In illum enim falsam Dei præsumentes similitudinem specialius peccasse videntur, qui vera Dei Patris similitudo

D. ANSELMI TOMVS III.

creditur. Suscepit autem in unitatem personæ hominem, vt dictum est: vt sint duæ naturæ, diuina scilicet & humana, vna persona. De qua unitate personæ quam firmissime credimus esse non ex duabus personis in Christo, tamen quia potest dici: Vnde parum caute intuentibus videri possit Christus ex duabus, & in duabus personis existere: non inutile mihi videtur aliquid dicere,

Quomodo in Christo non dicuntur duæ personæ esse, sicut duæ naturæ assumptæ.

cap. V.

Dicunt enim quidam. Quomodo dicis in Christo non esse duas personas, sicut duas naturas. Nam Deus & ante hominis assumptionem persona erat, nec postquam hominem assumpsit persona desinit esse: & homo assumptus persona est, quia omnis homo indiuiduus esse persona cognoscitur. Quia alia persona est Dei, quæ fuit ante incarnationem, alia hominis assumpti, sicut igitur Christus est Deus & homo: ita duæ in illo videntur esse personæ. Quæ ratio cinatio per hoc videtur probare duas esse personas in Christo, quia & Deus est persona, & homo assumptus est persona. Sed non ita est. Sicut enim in Deo vna natura est, plures personæ, & plures personæ sunt vna natura: ita in Christo vna persona est plures naturæ, & plures naturæ sunt vna persona. Quemadmodum enim Pater est Deus, & filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus, & tamen non tres dii, sed vnus est Deus: ita in Christo Deus est persona, & homo est persona, nec tamen duæ sunt, sed vna persona. Non enim est alius Deus, alius homo in Christo: quantum aliud sit Deus, aliud homo, sed idem ipse est Deus, & qui homo. Verbum enim caro factum assumpsit naturam aliam, non aliam personam. Nam cum profertur homo, natura tantum, quæ communis est omnibus hominibus, significatur. Cum verò demonstratiue dicimus, istum vel illum hominem, vel proprio nomine Iesum, personam designamus: quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis sit singulis, & ab alijs singulis distinguitur. Nam cum ita designatur, non quilibet homo intelligitur: sed qui ab Angelo nuntiatus est, qui Deus & homo, Filius Dei, & Filius Virginis est. & quicquid de illo dicitur, aut secundum Deum, aut secundum hominem verum est dicere. Neque enim personaliter Filius Dei designari potest, vel nominari, sine Filio hominis: nec Filius hominis sine Filio Dei, quia idem ipse est Filius Dei, qui filius hominis, & eadē est Verbi, & assumpti hominis proprietatum collectio. Diuersarum verò personarum impossibile est eandem esse proprietatum collectionem, aut de inuicem eas proprietatum collectio: & Petrus non dicitur Paulus, nec Paulus Petrus. Cum ergo Verbum caro factum est, naturam assumpsit, quæ sola nomine hominis significatur, & semper est alia à diuina natura: non aliam assumpsit personam, quoniam eandem habet cum assumpto homine proprietatum collectionem. Non enim idem est, homo, & assumptus à Verbo homo, id est, Iesus, quoniam in nomine hominis, sicut dictum est, sola intelligitur natura: in assumpto verò homine, vel in nomine Iesu, intelligitur cum natura, id est, cum homine collectio proprietatum, quæ est eadem eadem assumpto homini & Verbo. Quapropter nõ dicimus Verbum, & simpliciter hominem, eam

DD 2 dem.

Philip. 2.
Sapient. 7.

Philip. 2.
Ioan. 10.
Ioan. 14.

Filius assumptus
personam
humanitatis
in unitatem
personæ, non
naturæ.

Cur Filius
assumpsit
humanitatem,
non Patrem,
aut Spiritum
sanctum.

A dem esse personam: ne non magis dicamus illum hominem eandem esse personam cum Verbo, quā quemlibet hominem: sed verbum, & illum assumptum hominem, id est, Iesum, sicut non credimus eundem hominem eandem simpliciter esse personam cum Deo, sed cum illa persona, quæ Verbum est, & Filius est: ne confiteri videamur ipsum hominem, personam eandem esse, quæ Pater est, aut Spiritus sanctus. Sed quoniam & Verbum est Deus, & ille assumptus homo est homo, verum est dicere: quia Deus & homo eadem persona est, sed in nomine Dei, subaudiendum est Verbum: & in nomine hominis, subaudiendus est Filius Virginis.

Quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non sint tres res separata naturali probatur exemplo.

Caput VI.

DE scriptis illius, cui respondeo in hac epistola, nihil potui videre præter illud quod supra dixi, sed puto sic rei veritatem patere ex his, quæ dixi, ut nulli lateat intelligenti: nihil quod ab illo dicitur, vim veritatis tenere. Sed si reuocatus a multitudine deorum, pluralitatem abneget in Deo personarum: hoc ideo facit, quia nescit unde loquitur. Nam nec Deum, nec personas eius cogitat: sed tale aliquid, quales sunt plures humane personæ. Et quia videt vnum hominem plures personas esse non posse, negat hoc ipsum de Deo. Non enim idcirco dicuntur tres personæ, quia sint tres res separatae, sicut tres homines: sed quia similitudinem habent quandam cum tribus separatis personis. Consideremus hoc in Patre & Filio, & id ipsum intelligatur de Spiritu sancto. Ponamus igitur hominem, qui tantum sit pater, & non filius, & filium eius, qui tantum filius, & non pater, id est, Adam & Abel. Dicimus itaque de Adam patre, & Abel filio, quia pater non est filius, & filius non est pater, quoniam duo homines & separatae personæ sunt Adam & Abel: nec est cuius filius sit Adam, aut cuius pater est Abel. Sic itaque fatemur in Deo: quia Pater non est Filius, aut Filius Pater, quamuis duo dii non sint: quoniam Pater non habet patrem, aut Filius filium. Similiter Spiritus sanctus non est Pater, aut Filius, quia non est cuius sit pater, aut cuius sit filius. Quoniam ergo Pater & Filius & Spiritus sanctus tres sunt, & alij ab inuicem, & nec de inuicem dici queunt: sicut de patre & filio in diuersis personis hominum ostendimus. Ideo dicuntur tres personæ, non quia sint tres res separatae. Ac si negat tria dici de vno posse, & vnum de tribus, cum tria non dicantur de inuicem, sicut in his tribus personis & vno Deo facimus: quoniam hoc in alijs rebus non videt, nec in Deo intelligere valeat: sufferat paulisper aliquid quod intellectus eius penetrare non possit esse in Deo, nec comparet naturam, quæ super omnia est libera ab omni lege loci & temporis & compositionis partium, rebus, quæ loco aut tempore clauduntur, aut partibus componuntur: sed credat aliquid in illa esse, quod in istis esse nequit, & acquiescat auctoritati Christi, nec disputet contra illam.

Originem personarum in diuinis alio naturali exemplo probat.

Caput VII.

Videamus tamen, an in rebus creatis, quæ & loci, & temporis, & compositionis partium legi subiacent, inueniri possit aliquatenus hoc quod negat in Deo. Ponamus fontem, de quo nas-

catur & fluat riuus, qui postea colligatur in lacum: sitq; nomen eius Nilus. Sic itaq; discretè discimus, fontem, riuum, lacum: vt fontem non dicamus riuum, aut lacum: nec riuum, fontem, aut lacum: nec lacum, fontem, aut riuum. fons tamen Nilus vocatur, & riuus Nilus, & lacus Nilus; & duo simul fons, & riuus, Nilus; fons, & lacus, Nilus: riuus, & lacus Nilus: & simul tres fons, & riuus, & lacus, Nilus; cum tamen non sit alius & alius Nilus: sed vnus idemq; siue cum singulis quisq;, siue cum binis, siue cum tres dicuntur Nilus. Tres igitur sunt fons, riuus, lacus, & vnus Nilus, vnus fluuius, vna natura, vna aqua. & dici non potest quid tres. Nam neq; tres, aut Nili, aut fluuij, aut naturæ, aut aquæ sunt: neq; tres, aut fontes, aut riuus, aut lacus. Vnum igitur dicitur hoc de tribus, & tria de vno: nec tamen tria de inuicem. Quod si obiecit, non esse singulum quemq;, aut fontem, aut riuum, aut lacum, aut binos perfectum Nilum, sed partes Nili: cogitet totum hunc Nilum, ex quo incepit: vsq; dum desinet esse in tota quasi ætate sua: quia nec ipse totus est simul aut loco, aut tempore, sed per partes: nec perfectus erit, donec delinat esse. habet enim Nilus quandam cum oratione similitudinem, quæ quādiu quasi ex oris fonte procedit, perfecta non est, & cum perfecta est, iam non est. Si quis enim sic consideret, & diligenter intelligat, cognoscat totum Nilum esse fontem, totum esse riuum, totum esse lacum: nec fontem esse riuum, aut lacum: nec riuum esse fontem, aut lacum, nec lacum esse fontem, aut riuum. Non enim est idem ipse fons, qui riuus aut lacus, quamuis id ipsum sit riuus & lacus quod est fons, id est, idem Nilus, idem fluuius, eadem aqua: eadem natura. Tria igitur hæc dicuntur de vno perfecto, & vnum perfectum totum de tribus: nec tamen ipsa tria de inuicem dicuntur, quamuis hoc aliter valde & perfectius sit in illa natura simplicissima, & ab omni lege loci vel temporis liberrima. Veruntamen si hoc aliquatenus videtur in re, quæ partibus composita, localis, & temporalis est, non est incredibile in illa summè libera natura perfecte esse. Est hoc quoq; hic considerandum, quia fons non est de riuo nec de lacu: riuus verò de solo fonte, non de lacu: lacus verò de fonte, & de riuo: & ita totus riuus, de toto fonte, & totus lacus, & de toto fonte, & de toto riuo: sic dicimus in Patre & Filio & Spiritu sancto. Et quia alio modo riuus est de fonte, & alio modo lacus de fonte & riuo, vt lacus nō dicatur riuus: sic suo quodammodo alio Verbum est de Patre, & Spiritus sanctus alio modo de Patre & Verbo: vt idem Spiritus sanctus nō sit Verbum aut Filius, sed procedens. Adhuc volo quiddam dicere, quod quamuis magnam habeat dissimilitudinem, nonnullam tamen habet ad incarnationem Verbi similitudinem, quod forsitan aliquis legens contemnet: dicam tamen, quia ego alio dicente omnino non contemnerem. Si enim riuus per fistulam currat a fonte vsque ad lacum, nonne solus riuus (quamuis non alius Nilus quam fons & lacus) vt ita dicam, infistulatus est. Sic solus Filius incarnatus est, licet non alius Deus quam Pater & Spiritus sanctus.

Eternitati punctum comparat.

Cap. VIII.

SED quoniam ista terrena valde longè sunt à summa natura, leuemus ad illam (ipsa opitulante) mentem, & in ea contemlemur aliquatenus & breuiter quod dicimus. Deus non est aliud, quam

A quam ipsa simpliciter æternitas. Aeternitates autem plures intelligi nequeunt. Nam si plures sunt, aut sunt extra se inuicem, aut sunt intra se inuicem. Sed nihil est extra æternitatem, ergo nec æternitas est extra æternitatem. Item, si extra se inuicem sunt, in diuersis locis sunt: aut temporibus, quod alienum est ab æternitate. Non itaque sunt plures æternitates extra se inuicem. Si vero in se inuicem, plures esse dicuntur. Sciendum est, quia quotiescunq; repetatur æternitas in æternitate, non est nisi vna & eadem æternitas. Dignior est autem natura, quæ in se repetita semper sibi conuenit in perfectam vnitatem, quam quæ sui admittit pluralitatem. Vbi enim pluralitas, ibi diuersitas: At ubi diuersitas, ibi non est perfecta concordia. Perfecta namq; est, quæ in identitatem & eandem vnitatem conuenit. Sic ergo melior est perfecta concordia, quam imperfecta, & impossibile est in summo bono, quod est ipsa æternitas, esse imperfectum aliquid, non est possibile naturam æternitatis pluralitatem admittere. Quapropter quotiescunq; repetatur æternitas in æternitate, semper vna & eadem æternitas est. Quod de multis alijs similiter dicitur, vt omnipotentia in omnipotentia, non est nisi omnipotentia vna. Et vt vnum de his, quæ diuinam non habent naturam, in quo similiter est, ponam. Punctum in puncto non est nisi punctum: habet enim punctum, velut medium, punctum mundi, velut punctum temporis, id est, præsens tempus, æternitatis nonnullam similitudinem non parum ad eiusdem æternitatis contemplationem vtilis. Vnde latius alias disputandum est, hic tantum hoc sufficiat, quia punctum simplex, id est, sine partibus, & indiuisibile est, velut æternitas & ideo punctum cum puncto sine interuallo non est nisi vnum punctum, sic æternitas cum æternitate non est nisi vna æternitas. Ergo quoniam Deus æternitas est, non sunt plures dii: quia nec Deus extra Deum, nec Deus in Deo addit numerum Deo. Semper igitur vnus & idem est solus Deus. Cum itaque Deus de Deo nascitur: quia quod nascitur non est extra id, de quo nascitur, est proles in parente, & parens in prole, vnus scilicet Deus Pater & Filius: & cum Deus procedit de Deo Patre & Filio, nec exit extra Deum, manet Deus, id est, Spiritus sanctus in Deo, de quo procedit. Et est vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et quoniam ista natiuitas & ista processio sine principio sunt, alioquin æternitas nata, & æternitas procedens, quod falsum est, habet principium: nequaquam Deum incepisse esse Patrem aut Filium, aut Spiritum sanctum cogitare debemus aut possumus. Sicut autem substantia diuina æternam & singularem seruat vnitatem: sic horum relatiuorum patris, scilicet & filij, procedentis & de quo procedit natura, inseparabilem tenet cum vnitatem pluralitatem. Nam quemadmodum necesse est Deum semper vnum & eundem esse, & non alium & alium: ita Pater nunquam est idem Filio suo, aut procedens illi a quo procedit secundum has relationes. Sed Pater alius est, & Filius alius est, procedens alius a quo procedit, nec vnquam dici possunt de inuicem. Quoniam ergo cum Deus nascitur de Deo, vel cum Deus procedit de Deo: nec substantia potest amittere singularitatem: nec relatio pluralitatem: idcirco vnum est ibi tria, & tria vnum: nec tamen tria de inuicem dicuntur, nec incredibile debet esse in natura, quæ super omnia & omnibus alijs dissimilis est, esse aliquid, cuius exemplum in alijs rebus non valeat perfecte inueniri. hæc autem tria Latini dicunt personas. Græci substantias. Si-

cut enim dicimus nos in Deo substantiam vnã tres personas: ita illi dicunt vnã essentiam, tres substantias. idipsum per substantiam, quod nos per personam, significantes: nec a nobis aliquatenus in fide discrepantes. Quomodo vero Filius nascatur de Patre, & Spiritus sanctus procedat a Patre & Filio: nec tamen sit filius, quoniam sicuti est, videri in hac vita non potest; beatus Augustinus velut per speculum in enigmate, in libro de hac ipsa Trinitate diligenter contemplatus est. Et ego in Monologio meo pro mea possibilitate disputati. Si quis autem velit scire, cur in summa essentia nullus sit sexus, cur parens ibi potius dicatur pater quam mater, aut proles filius quam filia, aut cur Pater tantum ingenuus, Filius tantum genitus, Spiritus sanctus nec genitus, nec ingenuus in eodem libello inueniet.

*Explicit de fide Christiana, siue
Incarnatione Verbi.*

B. ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS, in libros duos contra gentiles: quos, cum Deus homo nominauit.

PRÆFATIO.

Opus subditum, quod propter quosdam, qui antequam perfectum & exquisitum esset, primas partes eius me nesciente sibi transcriberant, festinantius quam mihi opportunum esset: ac ideo breuius quam vellem, sum ad actus, vt potui, consummare. Nam plura, quæ tacui, inseruissem, & addidissim, si in quiete & congruo spatio illud mihi edere licuisset. In magna enim cordis tribulatione, quam, vnde & cur passus sim, nouit Deus: in Anglia, rogatus incepi, & in Capuana prouincia peregrinus perfecit. Quod secundum materiam, de qua editum est, (Cur Deus homo) nominauit: & in duos libellos distinxit. Quorum prior quidem, infidelium respicientium Christianam fidem, quia rationi putant illam repugnare, continet obiectiones, & fidelium responsiones: ac tandem remoto Christo (quasi nunquam aliquid fuerit de illo) probat rationibus necessarijs esse impossibile vllum hominem saluari sine illo. In secundo autem libro similiter, quasi nihil sciatur de Christo, monstratur non minus aperta ratione & veritate naturam humanam ad hoc institutam esse, vt aliquando immortalitate beata totus homo, id est, in corpore & in anima frueretur: ac necesse esse, vt hoc fiat de homine, propter quod factus est: sed non nisi per hominem Deum, atq; ex necessitate omnia, quæ de Christo credimus, fieri oportere. Hanc Præfatiunculam cum capitulis totius operis, omnes, qui librum hunc transcribere volent, ante eius principium, vt præfigant, postulo: quatenus in cuiuscunque manus venerit, quasi in eius fronte aspiciat si quid in toto corpore sit quod non despiciat.

Explicit prologus.

DD 3 INCI-

A **INCIPIT LIBER**
PRIMVS ANSELMI
Episcopi, cur Deus Homo.

Questio, de qua totum opus pendet.

CAPVT I.

SAepe & studiosè à multis rogatus sum & verbis & literis, quatenus cuiusdam quæstionis de fide nostra rationes, quas soleo respondere quærentibus, memoriæ scribendo commendem: dicunt enim sibi placere eas, & arbitrantur sibi satisfacere. Quod appetunt, non vt per rationem ad fidem accedant: sed vt eorum: quæ credunt intellectu, & delectentur contemplatione: & vt sint, quantum possint, parati semper ad satisfactionem *omni poscenti se rationem, de ea, quæ in nobis est spe.* Quam quæstionem solent infideles nobis simplicitatem Christianam, quasi fatuam deridentes, obijcere, & fideles multi in corde versare: quia scilicet ratione vel necessitate Deus homo factus sit, & morte sua, sicut nos credimus & confitemur, mundo vitam reddiderit. Cùm hæc aut per aliam personam, siue per Angelicam, siue per humanam, aut sola voluntate facere potuerit. De qua quæstione non solum literati: sed etiam illiterati multi quærent, & rationem eius desiderant: Quomodo ergo de hac multi tractare postulent: & licet in inquirendo, valde videatur difficilis: in soluendo tamen, omnibus est intelligibilis, & propter utilitatem rationisque pulchritudinem amabilis: quamuis a sanctis Patribus, inde quod sufficere debeat, dictum sit, tamen de illa curabo, quod mihi Deus dignabitur aperire, petentibus ostendere. Et quomodo ea, quæ per interrogationem & responsum inuestigantur, multis & maximè tardioribus ingenijs magis patent: & ideo plus placet vnum, ex illis, qui hoc flagitant, qui inter alios instantius ad hoc me sollicitant, accipiam mecum disputantem: vt *Boso* quærat, & *Anselmus* respondeat hoc modo.

Quomodo accipienda sint ea, quæ dicenda sunt.

Caput II. Boso.

Sicut rectus ordo exigit: vt profunda Christianæ fidei credamus priusquam ea præsumamus ratione discutere: ita negligentia mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere. Quapropter quoniam gratia Dei præueniente fidem nostram redemptionis sic puto me tenere, vt etiam si nulla ratione quod credo possum comprehendere: nihil tamen sit, quod me ab eius firmitate valeat euellere: à te peto mihi aperiri (quod, vt scis, plures mecum petunt) qua necessitate, scilicet & ratione Deus, cùm sit omnipotens, humilitatem & infirmitatem humanæ naturæ pro eius restauratione assumpserit. *Ansel.* Quod quæris à me, supra me est, & idcirco altiora me tractare timeo: ne fortè cùm putauerit, aut etiam viderit aliquis me non sibi satisfacere, plus existimet rei veritatem mihi deficere, quam intellectum meum ad eam capiendam non sufficere. *Boso.* Non hoc tantum timere debes, quantum & reminisci: quia sæpe contingit in colloquendo de aliqua quæstione, vt Deus aperiat quod prius latebat, & sperare de gratia Dei, quia si ea, quæ gratis accepisti, libenter impartiris: altiora, quæ nondum attigisti, mereberis accipere. *Ansel.* Est & aliud, propter quod video aut vix, aut nullatenus

posse ad plenum inter nos de hac re nunc tractari: quoniam ad hoc est necessaria notitia potestatis, necessitatis, voluntatis: & aliarum quarundam rerum, quæ sic se habent, vt earum nulla possit plenè sine alijs considerari. & ideo tractatus earum suu opus postulat non multum, vt puto, facile nec omnino inutile. Nam earum ignorantia quædam facit difficilia, quæ per earum notitiam fiunt facilia. *Bos.* Sic breuiter de his, suis locis dicere poteris: vt quod sufficit ad præsens, opus habeamus, & quod plus dicendum est, in aliud tempus differamus. *Ansel.* Hoc quoque multum retrahit à petitione tua, quia materia non solum pretiosa, sed sicut est de speciosa forma præfilijs hominum: sic etiam est de speciosa ratione super intellectus hominum. vnde timeo, ne quemadmodum ego soleo indignari prauis pictoribus, cùm ipsum Dominum nostrum informi figura pingi vi deo: ita mihi cõtingat, si tam decoram materiam incompto & contemptibili dictamine exarare præsumo. *Bos.* Nec hoc te debet retrahere: quia sicut tu permittis, vt qui potest melius dicat: sic nulli præstituis, vt cui dictamentum non placet, pulchrius non scribat: verè vt omnes excusationes tuas excludam, quod postulo non facies doctis: sed mihi, & hoc ipsum mecum petentibus. *Ansel.* Quoniam video importunitatem tuam & illorum, qui hoc tecum ex charitate & religioso studio perunt: tentabo pro mea possibilitate, Deo adiuuante & vestris orationibus, quas hoc postulantes sæpe mihi petenti ad hoc ipsum promissis, quod quæritis non tam ostendere quam tecum quærete, sed eo pacto, quo omnia quæ dico accipi volo, videlicet, vt si quid dixerò quod maior non confirmet autoritas, quamuis illud ratione probare videar, non alia certitudine accipiat interim, nisi quia mihi ita videtur, donec mihi Deus aliquo modo melius reuelet. Quod si aliquatenus quæstioni tuæ satisfacere poterò, certum esse debet: quia & sapientior me plenius hoc facere poterit. imò sciendum est, quicquid homo inde diceret vel scire possit, altiores tantæ rei adhuc latere rationes. *B.* Patere igitur vt verbis vtat infidelium: quum enim est vt cùm nostræ fidei rationem studemus inquirere, ponamus obiectiones eorum, qui nullatenus ad fidem eandem sine ratione volunt accedere. Quamuis enim illi ideo rationem quærant, quia non credunt: nos verò, quia credimus, vnum idemque, tamen est quod quærimus: & si quid responderis, cui autoritas sacra videatur cõtraire, licet mihi illam ostendere, quatenus quomodo non obstat aperias. *Ansel.* Dic quod tibi videtur.

Obiectiones infidelium, & responsiones fidelium.

Caput III. Boso.

Obiiciunt nobis deridentes simplicitatem nostram infideles, quia Deo facimus iniuriam & contumeliam, cùm eum asserimus, in vterum mulieris descendisse, natum esse de foemina, lacte & alimentis humanis nutritum creuisse: & vt multa alia taceam, quæ Deo nostro non videntur conuenire, lassitudinem, famem, sitim, verbera, & inter latrones crucem mortemque subijisse. *Ansel.* Nos non facimus Deo iniuriam vllam aut contumeliam: sed toto corde gratias agentes laudamus & prædicamus ineffabilem altitudinè misericordie illius: vt quanto nos mirabilis & præter opinionem de tantis & tam debitis malis, in quibus eramus, ad tanta & tam indebita bona quæ perdidimus, restituit tanto maiorem dilectione erga nos & pietatem monstrauit. Si enim deligenter considerarent, quam conuenienter hoc modo procu-

A procurata sit humana restauratio, non deriderent nostram simplicitatem, sed Dei nobiscum laudarent sapientem benignitatem. Oportebat namque ut sicut per hominis inobedientiam mors in humanum genus intrauerat: ita per hominis obedientiam vita restitueretur. Et quemadmodum peccatum, quod fuit causa nostrae damnationis, initium habuit a femina: sic vera iustitia & salutis nostrae autor, nasceretur de femina; & ut diabolus, qui per gustum ligni (quem suavit) hominem vice rat, ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur. Sunt quoque alia multa, quae studiosè considerata ineffabilem quandam nostrae redemptionis, hoc modo procuratae, pulchritudinem ostendunt.

Quod haec responsiones videantur infidelibus sine necessitate & quasi quadam pictura.

Caput IV. Bolo.

OMnia haec pulchra & quasi quaedam picturae suscipienda sunt. Sed si non sit aliquid solidum super quod sedeant, non videntur infidelibus sufficere: cur Deum ea, quae dicimus, pati voluisse, credere debeamus. Nam qui picturam vult facere, aliquid eligit solidum super quod pingat, ut maneat quod pingit. Nemo enim pingit in aqua, vel in aere, quia ibi nulla manent picturae vestigia. Quapropter cum has convenientias, quas dicis, infidelibus, quasi quasdam picturas rei gestae obtendimus: quoniam non rem gestam, sed figmentum arbitrantur esse quod credimus, quasi super nubem pingere nos existimant. Montranda est ergo prius veritatis rationabilis soliditas, id est, necessitas, quae probat Deum ad ea, quae praedicamus, debuisse aut potuisse humiliari. Deinde, ut ipsum quasi corpus veritatis plus niteat, istae convenientiae, quasi picturae corporis sunt exponendae. *Ansel.* Nonne satis necessaria ratio videtur: cur Deus ea, quae dicimus, facere debuerit: quia genus humanum tam pretiosum opus eius omnino perierat: nec decebat, ut quod Deus de homine proposuerat, penitus annihilaretur: nec idem eius propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanum ab ipso Creatore suo liberaretur.

Quod redemptio hominis non potuit fieri per aliam, quam per Dei personam. Cap. V. Bolo.

HAEC ipsa liberatio, si per aliam quam per Dei personam (siue per Angelum, siue per hominem, esse facta quolibet modo diceretur) mens haec humana hoc multo tollerabilius acciperet. Potuit enim Deus hominem aliquem facere sine peccato, non de massa peccatrice, nec de alio homine, sed sicut fecit Adam, per quem hoc ipsum opus fieri potuisse videtur. *Ansel.* An non intelligis: quia quaecunque alia persona hominem a morte aeterna redimeret, eius seruus idem homo rectè indicaretur? Quod si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non peccasset: cum ipse, qui non nisi Deus seruus & aequalis Angelis bonis per omnia futurus erat, seruus eius esset, qui Deus non esset, & cuius Angeli serui non essent.

Qualiter reprehendant infideles, quod dicimus, Deum morte sua nos redemisse, & sic dilectionem suam erga nos ostendisse, & pro nobis expugnare diabolum venisse.

Caput VI. Bolo.

HOc est quod valde mirantur: quia liberationem hanc redemptionem vocamus. In

qua nanque, aut nobis, captione, aut in quo carcere, aut in cuius potestate tenebeamini, unde vos Deus non potuit liberare, nisi vos tot laboribus & ad ultimum suo sanguine redimeret? Quibus cum dicimus: redemit nos a peccatis, & ab ira sua, & de inferno, & de potestate diaboli, quem quia nos non poteramus, ipse pro nobis venit expugnare, & redemit nobis regnum caelorum. Et quia haec omnia fecit, hoc modo ostendit quantum nos diligeret. Respondent. Si dicitis, quia Deus haec omnia facere non potuit solo iussu, quem cuncta iubendo creasse dicitis, repugnatis vobismetipsis: quia impotentem illum facitis. Aut si fateamini, quia potuit: sed noluit, nisi hoc modo, quomodo sapientem illum dicitis, vel ostendere poteritis? quem sine vlla ratione tam indecentia velle pati alleritis? Omnia enim haec, quae obtenditis, in eius voluntate consistunt. Ita nanque Dei non est aliud, quam voluntas puniendi. Si ergo non vult punire peccata hominum, liber est homo a peccatis, & ab ira Dei, & ab inferno, & a potestate diaboli, quae omnia propter peccata patitur: & recipit ea, quibus propter eadem peccata priuatur. Nam in cuius potestate est infernus, aut diabolus: aut cuius est regnum caelorum, nisi eius, qui fecit omnia? Quaecunque itaque timetis aut desideratis, eius voluntati subiacent, cui nihil resistere potest. Quapropter si humanum genus saluare noluit, nisi eo, quo dicitis, modo: cum sola voluntate potuerit ut minus dicam: videte, quomodo eius sapientiae repugnatis. Nam si homo quod facile posset id cum graui labore sine ratione faceret, non utique sapiens ab illo iudicaretur. Quippe quod dicitis, Deum taliter ostendisse quantum vos diligeret, nulla ratione defenditur: si nullatenus hominem aliter potuisse saluare non monstratur. Nam si aliter non potuisset: tunc forsitan necesse esset, ut hoc modo suam dilectionem ostenderet: nunc vero, cum aliter possit saluare hominem, quae ratio est, ut propter ostendendam dilectionem suam ea, quae dicitis, faciat & sustineat? An enim non ostendit Angelis bonis quantum eos diligit, pro quibus talia non sustinet? Quod vero cum dicitis venisse expugnare pro vobis diabolum, quo sensu audetis proferre? Nonne Dei omnipotentia regnat vbique? Quomodo ergo indigebat Deus, ut ad vincendum diabolum de caelo descenderet? Haec nobis infideles obijcere posse videntur.

Quod nullam diabolus habebat iustitiam aduersus hominem: & quare dicatur habuisse vel videatur, & cur hoc modo hominem Deus liberaret.

Caput VII.

SED & illud, quod dicere solemus, Deum scilicet debuisse prius per iustitiam contra diabolum agere, ut liberaret hominem: quam per fortitudinem, ut cum diabolus eum, in quo nulla mortis erat causa, & qui Deus erat, occideret: iuste potestatem, quam super peccatores habebat, amitteret: alioquin iniustam violentiam fecisset illi, quoniam iuste possidebat hominem, quem non ipse violenter attraxerat, sed idem homo se sponte ad illum contulerat: non video quam vim habeat. Nam si ipse diabolus aut homo suus esset, aut alterius quam Dei, aut in alia quam in Dei potestate maneret, forsitan hoc rectè diceretur, cum autem diabolus aut homo non sit nisi Dei, & extra potestatem Dei neuter consistat, quam

A causam debuit Deus agere cum suo, de suo, in suo, nisi ut seruum suum puniret, qui suo consensu communem Dominum deserere, & ad se persuasisset transire, ac traditor fugitivum, fur furem cum furto Domini sui suscepisset. Vterque nanque fur erat, cum alter altero persuadente se ipsum Domino suo furabatur. *Qui enim iniustus fieri posset, si hoc Deus faceret? aut si iudex omnium Deus hominem sic possessum de potestate tam iniuste possidentis, vel ad puniendum istum aliter quam per diabolum, vel ad parcendum illi eriperet: quæ hæc iniustitia esset? Quamuis enim homo iuste a diabolo torqueretur, illè tanten eum iniuste torquebat. Homo nanque meruerat ut puniretur, nec ab vilo conuenientius quam ab illo cui consenserat, ut peccaret. Diaboli verò meritum nullum erat ut puniret: imò hoc tanto faciebat iniustius: quanto non ad hoc, amore iustitiæ trahebatur, sed instinctu malitiæ imbellabatur. Nam hoc non faciebat Deo iubente, sed incomprehensibili sapientia sua, quæ mala etiam bene ordinat, permittente, & puto illos, qui diabolum aliquam opinantur habere in possidendo homine iustitiam, ad hoc inde adduci: quia vident hominem diaboli vexationi subiacere iuste, & Deum hoc iuste permittere: & idcirco putant diabolum illam iuste inferre. Contingit enim idem aliquid diuersis considerationibus esse iustum & iniustum, & ob hoc aut non diligenter intuentibus totum, iustum aut iniustum iudicari. Euenit enim ut aliquis innocentem percussit iniuste: vnde ipse iuste percussus meretur, si tamen percussus (qui non debet se vindicare) percussit percussorem se, iniuste hoc facit. Hæc igitur percussio ex parte percussientis iniusta est: quia non debuit se vindicare; ex parte verò percussi iusta: quia iniuste percussus, iuste percussus meruit. Diuerso igitur intuitu iusta & iniusta est eadem actio, quam contingere potest ab alio iudicari iustam tantum, ab alio iniustam. Hoc quoque modo diabolum non iniuste dicitur vexare hominem, quia Deus hoc iuste permittit: & homo hoc iuste patitur. Sed & hoc, quod homo iuste dicitur pati, non sua iustitia iuste dicitur pati: sed quia punitur iusto iudicio Dei. At si obtenditur, *chirographum illud decreti, quod aduersum nos dicit Apostolus fuisse: & per mortem Christi deletum esse: & putat aliquis per illud significari: quia diabolum quasi sub cuiusdam pacti chirographo ab homine iuste ante passionem Christi peccatum, velut vsuram primi peccati, quod persuasit homini, & pœnam peccati exigeret, ut per hoc iustitiam suam super hominem videatur probare: nequaquam ita intelligendum puto. Quippe chirographum illud non est diaboli: quia chirographum dicitur decreti: decretum enim illud non erat diaboli, sed Dei. Iusto nanque iudicio Dei decretum erat, & quasi chirographo confirmatum, ut homo, qui sponte peccauerat: nec peccatum, nec pœnam peccati per se vitare posset, est enim spiritus vadens, & non rediens: & qui facit peccatum seruus est peccati, nec qui peccat, impunitus debet dimitti, nisi misericordia peccatori parcat, & eum liberet ac reducat. Quamobrem per hoc chirographum nullam intuenti posse diaboli iustitiam in hominis vexatione credere debemus. Denique sicut in boño Angelo nulla omnino est iniustitia, in malo nulla est penitus iustitia. Nihil igitur erat in diabolo: cur Deus contra illum ad liberandum hominem sua vti fortitudine non deberet.**

Coloss. 2.

Psal. 77.
Ioan. 8.

Quomodo licet humilia, quæ dicimus de Christo non pertineant ad diuinitatem: tamen inconueniens videtur infidelibus ea de illo dici secundum hominem:

& vnde illis videatur idem homo non sponte mortuus esse.

Capitulum VII. An.

Sfficere nobis debet ad rationem, voluntas Dei cum aliquid facit: licet non videamus, cur ita velit: voluntas nanque Dei nunquam est irrationabilis. *B.* Verum est, si constet Deum id velle vnde agitur: nequaquam enim acquiescunt multi Deum aliquid velle, si rationi repugnare videatur. *A.* Quid tibi videtur repugnare rationi, cum Deum ea voluisse fatemur, quæ de eius incarnatione credimus? *B.* Ut breuiter dicam. Altissimum ad tam humilia inclinari, omnipotentem aliquid facere cum tanto labore. *A.* Qui hoc dicunt, non intelligunt quod credimus. Diuinam enim naturam absque dubio asserimus impassibilem, ne vllatenus posse a sua celsitudine humiliari: nec in eo quod vult facere, laborare. Sed Dominum Iesum Christum dicimus Deum verum & verum hominem: vnã personam in duabus naturis, & duas naturas in vna persona. Quapropter cum dicimus Deum aliquid humile aut infirmum pati, non hoc intelligimus secundum sublimitatem impassibilis naturæ: sed secundum infirmitatem humanæ substantiæ, quam gerebat: & sic nostræ fidei nulla ratio obuiare cognoscitur. Sic enim nullam diuinæ substantiæ significamus humilitatem, sed vnã Dei & hominis mostramus esse personam. Non ergo incarnatione Dei humilitas eius vlla intelligitur facta: sed natura hominis creditur exaltata. *B.* Ita fit, nihil impeditur diuinæ naturæ, quod secundum infirmitatem hominis de Christo dicitur: veruntamen, quomodo iustum aut rationabile probari poterit: quia Deus hominem illum, quem Pater Filium suum dilectum, in quo sibi bene complacuit, vocauit: & quem Filius seipsum fecit, sic tractauit aut tractari permisit. Quæ autem iustitia est, hominem omnium iustissimum morti tradere pro peccatore? Quis homo, si innocentem damnaret ut nocentem liberaret, damnandus non iudicaretur? Ad idem ergo res deduci videtur inconueniens, quod supra dictum est. Nam si aliter peccatores non potuit saluare, quam iustum damnando, ubi est omnipotentia? Si verò potuit, sed noluit: quomodo defendemus sapientiam eius atque iustitiam? *A.* Deus Pater non quemadmodum videris intelligere, hominem illum tractauit, aut innocentem pro nocente morti tradidit. Non enim eum inuitum ad mortem ille coegit, aut occidi permisit: sed idem ipse sponte suam mortem sustinuit, ut homines saluaret. *B.* Etiam si non inuitum, quoniam voluntati Patris consentit, quodammodo tamen illum coegisse videtur præcipiendo. Dicitur enim, quia Christus humiliavit semetipsum, factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltauit, & quia didicit obedientiam ex his quæ passus est, & quia proprio Filio suo non peperit Pater, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et idem Filius dicit: Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius qui misit me. Et iturus ad passionem dicit: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Item, calicem, quem dedit mihi Pater, non bibebam illum? Et alibi: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et alibi: Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat

C

D

Matth. 3.

Philip. 2.
Hebr. 5

Philip. 2.

Philip. 2.
Hebr. 5

Psal. 109

Rom. 8.

Ioan. 6.

Ioan. 14.

Eiusd. 18.

Matth. 26.

Luca 10.
Ioan. 16.

Ibidem.

A fiat voluntas tua. In omnibus istis plus videtur Christus obedientia cogente, quam spontanea voluntate disponente mortem sustinuisse.

Quod sponte mortuus sit, & quid sit, factus est obediens usque ad mortem: & propter quod Deus illum exaltauit, & non veni facere voluntatem meam, & proprio Filio suo non pepercit, & non sicut ego volo, sed sicut tu vis.

Caput IX. An.

VT mihi videtur, non bene discernis inter hoc quod fecit exigente obedientia, & quod sibi factum, quia seruauit obedientiam, sustinuit non exigente obedientia. **B.** Necessè habeo vt hoc apertius exponas. **A.** Cur persecuti sunt eum Iudæi usque ad mortem? **B.** Non ob aliud, nisi quia veritatem & iustitiam viuendo & loquendo indeclinabiliter tenebat. **A.** Hoc puto, quia Deus ab omni rationali creatura exigit, & hoc illa per obedientiam Deo debet. **B.** Sic nos fateri oportet. **A.** Hanc igitur obedientiam debebat homo ille Deo Patri, & humanitas diuinitati, & hanc ab illo exigebat Pater. **B.** Hoc nulli dubium. **A.** Ecce habes quid fecit exigente obedientia. **B.** Verum est, & iam video quid sibi illatum: quia obediendo perseuerauit, sustinuit. Nam illata est illi mors: quia perstitit in obedientia, & hanc sustinuit: sed quomodo hanc obedientiam exigit non intelligo. **A.** Si homo nunquam peccasset, deberet pati mortem: aut deberet Deus hoc ab illo exigere? **B.** Quemadmodum credimus, nec homo moreretur, nec hoc exigeretur ab illo, sed huius rei à te audire volo rationem. **A.** Rationalem creaturam iustam factam esse: & ad hoc, vt Deo fruendo beata esset, non negas? **B.** Non. **A.** Deo autem nequaquam æstimabis continere, vt quam fecit iustam ad beatitudinem, cogat sine culpa esse miseram: hominem enim inuitum mori, miserum est. **B.** Patet, quia si non peccasset homo, non deberet Deus ab eo mortem exigere. **A.** Non ergo coëgit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum, sed ipse sponte sustinuit mortem: non per obedientiam deserendi vitam, sed propter obedientiam seruandi iustitiam, in qua tam fortiter perseuerauit, vt inde mortem incurreret. Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater: cum hoc præcepit Pater, vnde incurreret mortem. Ita ergo sicut mandatum dedit illi Pater sic fecit, & calicem quem dedit ei, bibit: & factus est obediens Patri usque ad mortem, & sic didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, id est, quousque debeat seruari obedientia. Verbum autem quod propositum est, didicit, duobus modis intelligi potest. Aut enim didicit, dictum est pro eo, quod est, alios discere fecit. Aut quia, quod per scientiam non ignorabat, experimento didicit: Quod autem Apostolus, cum dixisset, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, subdidit, propter quod & Deus illum exaltauit: & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Cui simile est quod Dauid dicit: De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput: non ita dictum est, quasi nullatenus potuisset peruenire ad hanc exaltationem, nisi per hanc mortis obedientiam, & hæc exaltatio non nisi in retributionem huius obedientiæ collata sit. Prius quam pateretur dixit, omnia sibi esse tradita à Patre, & iterum omnia Patris esse sua. Sed quomodo ipse cum Patre sanctoque Spiritu disposuerat se non aliter, quam per mortem celsitudinem omnipotentiae

sua ostensuram mundo: quippe quod nisi per illam mortem fieri dispositum est: cum per illam sit: non incongrue dicitur propter illam fieri. Si enim intendimus aliquid facere: sed proponimus nos prius aliud facturos, per quod illud fiat, cum iam factum est quod volumus præcedere: si sit quod intendimus, recte dicitur, propterea fieri quoniam factum est propter quod differebatur: quia non nisi per illud fieri dispositum erat. Nam si fluiuium, quem equo vel nauis transire possum: & propono me non nisi nauis transiturum, & ideo differo me transire, quia nauis abest: cum iam præsto est nauis, si transeo: recte de me dicitur, nauis parata fuit, ideo transiit: & non solum ita loquimur quando per illud, quod præcedere volumus: sed etiam quando non per illud, sed tantummodo post illud facere aliud aliquid statuimus. Si quis enim differt cibum sumere, propterea quia nondum ea die Missæ celebrationi affuit: peracto quod prius facere volebat, non incongrue dicitur illi: iam sume cibum, propterea quia iam fecisti propter quod sumere differebas. Multo igitur minus inusitata est locutio, cum Christus dicitur exaltatus propterea, quia mortem sustinuit, per quam & postquam illam exaltationem decreuit facere. Potest hoc & eo modo intelligi, quo idem Dominus legitur profecisse sapientia & gratia apud Deum non quia ita erat: sed quia ille sic se habebat, ac si ita esset. Nam si post mortem exaltatus est, quasi propter illam fierent hæc. Quod autem ipse ait: Non veni voluntatem meam facere, sed eius qui misit me: tale est, quale est & illud: Mea doctrina non est mea: nam quod quis non habet de se, sed a Deo, hoc non tam suum, quam Dei dicere debet. Nullus enim homo à se habet veritatem, quam docet, aut iustam voluntatem, sed à Deo. Non ergo venit Christus voluntatem suam facere, sed Patris, quia iusta voluntas, quam habebat, non erat ex humanitate, sed ex diuinitate. Proprio enim Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non est aliud, quam non liberauit illum. Nam multa in sacra Scriptura huiusmodi inueniuntur. Vbi autem dicit: Pater si fieri potest, transcat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu, & si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua: naturalem salutis per voluntatem suam significat appetitum, quo humana caro dolorem mortis fugiebat. Voluntatem vero Patris dicit, non quoniam maluerit Pater mortem Filij, quam vitam; sed quia humanum genus restaurari nolebat Pater, nisi faceret homo tam magnum aliquid, sicut erat mors illa: quia non poscebat ratio, quod alius facere non poterat. Idcirco dicit Filius illum velle suam mortem, quam ipse maluit pati, quam vt genus humanum non saluaretur: ac si diceret. Quoniam non vis aliter reconciliationem mundi fieri, dico te hoc modo velle mortem meam, fiat ergo voluntas tua, id est, fiat mors mea, vt mundus tibi reconcilietur. Nam saepe aliquem velle dicimus aliquid, quia non vult aliud, quod si vellet, non fieret illud quod dicitur velle, vt cum dicimus, illum lucernam velle extinguere, qui non vult fenestram claudere, per quam ventus intrat, qui lucernam extinguit. Sic ergo voluit Deus Pater mortem Filij, quia non aliter voluit mundum saluare, nisi homo tam magnum aliquid faceret, vt iam dixi. Quod Filio volenti salutem hominum, tantundem valuit, quo-

Philip. 2.
Hebr. 5

Philip. 2.

Psal. 109.

Lucæ 16.
Ioan. 16.

Luca 2.

Ioan. 6.

D

Ioan. 7.

Rom. 8.

Matth. 26.

Ibidem.

Matth. 3.

Philip. 2.
Hebr. 5

Rom. 8.

Ioan. 6.

Ioan. 14.

Eiusd. 18.

Matth. 26.

Ibidem.

A quoniam hoc alius facere non volebat: quantum si illi mori præciperet: unde ille, sicut mandatum illi dedit Pater sic fecit, & calicem, quem dedit ei Pater, bibit, obediens usque ad mortem.

Item de eislem, quomodo aliter rectè intelligi possunt.

Caput X.

Potest etiam rectè intelligi: quia per illam ipsam voluntatem, qua voluit Filius pro salute mundi mori, dedit illi Pater: non tamen cogendo mandatum, & calicem passionis, & non pepercit illi: sed pro nobis tradidit illum, & mortem illius voluit, & quia ipse Filius obediens fuit usque ad mortem & didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Quemadmodum enim secundum humanitatem non habebat à se voluntatem iuste vitendi, sed à Patre: ita quoque illam voluntatem, qua, ut tantum bonum faceret, mori voluit, non potuit habere nisi à Patre luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, & sicut Pater tradere, dando voluntatem, dicitur: ita non incongrue fit, si impellere aliteritur. Sicut enim dicit Filius de Patre: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum*: ita dicere potuit, nisi impulerit eum. Similiter quoque profere potuit, nemo currit ad mortem propter nomen meum, nisi Pater impulerit aut traxerit eum. Quoniam nanque voluntate quisque ad id, quod in declinabiliter vult, trahitur vel impellitur: non inconuenienter trahere aut impellere dicitur Deus, cum talem voluntatem dat, in quo tractu vel impulsu nulla intelligitur violentiæ necessitas: sed acceptæ bonæ voluntatis spontanea & amata tenacitas. Si ergo hoc modo nequit denegari Patrem, voluntatem illam dando, Filium eius ad mortem traxisse vel impulisse: quis non videat eadem ratione mandatum illi, ut mortem sustineret, sponte & calicem quem non iniuitus biberet, dedisse. Et si Filius sibi non pepercisse, sed pro nobis spontanea voluntate seipsum tradidisse, rectè dicitur: quis neget rectè dici, quia Pater à quo talem habuit voluntatem, illi non pepercit: sed pro nobis tradidit illum, & mortem eius voluit? Hoc etiam modo indeclinabiliter & sponte seruando acceptam voluntatem à Patre, Filius factus est illi obediens usque ad mortem, & didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, id est, quam magna res facienda sit per obedientiam. Nam tunc est vera & simplex obedientia, cum rationalis natura non necessitate, sed sponte seruiat voluntatem à Deo acceptam.

B Alijs quoque modis rectè possumus Patrem voluisse Filij mortem intelligere, quantumvis isti possint sufficere. Nam sicut velle dicimus eum, qui facit ut alius velit, ita etiam dicimus eum velle, qui non facit ut alius velit, sed approbat quia vult: ut cum videmus aliquem fortiter pati velle molestiam, ut perficiat quod bene vult: quamvis fateamur nos velle, ut illam poenam sustineat: non tamen volumus aut amamus poenam eius, sed voluntatem. Illum quoque qui prohibere potest, & non prohibet, solemus dicere, quia vult quod non prohibet. Quoniam ergo Patri voluntas Filij placuit, nec prohibuit eum velle aut implere quod volebat, rectè voluisse, ut Filius mortem tam pie & tam vtiliter sustineret, quantumvis poenam eius non amaret, affirmatur. Non autem potuisse calicem transire nisi biberet illum, dixit, non quia non posset mortem vitare, si vellet: sed quoniam, sicut dictum est, mundum erat impossibile aliter saluari, & ipse indeclinabiliter volebat potius mortem pati, quam ut mundus non saluaretur.

C Idcirco autem dixit verba illa, ut doceret humanum genus aliter non potuisse saluari, quam per mortem eius, non ut ostenderet se mortem nequaquam voluisse vitare. Nam quæcunque de illo dicuntur, ex his, quæ dicta sunt similia, sic sunt exponenda: ut nulla necessitate, se à libera voluntate mortuus credatur. Erat nanque omnipotens, & de illo legitur, quoniam oblatu est, quia ipse voluit. Et ipse dicit: *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam: nemo tollet eam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Potestatem habeo ponere animam meam, & iterum sumere eam. Quod ergo idem ipse sua potestate & sua voluntate facit, nullatenus ad hoc cogi rectè potest. B. Hoc solum, quia permittit Deus illum sic tractari, quamuis volentem, non videtur tali Patri de tali Filio conuenire. A. Imò maxime decet talem Patrem tali Filio consentire: si quid vult laudabiliter ad honorem Dei, & vtiliter ad salutem hominum: quod aliter fieri non potuit. B. In hoc adhuc versamur, qualiter mors illa rationabilis & necessaria monstrari possit. Aliter nanque nec ipse Filius eam velle, nec Pater cogere aut permittere debuisse videtur. Queritur enim, cur Deus aliter hominem saluare non potuit, aut si potuit, cur hoc modo voluit. Nam & inconueniens videtur esse Deo: hominem hoc modo saluasse, nec apparet quid mors illa valeat ad saluandum hominem. Mirum enim est, si Deus sic delectatur, aut eger sanguine innocentis: ut non nisi interfecto eo, parcere velit aut possit nocenti? A. Quoniam accipis in hac quæstione personam eorum, qui credere nil volunt nisi præmonstrata ratione, volo tecum pacisci, ut nullum vel minimum inconueniens in Deo a nobis accipiatur, & nulla vel minima ratio, si maior non repugnat, rejiciatur. Sicut enim in Deo quantumlibet paruum inconueniens sequitur impossibilitas, ita quantumlibet paruum rationem, si maiori non vincitur, comitatur necessitas. B. Nihil in hac re libentius accipio, quam ut hoc pactum inter nos communiter seruetur. A. De Incarnatione Dei tantum, & de his, quæ de illo assumpto homine credimus, quæstio est. B. Ita est. A. Ponamus ergo Dei Incarnationem, & quæ de illo dicimus hominem, nunquam fuisse, & constet inter nos hominem esse factum ad beatitudinem, quæ in hac vita haberi non potest, nec ad illam posse peruenire quenquam, nisi dimissis peccatis: nec vllum hominem hanc vitam transire sine peccato, & alia, quorum fides ad salutem æternam necessaria est. B. Ita fiat, quia nihil in his inconueniens, aut impossibile Deo videtur. A. Necessaria est igitur homini, peccatorum remissio, ut ad beatitudinem perueniat. B. Sic omnes tenemus.*

Quid sit peccare, & pro peccato satisfacere.

Caput XI. An.

Quærendum est igitur, qua ratione Deus dimittit peccata hominibus: & ut, hæc faciamus apertius, prius videamus quid sit peccare, & pro peccato satisfacere. B. Tuum est ostendere, & meum intendere. A. Si Angelus & homo semper redderet Deo quod debet, nunquam peccasset. B. Nequeo contradicere. A. Non est itaque aliud peccare, quam Deo non reddere debitum. B. Quid est debitum, quod Deo debemus? A. Omnis voluntas rationalis creature subiecta debet esse voluntati Dei. B. Nihil verius. A. Hoc est debitum, quod debet Angelus & homo Deo quod soluendo nullus peccat: & quod omnis, qui non soluit

Esai. 23.
Ioan. 10.

Jacob. 1.

A soluit peccat. Hæc est iustitia siue restitudo voluntatis, quæ *istos* facit siue *rectos corde*, id est, voluntate, hic est solus honor & totus, quem debemus Deo, & quem à nobis exigit Deus. Sola namque talis voluntas opera facit placita Deo, cum potest operari, & cum non potest, ipsa sola per se placet: quia nullum opus sine illa placet. Hunc honorem debitum, qui Deo non reddit, auferit Deo quod suum est, & Deum exhonorat, & hoc est peccare. Quando autem non soluit quod rapuit, manet in culpa, nec sufficit solummodo reddere quod ablatum est, sed pro contumelia illata plus habet reddere quam abstulit. Sicut enim qui lædit salutem alterius, non sufficit si salutem restituit, nisi pro illata doloris iniuria recompenset aliquid: ita qui honorem alicuius violat, non sufficit honorem reddere, si non secundum exhonoratorem factam molestiam aliquid quod placet illi, quem exhonorauit, restituet. Hoc quoque attendendum, quod cum aliquis quod iniuste abstulit, soluit, hoc debet dare, quod ab illo non posset exigi, si alienum non rapuisset. Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem, quem rapit, Deo soluere, & hoc est satisfactio, quam omnis peccator debet Deo facere. **B.** In his omnibus, quoniam rationem sequi proposuimus, quantum aliquid me, terreas, nil habeo quod possim dicere contra.

Vtrum sola misericordia sine omni debiti solutione deceat Deum peccata dimittere.

Cap. XII. Ans.

Redeamus & videamus, vtrum sola misericordia sine omni solutione ablati sibi honoris, deceat Deum peccata dimittere? **B.** Non video cur non deceat. **A.** Sic dimittere peccatum non est aliud, quam non punire, & quoniam recte ordinare peccatum sine satisfactione non est nisi punire: si non punitur, inordinatum dimittitur. **B.** Rationabile est quod dicis. **A.** Deum vero non deceat aliquid in suo regno inordinatum dimittere. **B.** Si aliquid aliud volo dicere, timeo peccare. **A.** Igitur non deceat Deum peccatum sic impunitum dimittere. **B.** Ita sequitur. **A.** Est & aliud quod sequitur. Si peccatum sic dimittitur impunitum, quia similiter erit apud Deum peccanti & non peccanti: quod Deo non conuenit. **B.** Non possum negare. **A.** Vide & hoc: Iustitiam hominum nemo nescit esse sub lege, vt secundum eius quantitatem, mensura retributionis à Deo recompensetur. **B.** Ita credimus. **A.** Si autem peccatum nec soluitur, nec punitur, nulli legi subiacet. **B.** Non possum aliter intelligere. **A.** Liberior igitur est omnis iniustitia si sola misericordia dimittitur, quam iustitia: quod valde inconueniens videtur. Ad hæc etiam extenditur hæc inconuenientia, vt iniustitiam Deo simile esse faciat: quia sicut Deus nulli legi subiacet, ita & iniustitia. **B.** Nequeo resistere rationi tuæ: sed cum Deus nobis præcipiat omnino dimittere peccantibus in nos: videtur repugnare, vt hæc nobis præcipiat, quod ipsum facere non deceat. **A.** Nulla in hoc est repugnantia: quia Deus hæc præcipit nobis, vt non præsumamus quod solius Dei est. Ad nullum enim pertinet vindictam facere, nisi ad illum, qui Dominus est omnium, nam cum terrenæ potestates hoc recte faciunt, ipse facit Deus, à quo ad hoc ipsum sunt ordinatæ. Remonisti repugnantiam, quam putabam inesse, sed est aliud, ad quod tuum volo habere responsum: nam cum Deus sit liber, vt nullius legis subiacet iudicio: & sit ita benignus, vt nihil benignius cogitari queat: & nil sit rectum

aut decens, nisi quod ipse vult: mirum videtur, si dicimus, quia nullatenus vult, aut non ei licet iniuriam suam dimittere, à quo etiam de his, quas alijs facimus, solemus indulgentiam petere. **A.** Verum est quod dicis de libertate, & voluntate, & benignitate illius: sed sic eas debemus rationabiliter intelligere, vt dignitati illius non videamur repugnare. Libertas enim non est nisi ad hoc, quod expedit aut decet; nec benignitas dicenda est, quæ aliquid Deo indecens operetur. Quod autem dicitur, quia quod vult iustum est: & quod non vult, iustum non est, non ita intelligendum est, vt si Deus velit quodlibet inconueniens, iustum sit: quia ipse vult. Non enim sequitur si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri: sed potius Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas, immò quæ deferendo veritatem corrupta est. Cum ergo dicitur, si Deus vult mentiri, non est aliud, quam si Deus est talis naturæ, quæ velit mentiri, & ideo non sequitur iustum esse mendacium, nisi ita intelligatur: sicut enim de duobus impossibilibus dicimus: si hoc est, illud est: quia nec hoc, nec illud est, vt si quis dicat: si aqua est sicca, & ignis est humidus: neutrum enim verum est. Itaque de illis tantum est verum dicere: si Deus hoc vult, iustum est, quæ Deum velle non est inconueniens. Si enim vult Deus vt pluat, iustum est vt pluat: & si vult vt aliquis homo occidatur, iustum est vt occidatur. Quapropter si non deceat Deum aliquid iniuste aut inordinate facere, non pertinet ad eius libertatem, ac benignitatem, ac voluntatem peccantem, qui non soluit Deo quod abstulit, impunitum dimittere. **B.** Omnia mihi auferas, quæ putabam tibi posse obijci. **A.** Vide adhuc cur Deum non deceat hæc facere. **B.** Libenter ausculto quicquid dicis.

Quod nihil minus sit tolerandum in rerum ordine, quam vt creatura Creatori debitum honorem auferat, & quod non soluat quod auferit.

Caput XIII. Ans.

Nihil minus tolerandum est in rerum ordine, quam vt creatura Creatori debitum honorem auferat, & non soluat quod auferit. **B.** Nihil clarius iudico. **A.** Nihil autem iniustius toleratur, quam quo nihil minus est tolerandum. **B.** Nec hoc est obscurum. **A.** Puto ergo, quia non dices Deum debere tolerare, quo nihil iniustius toleratur, vt quod creatura non reddat Deo quod auferit. **B.** Immò penitus negandum esse iudico. **A.** Item si Deo nihil maius aut melius est, nihil iustius, quam quæ honorem illius seruet in rerum dispositione summa iustitia, quæ non est aliud, quam ipse Deus. **B.** Hoc quoque nil apertius. **A.** Nihil ergo seruat Deus iustius, quam suæ dignitatis honorem. **B.** Quod vtiq; necessario concedi oportet. **A.** Videtur tibi, quod eum integrè seruet, si sic auferri sibi permittit: vt nec soluat, nec ipse auferentem puniat. **B.** Non audeo dicere. **A.** Necessè est ergo, vt aut ablati honor soluat, aut pœna sequatur, alioquin aut sibi ipsi Deus iustus non erit, aut ad vtrumque impotens erit: quod nefas est etiam cogitare. **B.** Nihil rationabilius dici potest, vt puto.

Cuiusmodi honor Dei sit pœna peccantis.

Caput XIV. Boso.

SED volo à te audire, si peccantis pœna sit illi honor, aut cuiusmodi honor sit. Si enim pœna peccantis non eius honor est, cum peccator non soluit

A soluit quod abstulit, sed punitur, sic perdit Deus honorem suum ut non recuperetur, quod his, quæ dicta sunt, repugnare videtur. **A.** Deum impossibile est honorem suum perdere: aut enim peccator sponte soluit quod debet, aut Deus ab iniusto accipit. Nam aut homo debitam subiectionem Deo siue non peccando, siue quod peccat solvendo voluntate spontanea, exhibet: aut Deus iniustum sibi torquendo subijcit: & sic se Dominum eius esse ostendit, quod ipse homo voluntate fateri recusat. In quo considerandum, quia sicut homo peccando rapit quod Dei est: ita Deus puniendo aufert quod hominis est. Quippe non solum id suum alicuius esse dicitur, quod iam possidet: sed quod in eius potestate est ut habeat. Quoniam ergo homo factus est, ita ut beatitudinem habere posset, si non peccaret, cum ergo propter peccatum beatitudine & omni bono priuatur, de suo, quamuis iniustus, soluit quod rapuit, quia licet Deus hoc ad usum sui commodi non transferat, quod aufert: sicut homo pecuniam, quam alij aufert, in suam conuertit utilitatem: hoc tamen quod aufert, utitur ad suum honorem, per hoc, quia aufert. Auferendo enim peccatorem, & quæ illius sunt subiecta, sibi esse probat.

Si Deus vel ad modicum patitur honorem suum violari. Cap. XV. Bofo.

Placet quod dicis. Sed est & aliud, ad quod tuam responsionem postulo, nam si Deus ita, sicut probas, suum debet honorem seruire: cur vel ad modicum patitur illum violari. Quod enim aliquid modo lædi finitur: non integrè aut perfecte custoditur. **A.** Dei honori nequit aliquid, quantum ad illum pertinet, addi vel minui. Idem namque ipse sibi honor est incorruptibilis, & nullo modo mutabilis. Veruntamen cum vnaqueque creatura suum & quasi sibi præceptum ordinem, siue naturaliter, siue rationaliter seruat, Deo obedire, & Deum dicitur honorare: & hoc est maxime rationalis natura, cui datum est intelligere quod debebat. Quæ cum vult quod debet, Deum honorat, non quia illi aliquid confert, sed quia sponte se eius voluntati & dispositioni subdit: & in rerum vniuersitate ordinem suum, & eiusdem vniuersitatis pulchritudinem, quantum in ipsa est, conseruat. Cum verò non vult quod debet, Deum, quantum ad ipsam pertinet, inhonorat, quoniam non subdit se sponte illius dispositioni: & vniuersitatis ordinem & pulchritudinem, quantum in se est, perturbat, licet potestatem & dignitatem Dei nullatenus lædat aut decolorat. Si enim ea, quæ cæli ambitu continentur, vellent non esse sub cælo, aut elongari à cælo: nullatenus possent nisi sub cælo esse, nec fugere cælum, nisi appropinquando cælo. Nam & vnde, & qua, & quò, & quæ irent sub cælo essent, & quanto magis à qualibet parte cæli elongarentur: tanto magis oppositæ parti appropinquarent. Ita quamuis homo, vel malus Angelus diuinæ voluntati & ordinationi subiaccere nollet: non tamen eam fugere valet, quia si vult fugere, de sub voluntate iubente currit sub voluntatem punientem. Et si quæris quâ transit, non nisi sub voluntate permittentis, & hoc ipsum, quod peruersè vult aut agit, in vniuersitatis præfatæ ordinem, & pulchritudinem summa sapientia conuertit. Ipsa namque peruersitatis spontanea satisfactio: vel à non satisfaciendæ pœnæ exactio: excepto hoc, quod Deus de malis multimodis bona facit, in eadem vniuersitate locum tenent suum

& ordinis pulchritudinem. Quas si diuina sapientia, ubi peruersitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet: fieret in ipsa vniuersitate, quam Deus debet ordinare, quædam ex violata ordinis pulchritudine deformitas, & Deus in sua dispositione videretur deficere. Quæ duo quoniam sicut sunt inconuenientia, ita sunt impossibilia: necesse est ut omne peccatum satisfactio aut pœna sequatur. **B.** Satisfecisti obiectioni meæ. **A.** Patet est ergo, quia Deum, quantum in ipso est, nullus potest honorare vel exhonorare: sed quantum in se est, hoc aliquis facere videtur, cum voluntatem suam voluntati eius subijcit aut subtrahit. **B.** Nescio quid contra queam dicere. **A.** Adhuc addam aliquid. **B.** Tandiu dic, donec me tædeat audire.

Ratio, quod Angelorum numerus, qui ceciderunt, restituendus sit de hominibus. Cap. XVI An.

D eum constat proposuisse, ut de humana natura, quam fecit sine peccato, numerum Angelorum, qui ceciderant, restitueret. **B.** Hoc credimus, sed vellem aliquam huius rei rationem audire. **A.** Fallis me: non enim proposuimus tractare, nisi de sola Incarnatione Dei, & tu mihi alias interferis quæstiones. **B.** Ne irascaris: *hilarem daturam diligit Deus*: nam nemo probat magis se hilariter dare quod promittit, quam qui plus dat, quam promittit, dic ergo libenter quod quero. **A.** Rationalem creaturam, quæ Dei contemplatione beata vel est, vel futura est, in quodam rationabili & perfecto numero præscitam à Deo, ita ut nec maiorem, nec minorem illum esse deceat, non est dubitandum. Aut enim nescit Deus, in quo numero melius eam deceat constitui, quod falsum est: aut si scit, in eo illam constituet, quem ad hoc decentiorem intelliget. Quapropter, aut Angeli illi, qui ceciderunt, facti erant ad hoc, ut essent intra illum numerum: aut quia intra illum numerum permanere non potuerunt, ex necessitate ceciderunt: quod absurdum est opinari. **B.** Veritas est aperta quod dicis. **A.** Quomodo ergo de illo numero esse debuerunt, aut restituendus est ex necessitate numerus eorum, aut imperfecto numero remanebit rationalis natura, quæ in numero perfecto præscita est: quod esse non potest. **B.** Restaurandi procul dubio sunt. **A.** Necesse est ergo eos de humana natura: quoniam non est alia, de qua restaurari possint. **B.** Cur non aut ipsi, aut alij Angeli pro illis possint restitui?

Cur non aut ipsi, aut alij Angeli pro illis, possint restitui.

Caput XVII. An.

Cum videbis nostræ restitutionis difficultatem, intelliges eorum reconciliationis impossibilitatem. Alij autem Angeli pro illis restitui non possunt ideo (ut factam, quoniam hoc repugnare videatur primæ creationis perfectioni) quia non debent, nisi tales esse possint quales illi fuissent, si non peccassent, & cum illi nulla visa via dicta peccati perseuerassent, quod post illorum casum alijs, qui pro illis restituerentur, esset impossibile. Non enim pariter laudabiles sunt, si stant in veritate: & qui nullam nobis peccati pœnam, & qui eam semper aspiciunt æternam. Nam nequaquam putandum est, bonos Angelos esse confirmatos casu malorum, sed suo merito. Sic namque, si boni cum malis peccassent, simul damnati essent: ita iniusti, si cum iustis steterint, pariter confirmati fuissent. Quippe si aliqui eorum, non nisi casu aliorum confirmati erant, aut nullus vn-

A lus vnquam confirmaretur: aut necesse erat aliquem casurum, qui ad alios confirmandos puniretur: quæ veraque absurda sunt. Illo itaque modo confirmati sunt illi, qui steterunt, quo pariter confirmati essent omnes, si perstitissent: quemadmodum ostendi, sicut potui, vbi tractavi: cur Deus diabolo perseverantiam non dedit. **B.** Probasti malos Angelos de humana natura restaurandos, & patet ex hac ratione: quia non in minori numero erunt electi homines, quam sunt Angeli reprobi. Sed vtrum plures futuri sint, si potes ostende.

Vtrum plures futuri sint sancti homines, quam sint mali Angeli. Cap. XVIII. An.

SI Angeli, antequam quidam illorum caderent, erant in illo perfecto, de quo diximus, numero non sunt homines facti, nisi pro restauratione Angelorum perditorum, & palam est, quia non erunt, iures illis. Si autem ille numerus non erat in illis omnibus Angelis: complendum est de hominibus, & quod perijt, & quod prius deerat, & erunt electi homines plures reprobis Angelis, & sic dicimus, quia non fuerunt homines facti tantum ad restaurandum numerum imminutum: sed etiam ad perficiendum nondum perfectum. **B.** Qui potius tenendum est: an quod Angeli prius facti sint in numero perfecto? an non? **A.** Quo mihi videtur, dicam. **B.** Non plus a te exigo. **A.** Si homo factus est post casum malorum Angelorum, sicut quidam intelligunt in Genesi: non video posse me per hoc probare alterum horum determinate. Potest enim (vt puto esse) quod Angeli fuerunt prius in numero perfecto, & postea factus sit homo propter restaurandum imminutum eorum numerum & potest esse, quod non fuerunt in numero perfecto, quia differebat Deus, sicut adhuc differt, illum implere numerum, facturus humanam naturam suo tempore. Vnde aut solummodo numerum nondum integrum perficeret: aut etiam si minueretur, restitueret. Si autem tota creatura simul facta est, & dies illi, in quibus Moyses istum mundum non simul factum esse videtur dicere, aliter sunt intelligendi, quam sicut videmus istos dies, in quibus vivimus: intelligere nequeo, quomodo facti sunt Angeli in illo perfecto numero. Quippe si ita esset, videtur mihi: quia ex necessitate, aut aliqui homines, vel Angeli casuri erant, aut plures essent in illa coelesti ciuitate, quam illa perfecti numeri convenientia exigeret. Si ergo omnia simul facta sunt: sic videntur Angeli & duo primi homines in numero perfecto fuisse, vt de hominibus, si nullus caderet Angelus, quod deerat solum perficeretur, & si aliquis periret, hoc quoque quod caderet, restitueretur: & hominis natura, quæ infirmior erat, quasi Deum excusaret, atque diabolum confunderet, si ille suum casum infirmitati suæ imputaret, cum ipsa infirmior staret. Ac si & eadem ipsa caderet, multo magis Deum defenderet contra diabolum, & contra seipsam: cum ipsa facta valde infirmior & mortalis, in electis de tanta infirmitate tanto altius ascenderet: quam vnde diabolus cecidisset, quanto boni Angeli, quorum æqualitas ei debetur, profecerunt post ruinam malorum, quia perseverauerunt. Ex his rationibus potius mihi videtur, quia in Angelis non fuit ille perfectus numerus, quo ciuitas illa coelestis perficeretur, quia si homo simul cum Angelis factus non est, sicut possibile est esse, & si simul facti sunt, quod magis putant multi, quoniam legitur: *qui vivit in*

D. ANSELMI TOMVS III.

eternum, creavit omnia simul: videtur necesse esse. **C** Sed & si perfectio mundanæ creaturæ, non tantum est intelligenda in numero indiuiduorum, quantum in numero naturarum, necesse est humanam naturam, aut ad complementum eiusdem perfectionis esse factam: aut illi superabundare, quod de minimi vermiculi natura dicere non audemus. Quare pro seipsa ibi facta est, & non solum pro restaurandis indiuiduis alterius naturæ. Vnde palam est, quia si etiam Angelus nullus perijisset, homines tamen in coelesti ciuitate suum locum habuissent. Sequitur itaque, quia in Angelis, antequam quidam illorum caderent, non erat ille perfectus numerus: alioquin necesse erat, vt aut homines, aut Angeli aliqui caderent: quoniam extra numerum perfectum ibi nullus manere poterat. **B.** Non nihil effecisti. **A.** Est & alia ratio, vt mihi videtur, quæ non parum suffragatur illi sententiæ: quæ Angelos non esse factos in perfecto numero existimat. **B.** Dic illam. **A.** Si Angeli in illo perfecto numero facti sunt, & nullatenus facti sunt homines, nisi pro restauratione perditorum Angelorum, palam est, quia nisi illi Angeli ab illa beatitudine cecidissent, homines ad illam non ascenderent. **B.** Hoc constat. **A.** Si quis ergo dixerit: quia tantum lætabuntur electi homines de Angelorum perditione, quantum gaudebunt de sua assumptione, quoniam absque dubio hæc non esset, nisi illa fuisset, quomodo poterunt ab hac peruersa gratulatione defendi. Aut quomodo dicemus Angelos, qui ceciderunt, in hominibus restauratos: si illi sine hoc vitio permansuri erant, si non cecidissent, id est, sine gratulatione de casu aliorum, isti verò sine illo esse non potuerunt, immò qualiter cum hoc vitio beati esse debebant. Deinde qua audacia dicemus Deum non velle, aut non potuisse hanc restorationem sine hoc vitio facere. **B.** Nonne similiter est in gentibus, quæ ad fidem vocatæ sunt: quia illam Iudæi repulerunt? **A.** Non: nam si omnes Iudæi credidissent, gentes tamen vocarentur, quia *in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Sed quoniam, Iudæi Apostolos contempserunt: ea tunc fuit occasio, vt ad gentes illi conuerterentur. **B.** Nullo modo video quid contra hoc dicere possim. **A.** Vnde tibi videtur accidere singulis illa lætitia de alieno casu? **B.** Vide, nisi quia certus erit vnusquisque, quoniam vbi erit nullatenus esset, si alius inde non cecidisset? **A.** Si ergo hanc certitudinem nullus haberet, non esset vnde vllus de alieno damno gauderet. **B.** Ita videtur. **A.** Putasne aliquem illorum habiturum hanc certitudinem, si multo plures erunt, quam ceciderunt? **B.** Nequaquam possum opinari, quod eam habeat, aut habere debeat. Quomodo namque quis poterit scire, vtrum pro restaurando, quod imminutum erat, aut pro complendo, quod nondum perfectum erat, de illo numero constituendæ ciuitatis sit factus, sed omnes certi erunt se factos esse ad perficiendam illam ciuitatem. **A.** Ergo si plures erunt quam reprobi Angeli, nullus poterit aut debeat scire se non esse ibi assumptum, nisi pro alieno casu. **B.** Verum est. **A.** Non igitur habebit aliquis cur gaudere debeat de alterius perditione. **B.** Ita sequitur. **A.** Cum itaque videamus, quia si plures erunt homines electi quam sint reprobi Angeli, illa non sequitur inconuenientia, quam sequi necesse est, si plures non erunt, & cum impossibile sit vllum in illa ciuitate futurum inconueniens, videtur necesse esse, vt Angeli non sint facti in illo perfecto numero, & plures futuri

EE sint

A sint beati homines, quam sint miseri Angeli. **B.** Non video qua ratione hoc negari queat. **A.** Aliam adhuc eiusdem sententiae posse dici puto rationem. **B.** Hanc quoque proferre debes. **A.** Credimus hanc mundi molem corpoream in melius renouandam, nec hoc futurum esse, donec impleatur numerus electorum hominum, & illa beata perficiatur ciuitas, nec post eius perfectionem hoc differendum. Vnde colligi potest, Deum ab initio proposuisse, ut vtrumque simul perficeret, quatenus & minor, quae Deum non sentiret, natura: ante maiorem, quae Deo frui deberet, nequaquam perficeretur, & in maioris perfectione mutata in melius suo quodammodo quasi congratularetur, immo omnis creatura de tam gloriosa & tam admirabili sui consummatione ipsi Creatori, & sibi inuicem quaeque suo modo aeternae congaudendo iocundaretur, quatenus quod voluntas in rationabili natura sponte facit hoc, & iam insensibilis creatura per Dei dispositionem naturaliter exhiberet. Solemus namque in maiorum nostrorum exaltatione congaudere: ut cum in natalitijs Sanctorum exultatione festiua iocundamur, de gloria eorum exultates. Quam sententiam illud adiuuare videtur: quia si Adam non peccasset, differret tamen Deus illam ciuitatem perficere, donec completo ex hominibus, quem expectabat, numero, ipsi quoque homines in corporum, ut ita dicam, transmutarentur immortalitatem. Habebant enim in paradiso quandam immortalitatem, id est, potestatem non moriendi, sed non erat immortalis haec potestas: quia poterant mori, ut scilicet ipsi non possent mori. Quod si ita est, ut videlicet rationalem illam & beatam ciuitatem, & hanc mundanam sensibilemque naturam Deus ab initio proposuerit simul perficere, videtur quia aut illa ciuitas non erat completa in numero Angelorum, ante malorum ruinam, sed expectabat Deus, ut eam de hominibus completeret, quando corpoream mundi naturam melius innouaret, aut si perfecta erat in numero, non erat perfecta in confirmatione: & differenda erat eius confirmatio, etiam si nullus in ea peccasset usque ad eandem mundi, quam expectamus, renouationem; aut si non diutius illa confirmatio differenda erat, acceleranda erat mundana renouatio, ut cum eadem confirmatione fieret. Sed quod mundum nouiter factum statim Deus renouare, & eas res, quae post renouationem illam non erunt, in ipso initio, antequam appareret cur factae essent, destruere instituerit, omni caret ratione. Sequitur ergo quia Angeli non ita fuerunt in numero perfecti, ut eorum confirmatio non diu differretur, propterea quia mundi noui renouationem mox oporteret fieri, quod non conuenit. Quod autem eandem confirmationem usque ad mundi futuram renouationem differre Deus voluerit, inconueniens videtur: praesertim cum illam in aliquibus tam cito perfecerit. Et cum intelligi possit, quia in primis hominibus quando peccauerunt illam fecisse, si non peccassent, sicut fecit in perseverantibus Angelis. Quamuis enim nondum protuberentur ad illam aequalitatem Angelorum, ad quam perueniuntur homines, cum perfectus esset numerus de illis assumendus. In illa tamen iustitia, in qua erant, videtur quod si vicissent, ut non peccarent tentati, ita confirmarentur cum omni propagine sua, quod ultra peccare non possent, quemadmodum quia victi peccauerunt, sic infirmati sunt, ut quantum in ipsis est, sine peccato esse non possint. Quis enim audeat dicere, plus

valere iustitiam ad alligandum in seruitutem hominem in prima persuasione sibi consentientem, quam valeret iustitia ad confirmandum eum in libertate sibi in eadem prima tentatione adhaerentem? Nam quemadmodum, quoniam humana natura tota, quae erat in parentibus primis, tota in illis victa est ut peccaret (excepto illo solo homine, quem Deus sicut sine viri semine de Virgine facere, sic sciuit a peccato Adae secernere voluit) ita in eisdem tota vicisset, si non peccasset. Restat ergo ut non complera in illo primo numero Angelorum superna ciuitas: sed de hominibus complenda fuisse dicatur. Quae si rata sunt, plures erunt electi homines, quam sint reprobi Angeli. **B.** Rationabilia mihi valde videntur quae dicis, sed quid dicemus, quia legitur de Deo: *constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel*, quod quidam, quia pro *filiorum Israel* inuenitur *Angelorum Dei*, sic exponunt, ut secundum numerum bonorum Angelorum assumendus intelligatur numerus electorum hominum. **A.** Hoc non repugnat praedictae sententiae, si certum non est, quod totidem Angeli cecidissent, quot remanserunt. Nam si plures sunt Angeli electi, quam reprobi, & necesse est ut reprobos electi homines restaurent, & potest fieri ut beatorum numero coaequantur, & sic plures erunt homines iusti, quam Angeli iniusti. Sed memento quo pacto incepi tuae respondere quaestioni, tuae videlicet, si quod dixeris maior non confirmet autoritas, quamuis illud ratione probare videatur, non alia certitudine accipitur: nisi quia interim mihi ita videtur, donec mihi Deus melius aliquo modo reuelet. Certus enim sum, si quid dico quod sacrae Scripturae absque dubio contradicat, quia falsum est: nec illud tenere volo, si cognouerit. Sed si in illis rebus, de quibus diuersa sentiri possunt sine periculo, sicut est illud, vnde nunc agimus. Si enim nescimus vtrum plures homines eligendi sint quam Angeli perdit, an non & alterum horum aestimamus magis quam alterum? nullum puto animae periculum: si, inquam in his rebus sic exponimus diuina dicta, ut diuersis sententijs fauere videantur, nec alicubi inuenitur, vbi quid indubitanter tenendum sit determinent, non arbitror reprehendi debere. Illud autem quod dixisti, *constituit terminos populorum*, seu gentium, *iuxta numerum Angelorum Dei*, quod in alia translatione legitur, *iuxta numerum filiorum Israel*, quoniam ambae translationes aut idem significant, aut diuersa sine repugnantia, ita intelligendum est, ut per *Angelos Dei*, & per *filios Israel* Angeli boni significantur tantummodo, aut soli homines electi. Aut simul Angeli & electi homines, tota scilicet illa ciuitas superna. Aut per *Angelos Dei* sancti Angeli tantum: & per *filios Israel*, soli homines iusti. Aut soli Angeli per *filios Israel*, & iusti homines per *Angelos Dei*. Si boni Angeli tantum designantur per vtrumque, idem est: quod si solum per *Angelos Dei*, si vero tota caelestis ciuitas, hic est sensus, quia tantum assumentur populi, id est, multitudines electorum hominum, aut tam diu erunt populi in hoc seculo, donec de hominibus praedestinatus numerus illius ciuitatis nondum perfectus compleatur. Sed non video nunc quomodo soli Angeli, aut simul Angeli & homines sancti per *filios Israel* intelligantur: sanctos autem homines *filios Israel*, sicut *filios Abrahae* vocari non est alienum. Qui Angeli quoque Dei per hoc recte possent vocari, quia vitam Angelicam imitantur: atque similitudo & aequalitas illis Angelorum promittitur

A titur in caelo, & quia omnes iuste viuentes Ange-
li Dei sunt: Vnde & ipsi Confessores atque Mar-
tyres dicuntur. Qui enim confitetur & testatur
veritatem Dei, nuntius, id est, Angelus est, & si
malus homo dicitur diabolus: sicut de Iuda di-
cit Dominus, propter similitudinem malitiae, cur
non & bonus homo dicitur Angelus, propter im-
itationem iustitiae? Quare possumus, vt aesti-
mo, dicere Deum constituisse *terminos populorum*
iuxta numerum electorum hominum: quia tandiu
erunt populi, & erit in hoc mundo hominum
procreatio, donec numerus eorundem electo-
rum hominum compleatur, & eo completo ces-
sabit esse hominum generatio, quae fit in hac vita.
At si per *Angelos Dei*, intelligimus sanctos Ange-
los tantum: & per *filios israel*, tantummodo iustos
homines: duobus modis intelligi potest, quia
constituit Deus terminos populorum iuxta numerum
Angelorum Dei, aut quia tantus populus, id est, tot
homines assumuntur, quot Angeli Dei: aut quia
tandiu erunt populi, donec numerus Angelo-
rum Dei compleatur ex hominibus. Et hoc vno
modo exponi posse video: *constituit terminos po-
pulorum iuxta numerum filiorum Dei*, item quia
(sicut supra dictum est) tandiu erunt populi in
hoc seculo, donec numerus sanctorum hominum
assumatur, & colligitur ex vtraque translatione,
quia tot homines assumuntur, quot remanserunt
Angeli. Vnde tamen non sequitur, quantum per di-
ti Angeli ex hominibus restaurandi sunt, tot Ange-
los cecidisse quot perseverauerunt. Quod tamen
si diceretur, inueniendum erit quomodo rati-
one non sint supra posita rationes, quae videntur
ostendere non fuisse in Angelis prius quam nume-
rum, quem supra dixi & plures homines electos
futuros, quam sint mali Angeli. **B.** Non me poenitet,
quia coegi te vt de Angelis hoc diceres, nam non
frustra factum est: nunc redi ad id vnde digressi
sumus. **A.** Constat Deum proposuisse, vt de
hominibus Angelos, qui ceciderant, restauraret.
B. Certum est. **A.** Tales ergo oportet esse homi-
nes in illa ciuitate superna, qui pro Angelis in il-
lam assumuntur, quales illi futuri ibi erant, pro
quibus ibidem erunt, id est, quales nunc sunt bo-
ni Angeli, alioquin non erunt restaurati qui ceci-
derunt, & sequitur, quia Deus aut non poterit
perficere bonum quod incepit, aut poenitebit
enim tantum bonum incepisse, quae duo absur-
da sunt. **B.** Vere oportet, vt aequales sint homi-
nes bonis Angelis. **A.** Boni Angeli vnquamne
peccauerunt? **B.** Non. **A.** Potestne cogitare, quod
homo, qui aliquando peccauit, nec vnquam Deo
pro peccato satisfecit: sed tantum impunitus di-
mittitur, aequalis sit Angelo, qui nunquam pec-
cauit? **B.** Verba ista cogitare & dicere possum,
sed sensum eorum ita cogitare nequeo: sicut fal-
sitate non possum intelligere veritatem esse.
A. Non decet ergo Deum, hominem peccatorem
sine satisfactione ad restorationem Angelorum
sumere perditorum, quoniam non patitur veri-
tas, eum leuari ad aequalitatem Angelorum. **B.** Sic
ostendit ratio. **A.** Considera etiam in solo ho-
mine, sine eo quod debet Angelis aequari, vtrum
enim taliter Deus ad beatitudinem illam vel ta-
lem, qualem habebat antequam peccaret, debeat
prouehere. **B.** Dic quae cogitas, & ego considera-
bo prout poterit. **A.** Ponamus diuitem aliquam
in manu tenere margaritam pretiosam, quam
nunquam pollutio vlla tetigit, quamque nullus al-
ius possit amouere de manu eius, nisi ipso per-

D. ANSELMI TOMVS III.

mittente: & eam disponat recondere in thesau-
rum suum, vbi sunt charissima & pretiosissima
quae possidet. **B.** Cogito hoc velut ante nos sit. **A.**
Quid si ipse permittat eandem margaritam ab al-
liquo inuido excuti de manu sua in cenium; ta-
men prohibere posset, ac postea eam de coeno su-
mens pollutam & non lotam in aliquem locum
suum mundum & charum deinceps illam sic ser-
uaturus recondat. Putabisne illum sapientem?
B. Quomodo hoc possum? nam nonne esset hoc
fatis melius, vt margaritam suam mundam tene-
ret & seruaret, quam pollutam? **A.** Nonne simili-
ter faceret Deus, qui hominem Angelis sociandum
sine peccato, quasi in manu sua tenebat in paradi-
so, & permisit vt accensus inuidia diabolus eum
in lutum peccati, quantum consentientem deijce-
ret? Si enim prohibere vellet diabolus, non pos-
set tentare hominem, nonne, inquam, similiter fa-
ceret, si hominem peccati forde maculatum sine
omni lauatione, id est, absque omni satisfactione,
talem semper mansurum saltem in paradysum, de
quo eiectus fuerat, reduceret? **B.** Similitudinem si
Deus hoc faceret negare non audeo, idcirco eum
hoc facere posse non abnuo. Videretur enim, aut
quod proposuerat peragere non potuisse, aut bo-
ni propositi eum poenituisse, quae in Deum cade-
re nequeunt.

Quod homo non possit saluari sine peccati satisfactione.

Cap. XIX. Ansel.

Tene igitur certissime, quia sine satisfactione,
id est, sine debiti solutione spontanea, nec
Deus potest peccatum impunitum dimittere: nec
peccator ad beatitudinem vel talem qualem ha-
bebat antequam peccaret, peruenire: non enim
hoc modo repararetur homo vel talis, qualis fue-
rat ante peccatum. **B.** Rationibus tuis omnimo-
do contradicere non possum. Sed quid est, quod
dicimus Deo: *Dimitte nobis debita nostra*, & omnis
gens orat Deum, quoniam credit vt dimittat sibi
peccata? Si enim soluimus quod debemus, cur
oramus vt dimittat? Nunquid Deus iniustus est,
vt iterum exigat quod solutum est? Si autem non
soluimus: cur frustra oramus, vt faciat quod quia
non conuenit, facere non potest? **A.** Qui non sol-
uit, frustra dicit *dimitte*; qui autem soluit, suppli-
cat: quia hoc ipsum pertinet ad solutionem vt
supplicet. Nam Deus nulli quicquam debet, sed
omnis creatura illi debet: & ideo non expedit
homini, vt agat cum Deo, quemadmodum par-
cum pari. Sed de hoc non est opus nunc tibi re-
spondere. Cum enim cognosces, cur Christus
mortuus est, forsitan per te videbis quod quaeris.
B. Sufficit mihi nunc, quod de hac quaestione re-
spondes. Quod autem nullus homo ad beatitudi-
nem peruenire queat cum peccato, aut solui a pec-
cato, nisi soluat, quod rapuit peccando: sic aperte
monstrasti, vt etiam si velim, non possim dubitare.

Quod secundum mensuram peccati oportet esse satisfac-
tionem, nec eam homo per se facere possit.

Caput XX. Ansel.

Hoc quoque non dubitabis, vt puto: quia se-
cundum mensuram peccati oportet satis-
factionem esse. **B.** Aliter aliquatenus inordi-
natum maneret peccatum, quod esse non potest, si
Deus nihil relinquit inordinatum in regno suo.
Sed hoc est praestitutum, quia quodlibet parum
inconueniens in Deo impossibile est. **A.** Dic er-
go quid solues pro peccato tuo? **B.** Poenitentiam,
cor contritum & humiliatum, abstinentias, & mul-
titudas

EE 2 ritmodas

A timodos labores corporis, & misericordiam dandi & dimittendi, & obedientiam, *A. Quid in his omnibus das Deo? B. An non honoro Deum, quando propter timorem eius & amorem in cordis contritione letitiam temporalem abijcio, abstinentijs & laboribus delectationes & quietem huius vitæ calco, in dando & dimittendo, quæ mea sunt largiendo, in obedientia meipsum illi subijcio? A. Cum reddis aliquid quod debes Deo etiam si non peccasti, non debes computare pro debito, quod debes pro peccato. Omnia autem ista debes Deo quæ dicis. Tantus nanque debet esse in hac mortali vita amor: & ad quod pertinet omne desiderium pertueniendi ad id ad quod factus es: & dolor, quia nondum ibi es: & timor, ne non peruenias, ut nullam lætitiã sentire debeas, nisi de his, quæ tibi aut auxilium, aut spem dant perueniendi. Non enim mereris habere, quod non secundum quod es, amas & desideras, & de quo quia nondum habes & adhuc vtrum habiturus sis, an non in tanto es periculo, non doles. Ad quod etiam pertinet quietem & delectationes mundanas, quæ animum ab illa vera quiete, & delectatione reuocant, fugere: nisi quantum ad intentionem illuc pertueniendi cognoscis sufficere. Dationem verò ita debes considerare te facere ex debito: sicut intelligis, quia quod das à te non habes, sed ab illo, cuius seruus es tu, & illi cui das: & natura te docet ut *conseruo tuo*, id est, homo homini facias, quod tibi ab illo vis fieri, & quia qui nō vult dare quod habet: non debet accipere quod non habet. De dimissione breuiter dico, quia nullatenus pertineat ad te vindicta, sicut supra diximus: quia nec tu tuus es, nec ille tuus aut suus, qui tibi fecit iniuriam, sed vnus Domini serui facti, ab illo de nihilo estis, si & de conseruo tuo te vindicas, iudicium, quod proprium Domini & iudicis omnium est, super illum superbe præsumis. In obedientia verò quid das Deo, quod non debes: cui iubenti totum quod es, & quod habes, & quod potes debes? *B. Nihil iam audeo in his omnibus dicere me dare Deo, quod non debeo. A. Quid ergo solues Deo pro peccato tuo? B. Si meipsum, & quicquid possum, etiam quando non pecco illi debeo ne peccem, nihil habeo quod pro peccato illi reddam. A. Quid ergo erit de te? quomodo poteris saluus esse? B. Si rationes tuas confidero non video quomodo. Si autem ad fidem meam recurro, in fide Christiana, quæ per dilectionem operatur, spero me posse saluari, & quia legimus, si iniustus conuersus fuerit ab iniustitia sua, & fecerit iustitiam, omnes iniustitias suas tradi obliuioni. A. Hoc non dicitur nisi de illis, qui aut expectabant Christum antequam veniret, aut credunt in eum postquam venit. Sed Christum & Christianam fidem, quasi nunquam fuissent, posuimus, quando sola ratione, vtrum aduentus eius ad saluationem hominum esset necessarius, quærere proposuimus. B. Ita fecimus. A. Sola igitur ratione procedamus. B. Quauis in angustias quasdam me deducas, desidero tamen multum, ut sicut incepisti, progrediaris.**

Matth. 7.

B quod tibi fecit iniuriam, sed vnus Domini serui facti, ab illo de nihilo estis, si & de conseruo tuo te vindicas, iudicium, quod proprium Domini & iudicis omnium est, super illum superbe præsumis. In obedientia verò quid das Deo, quod non debes: cui iubenti totum quod es, & quod habes, & quod potes debes? *B. Nihil iam audeo in his omnibus dicere me dare Deo, quod non debeo. A. Quid ergo solues Deo pro peccato tuo? B. Si meipsum, & quicquid possum, etiam quando non pecco illi debeo ne peccem, nihil habeo quod pro peccato illi reddam. A. Quid ergo erit de te? quomodo poteris saluus esse? B. Si rationes tuas confidero non video quomodo. Si autem ad fidem meam recurro, in fide Christiana, quæ per dilectionem operatur, spero me posse saluari, & quia legimus, si iniustus conuersus fuerit ab iniustitia sua, & fecerit iustitiam, omnes iniustitias suas tradi obliuioni. A. Hoc non dicitur nisi de illis, qui aut expectabant Christum antequam veniret, aut credunt in eum postquam venit. Sed Christum & Christianam fidem, quasi nunquam fuissent, posuimus, quando sola ratione, vtrum aduentus eius ad saluationem hominum esset necessarius, quærere proposuimus. B. Ita fecimus. A. Sola igitur ratione procedamus. B. Quauis in angustias quasdam me deducas, desidero tamen multum, ut sicut incepisti, progrediaris.*

*Galat. 6.
Ezech. 18.*

Quanti ponderis sit peccatum.

Caput XXI. Anf.

Ponamus omnia illa, quæ modò proposuisti, te pro peccato posse soluere, te non debere, & videamus vtrum possit sufficere ad satisfactionem vnus tam parui peccati, sicuti est vnus aspectus contra voluntatem Dei. *B. Nisi quia audio te hoc ponere in quæstionem, putarem me hoc*

peccatum vna sola compunctione delere. A. Nondum considerasti quanti ponderis sit peccatum? B. Nunc ostende mihi. A. Si videres te in conspectu Dei, & aliquis tibi diceret: aspice illuc, & Deus e contra, nullatenus volo ut aspicias, quare tu ipse in corde tuo, quid sit in omnibus quæ sunt, pro quo deberes contra voluntatem Dei illum aspectum facere. B. Nihil inuenio pro quo hic debeam: nisi forte sim in ea necessitate positus, ut sit necesse me atque hoc aut maius peccatum facere. A. Remoue hanc necessitatem, de solo hoc peccato considera: si possis illud facere pro teipso redimendo. B. Apertè video, quia non possum. A. Ne te diutius protraham, quid si necesse esset aut totum mundum, & quicquid Deus non est, perire & in nihilum redigi: aut te facere tam paruum rem contra voluntatem Dei? B. Cum considero actionem ipsam, leuissimum quiddam video esse, sed cum intueor quid sit contra voluntatem Dei, grauissimum quiddam, & nulli damno comparabile intelligo: sed solemus aliquando facere contra voluntatem alicuius nō reprehensibiliter, ut res eius seruentur, quod postea illi placet contra cuius voluntatem facimus. A. Hoc fit homini, qui aliquando non intelligit quid sibi sit vtile, aut non posset restaurare quod perdidit, sed Deus nullo indiget, & omnia si perirent, posset sicut ea fecit, restaurare. B. Fateri me necesse est, quia pro conseruanda tota creatura nihil deberem facere contra voluntatem Dei. A. Quid, si plures essent mundi pleni creaturæ, sicut iste est. B. Si infinito numero multiplicarentur: & similiter mihi obtenderentur, id ipsum responderem. A. Nihil reatius potes: sed considera etiam si contingeret, ut contra voluntatem Dei illum aspectum faceres: quid posses pro hoc peccato soluere? B. Non habeo aliquid maius, quàm quod supra dixi. A. Sic grauiter peccamus, quotiescunque scienter aliquid quantumlibet paruum contra voluntatem Dei facimus, quoniam semper sumus in conspectu eius, & semper ipse præcipit nobis ne peccemus. B. Ut audio, nimis periculose viuimus. A. Patet, quia secundum quantitatem peccati exigit Deus satisfactionem. B. Non possum negare. A. Non ergo satisfacis, si non reddis aliquid maius, quàm sit id, pro quo peccatum facere non debueras. B. Et rationem video sic exigere, & omnino esse impossibile. A. Nec Deus vllum obligatum aliquatenus debito peccati assumere potest ad beatitudinem: quia non debet. B. Nimis est grauis hæc sententia. A. Audi adhuc aliud, cur non minus sit difficile hominem reconciliari Deo. B. Nisi fides me consolaretur, hoc solum cogeret me desperare. A. Audi tamen. B. Dic.

Quam contumeliam fecit Deo homo, cum se permisit à diabolo vinci, pro qua satisfacere non potest.

Cap. XXII. Anf.

Homo in paradiso fite peccato factus, quasi positus est pro Deo inter Deum & diabolum, ut vinceret diabolum non consentiendo suadenti peccatum, ad excusationem & honorem Dei & confusionem diaboli, cum illè infirmior in terra non peccaret, eodem diabolo suadente qui fortior peccauit in cælo nullo suadente, & cum hoc homo facile posset efficere, nulla vi coactus, sola suafione sponte se vinci permisit ad voluntatem diaboli, & contra voluntatem & honorem Dei. *B. Ad quid vis tendere? A. Indica tu ipse, si non est contra honorem Dei, ut homo reconcilietur illi cum calumnia huius contumeliæ Deo*

A Deo irrogata, nisi prius honorauerit Deum vincendo diabolum: sicut inhonorauerit illum victus à diabolo. Victoria verò talis esse debet, vt sicut fortis ac potestate immortalis consensit facile diabolo vt peccaret, vnde iuste incurrit poenam mortalitatis: ita infirmus & mortalis, qualem se fecit ipse per mortis difficultatem vincat diabolum, vt nullo modo peccet, quod facere non potest, quandiu ex vulnere primi peccati concipitur & nascitur in peccato. **B.** Iterum dico, quia ratio probat quod dicis, & impossibile est. **A.** Adhuc accipe vnum, sine quo iuste non reconciliatur homo, nec minus impossibile est. **B.** Tot iam proposuisti nobis, quæ facere debemus, vt quicquid superaddas non me magis terrere possit. **A.** Audi tamen. **B.** Audio.

Quod abstulit Deo, cum peccauit, quod reddere nequit.

Cap. XXIII. Ans.

Quid abstulit homo Deo, cum vinci se permisit à diabolo? **B.** Dic tu, vt incepisti, quia ego nescio quid super hæc mala, quæ ostendisti, potuit addere. **A.** Nonne abstulit Deo, quicquid de humana natura facere proposuerat? **B.** Non potest negari. **A.** Attende indistrictam iustitiam, & iudica secundum illam, vtrum & equalitatem peccati homo satisfaciatur Deo, nisi id ipsum quod permittendo se vinci à diabolo Deo abstulit, diabolum vincendo restituat: vt quemadmodum per hoc quod victus est, rapuit diabolus quod Dei erat, & Deus perdidit: ita per hoc quod vincat, perdat diabolus, & Deus recuperet. **B.** Nec districtius, nec iustius aliquid potest cogitari. **A.** Putasne summam iustitiam, hæc iustitiam posse violare? **B.** Non audeo cogitare. **A.** Nullatenus ergo debet aut potest accipere homo à Deo, quod Deus illi dare proposuit, si non reddit Deo totum quod illi abstulit, vt sicut per illum Deus perdidit, ita per illum recuperet. Quod non aliter fieri valet, nisi vt quemadmodum per victum tota humana natura corrupta & quasi fermentata est peccato, cum quo nullum Deus assumit ad perficiendam illam ciuitatem coelestem: ita per vincentem iustificentur à peccato tot homines, quot illum numerum complecturi erant, ad quem completum factus est homo. Sed hoc facere nullatenus potest homo peccator, quia peccator peccatorem iustificare nequit. **B.** Et nihil iustius, & nihil impossibilius, sed ex his omnibus videtur misericordia Dei & spes hominis perire, quantum ad beatitudinem spectat, ad quam factus est homo. **A.** Expecta adhuc parui. **B.** Quid habes adhuc amplius?

Quia quandiu homo non reddit Deo, quod debet, non possit esse beatus, nec excusetur impotentia.

Caput XXIV. Ans.

Si homo dicitur iniustus, qui homini non reddit quod debet: multo magis iniustus est, qui Deo quod debet non reddit. **B.** Si potest & non reddit, verè iniustus est. Si verò non potest, quomodo iniustus est? **A.** Forfitan si nulla in illo est impotentiae causa, aliquatenus excusari potest. Sed si in ipso impotentia est culpa, sicut non leuigat peccatum: ita non excusat non reddentem debitum. Nam si quis iniungat aliquod opus seruo suo, & præcipiat illi ne deiciat se in foveam, quam illi demonstrat, vnde nullatenus exire possit: & seruus ille contemnens mandatum & monitionem Domini sui, sponte se in præmonstratam mittat foveam, vt nullatenus possit iniunctum opus efficere: putasne illi aliquatenus impoten-

tiam istam ad excusationem valere, cum opus iniunctum non faciat? **B.** Nullo modo, sed ad augmentum potius culpæ, quoniam ipse impotentiam illam sibi fecit. Dupliciter nanque peccauit, quia & quod iussus est facere, non fecit: & quod præceptum est ne faceret, fecit. **A.** Ita homo, qui se sponte obligauit illi debito, quod soluere non potest: & sua culpa deiecit se in hanc impotentiam: vt nec illud possit soluere, quod debebat ante peccatum, id est, ne peccaret, nec quod debet, quia peccauit, inexcusabilis est. Ipsa nanque impotentia culpa est, quia non debet eam habere, imò debet eam non habere, nam sicut culpa est, non habere quod debet habere: ita culpa est habere quod debet non habere. Sicut ergo culpa est homini, non habere potestatem illam, quam accepit vt posset cauere peccatum: sic culpa est illi habere impotentiam, per quam nec iustitiam tenere, & peccatum cauere, nec quod pro peccato debet reddere, potest. Sponte nanque fecit, vnde perdidit illam potestatem, & deuenit in hanc impotentiam. Idem enim est, non habere potestatem quam debet habere, & habere impotentiam quam debet non habere. Quapropter impotentia reddendi Deo quod debet, quæ facit vt non reddat, non excusat hominem, si non reddit, quoniam effectus peccati non excusat peccatum, quod facit. **B.** Et graue nimis est, & ita esse necesse est. **A.** Iniustus ergo homo est, qui non reddit Deo quod debet. **B.** Nimis est verum, nam iniustus est, quia non reddit: & iniustus est, quia reddere nequit. **A.** Nullus autem iniustus admittitur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia, in qua nulla est indigentia: sic nulli conuenit, nisi in quo ita pura est iustitia, vt nulla in eo sit iniustitia. **B.** Non audeo aliter credere. **A.** Qui ergo non soluit Deo quod debet, non potest esse beatus. **B.** Ne hoc consequi negare possim. **A.** Quod si vis dicere, quia misericors Deus dimittit supplicanti quod debet, idcirco quia reddere nequit, non potest dici dimittere, nisi aut hoc quod homo sponte reddere debet nec potest, id est, quod recompenari possit peccato quod fieri non deberet, pro conseruatione omnis rei, quæ Deus non est, aut hoc quod puniendo erat ablaturus inuito, sicut supra dixi, id est, beatitudinem, sed si dimittit quod sponte reddere debet homo, ideo quia reddere non potest: quid est aliud quam dimittit Deus, quod habere non potest? Sed derisio est, vt talis misericordia Deo attribuat. At si dimittit, quod inuito erat ablaturus propter impotentiam reddenti, quod sponte reddere debet, relaxat Deus poenam, & facit beatum hominem propter peccatum, quia habet quod debet non habere. Nam ipsam impotentiam debet non habere, & idcirco quandiu illam habet, sine satisfactione peccatum est illi: verum huiusmodi misericordia Dei nimis contraria iustitiæ illius, quæ non nisi poenam permittit reddi propter peccatum. Quapropter quemadmodum Deum sibi esse contrarium: ita hoc modo illum esse misericordem est impossibile. **B.** Aliam Dei misericordiam video esse querendam, quam istam. **A.** Verum esto dimittat Deus ei, qui non soluit debitum, idcirco quod non potest. **B.** Ita vellem. **A.** At quandiu non reddet, aut volet reddere, aut non volet. Quod si volet quod non poterit, indigens erit. Si verò non volet, iniustus erit. **B.** Hoc nihil clarius. **A.** Siue autem indigens, siue iniustus sit, beatus non erit. **B.** Et hoc apertum. **A.** Quandiu non reddet beatus esse non poterit. **B.** Si

A rationem sequitur Deus iustitiae, non est qua enadat miser homuncio, & misericordia Dei perire videtur. *A.* Rationem postulasti, rationem accipe, misericordem Deum esse non nego, qui homines & iumenta saluat, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam. Nos autem loquimur de illa vltima misericordia, qua potest hanc vitam beatum facit hominem, hanc beatitudinem nulli dare debere, nisi illi, cui penitus dimissa sunt peccata, nec hanc dimissionem fieri, nisi debito reddito, quod debetur pro peccato secundum magnitudinem peccati suprapositis rationibus puto me sufficienter ostendisse. Quibus si quid tibi videtur posse rationibus obijci, dicere deberes. *B.* Ego vti que nullam tuarum rationum aliquatenus infirmari posse video. *A.* Nec ego, si bene considerentur, aestimo: veruntamen si vel vna de omnibus, quas posui, inexpugnabili veritate roboratur, sufficere debet. Siue nanque vno siue pluribus argumentis veritas inexpugnabiliter monstratur, aequaliter ab omni dubitatione defenditur. *B.* Ecce ita est. Quomodo ergo saluus erit homo, si ipse non soluit quod debet, nec saluari valet, si non soluit quod debet, aut qua fronte asserimus Deum in misericordia diuitem, super humanum intellectum hanc misericordiam facere non posse? *A.* Hoc debes nunc ab illis exigere, qui Christum non esse credunt necessarium ad salutem hominis: quorum vice loqueris, vt dicant, qualiter homo saluari sine Christo possit. Quod si non possunt vilo modo, desinant nos irridere, & accedant vt iungant se nobis, qui non dubitamus hominem saluari posse per Christum, aut desperent hoc vilo modo posse fieri. Quod si horrent, credant nobiscum in Christum vt possint saluari. *B.* A te quaero, sicut incoepi, vt ostendas mihi qua ratione saluetur homo per Christum.

Quod ex necessitate per Christum saluetur homo.

Caput XXV. An.

Nonne sufficienter probatur per Christum hominem posse saluari, cum etiam infideles non negent hominem vilo modo posse fieri beatum, & satis ostensum sit: quia si ponimus Christum non esse, nullo modo potest inueniri salus hominis. Aut enim per Christum, aut alio aliquo modo, aut nullo modo poterit saluus esse, quapropter si falsum est, quia nullo, aut aliquo alio modo potest hoc esse: necesse est fieri per Christum. *B.* Si quis videns rationem, quia alio modo non potest esse, & non intelligens qua ratione per Christum esse valeat, asserere velit quia nec per Christum, nec vilo modo queat hoc esse, quid huic respondebimus? *A.* Quid respondendum est illi, qui idcirco astruit esse impossibile quod necesse est esse, quia nescit quomodo sit. *B.* Quia insipiens est. *A.* Contemnendum est ergo quod dicit. *B.* Verum est, sed hoc ipsum illi ostendendum est, qua ratione sit quod putat impossibile. *A.* An non intelligis ex his, quae supra diximus: quia necesse est aliquos homines ad beatitudinem peruenire? Nam si Deo est inconueniens hominem cum aliqua macula perducere ad hoc, ad quod illum sine omni macula fecit: ne aut boni incepti poenitere, aut propositum implere non posse videatur: multo magis propter eandem inconuenientiam, impossibile est nullum hominem ad hoc prouehi, ad quod factus est. Quapropter aut extra fidem Christianam inuenienda est peccati satisfactio, qualem supra esse debere ostendimus, quod nulla ratio potest ostendere, aut indu-

bitanter in illa esse credenda est. Quod enim in necessaria ratione veraciter esse colligitur: id in nullam debet duci dubietatem, etiam si ratio quomodo sit non percipitur. *B.* Verum est quod dicitis. *A.* Quid ergo quaeris amplius? *B.* Non ad hoc veni, vt auferas mihi dubitationem, sed vt ostendas mihi certitudinis meae rationem, quapropter sicut me rationabiliter deduxisti ad hoc, vt videam hominem peccatorem hoc debere Deo pro peccato quod & reddere nequit: & nisi reddiderit, saluari non valet: ita volo me perducas illuc, vt rationabili necessitate intelligam, esse oportere omnia illa, quae nobis fides Catholica de Christo credere praecipit, si volumus saluari: & quomodo valeant ad salutem hominis, & qualiter Deus misericordiam saluet hominem, cum non dimittat illi peccatum, nisi reddiderit quod propter illud debet, & vt certiores sint argumentationes tuae, sic a longè incipe, vt eas supra firmum fundamentum constituas. *A.* Adiuuet me siue Deus, quia tu nullatenus mihi parcis, nec consideras imbecillitatem scientiae meae, cui tam magnum opus iniungis. Tentabo tamen, quandoquidem incoepi non in me, sed in Deo confidens, & faciam quod ipso adiuuante potero. Sed ne fastidium haec volenti legere, nimis longa continuatione generem, a dictis dicenda alio exordio distinguamus.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDVS.

Hominem factum esse iustum, vt beatus esset.

CAPVT PRIMVM.

Rationalem naturam a Deo factam esse iustam, vt illo fruendo beata esset, dubitari non debet. Ideo nanque rationalis est, vt discernat inter iustum & iniustum, inter bonum & malum, inter maius bonum & minus bonum alioquin frustra facta esset rationalis. Sed Deus non fecit eam rationalem frustra. Quare ad hoc eam factam rationalem esse constat. Simili ratione probatur, quia ad hoc accipit potestatem discernendi, vt odisset & vitaret malum: amaretque & diligeret bonum, atque maius bonum magis diligeret & eligeret. Aliter nanque frustra illi Deus dedisset potestatem illam discernendi, quia in vanum discerneret, si secundum discretionem non amaret & vitaret. Sed non conuenit, vt Deus tantam potestatem frustra dederit. Ad hoc itaque factam esse rationalem naturam certum est, vt summum bonum super omnia amaret, & diligeret, non propter aliud, sed propter ipsum: si enim propter aliud, non ipsum sed aliud amat. Ad hoc nisi iusta facere nequit. Vt igitur frustra non sit rationalis: simul ad hoc rationalis & iusta facta est. Quod si ad summum bonum eligendum & amandum iusta facta est, aut talis ad hoc facta est, vt aliquando assequeretur quod amaret & eligeret, aut non. Sed si non ad hoc iusta est facta, vt quod sic amat & eligit assequatur, frustra facta est talis, vt sic illud amet & eligat, nec vlla ratio erit, cur illud assequi debeat aliquando. Quandiu ergo amando & eligendo summum bonum iusta faciet, ad quod facta est misera erit, quia indigens erit contra voluntatem non habendo quod desiderat, quod nimis absurdum est. Quapropter rationalis natura iusta

A iusta est facta, vt summo bono fruendo beata esset, homo ergo qui rationalis natura est, factus est iustus ad hoc, vt Deo fruendo beatus esset.

Quod homo non moreretur, si non peccasset.

Cap. II. Ansel.

Quod autem talis factus sit, vt necessitate non moreretur, hoc facile probatur, quia, vt iam diximus, sapientiae & iustitiae Dei repugnat, vt coegeret mortem pati sine culpa, quem iustum fecerat ad aeternam beatitudinem. Sequitur ergo quia si nunquam peccasset, nunquam moreretur.

Quod cum corpore, in quo viuit in hac vita, resurgat.

Caput III. Ansel.

Vnde aperte quandoque futura mortuorum resurrectio probatur. Quippe si homo perfecte restaurandus est, talis debet restitui qualis futurus erat, si non peccasset. **B.** Aliter esse non potest. **A.** Quemadmodum igitur si non peccasset homo, cum eodem quod gerebat corpore in incorruptibilitatem transmutandus erat, ita oportet vt cum restaurabitur, cum suo, in quo viuit in hac vita, corpore restauretur. **A.** Quid respondebimus, si quis dicat quia hoc fieri oportet de illis, in quibus humanum genus restaurabitur, de reprobis verò non est necesse. **A.** Nihil iustius aut conuenientius intelligitur, quam vt sicut homo, si perseuerasset in iustitia, totus, id est, anima & corpore aeternè beatus esset: ita si perseuerat in iniustitia, totus similiter aeternè miser sit. **B.** Breuiter mihi de his satisfecisti.

Quod de humana natura perficiet Deus, quod incepit.

Caput IIII. Ansel.

Ex his est facile cognoscere, quoniam ad hoc de humana perficiet Deus natura quod incepit aut inuatum fecit tam sublimem naturam ad tantum bonum: At si nihil pretiosius agnoscitur Deus fecisse, quam rationalem naturam ad gaudendum de se, valde alienum est ab eo, vt illam rationalem naturam penitus perire sinat. **B.** Non potest aliter putare cor rationale. **A.** Necesse est ergo, vt de humana natura perficiat quod incepit, hoc autem fieri, sicut diximus, nequit, nisi per integrā peccati satisfactionem, quam nullus peccator facere potest. **B.** Intelligo iam necesse esse, vt Deus perficiat quod incepit, ne aliter quam deceat à suo incepto videatur deficere.

Quod quanuis hoc necesse sit fieri: tamen hoc non faciet cogente necessitate: & quod sit necessitas qua aufert gratiam aut minuit, & sit necessitas qua augeat.

Caput V. Boso.

Sed si ita est, videretur quasi cogi Deus necessitate vitandi indecentiam, vt salutem procuraret humanam. Quomodo ergo negari poterit plus hoc propter se facere, quam propter nos? At si ita est, quam gratiam illi debemus, pro eo quod facit propter se? Quomodo etiam nostram imputabimus salutem eius gratiae, si nos saluat necessitate? **A.** Est necessitas quae beneficienti gratiam aufert aut minuit, & est necessitas, qua maior ex beneficio gratia debetur. Cum enim aliquis ex necessitate, eni subiaceret, inuitus beneficit, aut nulla aut minor illi gratia debetur. Dum verò ipse se sponte necessitati beneficienti subdit, nec inuitus eam sustinet: tunc vtiue beneficii gratiam meretur maiorem. Non enim haec est dicenda ne-

cessitas, sed gratia, quia nullo cogente illam suscipit aut seruat, sed gratis. Nam si quid hodie sponte promittis te cras daturum, eadem cras voluntate das, quanuis necesse sit te cras reddere promissum: si non poteris aut non vis mentiri, non tamen minus tibi debet ille pro impenso beneficio cui das, quam si non promississet: quoniam te debitorem ante tempus dationis illi facere non es cunctatus, nec coactus. Tale est cum quis sanctae conuersationis vouet propositum. Quanuis nanque seruare illud ex necessitate post votum debeat, ne apostatae damnationem incurrat, & licet cogi possit seruare si nolit: si tamen non inuitus seruare quod vouit, non minus sed magis gratus est Deo, quam si non vouisset, quoniam non solum communem vitam, sed etiam eius licentiam sibi propter Deum abnegauit, nec sanctè viuere dicendus est necessitate, sed eadem qua vouit libertate. Quare multo magis si Deus facit bonum homini quod incepit, licet non deceat eum à bono incepto deficere, totum gratiae debemus imputare: quia hoc propter nos, non propter se (nullius egens) incepit. Non enim illum latuit, quid homo facturus erat, cum illum fecit: & tamen bonitate sua illum creando sponte, se vt perficeret inceptum bonum quasi obligauit. Denique Deus nihil facit necessitate, quia nullo modo cogitur aut prohibetur aliquid facere. Et cum dicimus, Deum aliquid facere quasi necessitate vitandi inhonestatem, quam vtiue non timet, potius intelligendum est quod facit necessitate seruandae honestatis: quae scilicet necessitas non est aliud, quam immutabilitas honestatis eius, quam à seipso, & non ab alio habet, & idcirco improprie dicitur necessitas: Dicimus tamen, quia necesse est, vt bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine quod incepit, quanuis totum sit gratia, quod fecit bonum. **B.** Concedo.

Quod satisfactionem, per quam saluatur homo, non possit facere nisi Deus homo.

Caput VI. Ansel.

Hoc autem fieri nequit, nisi sit qui soluat Deo pro peccato hominis aliquid maius, quam omne quod Deus non est. **B.** Ita constat. **A.** Illum quoque, qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod superat omne quod sub Deo est, maiorem esse necesse est, quam omne quod non est Deus. **B.** Nequeo negare. **A.** Nihil autem est, quod super omne sit, quod Deus non est, nisi Deus. **B.** Verum est. **A.** Non ergo potest hanc satisfactionem facere nisi Deus. **B.** Sic sequitur. **A.** Sed nec facere illam debet nisi homo, alioquin non satisfacit homo. **B.** Non videtur aliquid iustus. **A.** Si ergo sicut constat necesse est, vt de hominibus perficiatur illa superna ciuitas: nec hoc esse valet, nisi fiat praedicta satisfactio, quam nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo: necesse est vt eam faciat Deus homo. **B.** Benedictus Deus, iam magnum quiddam inuenimus de hoc quod quaerimus, prosequere igitur vt incepisti. Spero enim, quia Deus nos adiuuabit. **A.** Investigandum est nunc quomodo possit fieri Deus homo.

Quod necesse sit eundem ipsum esse perfectum Deum, & perfectum hominem.

Cap. VII.

Diuina natura & humana non possunt inuicem mutari, vt diuina fiat humana, vel hu-

A mana diuina: nec ita misceri, vt quædam tertia sit ex duabus, quæ nec diuina sit omnino, nec humana. Deniq; si fieri possit, vt altera in alteram conuerteretur, aut esset tantum Deus, & non homo, aut solus homo, & non Deus. Aut si miscerentur, ita vt ex duabus corruptis fieret quædam tertia; quæ admodum de duobus indiuiduis animalibus diuersarum specierum masculo & foemina nascitur tertium, quod nec Patris integram, nec matris seruat naturam: sed ex vtraque tertiam, nec homo esset, nec Deus. Non igitur potest fieri homo Deus, quem quærimus ex diuina & humana natura, aut conuersione alterius in alteram, aut corruptiua commixtione vtriusque in tertiam: quia hæc fieri nequeunt, aut si fieri valerent, nihil ad hoc quod quærimus valeret. Si autem quolibet modo coniungi ita dicuntur hæc duæ naturæ integræ: vt cum alius sit homo, alius Deus, & non idem sit Deus, qui & homo, impossibile est vt ambo faciant quod fieri necesse est. Nam Deus non faciet, quia non poterit: vt ergo hoc faciat Deus homo, necesse est eundem ipsum esse perfectum Deum, & perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facturum est, quoniam eam facere non potest, nisi sit verus Deus, nec debet nisi sit verus homo. Quoniam ergo seruata integritate vtriusque naturæ necesse est inueniri Deum hominem, non minus necesse est has duas naturas integras conueniri in vnam personam, quemadmodum corpus & anima rationalis continentur in vnum hominem: quoniam aliter fieri nequit, vt idem ipse sit perfectus Deus & perfectus homo. **B.** Totum mihi placet quod dicis.

B *Quod ex genere Adæ & de Virgine foemina Deum oporteat sumere hominem.*

Cap. VIII. Ansel.

Restat nunc querere, vnde & quomodo assumet Deus humanam naturam. Aut enim assumet eam Adam, aut faciet nouum hominem; quemadmodum fecit Adam de nullo alio homine. Sed si nouum hominem faciet, non ex Adæ genere, non pertinebit ad genus humanum quod natum est de Adam: quare non debet satisfacere pro eo, quia non erit de illo. Sicut enim reatum est, vt pro culpa hominis homo satisfaciatur: ita necesse est vt satisfaciens idem sit qui peccator, aut eiusdem generis. Aliter hanc nec Adam, nec genus eius satisfaciatur pro se. Ergo sicut de Adam & Eva peccatum in omnes homines propagatum est: ita nullus, nisi vel ipsi, vel qui de illis nascitur, pro peccato hominum satisfacere debet. Quoniam ergo illi nequeunt, necesse est vt de illis sit qui hoc faciet. Amplius sicut Adam & totum genus eius per se stetit sine sustentatione alterius creaturæ, si non peccasset: ita oportet vt si idem genus resurget post casum, per se resurgat & reueletur. Nam per quemcunque in statum suum restituatur, per illum vtrique stabit, per quem statum suum recuperabit. Deus etiam quando humanam naturam primitus fecit in solo Adam: nec foeminam, vt de vtroque sexu multiplicarentur homines, facere voluit nisi de ipso, vnde ipse aperte monstrauit, se non nisi de Adam voluisse facere quod de humana natura facturum erat. Quapropter si genus Adæ per aliquem releuatur hominem, qui non sit de eodem genere, non in illam dignitatem, quam habiturus erat si non peccasset Adam, & ideo non integre restaurabitur, & Dei pro-

positum deficere videbitur: quæ duo inconuenientia sunt, ergo necesse est, vt de Adam assumatur homo, per quem restauraretur genus Adæ. **B.** Si rationem sequimur, sicut proposuimus, hoc inuitabiliter oportet esse. **A.** Inuestigemus nunc, vtrum assumenda sit à Deo natura hominis de patre & matre, sicut alij homines, aut de viro sine foemina, aut de foemina sine viro. Nam quocunque modo ex his tribus modis sit, de Adam & de Eva erit, de quibus est omnis homo vtriusque sexus, nec aliquis modis ex tribus his facilius est Deo quam alij, vt eo modo potius debeat assumi. **B.** Bene procedis. **A.** Verum non est opus de multo labore, vt ostendatur: quia mundus & honestus procreabitur homo ille de solo viro vel foemina, quam de commixtione vtriusque, sicut omnes alij filij hominum. **B.** Sufficit. **A.** Aut ergo de solo viro, aut de sola foemina assumendus est. **B.** Aliunde non potest. **A.** Quatuor modis potest Deus facere hominem: videlicet aut de viro & de foemina, sicut assiduus vsus monstrat: aut nec de viro nec de foemina, sicut creauit Adam: aut de viro sine foemina, sicut fecit Euam: aut de foemina sine viro, quod nondum fecit, vt igitur huc quoque modum probet suæ subiacere potestati, & ad hoc ipsum opus dilatatum esse, nihil conuenientius quam vt de foemina sine viro assumat illum hominem, quem quærimus. Vtrum autem de virgine aut de non virgine dignius hoc fiat, non est opus disputare: sed sine omni disputatione asserendum est, quia de virgine Deum & hominem nasci oportet. **B.** Secundum placitum cordis mei loqueris. **A.** Estne solidum hoc quod diximus, aut vanum aliquid sicut nubes, quod dixisti nobis infideles obijcere? **B.** Nihil solidius. **A.** Pinge igitur non super fictam vanitatem, sed super solidam veritatem, & dic quia valde conuenit, vt quemadmodum hominis peccatum & causa nostræ damnationis initium sumpsit à foemina: ita medicina peccati & causa nostræ salutis nascatur de foemina: ac ne mulieres desperent se pertinere ad sortem beatorum, quoniam de foemina tantum malum processit, oportet vt ad reformandam spem earum, de muliere tantum bonum procedat. Pinge & hic: Si virgo erat, quæ causa fuit humano generi totius mali, multo magis decet vt virgo sit, quæ causa erit totius boni. Hoc quoque pinge: Si mulier, quam fecit Deus, de viro sine foemina facta est: de virgine conuenit valde, vt vir quoque, qui fiet de foemina, sine viro fiat de virgine. Sed de peccatis, quæ possunt pingi super hoc: quia Deus homo de virgine muliere nasci debet: ista nunc sufficiant. **B.** Valde pulchræ & rationabiles sunt picture istæ.

Quod necesse sit Verbum solum & hominem, in vnam conuenire personam.

Cap. IX. Ansel.

Nunc quoque querendum est in qua persona Deus, qui est tres personæ, hominem assumat. Plures enim personæ nequeunt vnum eundemque hominem assumere in vnitatem personæ. Quare in vna persona tantum hoc fieri necesse est. Sed de hac vnitatem personæ Dei & hominis: in qua persona Dei hoc magis fieri oportet, in epistola de incarnatione Verbi ad dominum papam Urbanum directæ, quantum ad præsentem inuestigationem sufficere puto, locutus sum. **B.** Breuiter tamen hoc tange, cur potius persona Filij debet incarnari, quam Patris & Spiritus sancti?

sancti? *A.* Si quælibet alia persona incarnaretur, erunt duo filij in Trinitate, Filius scilicet Dei, qui & ante incarnationem Filius est, & illè, qui per incarnationem Filius erit Virginis: & erit in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundum dignitatem natiuitatum. Digniores namque natiuitatem habebit natus ex Deo, quam natus ex virgine. Item, si Pater fuerit incarnatus, erunt duo nepotes in Trinitate. quia Pater erit nepos parentum virginis per hominem assumptum: & Verbum, cum nihil habeat de homine, nepostamen erit virginis, quia filij eius erit filius. Quæ omnia inconuenientia sunt, nec in incarnatione Verbi contingunt. Est & aliud cur magis conueniat incarnari Filio, quam alijs personis: quia conuenientius sonat Filium supplicare patri, quam aliam personam alij. Item homo, pro quo erat oraturus, & diabolus, quem erat expugnaturus, ambo falsam similitudinem Dei per propriam voluntatem præsumperant. Vnde quasi specialius aduersus personam Filij peccauerant, qui vera Patris similitudo creditus. Illi itaque, cui specialius fit iniuria, conuenientius attribuitur culpæ vindicta aut indulgentia. Quapropter cum ratio nos inuitabilis perduxerit ad hoc, vt necesse sit diuinam & humanam naturam in vnam conuenire personam: nec hoc fieri possit in pluribus personis Dei, & hoc conuenientius fieri pateat in persona Verbi, quam in alijs: necesse est Verbum Deum & hominem in vnam conuenire personam. *B.* Sic est via, qua me ducis vndique munita ratione, vt neque ad dexteram neque ad sinistram videam me ab illa posse declinare. *A.* Non ego te duco, sed ille, de quo loquimur, sine quo nihil possumus, nos ducit vbiq; viam veritatis tenemus.

Quod homo idem non ex debito moriatur: & quomodo possit vel non possit peccare: & cur ille vel Angelus de sua iustitia laudandus sit, cum peccare non possit.

Caput X. Ansel.

Vtrum autem homo ille sit moriturus ex debito, sicut alij homines ex debito moriuntur, nunc inuestigare debemus. Sed si Adam moriturus non erat, si non peccasset, multo magis iste mortem pati non debet, in quo peccatum esse non poterit, quia Deus erit. *Bozo.* In hoc volo te aliquantulum morari, siue enim dicatur posse, siue non posse peccare, in vtroque mihi non parua nascitur questio. Nam si non posse peccare dicitur, vt enim aliquantulum loquar, non quasi de illo, qui nunquam fuisse, sicut hactenus fecimus: sed velut de eo, quem & cuius facta nouimus, quis neget illum multa potuisse facere, quæ peccata dicimus. Quippe vt alia taceam, quomodo dicemus eum non potuisse mentiri, quod semper peccatum est. Cum enim dicat Iudæus de Patre: *si dixero, quia non scio eum, ero ei similis vobis mendax: & inter hæc verba dicat: non scio eum: quis eum dicat easdem tres nequiuisse proferre dictiones, siue alijs verbis: vt sic diceret, non scio eum. Quod si faceret, vt ipse ait: esset mendax, quod est esse peccatorem. Quare, quoniam hoc potuit, peccare potuit. *A.* Et hoc dicere potuit, & peccare non potuit. *B.* Hoc ostende. *A.* Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico quia possum loqui vel ambulare, subauditur, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas: non est potestas, sed*

necessitas. Nam cum dico, quia nolens possum trahi & vinci, non est, nec mea potestas, sed necessitas & potestas alterius. Quippe non est aliud possum trahi vel vinci, quam alius me trahere vel vincere potest. Possumus itaq; dicere de Christo: quia potuit mentiri, si subaudiat si vellet & quoniam mentiri non potuit nolens, nec potuit velle mentiri: nec minus dici potest, nequiuisse mentiri. Sic itaq; potuit & non potuit mentiri. *B.* Nunc redeamus ad inuestigandum de illo quasi non dicitur, sicut incepimus. Dico igitur, si peccare non potuit: quia sicut dicitur non poterit velle, ex necessitate seruabit iustitiam: quare non ex libertate arbitrij iustus erit. Quæ igitur gratia illi pro iustitia sua debebitur. Solemus namq; dicere, Deus idcirco fecisse Angelum & hominem tales, qui peccare possent, quatenus cum possent deserere iustitiam, & ex libertate arbitrij seruarent, gratia & laudem mererentur: quæ illis si ex necessitate iusti essent, non deberentur. *A.* Nonne Angeli, qui modo peccare nequeunt, laudandi sunt? *B.* Sunt utiq; quia hoc, quod modo non possunt, meruerunt, per hoc, quod potuerunt & noluerunt. *A.* Quid dicitur de Deo, qui peccare non potest: nec hoc meruit per potestatem peccandi, quia non peccauit, non laudandus est pro iustitia sua? *B.* Hic volo, vt respondens pro me, nam si dico eum non esse laudandum, scio me mentiri. Si autem dico laudandum, timeo infirmare rationem, quam dixi de Angelis. *A.* Angeli non sunt laudandi de iustitia sua, quia peccare potuerunt, sed quia per hoc quodammodo a se habet quod peccare nequeunt: in quo aliquatenus similes sunt Deo, qui a se habet quicquid habet. Dicitur enim dare aliquid quod non aufert quando potest: & facere esse aliquid, qui cum possit id ipsum facere non esse, non facit. Sic itaq; cum Angelus potuit auferre sibi iustitiam, & non abstulit: & facere se non esse iustum, & non fecit, recte asseritur ipse sibi dedisse iustitiam, & seipsum iustum fecisse. Hoc igitur modo habet a se iustitiam: quia creatura eam aliter a se habere nequit, & idcirco laudandus est de sua iustitia, & non necessitate, sed libertate iustus est, quia improprie dicitur necessitas, vbi nec coactio vlla est, nec prohibitio. Quapropter quoniam Deus perfecte habet a se quicquid habet, ille maxime laudandus est de bonis quæ habet & seruat, non vlla necessitate: sed, sicut supra dixi, propria & æterna immutabilitate. Sic ergo homo ille, qui idem ipse Deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit, a se habebit, non necessitate, sed voluntate & libertate, & a seipso iustus, & idcirco laudandus erit. Quauis enim humana natura a diuina habeat quod habebit, idem tamen ipse a se ipso (quoniam due nature vna persona erunt) habebit. *B.* Satis fecisti mihi ex hoc, & aperte video: quia & peccare non poterit: & tamen laudandus erit de iustitia sua. Sed nunc querendum æquomodo, cum Deus talem posset facere hominem: cur non tales fecit Angelos & duos primos homines, vt similiter & peccare non possent, & de iustitia sua laudandi essent? *A.* Intelligis quid dicas? *B.* Videor mihi intelligere, & idcirco quero, cur eos tales non fecit? *A.* Quoniam non potuit nec debuit fieri, vt vnusquisque eorum esset idem ipse qui Deus, sicut de homine isto dicimus, & si queris, cur non vel tot quot sunt personæ Dei, vel saltem de vno hoc fecit, respondeo: quia ratio tunc fieri nullatenus hoc exigebat, sed omnino (quia Deus nihil sine ratione facit) prohibebat. *B.* Erubescio quia hoc quaesivi, dic quod diciturus eras. *A.* Dicamus ergo, quia mori non debet, quoni-

A quoniam non erit peccator. B. Concedere me oportet.

Quod moriatur ex sua potestate, quod mortalitas non pertineat ad puram hominis naturam.

Caput XI. Ansel.

Nunc autem restat indagare, vtrum possit mori secundum humanam naturam: nam secundum diuinam incorruptibilis semper erit. B. De hoc cur dubitare debemus, cum ipse verus homo futurus sit, & omnis homo naturaliter mortalis sit. A. Non puto mortalitatem ad puram, sed ad corruptam hominis naturam pertinere. Quippe si nunquam peccasset homo, & immortalitas ipsius immutabiliter firma esset: non tamen minus homo esset verus: & quando mortales in incorruptibilitatem resurgent, non minus erunt veri homines, nam si pertineret ad veritatem humanæ naturæ mortalitas nequaquam posset esse homo, qui esset immortalis. non ergo pertinet ad sinceritatem humanæ naturæ corruptibilitas siue incorruptibilitas: quoniam neutra facit aut destruit hominem, sed altera valet ad eius miseriam, altera ad beatitudinem. Sed quoniam nullus homo est, qui non moriatur: Idcirco mortale ponitur in hominis diffinitione à Philosophis, qui non crediderunt totum hominem, aliquando potuisse aut posse esse immortalem. Quare non sufficit ad demonstrandum illum hominem debere mortalem esse, hoc: quia verus homo erit. B. Quare ergo tu aliam rationem: quia ego illam nescio, si tu scis, qua ille probetur posse mori. A. Dubium non est, quia sicut Deus erit, ita omnipotens erit. B. Unde est? A: Si ergo volet, poterit animam suam ponere & iterum sumere. B. Si hoc non potest, non videtur, quod sit omnipotens. A. Poterit igitur nunquam mori, si volet: & poterit mori, & resurgere. Siue autem animam suam ponat nullo alio faciente, siue alius hoc faciat, ut eam ponat ipso permittente, quantum ad potestatem nil differt. B. Non est dubium. A. Si igitur voluerit permittente, poterit occidi: sed si noluerit, non poterit. B. Ad hoc nos indeclinabiliter perducit ratio. A. Ratio quoque non docuit, quia oportet eum maius aliquid habere, quam quicquid sub Deo est, quod sponte det, & non ex debito; Deo. B. Ita est. A. Hoc autem nec sub illo, nec extra illum intueniri potest. B. Verum est. A. In ipso igitur inueniendum est. B. Sic sequitur. A. Aut igitur seipsum, aut aliquid de se dabit. B. Non possum aliter intelligere. A. Quarendum est nunc, cuiusmodi hæc datio debet esse. Dare namque se non poterit Deo: aut aliquid de se quasi non habenti, ut suus sit: quoniam omnis creatura Dei est. B. Sic est. A. Sic ergo intelligenda est hæc datio. Quia aliquo modo ponet se ad honorem Dei, aut aliquid de se, quomodo debitor non erit. B. Ita sequitur ex supradictis. A. Si dicimus, quia dabit seipsum ad obediendum Deo, ut perseveranter seruando iustitiam subdat se eius voluntati: non erit hoc dare, quod Deus ab illo non exigat ex debito. Omnis enim rationalis creatura debet hanc obedientiam Deo. A. Hoc negari nequit. B. Alio itaque modo oportet ut det seipsum Deo, aut aliquid de se. A. Ad hoc nos impellit ratio. A. Videamus si forte hoc sit vitam suam dare siue ponere animam suam, siue tradere seipsum morti ad honorem Dei. Hoc enim ex debito Deus non exiget ab illo: quoniam namque non erit peccatum in illo, non debet mori, ut diximus. B. Aliter nequeo intelligere. B. Consideremus adhuc, vtrum

rationabiliter conueniat. A. Dic tu, & ego libenter audiam. A. Si homo per suauitatem peccauit, an non conuenit, ut per asperitatem satisfaciat. Et si tam facile victus est à diabolo, ut Deum peccando ex honoraret, ut facilius non posset, nonne iustum est, ut homo satisfaciens Deo pro peccato, tanta difficultate vincat diabolum ad honorem Dei, ut maiori non possit. An non est dignum quatenus qui se sic abstulit Deo peccando, ut se plus auferre non posset: sic se det Deo satisfaciendo, ut magis se non possit dare? B. Non est aliquid rationabilius. A. Nihil autem asperius aut difficilius potest homo ad honorem Dei sponte & non ex debito pati quam mortem: & nullatenus seipsum potest homo magis dare Deo, quam cum se morti tradidit ad honorem illius. B. Vera sunt omnia hæc. A. Talem ergo oportet eum esse, qui pro peccato hominis satisfacere volet: ut mori possit si velit. B. Video hominem illum planè quem quærimus, talem esse oportere: qui nec ex necessitate moriatur, quoniam erit omnipotens: nec ex debito, quia nunquam peccator erit: & mori possit ex libera voluntate, quia necessarium erit. A. Sunt & alia multa, cur eum valde conueniat hominum similitudinem & conuersationem absque peccato habere, quæ facilius & clarius se patent in eius vita & operibus, quam velut ante experimentum, sola ratione monstrari possint. Quis enim explicet, quam necessariè, quam sapienter factum sit, ut ille, qui homines erat redempturus, & de via mortis & perditionis ad viam vitæ & beatitudinis eternæ docendo reducturus, cum hominibus conuersaretur, & in ipsa conuersatione cum eos doceret verbo qualiter viuere deberent, seipsum exemplum præberet. Exemplum autem seipsum quomodo daret in rebus & mortalibus, ut propter iniurias, aut contumelias, aut dolores, aut mortem à iustitia non recederent, si ipsum hæc omnia sentire non agnoscerent.

Quod quantum incommodorum nostrorum particeps sit, miser tamen non sit. Cap. XII. Boso.

Omnia hæc patenter ostendunt eum mortalem, & incommodorum nostrorum participem esse oportere. Sed hæc omnia miseriæ nostræ sunt, nunquid ergo miser erit? Ansel. Nequaquam. nam sicut ad beatitudinem non pertinet commodum, quod habet quis contra voluntatem: ita non est miseria, apprehendere sapienter nulla necessitate aliquod incommodum secundum voluntatem. B. Concedendum est.

Quod cum alijs infirmitatibus nostris ignorantiam non habeat.

Caput XIII. Boso.

Verum in hac similitudine, quam habere debet cum hominibus, dic vtrum ignorantiam quoque, sicut alias infirmitates nostras, habiturus sit? A. Quid dubitas de Deo, vtrum sit omnia sciens? B. Quia quantum sit immortalis futurus ex diuina natura, mortalis tamen erit ex humana. Cur ergo non similiter: poterit ille homo esse verè ignorans, sicut verè mortalis erit? A. Illa hominis assumptio in unitatem personæ, non nisi sapienter à summa sapientia fiet, & ideo non assumet in homine, quod nullo modo vtile, sed valde noxium est ad opus, quod idem homo facturus est. Ignorantia namque ad nihilum illi utilis esset, sed ad multa noxia: quomodo enim tot & tanta opera, quæ facturus est, faciet sine summa sapientia, aut quomodo illi homines credent, si eum

A si eum sciat nescium. Si autem nesciet, ad quid erit ei utilis ignorantia illa? Deinde, si nihil amatur, nisi quod cognoscitur: sicut nihil erit boni, quod non amet, ita nullum bonum erit, quod ignoret. Bonum autem nemo perfecte nouit, nisi qui illud à malo scit discernere, hanc quoque discretionem nullus scit facere, nisi qui malum non ignorat. Sicut igitur ille, de quo loquimur, omne perfecte sciet bonum: ita nullum ignorabit malum. Omnem igitur habebit scientiam, quanuis eam publice in hominum conuersatione non ostendat. **B.** Hoc in maiori aetate ita videtur, sicut dicis: sed in infantia, sicut non erit tempus congruum, ut in illo appareat sapientia: ita non erit opus, & ideo nec congruum, ut illam habeat. **A.** Nonne dixi, quia sapienter fiet illa incarnatio? Sapienter namque assumet Deus mortalitatem, qua sapienter (quia valde utiliter) utetur. Ignorantiam verò non poterit assumere sapienter: quia nunquam est utilis, sed semper noxia: nisi forte per eam mala voluntas (quae nunquam in illo erit) ab affectu restringatur. Nam etsi aliquando ad aliud non nocet, hoc solo tamen nocet, quia scientiae bonum aufert, & vix breuiter absoluat, quod queris, ex quo homo ille erit plenus Deo, semper in seipso erit, unde nunquam erit sine eius potentia & fortitudine & sapientia. **Bos.** Quanuis hoc in Christo fuisse semper non dubitarem, ideo tamen queris, ut de hoc quoque rationem audirem. Saepe namque aliquid esse certi sumus, & tamen hoc ratione probare nescimus,

Quomodo mors eius praeualeat numero & magnitudini peccatorum omnium.

Cap. XIII.

B Vnc rogo ut doceas me, quomodo mors eius praeualeat numero & magnitudini peccatorum omnium: cum vnum (quod putamus leuissimum) peccatum tam infinitum monstres, ut si numerus ostendatur infinitus mundorum, qui sic pleni sunt creaturis sicut iste est, nec possint seruari quin redigantur in nihilum, nisi faciat aliquis aspectum vnum contra voluntatem Dei, non tamen fieri debeat. **A.** Si praesens esset homo ille, & quis esset scires, & diceretur tibi: nisi occidas hominem illum, peribit mundus iste totus, & quicquid Deus non est, faceres hoc pro conseruanda omni alia creatura? **B.** Non facerem, etiam si mihi infinitus numerus mundorum ostenderetur. **A.** Quid si iterum tibi diceretur, aut eum occides, aut omnia peccata mundi venient super te? **B.** Responderem me potius illa omnia peccata velle suscipere: non solum huius mundi quae fuerunt & quae futura sunt, sed & quae cunq; super hanc cogitari possunt, quam istud solum quod non solum de occasione eius, sed & de qualibet parua laesione, quae illum tangeret, respondere me existimo debere. **A.** Recte existimas: sed dic mihi, cur ita cor tuum iudicat, ut plus horreat vnum peccatum in laesione huius hominis: quam alia omnia, quae cogitari possunt: cum omnia quaecunq; sunt peccata, contra illum sint? **B.** Quoniam peccatum, quod in persona eius fit, incomparabiliter superat omnia illa, quae extra personam illius cogitari possunt. **A.** Quid dicis ad hoc: quia saepe libenter aliquis patitur quaedam in sua persona molestias, ne maiores patiantur in rebus suis. **B.** Quia Deus non eget hac patientia, cuius potestati omnia subiacent, sicut tu supra meae interrogationi respondisti. **A.** Bene respondes: Videmus ergo, quia violationi vitae corporalis huius hominis nulla immensitas vel multitudo

peccatorum extra personam Dei comparari valet. **B.** Sapientissimum est. **A.** Quantum bonum tibi videtur, cuius interemptio tam mala est. **B.** Si omne bonum tam bonum est, quam mala est eius destructio: plus est bonum incomparabiliter, quam sint ea peccata mala, quae sine existimatione superat eius interemptio. **A.** Verum dicis. Cogita, quia etiam peccata tantum sunt odibilia, quantum sunt mala: & vita ista tantum amabilis, quantum est bona. Inde sequitur, quia vita haec plus est amabilis, quam sint peccata odibilia. **B.** Non possum hoc non intelligere. **A.** Putasne, tantum bonum tam amabile posse sufficere ad soluendum quod debetur pro peccatis totius mundi? **B.** Imò potest plusquam in infinitum. **A.** Vides igitur quomodo vita haec vincat omnia peccata, si pro illis deat. **Bos.** Aperte. **Ansel.** Si ergo dare vitam, est mortem accipere: sicut datio huius vitae praeualeat omnibus hominum peccatis: ita & acceptio mortis.

Quomodo deleat mors eadem etiam peccata eum perimentium.

Caput XV. Bos.

Ita esse de omnibus peccatis, quae personam Dei non tangunt, constat. Sed nunc video aliud querendum. Nam si tam malum est eum occidere, quam bona est vita eius: quomodo potest mors eius superare & delere peccata eorum, qui eum occiderunt? Aut si alicuius eorum peccatum delet: quomodo potest aliorum quoque hominum aliquod delere? Credimus enim, quia & multi ex illis saluati sunt, & innumerabiles alij saluantur. **A.** Hanc quaestionem soluit Apostolus, qui dixit: quia si cognouissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent. Tantum namque differunt scienter factum peccatum, & quod per ignorantiam fit: ut malum, quod nunquam facere possent pro nimietate sua si cognosceretur, veniale fit quia ignoranter factum est. Deum enim occidere nullus homo vquam scienter saltem velle possit: & ideo qui illum occiderunt ignoranter, non in illud infinitum peccatum, cui nulla alia comparari possunt peccata, proruerunt. Nam si considerauimus eius magnitudinem ad videndum, quam bona esset vita illa, secundum hoc quod ignoranter factum est: sed quasi scienter fiet, quod nec vquam fecit aliquis, nec facere potuit. **B.** Rationabiliter interemptores Christi ad veniam peccati sui pertingere potuisse, monstrasti. **A.** Quid iam quæris amplius? Ecce iam vides, quomodo rationabilis necessitas ostendit ex hominibus perficiendum esse supernam ciuitatem: nec hoc posse fieri, nisi per remissionem peccatorum, quam homo nullus habere potest nisi per hominem, qui idem ipse sit Deus: atque sua morte homines peccatores Deo conciliet. Aperte igitur inuenimus Christum, quem Deum & hominem absque omnium dubietate cognito, cuncta quae ipse dicit, certa esse, quoniam Deus mentiri nequit: & sapienter esse facta quae fecit, dubitandum non est, quantuis non eorum ratio intelligatur à nobis. **B.** Verum est quod dicis, nec aliquatenus quod dixit, esse verum: aut quod fecit, rationabiliter esse factum, dubito. Sed hoc postulo, ut quod quasi non debere, aut non posse fieri videtur infidelibus, in fide Christiana hoc mihi qua ratione fieri debeat aut possit, aperias: non ut me in fide confirmes: sed ut confirmatum veritatis ipsius intellectu laetifices.

Qualiter

A Qualiter Deus de massa peccatrice assumpsit hominem sine peccato, & de Saluatione Adæ & Eue.

Cap. XVI.

Quapropter sicut eorum, quæ supra dicta sunt, rationem aperuisti: sic peto ut eorum, quæ sum adhuc quæsiturus, rationem ostendas. Primum scilicet, qualiter de massa peccatrice & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem sine peccato, quasi azymum de fermentato, Deus assumpsit. Nam licet ipsa hominis eiusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato, virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta: & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. **A.** Postquam constat hominem illum esse Deum, & peccatorum reconciliatorem, dubium non est eum sine peccato esse: hoc autem esse non valet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit assumptus. **Q**ua ratione vero sapientia Dei hoc fecit, si non possumus intelligere, non debemus mirari: sed cum ueneratione tolerare, aliquid esse in secretis tantæ rei, quod ignoramus. Quippe mirabilis Deus restaurauit humanam naturam, quam instaurauit: æqualiter enim utrunque Deo facile est, sed homo antequam esset, non peccauit, ut fieri non deberet. Postquam uero factus est, peccando meruit, ut quod & ad quod factus erat, perderet: quantum non perdiderit omnino quod factus erat, ut esset quod puniretur, aut cui Deus miseretur. Neutrum enim horum fieri posset, si in nihilum redactus esset. Tanto ergo mirabilis Deus illum restituit, quam instituit: quando hoc de peccatore contra meritum. Illud non de peccatore, nec contra meritum fecit. Quantum etiam est Deum & hominem, sic in unum conuenire, ut seruata integritate utriusque naturæ idem sit homo qui Deus. **Q**uis ergo presumat vel cogitare, quod humanus intellectus ualeat penetrare quam sapienter, quam mirabiliter, tam inuisibile opus factum sit. **B.** Assentior, quia nullus homo potest in hac uita tantum secretum penitus aperire, nec peto ut facias, quod nullus homo facere potest: sed tantum, quantum potes. Plus enim persuadebis altiores in hac re rationes latere, si aliquam te monstraueris videre, quam si te nullam in ea rationem intelligere, nihil dicendo, probaueris. **A.** Video me ab importunitate tua non posse liberari, sed si aliquatenus potero quod postulas ostendere, gratias agamus Deo. Si uero non potero, sufficiat ea quæ supra probata sunt. Cum enim constat, Deum hominem fieri oportere, dubium non est, sapientiam & potentiam illi non deesse, ut hoc sine peccato fiat. **B.** Sic libenter accipio. **A.** Oportuit utique ut illa redemptio, quam Christus fecit, prodesset: non solum illis, qui eo tempore fuerunt, sed & alijs. Sit enim rex aliquis, cui totus populus suæ cuiusdam ciuitatis sic peccauit, excepto uno solo, qui tamen est de illorum genere: ut nullus eorum facere possit uide mortis damnationem euadat. Ille autem, qui solus est innocens, tantam apud regem habeat gratiam, ut possit: & tantam dilectionem erga reos, ut velit omnes, qui credent suo consilio, reconciliare quodam seruitio ipsi regi valde placituro; quod facturum est die secundum uoluntatem regis statuto, & quoniam non omnes possunt, qui reconciliandi sunt, ad diem illam conuenire, concedit rex, propter magnitudinem seruitij illius, ut quicumque, vel ante, vel post diem illam confessi fuerint se uel-

le per illud opus, quod ea die fiet, ueniam impetrare, & ad pactum constitutum ibi accedere, ab omni culpa sint absoluti præterita, & si contigerit ut post hanc ueniam iterum peccent, si digne satis facere & corrigi deinceps uoluerint, per eiusdem pacti efficaciam iterum ueniam recipiant: sicut tamen, ut nullus palatium eius ingrediatur, donec factum sit, unde culpæ relaxantur. Secundum hanc similitudinem, quoniam non potuerunt omnes homines, qui saluandi erant, præsentibus esse, quando redemptionem illam Christus fecit, tanta fuit uis in eius morte, ut etiam in absentes, uel loco, uel tempore, eius protendatur effectus. Quod autem non solum præsentibus prodesse debeat, hinc facile cognoscitur: quia non tot præsentibus eius esse morti potuerunt, quod ad supernæ ciuitatis constructionem necessarij sunt, etiam si omnes, qui eiusdem mortis tempore ubicunque erant, ad illam redemptionem admitterentur. Plures enim sunt demones, quam (de quibus restaurandus est numerus eorum) ea die uiuerent homines. Nec credendum est, ex quo factus est homo, uilium tempus fuisse, quo mundus iste cum creaturis suis, quæ factæ sunt ad usum hominum, sic uacuis fuisset, ut nullus esset in illo ex humano genere ad hoc pertinens, propter quod factus est homo. Videtur enim inconueniens, quod Deus uel uno momento permiserit humanum genus, & ea, quæ fecit, propter usum eorum, de quibus superna ciuitas perficienda est, quasi frustra extitisse. Nam aliquatenus in uanum esse uiderentur, quando non ad hoc, propter quod maxime factæ essent, uiderentur subsistere. **B.** Congruenti ratione, & cui nihil repugnare uideretur, monstras nullum unquam tempus fuisse, ex quo factus est homo, absque aliquo, qui ad eam pertineret (sine qua factus esset uanè omnis homo) reconciliationem: quod non solum conuenire, sed etiam necesse esse possumus concludere. Si enim conuenientius & rationabilius est hoc, quam aliquando nullum fuisse, de quo intentio Dei, qua hominem fecit, perficeretur: nec est aliquid, quod huic obuiet rationi, necesse est semper aliquem ad prædictam reconciliationem pertinentem fuisse. Unde Adam & Eua ad illam pertinuisse redemptionem dubitandum non est, quantum hoc auctoritas diuina aperte non pronuntiat: **A.** Incredible quoque uidetur, quando Deus illos fecit & proposuit immutabiliter facere de illis omnes homines, quos ad cœlestem ciuitatem assumpturus erat, quod illos duos ab hoc excluderet proposito. **B.** Imò illos maxime ad hoc fecisse credi debet, ut essent de illis, propter quos facti sunt. **A.** Bene consideras. Nulla tamen anima ante mortem Christi, paradysum cœlestem ingredi potuit, sicut supra dixi de regis palatio. **B.** Sic tenentis. **A.** Virgo autem illa, de qua ille homo assumptus est, de quo loquimur: fuit de illis, qui ante necessitatem eius per eum mandati sunt à peccatis, & in eius ipsa munditia de illa assumptus est. **B.** Placeret mihi multum quod dicis, nisi cum ipse debeat à seipso habere munditiam à peccato: uideatur eam habere à matre, & per se mundus non esse, sed per illam. **A.** Non ita est. Sed quoniam matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi ab illo: ipse quoque per seipsum & à se mundus fuit. **B.** Bene est de hoc. Verum adhuc mihi aliud uidetur quærendum. Diximus enim supra: quia non necessitate moriturus erat, & nunc uidemus, quia mater eius per eius mortem futuram munda fuit, quod nisi illa fuisset, ipse de illa esse non potuisset. Quomodo non necessitate mortuus est, qui

A qui non nisi quia moriturus erat potuit esse? Nam si moriturus non esset, virgo, de qua assumptus est, munda non fuisset: quoniam hoc nequaquam valuit esse, nisi veram eius mortem credendo: nec ille de illa potuit aliter assumi. Quare si non mortuus est ex necessitate, postquam assumptus est de virgine, potuit non esse assumptus de virgine, postquam est assumptus: quod non est possibile. **A.** Si bene, quæ supra dicta sunt, considerasses, hanc quæstionem in illis, ut puto, solutam intellexisses. **B.** Non video quomodo. **A.** Nonne, quando quæsumus, utrum ille mentiri poterit, monstravimus in mentiendō duas esse potestates? vnam videlicet volendi mentiri, alteram mentiendi: & quoniam cum mentiendi potestatem haberet, hoc à seipso habuit, ut non posset velle mentiri: idcirco de sua iustitia, qua veritatem seruavit, esse eum laudandum. **B.** Ita est. **A.** Similiter est in seruando vitam, potestas volendi seruare, & potestas seruandi. Cum autem quæritur, utrum idem Deus homo potuerit seruare vitam suam, ut nunquam moreretur, dubitandum non est: quia semper habuit potestatem seruandi, quauis nequiuisset velle seruare, ut nunquam moreretur, & quoniam hoc à seipso habuit, ut scilicet velle non posset, non necessitate, sed libera potestate animam suam posuit. **B.** Non omnino similes fuerunt in illo istæ potestates mentiendi scilicet, & seruandi vitam. Ibi enim sequitur, quia si vellet, posset mentiri: hic autem videtur, quia si non mori vellet, non magis hoc posset quam posset non esse quod erat. Nam ad hoc erat homo ut moreretur, & propter huius futuræ mortis fidem de virgine potuit assumi, sicut supra dixisti. **A.** Quemadmodum putas illum non potuisse non mori, aut necessitate mortuum esse: quia non potuit non esse quod erat, ita potes asserere, illum non potuisse velle non mori, aut necessitate mori voluisse, quoniam quod erat, non esse non potuit. Non enim magis ipse factus est homo ad hoc ut moreretur, quam ut vellet mori. Quapropter sicut non debet dicere, quia non potuit velle non mori, aut necessitate voluit mori: sic non est dicendum, quia non potuit non mori, aut necessitate mortuus est. **B.** Imò quoniam eidem subiacent rationi, scilicet & mori, & velle mori, utrumque videtur in illa necessitate fuisse. **A.** Quis se sponte voluit hominem facere, ut eadem immutabili voluntate moreretur, & per huius fidem certitudinis virgo munda fieret, de qua homo ille assummeretur? **B.** Deus, Filius Dei. **A.** Nonne monstratum est supra, quod Dei voluntas nulla cogitur necessitate: sed ipse se spontanea sua seruat immutabilitate, quando dicitur aliquid necessitate facere. **A.** Verè monstratum est. Sed videmus econtra, quia quod Deus immutabiliter vult, non potest non esse, sed necesse est esse. Quapropter si Deus voluit, ut ille homo moreretur, non potuit non mori. **A.** Ex eo, quia Filius Dei assumpsit hominem ea voluntate ut moreretur, probas eundem hominem non potuisse non mori. **B.** Ita intelligo. **A.** An non similiter apparuit ex his, quæ dicta sunt, filium Dei & assumptum hominem vnam esse personam, ut idem sit Deus & homo, & Filius Dei & virginis filius? **B.** Sic est. **A.** Idem igitur homo sua voluntate non potuit non mori, & mortuus est. **B.** Negare nequeo. **A.** Quomodo ergo voluntas Dei nulla necessitate facit aliquid, sed sua potestate: & voluntas illius fuit voluntas Dei, nulla necessitate mortuus est, sed sola sua potestate. **B.** Argumentationibus tuis obuiare ne-

D ANSELMI TOMVS III.

queo: nam, nec propositiones, quas præmittis: nec consequentias, quas inferis, vllatenus infirmare valeo, Sed tamen hoc mihi semper occurrit, quod dixisti: quia si vellet non mori, non magis hoc posset, quam posset non esse quod erat: verè nanque moriturus erat, quia si verè non fuisset moriturus, non fuisset vera fides futuræ mortis eius, per quam & illa virgo, de qua natus est, & alij multi mandati sunt à peccato. Nam si vera non fuisset, nil prodesse potuisset. Quapropter si potuisset non mori, potuit facere non esse verum quod verum erat. **A.** Quare verum erat antequam moreretur, quia moriturus erat? **B.** Quomodo hoc ipse sponte voluit & immutabili voluntate. **A.** Si ergo, sicut dicis, idcirco non potuit non mori, quia verè moriturus erat: & ideo verè erat moriturus, quia hoc ipse sponte & immutabiliter voluit: sequitur illum non ob aliud non potuisse non mori, nisi quia immutabili voluntate voluit mori. **B.** Ita est, sed quæcunque fuerit causa, verum est tamen: quia non potuit non mori, & necesse fuit illum mori. **A.** Nimis hæres in nihilo: & (ut dici solet) quæris nondum in scirpo. **B.** An es oblitus, quid obiecerim excusationibus tuis in huius disputationis nostræ principio: quia videlicet quod postulabam, non faceres doctis, sed mihi, & hoc ipsum mecum penitentibus. Sustine igitur, ut pro tarditate & hebetudine nostri ingenij quæram, quatenus mihi & illi etiam in puerilibus quæstionibus, sicut incepisti, satisfacias. **A.** Iam diximus, quia Deus improprie dicitur aliquid non posse, aut necessitate facere.

Quod in Deo non sit necessitas, vel impossibilitas: & quod sit necessitas cogens, & necessitas non cogens.

Cap. XVII.

Omnis quippe necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati. Illius autem voluntas nulli subditur necessitati aut impossibilitati. Nil enim est necessarium aut impossibile, nisi quia ipse ita vult: ipsum verò aut velle aut nolle aliquid propter necessitatem aut impossibilitatem, alienum est à veritate. Quare quoniam omnia quæ vult, & non nisi quæ vult, facit, sicut nulla necessitas siue impossibilitas præcedit eius velle aut nolle: ita nec eius facere aut non facere: quantum multa velit immutabiliter, & faciat. Et sicut cum Deus facit aliquid, postquam factum est, iam non potest non esse factum, sed semper verum est factum esse: nec tamen rectè dicitur impossibile Deo esse, ut faciat quod præteritum est non esse præteritum. Nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi aut impossibilitas faciendi: sed Dei sola voluntas, quæ veritatè semper (quia ipse veritas est) immutabilem, sicut est, esse vult. Ita si proponit se aliquid immutabiliter facturum, quauis quod proponit, antequam fiat, non possit non esse futurum, non tamen vlla est in eo faciendi necessitas, aut non faciendi impossibilitas: quia sola operatur in eo voluntas. Quotiens nanque dicitur Deus non posse, nulla negatur in eo potestas: sed insuperabilis signatur potentia & fortitudo. Non enim aliud intelligitur, nisi quia nulla res potest efficere ut agat ille, quod negatur posse. Nam vsitata est huiusmodi multum locutio, ut dicatur res aliqua posse, non quia in illa, sed quoniam in alia re est potestas: non posse, non quoniam in illa, sed quia in alia re est impotentia. Dicimus nanque, iste homo potest vinci:

FF

pro

A Pro, aliquis potest eum vincere: & ille non potest vinci. pro, nullus eum vincere potest. Non enim potestas est posse vinci, sed impotentia: nec, vinci non posse impotentia est, sed potestas. Nec dicimus Deum necessitate facere aliquid, eò quòd in illo sit vlla necessitas: sed quoniam est in alio, sicut dixi, impotentia, quando dicitur non posse. Omnis quippe necessitas est aut coactio, aut prohibitio: quæ duæ necessitates conuerruntur inuicem contrariè, sicut necesse & impossibile. Quicquid nanque cogitur esse, prohibetur non esse: & quod cogitur non esse, prohibetur esse. quemadmodum quod necesse est esse, impossibile est non esse: & quod necesse est non esse, impossibile est esse: & conuersim. Cùm autem dicimus aliquid necesse esse aut non esse in Deo: non intelligitur, quòd sit in illo necessitas aut cogens aut prohibens: sed significatur, quòd in omnibus alijs rebus est necessitas prohibens eas facere, & cogens non facere, contra hoc, quòd de Deo dicitur. Nam cùm dicimus, quòd necesse est Deum semper verum dicere, & necesse eum nunquam mentiri, non dicitur aliud, nisi, quia tanta est in illo constantia seruandi veritatem: vt necesse sit nullam rem facere posse, vt verum non dicat, aut vt mentiatur.

*Quomodo vita Christi soluat Deo pro peccatis
hominum. & quomodo debuit Christus,
vel non debuit pati.*

Capitulum XVIIII.

Quapropter cùm dicimus, quia homo ille, qui secundum vnitatem personæ (sicut supra dictum est) idem ipse est qui Filius Dei Deus, non potuit non mori, aut velle non mori, postquam de virgine natus est, non significatur in illo vlla impotentia seruandi aut volendi seruare vitam suam immortalē, sed immutabilitas voluntatis eius, quæ se sponte fecit ad hoc hominem, vt in eadem voluntate perseverans moreretur, & quia nulla res potuit illam voluntatem mutare. Plus enim esset impotentia quàm potentia, si posset velle mentiri, aut fallere, aut mutare voluntatem, quam prius immutabilem esse voluit. Et si (quemadmodum supra dixi) cùm aliquis sponte se proponit facturum bonum aliquod, & eadem voluntate postea perfecit quòd proposuit, quantum cogi possit, si nolit promissum soluere, non tamen dicendus est necessitate facere quòd facit, sed ea, quæ proposuit, libera voluntate. Non enim necessitate aut impotentia fieri vel non fieri dici debet aliquid, vbi neque necessitas nec impotentia quicquam operantur, sed voluntas. si, inquam, ita est in homine, multo magis necessitas aut impotentia nequaquam nominandæ sunt in Deo, qui nihil, nisi quòd vult, fecit: & cuius voluntatem nulla vis cogere aut prohibere valet. Ad hoc enim valuit in Christo diuersitas naturarum & vnitatis personæ, vt quòd opus erat fieri ad hominum restorationem, si humana non posset natura, faceret diuina. etsi diuinæ minimè conueniret, exhiberet humana, & non alius atque alius, sed idem ipse esset, qui vtrunque perfectè existens per humanam solueret, quòd illa debebat: & per diuinam posset, quòd expediebat. Denique virgo, quæ per fidem munda facta est, vt de illa posset assumi, nequaquam crediderit illum moriturum, nisi quia vellet: quemadmodum per Prophetam, qui de illo dixit: *oblatus est, qui a ipse voluit*, didicerat. Quapropter quoniam vera fuit fides eius necesse erat, ita futurum esse sicut credidit. Quòd si te iterum perturbat, quòd dico necesse erat: memento, quia

C veritas fidei virginis non fuit causa, vt ille sponte moreretur: sed quia hoc futurum erat, vera fuit fides. Quamobrem si dicitur, necesse erat, vt voluntate sola moreretur, quia vera fuit fides siue prophetia, quæ de hoc præcesserat, nõ est aliud quàm si dicas: necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat. huiusmodi autem necessitas non cogit rem esse: sed esse rei facit necessitatem esse. Est namque necessitas præcedens, quæ causa est vt sit res: & est necessitas sequens quam res facit. Præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur cælum volui, quia necesse est, vt voluatur. Sequens verò, & quæ nihil efficit, sed sic est, cùm dico te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cùm enim hoc dico, significo nihil facere posse, vt dum loqueris non loquaris, non quòd aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cælum volui: te verò nulla necessitas facit loqui. Sed vbiunque est præcedens necessitas, est & sequens: non autem vbi sequens, ibi statim & præcedens. Possumus nanque dicere, necesse est cælum volui, quia voluitur: sed non similiter est verum, idcirco te loqui: quia necesse est vt loquaris. Ista sequens necessitas currit per omnia tempora, hoc modo: Quicquid fuit, necesse est fuisse. Quicquid est, necesse est esse. Quicquid futurum est, necesse est futurum fuisse. Hæc est illa necessitas, quæ (vt tractat Aristoteles de propositionibus singularibus & futuris) videtur vtrumlibet destruere, & omnia esse ex necessitate astruere. Hac sequenti & nihil efficienti necessitate, quoniam vera fuit fides vel prophetia de Christo, quia ex voluntate non necessitate moriturus erat: necesse fuit, vt sic esset: hac, homo factus est: hac, fecit, & passus est. Quicquid fecit & passus est, hac voluit quicquid voluit. Ideo enim necessitate fuerunt, quia futura erant: & futura erant, quia fuerunt: & fuerunt, quia fuerunt: & si vis omnium, quæ fecit & quæ passus est, veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit. Voluntatem ergo eius nulla præcessit necessitas. Quare si non fuerunt nisi quia ipse voluit: si non voluisset, non fuissent. Sic utique nemo tulit animam eius ab illo: sed ipse posuit eam, & iterum sumpsit eam: quia potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam sicut ipse dicit. **B.** Satisfecisti mihi illum non posse probari vlla necessitate mortem subiisse, nec me poenitet, vt hoc faceres, importunum tibi extitisse. **A.** Ostendimus, vt puto, certam rationem quomodo Deus assumpsit hominem sine peccato de massa peccatrice: sed nequaquam negandum æstimo aliam esse præter istam, quam diximus, excepto hoc, quia Deus facere potest quòd hominis ratio comprehendere non potest. Verum quoniam & ista mihi videtur posse sufficere, & si aliam nunc inquirere vellem, necesse esset investigare quid sit originale peccatū, & quomodo a primis parentibus in vniuersum genus humanum, præter illum, de quo agimus, hominem diffundatur, & incidere in quasdam alias quæstiones, quæ suum postulant tractatum, ea, quæ diximus, ratione contenti, quæ de incepto restant opere persequamur. **B.** Vt vis, sed eo pacto, vt tu aliquando auxiliante Deo illam aliam rationem, quæ nunc inquirere vitas, quasi debitum exoluas. **A.** Quoniam voluntatem hanc scio me gerere, quòd petis nõ denego: sed quia de futuris incertus sum, promittere non audeo, sed Dei dispositioni committo. Sed dic nunc, quid tibi de quæstione, quam in principio proposuisti, propter quam alia multa se ingesserunt, per soluendum videatur. **B.** Summa

ma questionis fuit, cur Deus homo factus sit, ut per mortem suam saluaret hominem, cum hoc alio modo potuisset facere videretur. Ad quod tu multis & necessarijs rationibus respondens, ostendisti restaurationem humanæ naturæ non debuisse remanere: nec potuisse fieri, nisi solueret homo, quod pro peccato Deo debebat: quod debitum tantum erat, ut illud cum non deberet solvere nisi homo, non posset nisi Deus, ita ut idem esset homo qui Deus: unde necesse erat, ut Deus assumeret hominem in unitatem personæ: quatenus qui in natura solvere debebat & non poterat, in persona esset qui posset. Deinde, quia de virgine & a persona Filij Dei esset assumendus homo ille, qui Deus esset, & quomodo sine peccato de massa peccatrice assumi potuerit monstrasti. Vitam autem huius hominis tam sublinem, tam pretiosam apertissime probasti, ut sufficere possit ad soluendum, quod pro peccatis totius mundi debetur, & plus in infinitum. Restat ergo nunc ostendere, quomodo illa soluat Deo pro peccatis hominum.

Quantaratione de morte eius sequatur humana saluatio. Caput XIX. Ansel.

Si propter iustitiam se permisit occidi, nonne ad honorem Dei vitam suam dedit: **B.** Si possum intelligere quod non dubito, quanus non videam, quomodo rationabiliter hoc fecerit, cum & iustitiam indeclinabiliter, & vitam suam æternaliter seruare potuerit, fatebor illum tale quid sponte dedisse Deo ad honorem illius, cui quicquid Deus non est, comparari non potest, & quod pro omnibus hominibus omnium debitis recompensari potest. **A.** An non intelligis, quia cum iniurias, & contumelias, & mortem crucis cum latronibus sibi (sicut supra diximus) propter iustitiam, quam obedienter seruabat, illatas benigna patientia sustinuit, exemplum dedit hominibus: quatenus propter nulla incommoda, quæ sentire possunt, a iustitia, quam Deo debent, declinent, quod minime dedisset, si secundum potentiam suam mortem pro tali causa illatam declinasset. **B.** Videtur, quod nulla hoc exemplum necessitate dederit: quoniam multi ante aduentum eius, & Ioannes Baptista post aduentum ante mortem eius, fortiter mortem pro veritate sustinentes, illud sufficienter dedisse noscuntur. **A.** Nullus unquam moriendo homo preter illum, Deo dedit, quod aliquando necessitate perditurus non erat; aut soluit, quod non debebat. Ille verò sponte Patri obtulit, quod nulla necessitate unquam amissurus erat: & soluit pro peccatoribus, quod pro se non debebat. Quapropter ille magis dedit exemplum, ut unusquisque, quod aliquando incunctanter amissurus est, pro seipso reddere Deo, cum ratio postulat, non dubitet: quia cum nullatenus aut pro se indigeret aut cogere, pro alijs, quibus nil nisi pecnam debebat, tam pretiosam vitam, immo seipsum, tantam scilicet personam, tanta voluntate dedit. **B.** Multum propinquas desiderio meo, sed sustine ut quoddam quæram, quod quanus factum forsitan putes quærere, non tamen promptum mihi est, quid respondeam si à me quærat. Dicis, quia quando mortuus est, dedit quod non debebat. Sed nemo negabit illum melius fecisse, quando illud ad exemplum taliter dedit, & magis hoc placere Deo, quam si non hoc fecisset, aut diceret eum non debuisse facere, quod melius esse, & quod magis placere Deo cognouit.

D ANSELMI TOMVS III.

Quomodo ergo asseremus, eum non debuisse Deo quod fecit, id est, quod melius esse magis placere Deo cognouit: præsertim cum creatura debeat Deo totum quod est, & quod scit, & quod potest. **A.** Quanus creatura nil habeat à se, quando tamen illi Deus concedit aliquid licite facere, & non facere, dat illi ita suum esse vtrunque, ut licet alterum sit melius, neutrum tamen exigatur determinatè: sed siue faciat quod melius est, siue alteru, debere facere dicitur quod facit: & si facit quod melius est, præmium habeat: quia sponte dat quod suum est. Nam cum virginitas melior sit coniugio, neutrum tamen ab homine determinatè exigatur: sed & qui coniugio uti, & qui virginitatem seruare mauult, & quod facit, debere facere dicitur. Nemo enim virginitatem siue coniugium dicit eligi non debere: sed dicimus, quia quod mauult homo, antequam aliquid horum statuatur, hoc debet facere: & si virginitatem seruat, pro spontaneo munere quod offert Deo præmium expectat. Cum ergo creaturam dicis Deo debere quod melius scit & potest, si intelligis ex debito, & non subaudis, si Deus iubet, non est semper verum. Siquidem, ut dixi, non debet homo virginitatem ex debito, sed si mauult, debet uti coniugio. Quod si te mouet verbum quod est debere, nec potes illud intelligere sine aliquo debito: scito, quia sicut contingit posse & necesse aliquando dici, non quia sunt in rebus ubi dicuntur: sed quoniam sunt in alio, ita & debere. Quippe cum dicimus, debere pauperes à diuitibus elemosynam accipere: non est aliud, quem diuites debere pauperibus elemosynam impendere, hoc nanque debitum non est exigendum à paupere, sed à diuite. Deus quoque dicitur omnibus debere præesse, non quia ille in hoc aliquo modo sit debitor, sed quoniam omnia debent illi subesse, & debere facere quod vult: quomodo quod vult, debet esse. Ita quando vult aliqua creatura facere quod suum est facere & non facere, dicitur debere facere: quia quod ipsa vult debet esse. Dominus itaque Iesus, cum mortem (sicut dicimus) sustinere voluit: quoniam suum erat, & pati, & non pati, debuit facere quod fecit, quia quod vult fieri debuit: & non debuit facere, quia non ex debito. Nempe quoniam ipse idem est Deus & homo: secundum humanam, ex qua fuit homo, sic accepit à diuina natura, quæ alia est ab humana, esse suum quod habebat: ut nil deberet dare, nisi quod volebat: secundum personam verò, sic à seipso habebat quod habebat: & sic perfecte sibi sufficiens erat, ut nec alij quicquid retribuere deberet, nec ut sibi retribuere, dare indigeret. **C.** Apertè, ut video, quia nulla ratione seipsum morti ex debito, sicut ratio mea videbatur monstrare, dedit ad honorem Dei: & tamen facere debuit quod fecit. **A.** Honor vtrique ille totius est Trinitatis: quare quoniam idem ipse est Deus Filius Dei, ad honorem suum seipsum sibi, sicut Patri & Spiritui sancto obtulit, id est, humanitatem suam diuinitati suæ, quæ vna eadem trium personarum est. Ut tamen in eadem ipsa veritate manentes apertius loquamur quod volumus: dicamus, sicut vsus habet, quia Filius sponte seipsum Patri obtulit, hoc nanque modo apertissime dicitur, quia in persona totus Deus, cui secundum hominem se obtulit, intelligitur. & per nomen Patris & Filij immensa quædam in cordibus audientium, cum Patrem Filius hoc modo postulare pro nobis dicitur, pieras sentitur. **B.** Hoc libentissime accipio. **A.** Intraeamur nunc,

FF 2

proue

A prout possumus, quanta mihi ratione sequatur humana saluatio. **B.** Ad hoc tendit cor meum. Nam quamuis hoc mihi videar intelligere, ipsam tamen rationis contexionem a te volo audire. **A.** Quantum autem sit quod Filius sponte dedit non est opus exponere. **B.** Sufficenter patet. **A.** Eum autem, qui tantum donum sponte dat Deo, sine retributione debere esse non iudicabis. Immo necesse esse video, vt Pater Filio retribuatur: alioquin aut iniustus esse videretur, si nollet: aut impotens, si non posset, quæ aliena sunt a Deo. **A.** Qui retribuit alicui, aut dat, quod ille non habet, aut dimittit, quod ab illo potest exigi. Prius autem quam tantam rem Filius faceret, omnia quæ Patris erant, sua erant: nec vnquam debuit quod illi dimitti possit. Quid ergo retribuatur nullius rei egentis, aut cui non est, quod dari aut dimitti possit. **B.** Ex vna parte video retribuendi necessitatem, & ex altera impossibilitatem: quia & necesse est Deum reddere quod debet, & non est quod reddat. **A.** Si tanta & tam debita merces nec illi nec alij reddatur, in vanum Filius tantam rem fecisse videbitur. **B.** Hoc nefas est æstimare. **A.** Necesse est ergo, vt alicui alij reddatur, quia illi non potest. **B.** Inevitabiliter sequitur. **A.** Si voluerit Filius, quod sibi debetur, alteri dare, poterit ne Pater iure illum prohibere, aut illi, cui dabit, negare? **B.** Immo & iustum & necessarium intelligo, vt cui voluerit dare Filius, a Patre reddatur, quia & Filio quod suum est dare licet, & Pater quod debet non nisi alij reddere potest. **A.** Quibus conuenientius fructum & retributionem sue mortis attribuet, quam illis, propter quos saluandos (sicut ratio veritatis nos docuit) & hominem se fecit: & quibus (vt diximus) in moriendo exemplum moriendi propter iustitiam dedit: frustra quidem imitatores eius erunt, si meriti eius participes, non erunt. Aut quos iustus faciet hæredes debiti, quo ipse non eget ex abundantia sue plenitudinis, quam parentes suos, & fratres, quos aspicit tot & tantis debitis obligatos egestate tabescere in profundo miseriarum, vt eis dimittatur quod pro peccatis debent, & detur quo, propter peccata, carent. **B.** Nihil rationabilius, nihil dulcius, nihil desiderabilius mundus audire potest. Ego enim tantam fiduciam ex hoc concipio, vt iam dicere non possim quanto gaudio exultet cor meum. Videtur enim mihi, quod nullum hominem rejiciat Deus a se sub hoc nomine accedentem. **A.** Ita est, si accedit sicut oportet. Quemadmodum autem sit ad tantæ gratiæ participationem accedendum, & quomodo sub illa viuendum, nos vbique sacra Scriptura docet, quæ super solidam veritatem, quam, adiuvante Deo, aliquatenus perspeximus, velut super firmum fundamentum fundata est. **B.** Verè quicquid super fundamentum hoc ædificatur, super firmam petram fundatur. **A.** Puto me aliquantulum iam tuæ satisfecisse quæstioni, quamuis hoc melior me facere plenius possit, & maiores, atque plures, quam meum, aut mortale ingenium comprehendere valeat, huius rei sint rationes. Palam etiam est, quia Deus vt hoc faceret, quod diximus, nullatenus indigebat: sed ita veritas immutabilis exigebat. licet enim hoc, quod homo ille fecit, Deus dicatur fecisse propter vnitatem personæ: Deus tamen non egebat, vt de cælo descenderet ad vincendum diabolum, neque vt per iustitiam ageret contra illum ad liberandum hominem, sed ab homine Deus exigebat, vt diabolum vinceret, & qui per peccatum Deum offenderat, per iusti-

tiã satisfaceret. Siquidem diabolo nec Deus aliquid debebat nisi poenam, nec homo nisi vicem, vt ab illo victus, illum reuinceret: sed quicquid ab illo exigebatur, hoc Deo debebat, non diabolo.

Quam magna, & quam iusta sit misericordia Dei.

Caput XX.

Misericordiam verò Dei, quæ tibi perire videbatur, cum iustitiam Dei & peccatum hominis considerabamus, ita magnam tanquam concordem inuenimus iustitiæ, vt nec maior, nec infior cogitari possit. Nempe quid misericordius intelligi valet, quam peccatori tormentis æternis deputato, & vnde se redimat non habenti, Deus Pater dicat: accipe Unigenitum meum, & da pro te. Ipse Filius: tolle me, & redime te. Quasi hæc dicunt, quando nos ad Christianam fidem vocant, & trahunt. Quid etiam iustius, quam vt ille, cui datur pretium maius omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum.

Quid impossibile sit diabolum reconciliari.

Caput XXI.

Diaboli verò reconciliationem, de qua quæsiuisti, impossibilem intelliges, si diligenter humanam consideres. Sicut enim homo non potuit reconciliari, nisi per hominem Deum, qui mori posset, per cuius iustitiam Deo restitueretur, quod per peccatum hominis perdidit: ita Angeli damnati non possunt saluari, nisi per Angelum Domini, qui mori possit, & qui per iustitiam iustitiam Deo reparat, quod aliorum peccata abstulerunt. & sicut homo per alium hominem, qui non eiusdem generis, quamvis eiusdem esset naturæ, non debuit releuari, ita nullus Angelus per alium saluari debuit: & quamuis omnes sint vnus naturæ, quoniam non sunt eiusdem generis, sicut homines. Non enim sic sunt omnes Angeli de vno Angelo, quemadmodum omnes homines de vno homine. Hoc quoque remouet eorum restorationem: quia sicut ceciderunt nullo alio suadente vt caderent: ita nullo alio adiuuante resurgere debent, quod est illis impossibile, aliter enim in dignitatem, quam habituri erant, non possunt restitui, quoniam sine alieno auxilio per potestatem suam, quam acceperant, stetissent in veritate, si non peccassent. Quapropter si quis opinatur Saluatoris nostri redemptionem vsque ad illos aliquando debere extendi, rationabiliter conuincitur: quia irrationabiliter decipitur. Quod non dico, quasi pretium mortis eius omnibus hominum & Angelorum peccatis sua magnitudine non preualeat: sed quoniam perditorum Angelorum releuationi immutabilis ratio repugnat. **B.** Rationabilia, & quibus nihil contradici possit, quæ dicis omnia mihi videntur, & per vnus quæstionis, quam proposuimus, solutionem, quicquid in nouo veterique Testamento continetur, probatum intelligo.

Quod in his, quæ dicta sunt, veritas veteris & noui Testamenti probata sit.

Caput XXII.

CVm enim sic probes Deum fieri hominem, ex necessitate, vt etiam si remoueantur patia, quæ de nostris libris posuisti, vt quod de tribus personis Dei & de Adam tetigisti, non solum Iudeis, sed etiam paganis sola ratione satisfacias: & idem ipse Deus homo nouum condatur Testamentum,

A tum, & vetus approbet. sicut ipsum veracem esse necesse est confiteri: ita nil, quod in illis continetur, verum esse potest aliquis diffiteri. *An.* Si quid diximus quod corrigendum sit, non ratio correctionem, si rationabiliter sit. Si autem testimonio veritatis roboratur, quod nos rationabiliter inuenisse existimamus, Deo, non nobis attribuerè debemus, qui est benedictus in secula. Amen.

*Explicit secundus liber Anselmi Episcopi,
Cur Deus homo.*

EIVSDEM BEATI ANSELMI
Archiepiscopi Cantuariensis
in Dialogum de veritate.

PROLOGVS.

TRES tractatus pertinentes ad studium sacre Scripturæ quondam feci diuersis temporibus consimiles: in hoc quia facti sunt per interrogationem & responsionem, & persona interrogantis nomine vocatur discipuli, respondens verò nomine magistri. Quartum enim, quem simili modo edidi, non inutilem, ut puto, introducendum ad Dialecticam cuius initium est, de Grammatico: quoniam ad diuersum ab his tribus studium pertinet, istis nolo connumerare. Vnus horum trium est de Veritate: quid scilicet sit Veritas, & in quibus rebus soleat dici, & quid sit iustitia. Alius verò de Libertate Arbitrii, quid sit: & verum eam semper habeat homo, & quot sint eius diuersitates in habendo, vel non habendo rectitudinem voluntatis, ad quam seruandam est data creaturæ rationali: in quo naturalem tantum fortitudinem voluntatis ad seruandam acceptam rectitudinem, non quomodo necessarium ad hoc ipsum illi sit, sed ad hoc, ut gratia subsequatur, ostendi. Tertius autem est de questione, qua queritur: quid peccauit diabolus, quia non stetit in veritate: cum Deus non dederit ei perseverantiam, quam nisi eo dante habere non potuit: quoniam si Deus dedisset, ille habuisset sicut boni Angeli habuerunt illam, quia illis dedit Deus. Quem Tractatum, quando ibi de confirmatione bonorum Angelorum dixerim, de Casu Diaboli intitulavi: quoniam illud contingens fuit, quod dixi de bonis Angelis. Quod aut scripsi de malo, ex proposito fuit questionis. Qui videlicet Tractatus, quoniam nulla continuatione dictaminis cohereant: materia tamen eorum & similitudo disputationis exigit, ut simul eo, quo illos commemoravi, ordine conscribantur. Licet itaque, a quibusdam festinantibus alio ordine sint conscripti, antequam perfecti essent: sic tamen eos, ut hic posui, volo ordinari.

Explicit prologus.

B. ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS
Dialogus incipit:

Quod veritas non habeat principium vel finem.

Caput I. Discip.

Quoniam Deum, veritatem esse credimus: & veritatem, in multis alijs esse dicimus, vellem scire: an ubicunq; veritas dicitur, Deum eam esse fateri debeamus. Nam tu quoq; in Monologio tuo per veritatem orationis, probas summam veritatem non habere principium vel finem: dicens, Cogitet qui potest, quando incepit, aut quando non fuit, hoc verum: scilicet, quia futurum erat aliquid: aut quando desinet, aut non erit hoc verum, scilicet, quia preteritum erit aliquid. Quod si neutrum istorum cogitari potest, & utrunque horum verum sine veritate esse non potest: impossibile est,

D. ANSELMI TOMVS III.

vel cogitare, quod veritas principium, aut finem habeat. Deniq; si veritas habuit principium, aut habebit finem: antequam ipsa inciperet, verum erat tunc, quia non erat veritas: & postquam finita erit, verum erit tunc, quia non erit veritas. At quia verum non potest esse sine veritate, erat igitur veritas antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas: quod inconuenientissimum est. Siue igitur dicatur veritas habere, siue intelligatur non habere principium vel finem: nullo claudi potest veritas principio vel fine. Hoc tu in Monologio tuo. Quapropter veritatis definitionem a te audire expecto. *Magist.* Non memini me inuenisse definitionem veritatis: sed si vis, quaeramus per rerum diuersitates, in quibus veritatem dicimus esse, quid sit veritas. *Disc.* Si aliud non potero, vel audiendò iuuabo.

De veritate significationis, & duabus veritatibus enuntiationis. Cap. II. Mag.

Quæramus ergo primum, quid sit veritas in enuntiatione: quoniam hanc dicimus sapius veram, vel falsam. *Disc.* Quære tu & quicquid inuenieris, ego seruabo. *Magist.* Quando est enuntiatio vera? *Disc.* Quando est quod annuntiat, siue affirmando, siue negando. Dico autem quod enuntiat, & quando negat esse quod non est, quia sic enuntiat, quemadmodum res est. *Mag.* An ergo tibi videtur, quod res enuntiatia sit veritas enuntiationis? *Disc.* Non. *Mag.* Quære? *Disc.* Quia nihil est verum, nisi participando veritatem: & ideo veritas, in ipso verò est res verò enuntiatia, non est in enuntiatione vera: unde non eius veritas, sed causa veritatis dicenda est. Quapropter non nisi in ipsa oratione quaerenda mihi videtur eius veritas. *Mag.* Vide ergo, an ipsa oratio, aut eius significatio, aut aliquid eorum, quæ sunt in definitione enuntiationis, sit quod quaeris. *Disc.* Non puto. *Mag.* Quære. *Disc.* Quia si hoc esset, semper esset vera: quoniam eadem manent omnia, quæ sunt in enuntiationis definitione: & cum est, quod enuntiat, & cum non est. Eadem est enim oratio, & eadem significatio, & cætera similiter. *Mag.* Quid igitur tibi videtur ibi veritas? *Disc.* Nihil aliud scio, nisi cum significat esse quod est: tunc est in ea veritas, & est vera. *Mag.* Ad quid facta est affirmatio? *Disc.* Ad significandum esse quod est. *Mag.* Hoc ergo debet. *Disc.* Certum est. *Magist.* Cum ergo significat esse quod est, significat quod debet. *Disc.* Palam est. *Mag.* At cum significat quod debet, rectè significat. *Disc.* Ita est. *Mag.* Cum autem significat rectè, recta est significatio? *Disc.* Non est dubium. *Mag.* Cum ergo significat esse quod est, recta est significatio. *Disc.* Ita sequitur. *M.* Item cum significat esse quod est, vera est significatio? *Disc.* Verè & recta & vera est, cum significat esse quod est. *Mag.* Idem igitur est illi, & rectam, & veram esse, & significare esse quod est? *Disc.* Verè, idem. *Mag.* Ergo non est illi aliud veritas, quam rectitudo. *Disc.* Aperte nunc video veritatem hanc esse rectitudinem. *Mag.* Similiter, cum enuntiatio significat non esse quod non est. *Disc.* Video quod dicis: Sed doce me, quid respondere possim, si quis dicat: quia etiam oratio, cum significat hoc esse quod non est, significat quod debet pariter nanque accepit significare esse, & quod est, & quod non est. Nam si non accepisset significare esse etiam quod non est, non idem significaret. Quare etiam cum significat esse quod non est, significat quod debet. At si quod debet significando, recta & vera est, sicut ostendisti: vera est oratio,

FF 3

etiam

A etiam cum enuntiat esse quod non est. *Mag.* Vera quidem non solet dici, cum significat esse quod non est: veritatem tamen & rectitudinem habet, quia facit quod debet. Sed cum significat esse quod est, dupliciter facit, quod debet: quoniam significat, & quod accepit significare, & ad quod facta est. Sed secundum hanc rectitudinem & veritatem, qua significat esse quod est, *vsu recta* & vera dicitur enuntiatione: non secundum illam, qua significat esse, etiam quod non est. Plus enim debet propter quod accepit significationem, quam propter quod non accepit. Non enim accepit significare rem esse, cum non est, vel non esse, cum est: nisi quia non potuit illi dare tunc solummodo significare esse, quando est: vel non esse, quando non est. Alia igitur est rectitudo & veritas enuntiationis: quia significat quod accepit significare, & ad quod significandum facta est. Alia vero, quia significat quod accepit significare. Quippe ista, immutabilis est ipsi orationi: illa vero, mutabilis. Hanc nanque, semper habet, illam vero non semper. Istam enim, naturaliter habet: illam vero, accidentaliter & secundum usum. Nam cum dico, dies est: ad significandum esse quod est, recte vtor huius orationis significatione: quia ad hoc facta est, & ideo tunc recte dicitur significare. Cum vero eadem oratione significo esse quod non est, non ea recte vtor: quia non ad hoc facta est, & idcirco tunc non recta eius significatio dicitur: quoniam in quibusdam enuntiationibus inseparabiles sint istae duae rectitudines seu veritates: ut cum dicimus, homo animal est, aut homo lapis non est. Semper enim haec affirmatio significat esse quod est: & haec negatio non esse quod non est, nec illa possumus vti ad significandum esse quod non est: semper enim homo animal est, nec ista, ad significandum non esse quod est: quia homo nunquam lapis est. De illa igitur veritate, quam habet oratio, secundum quod aliquis ea recte vtor, incepimus querere: quoniam secundum hanc veram eam esse iudicat vsus communis loquutionis. De illa autem veritate, quam non habere non potest, postea dicimus. **D** Redi igitur ad id, quod incepisti: quoniam sufficienter mihi inter duas veritates orationis discreuisti: si tamen aliquam eam veritatem ostenderis habere, cum mentitur, sicut tu dicis. *M.* De veritate significationis, de qua incepimus, interim ista sufficientiant. Eadem enim ratio veritatis, quam in propositione vocis per speximus, consideranda est in omnibus signis, quae fiunt ad significandum aliquid esse vel non esse, ut sunt scripturae, vel digitorum loquela. **D.** Ergo transi ad alia.

De veritate opinionis.

Capit III. Mag.

Cogitationem quoque dicimus veram, cum est quod aut ratione, aut aliquo modo putamus esse: & falsum, cum non est. *Discip.* Ita vsus habet. *Magist.* Quid ergo tibi videtur veritas in cogitatione? *Discip.* Secundum rationem, quam in propositione vidimus, nihil rectius dicitur veritas cogitationis, quam rectitudo eius. Ad hoc namque nobis datum est, posse cogitare esse, vel non esse aliquid: ut cogitemus esse, quod est: & non esse, quod non est. Quapropter qui putat esse, quod est: putat quod debet, atque ideo recta est cogitatio. Si ergo vera & recta est cogitatio, non ob aliud quam quia putamus esse quod est: aut non esse, quod non est: non est aliud eius veritas, quam rectitudo.

De veritate voluntatis.

Capit IV.

Recte consideras. Sed & in voluntate dicit ipsa veritas, veritatem esse: cum dicit, diabolum non stetit in veritate. Non enim erat in veritate, neque deseruit veritatem nisi voluntate. **D.** Ita credo. Si enim semper voluisset, quod debuit, nunquam peccasset: qui non nisi peccando, veritatem deseruit. *M.* Dic ergo, quid tu intelligas per veritatem? *Discip.* Non nisi rectitudinem. Nam si quando voluit, quod debuit, ad quod, scilicet, voluntatem acceperat in rectitudine & veritate fuit: & cum voluit, quod non debuit, rectitudinem & veritatem deseruit. Non aliud potest ibi intelligi veritas, quam rectitudo: quoniam siue veritas, siue rectitudo non aliud in eius voluntate fuit, quam vel le quod debuit.

De actionis naturalis, & non naturalis veritate.

Capit V. Magist.

Bene intelligis. Verum in actione quoque nihilominus veritas credenda est, sicut Dominus dicit: Quia qui male agit, odit lucem: & qui facit veritatem, venit ad lucem. *Discip.* Video, quod dicis. *Magist.* Considera igitur, quod ibi sit veritas, si potes. *Discip.* Nisi fallor, eadem ratione qua supra veritatem in alijs cognouimus, in actione quoque contemplanda est. *Magist.* Ita est. Nam si male agere, & veritatem facere opposita sunt: sicut ostendit Dominus, cum dicit: Qui male agit, odit lucem: & qui facit veritatem, venit ad lucem, idem est, veritatem facere, quod est bene facere. Bene nanque facere, ad male facere contrarium est. Quapropter si veritatem facere, & bene facere idem sunt in oppositione, non sunt diuersa in significatione. Sed sententia est omnium: quia qui facit quod debet, bene facit, & rectitudinem facit. Vnde sequitur, quod rectitudinem facere, est facere veritatem. Constat nanque facere veritatem, esse benefacere: & benefacere, esse rectitudinem facere. Quare nihil apertius, quam veritatem actionis esse, rectitudinem facere. *Discip.* In nullo video titubare estimationem tuam. *Magist.* Inspice, an omnis actio, quae facit quod debet, veritatem facere conuenienter dicatur. Est quippe actio rationalis, ut dare eleemosynam, & est irrationalis actio, ignis qui calefacit. Vide ergo, an conuenienter dicamus igitur facere veritatem? *Discip.* Si ignis ab eo, a quo habet esse, accepit calefacere, cum calefacit, facit quod debet. Ideo non video quae inconuenientia sit: ignem facere veritatem & rectitudinem, cum facit, quod debet. *Mag.* Mihi quoque aliter non videtur. Vnde animaduerti potest rectitudinem seti veritatem actionis, aliam esse necessariam, aliam non necessariam. Ex necessitate nanque ignis facit veritatem & rectitudinem cum calefacit, & non ex necessitate facit homo rectitudinem & veritatem, cum bene facit: facere autem non solum pro eo quod proprie dicitur facere, facere veritatem intelligitur, non tantum in facto, sed etiam in verbo & in sufferentia: sed pro omni verbo & Dominus voluit intelligere, cum dixit: Quoniam qui facit veritatem, venit ad lucem. Non enim separat illum ab hac veritate sine luce, qui patitur persecutionem propter iustitiam, aut qui est, quando, & ubi debet esse; aut qui stat, vel sedet, quando debet, & similia. Nullus nanque dicit, tales non bene facere. Et cum dicit Apostolus: Quia recipiet unusquisque, prout gessit. Intelligendum ibi est, quicquid solemus dicere, vel bene facere, vel male facere. **D.** Vsus quoque communis loquutionis hoc habet:

C

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Ibid.

D

Ioan. 3.

2. Cor. 13.

A habet: vt & pati, & multa alia dicat facere, quæ non sunt facere. Quare rectam quoque voluntatem, de cuius veritate ante veritatem actionis supra contemplati sumus, inter rectas actiones, nisi fallar, computare possumus. *Mag.* Non falleris. Nam qui vult quod debet, rectè & bene facere dicitur: nec ab his qui veritatem faciunt, excluditur. Sed quoniam de veritate inuestigando illam loquimur, & Dominus de illa veritate, quæ in voluntate est specialiter videtur dicere, cum dicit de diabolo: *Quia in veritate non stetit*: ideo separatim quid in voluntate veritas esset, considerare volui. *Disc.* Placet mihi ita factum esse. *Mag.* Cum ergo constet actionis veritatem, aliam naturalem esse, aliam non naturalem. Sub naturali ponenda est illa veritas orationis, quam supra vidimus, ab illa non posse separari. Sicut enim ignis cum calefacit, veritatem facit: quia ab eo accepit, à quo habet esse: ita & hæc oratio, scilicet, dies est, veritatem facit, cum significat diem esse: siue dies sit, siue dies non sit, quoniam hoc naturaliter accepit facere. *Disc.* Nunc primùm video in falsa oratione veritatem.

De sensuum veritate, & quod falsitas, quæ putatur esse in sensu, est in opinione. Cap. VI. Mag.

Putane nos præter summam veritatem, omnes sedes inuenisse veritatis? *Disc.* Reminiscor nunc cuiusdam veritatis, quam in his, de quibus tractasti non inuenio. *Mag.* Quæ illa? *Disc.* Est quidem in sensibus corporis veritas, sed non semper. Nam fallunt nos aliquando. Nam cum video aliquando per medium vitrum aliquid, fallit me visus: quia aliquando renuntiat mihi corpus, quod video ultra vitrum, eiusdem esse coloris, cuius est & vitrum, cum alterius sit coloris: aliquando verò facit me putare vitrum habere colorem rei, quam ultra video, cum non habeat. Multa sunt alia, in quibus visus, & alij sensus fallunt. *Mag.* Non mihi videtur hæc veritas vel falsitas in sensibus esse, sed in opinione. Ipse nanque sensus interior se fallit, non illi mentitur exterior. Quod aliquando facile cognoscitur, aliquando difficile. Cum enim puer timet sculptum draconem aperto ore, facile cognoscitur: quia hoc non facit visus, qui nihil aliud puero renuntiat, quam sensibus: sed puerilis sensus interior, qui nondum bene scit discernere inter rem, & rei similitudinem. Tale est enim, cum videntes hominem alicui similem, putamus illum esse cui similis est: aut cum audiens quis non hominis vocem, putat esse hominis vocem. Nam & hoc facit sensus interior. Quod autem dicis de vitro: ideo est, quia cum visus transit per corpus aliquod aerei coloris, non aliter impeditur assumere similem coloris, qui ultra videtur, quam cum transit per aera: nisi in quantum illud corpus, quod transit, spissius aut obscurius est aere: vt cum transit per vitrum sui proprii coloris, id est, cui nullus alius admixtus est color, aut per purissimam aquam, aut per crystallum, aut per aliquid similem habens colorem. Cum verò transit idem visus per alium colorem: vt per vitrum non sui coloris, sed cui alius color est additus: ipsum colorem, qui prius occurrit, accipit. Quapropter quoniam post vnum acceptum colorem, secundum quod illo affectus est, alium quicumque occurrat, aut nullatenus, aut minus integre accipit. Ideo illum, quem prius cepit, aut solum, aut cum eo, qui post occurrit, renuntiat. Si enim visus, quantum capax est coloris, tantum afficitur

priori colore, non potest alium sentire simul colorem. Si autem minus quam colorem sentire possit priori afficitur, potest alium sentire: vt si transit per aliquod corpus, velut per vitrum, quod ita perfectè sit rubicundum, vt omnino visus afficiatur eius rubore, nequit diuerso simul affici colore. Si autem non tam perfectum inuenit ruborem, qui prior occurrit, quantum coloris capax est, quasi nondum plenus, adhuc alium valet assumere colorem, in quantum eius capacitas priori colore non est satiata. Qui ergo hoc nescit, putat visum renuntiare hoc, scilicet, quia omnia, quæ post prius assumptum colorem sentit, aut omnino, aut aliquatenus eiusdem sint coloris. Vnde contingit, vt sensus interior culpam suam impudet sensui exteriori. Similiter cum fustus integer, cuius pars est intra aquam, & pars extra, putatur fractus: aut cum putamus, quod visus noster vultus nostros inueniat in speculo: & cum multa alia nobis aliter videntur visus & alij sensus nuntiare quam sint, non culpa sensuum est, qui renuntiant quod possunt, quoniam ita posse acceperunt: sed iudicio animæ imputandum est, quod non bene discernit, quid possint illi, aut quid debeant. Quod ostendere, quoniam magis laboriosum est quam fructuosum, ad hoc, quod intendimus, in hoc modo tempus consumendum non arbitror. Hoc tantum sufficiat dicere: quia sensus quicquid renuntiare videantur, siue ex sua natura hoc faciant, siue ex aliqua alia causa hoc faciant, quod debent, & ideo rectitudinem & veritatem faciunt. Et continetur hæc veritas sub illa veritate, quæ est in actione. *Disc.* Satisfecisti mihi tua responsione, & nolo te amplius morari in hac de sensibus questione.

De veritate rerum essentia.

Cap. VII. Mag.

Iam considera, an præter summam veritatem in aliqua re veritas sit intelligenda, exceptis his, quæ supra inspecta sunt. *Disc.* Quid illud esse potest? *Mag.* An putas aliquid esse aliquando aut alicubi, quod non sit in summa veritate, & quod inde non acceperit quod est, in quantum est: aut quod possit aliud esse, quam quod ibi est? *Disc.* Non est putandum. *Mag.* Quicquid igitur est, verè est: in quantum hoc est, quod ibi est. *Disc.* Absolutè concludere potes, quia omne quod est, verè est: quoniam nõ est aliud, quam quod ibi est. *Mag.* Est igitur veritas in omnium quæ sunt, essentia: quia hoc sunt, quod in summa veritate sunt. *Disc.* Video ita ibi esse veritatem, vt nulla possit esse falsitas: quoniam quod falso est, non est. *Mag.* Bene dicis, Sed dic, an aliquid aliud debeat esse, quam quod est in summa veritate? *Disc.* Non

De diuersis intellectibus, debere & non debere, posse & non posse. Cap. VIII. Mag.

Sergo omnia hæc sunt, quod ibi sunt, sine dubio hæc sunt quod debent. *Disc.* Verè hæc sunt quod debent. *Mag.* Quicquid verò est, quod debet esse, rectè est. *Disc.* Nihil consequentius, aliter non potest esse. *Mag.* Igitur omne quod est, rectè est. *Disc.* Nihil consequentius. *Mag.* Si ergo veritas & rectitudo idcirco sunt in rerum essentia, quia hoc sunt quod sunt, in summa veritate, certum est veritatem rerum, esse rectitudinem. *Disc.* Nihil planius, quantum ad consequentiam argumentationis. Sed secundum rei veritatem, quomodo possumus dicere: quia quicquid est, quod debet esse, cum sint multa opera mala,

A quæ certum est non esse debere. *Mag.* Quid mirum est, si eadem res debet esse, & non esse. *Disc.* Quomodo potest hoc esse? *Mag.* Scio te non dubitare, quia nihil omnino est nisi Deo aut faciente, aut permittente. *Disc.* Nihil mihi certius. *Mag.* An audebis dicere, quia Deus aliquid faciat, aut permittat non sapienter, aut non bene? *Disc.* Imò assero, quia nihil nisi bene & sapienter. *Mag.* An iudicabis non debere esse, quod tanta bonitas & tanta sapientia facit, aut permittit? *Disc.* Quis intelligens audeat hoc cogitare? *Mag.* Debet igitur esse pariter, & quod faciente, & quod permittente Deo sit. *Disc.* Patet quod dicis. *Mag.* Dic etiam, an putas esse debere, malæ voluntatis effectum? *Disc.* Idem est ac si dicas, an debeat esse opus malum, quod nullus sensatus concedit. *Mag.* Permittit tamen Deus aliquos malè facere quod malè volunt. *Disc.* Utinam non tam sæpe permetteret. *Mag.* Idem igitur debet esse, & non esse. Debet enim esse, quia bene & sapienter ab eo, quo non permittente fieri non posset, permittitur: & non debet esse, quantum ad illum, cuius iniqua voluntate concipitur. Hoc igitur modo, quia Dominus Iesus solus innocens erat, non debuit mortem pati, nec vllus eam illi debuit inferre, & tamen eam debuit pati, quia ipse sapienter, & benignè, & utiliter voluit eam sufferre.

Quòd omnis actio significet aut verum, aut falsum.

Caput IX.

Multis enim modis eadem res suscipit diuersis considerationibus contraria: quod in actione sæpe contingit, vt in percussione. Percussio nanque & agentis est, & patientis: vnde & actio dici, & passio potest: quauis secundum ipsum nomen actio vel percussio, & quæ similiter dicta à passiuis in actiua significatione dicuntur: magis videantur esse patientis, quam agentis. Quippe secundum id quod agit, magis propriè videtur dici agentia vel percutientia, & secundum id quod patitur, actio vel percussio. Nam agentia & percutientia ab agente & percutiente dicuntur: sicut prouidentia à prouidente, & continentia à continente, quæ scilicet agens & percutiens, prouidens & continens, actiua sunt: actio verò & percussio, ab acto & percusso, quæ passiuæ sunt, deriuantur. Sed quoniam, vt in vno dicam, quod in cæteris intelligas: sicut percutiens non est sine percusso, nec percussus absque percutiente: ita percutientia & percussio sine inuicem esse nequeunt: imò vna & eadem res est, diuersis nominibus secundum diuersas partes significata: idcirco percussio, & percutientis, & percussi esse dicitur. Quapropter secundum quod agens vel patiens eidem subiacent iudicio, vel contrarij: ipsa quoque actio ex vtraque parte similiter iudicabitur, aut contrariè. Cum ergo & qui percutit, rectè percutit: & qui percutitur, rectè percutitur: vt cum peccans, ab eo, ad quem pertinet, corrigitur, ex vtraque parte recta est, quia ex vtraque parte debet esse percussio. E contrario, quando ab iniquo iustus percutitur: quia nec iste percuti, nec ille percutere debet, ex vtraque parte non recta est, quia ex neutra parte debet esse percussio. Cum verò peccans ab eo, ad quem non pertinet, percutitur, quoniam & ille debet percuti, & ille non debet percutere, debet & non debet esse percussio: & ideo recta & non recta negari non potest. Quòd si ad supernæ sapientiæ bonitatisque confideres iudicium, siue ex altera tantum, siue ex vtraque parte, agentis scilicet &

patientis non debeat esse percussio: quis audebit negare debere esse, quòd tanta bonitate & sapientia permittitur? *Disc.* Neget qui audet, ego verò non audeo. *Mag.* Quid etiam si secundum naturam rerum consideres, vt cum clauis ferrei impressi sunt in corpus Domini: an dices fragilem carnem non debuisse penetrari, aut acuto ferro penetratam non debuisse dolere? *Disc.* Contra naturam dicerem. *Mag.* Potest igitur contingere, vt debeat esse secundum naturam actio vel passio, quæ secundum agentem vel patientem esse non debet: quoniam nec ille agere, nec iste debet pati. *Disc.* Nihil horum negare possum. *Mag.* Vides igitur sapientissimè posse contingere, vt eadem actio debeat esse, & non debeat esse, diuersis considerationibus. *Disc.* Ita apertè hoc ostendis, vt non possim non videre. *Mag.* Vnum inter hæc te scire volo: quia debere & non debere, aliquando dicitur impropriè: vt cum dico, quia debeo amari à te. Si enim debeo, vere debitor sum reddere quòd debeo, & in culpa sum, si non amor à te. *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* Sed cum debeo amari à te, non est à me exigendum: sed à te. *Disc.* Fateri me ita oportet. *Mag.* Cum ergo esse dico, quia debeo amari à te, non ita dicitur, quasi ego debeam: sed quia tu debes amare me. Similiter cum dico, quia non debeo amari à te non aliud intelligitur, quàm quia tu non debes amare me. Qui modus loquendi est etiam in potentia, & in impotentia: vt cum dicitur, Hector potuit vinci ab Achille, & Achilles non potuit vinci ab Hectore. Non enim fuit potentia in illo, qui potuit vinci; sed in illo, qui vincere potuit: nec impotentia in illo, qui vinci non potuit; sed in illo, qui vincere non potuit. *Disc.* Placet mihi quòd dicis. Quippe vtilè puto hoc cognoscere.

De latitudine veritatis. Cap. X. Mag.

Rectè putas, sed redeamus ad veritatem significationis, à qua ideo incœpi, vt te à notioribus ad ignotiora perducerem. Omnes enim de veritate significationis loquuntur: veritatem verò, quæ est in rerum essentia, pauci considerant. *Disc.* Profuit mihi, quia hoc ordine me duxisti. *Mag.* Videamus ergo, quàm lata sit veritas significationis. Nanque non solum in his, quæ signa solemus dicere: sed & in alijs omnibus, quæ diximus, est significatio vera vel falsa. Quoniam nanque non est ab aliquo faciendum, nisi quòd quis debet facere: eo ipso, quòd aliquis aliquid facit, dicit: & significat hoc se debere facere: quòd si debet facere quòd facit, verum dicit: si autem non debet, mentitur. *Disc.* Quauis videat mihi intelligere: tamen quòd mihi inauditum hæctenus fuit, apertius ostende quòd dicis. *Mag.* Si esses in loco, vbi scires esse salubres herbas & mortiferas, sed nescires eas discernere, & esset ibi aliquis, de quò non dubitares, quin illas discernere sciret, tibi que interroganti, quæ salubres essent, & quæ mortifere, alias verò salubres diceret esse, alias comederet, cui magis crederes, verbo, an actioni eius? *Disc.* Non tantum crederem verbo, quantum operi. *Mag.* Plus ergo tibi diceret, quæ salubres essent opere quam verbo. *Disc.* Ita est. *Mag.* Sic itaque si nescires non esse mentendum: & mentiretur aliquis coram te, etiam si diceret tibi ipse, se non debere mentiri: plus ipse tibi diceret opere, se mentiri debere, quam verbo non debere. Similiter dum cogitat aliquis aliquid, aut vult aliquid: si nescires, an deberet

A id velle, sine cogitare: si voluntatem eius, & cogitationem videres, significaret tibi in ipso opere, quia hoc deberet cogitare & velle. Quod si ita deberet, verum diceret: sin autem, mentiretur. In rerum quoque existentia, est similiter vera vel falsa significatio, quoniam eo ipso, quia est, dicit se debere esse. *Disc.* Video nunc apertè, quod haec enus non animaduerti.

De summa veritate. Cap. XI. Mag.

Progrediamur ad ea, quae restant. *Disc.* Prae-
cede, & sequar. *Mag.* Summam autem veritatem non negabis esse rectitudinem? *Disc.* Imò nihil aliud illam possum fateri. *Mag.* Considera: quia omnes supradictae rectitudines, ideo sunt rectitudines: quia illa, in quibus sunt, aut fiunt, aut faciunt quod debent, summa veritas non ideo est rectitudo, quia debet aliquid. Omnia enim illi debent aliquid, ipsa verò nulli quicquam debet, nec vlla ratione est quod est, nisi quia est. *Disc.* Intellego. *Mag.* Vides etiam, quomodo ista rectitudo causa sit omnium aliarum veritatum & rectitudinum, & nihil sit causa illius? *Disc.* Video, & animaduerto in alijs quasdam esse tantum effecta, quasdam verò esse causas & effecta: vt cum veritas, quae est in rerum existentia, sit effectum summae veritatis: ipsa quoque causa est veritatis, quae cogitationis est, & eius, quae est in propositione, & istae duae veritates nullius sunt causa veritatis. *Mag.* Bene consideras, vnde iam intelligere potes, quomodo summam veritatem in meo Monologio probavi non habere principium vel finem per veritatem orationis. Cum enim dixi, quando non fuit verum, quia futurum erat aliquid: non ita dixi, ac si absque principio ista oratio fuisset, quae assereret futurum aliquid esse: aut ista veritas esset Deus: sed quoniam non potest intelligi, quando oratio ista esset, veritas illi deesset, vt per hoc quia non intelligitur, quando ista veritas esse non potuit, si esset oratio in qua esse posset, intelligatur illa veritas sine principio fuisse, quae prima causa est huius veritatis. Quippe veritas orationis non semper posset esse, si eius causa non semper esset. Etenim non est vera oratio, quae dicit futurum esse aliud, nisi re ipsa sit aliquid futurum, neque aliquid est futurum, si non sit in summa veritate. Similiter de illa intelligendum est veritate orationis, quae dicit: quia praeteritum est aliquid. Nam si nullo intellectu veritas orationi huic, si facta fuerit, deesse poterit: necesse est, vt eius veritatis, quae summa causa est, istius, nullus finis intelligi possit. Idcirco nanque verè praeteritum dicitur esse aliquid, quia ita est in re: & ideo est aliquid praeteritum, quia sic est in veritate summa. Quapropter, si nunquam potuit non esse verum, futurum esse aliquid, & nunquam poterit non esse verum, praeteritum aliquid esse, impossibile est principium summae veritatis fuisse, aut finem futurum esse. *Disc.* Nihil tuae rationi obijci posse video.

B *De veritatis diffinitione. Cap. XII. Mag.*

Redeamus ad indagacionem veritatis, quam incoepimus. *Disc.* Totum hoc pertinet ad indagandam veritatem: veritatem redi ad quod vis. *Mag.* Dic ergo mihi, an tibi videatur esse aliqua rectitudo alia, praeter has, quas contemplati sumus? *Disc.* Non alia praeter has: nisi illa, quae est in rebus corporeis, quae multum est aliena ab istis, vt rectitudo virgae. *Mag.* In quo tibi illa videtur differre ab istis? *Disc.* Quia illa visu corporeo cognosci potest, istas rationis capit contemplatio.

De iustitia, & eius diffinitione. Cap. XIII.

Iustitiam quoque doce me, quid esse intelligam. Videtur nanque, quia omne quod rectum est esse, iustum etiam esse: & conuersim, quia quod iustum est esse, rectum esse. Iustum enim & rectum videtur, ignem calidum esse: & vnumquemque hominem, diligentem se diligere. Nam si quicquid debet esse, rectè & iuste est: nec aliquid rectè & iuste est, nisi quod debet esse: sicut puto, non potest aliud esse iustitia, quam rectitudo. In summa nanque & simplici natura, quantum non ideo sit recta & iusta, quia debeat aliquid dubium: tamen non est idem, esse rectitudinem & iustitiam. *M.* Habes igitur diffinitionem iustitiae: si iustitia non est aliud quam rectitudo. Et quoniam de rectitudine sola mente perceptibili loquimur, inuicem sese diffiniunt veritas, & rectitudo, & iustitia: vt qui vnam earum nouerit, & alias nescierit, per notam ad ignotarum scientiam perungere possit: immò qui nouerit vnam, alias nescire non possit. *Disc.* Quid ergo? An dicemus lapidem iustum, cum a superioribus inferiora petit: quia hoc facit, quod debet: quemadmodum dicimus hominem iustum, qui quod debet facit? *Mag.* Non solemus huiusmodi a iustitia iustum dicere. *Disc.* Cur ergo magis homo quam lapis iustus est, si vterque iuste facit? *Mag.* Tu ipse an non putas facere hominis, a facere lapidis aliquo modo differre? *Disc.* Scio quia homo sponte, lapis naturaliter & non sponte facit. *Mag.* Idcirco lapis non dicitur iustus: quia non est iustus, qui facit quod debet, si non vult quod facit. *Disc.* Dicemus ergo iustum esse equum, cum vult pascere: quia volens facit quod debet? *Mag.* Non dixi iustum esse eum, qui facit volens quod debet: sed dixi non esse iustum, qui non facit volens quod debet. *Disc.* Dic ergo, quid sit iustus? *Mag.* Quæris, vt video, diffinitionem iustitiae, cui laus debetur: sicut contrario eius scilicet iniustitiae debetur vituperatio. *Disc.* Illam quæro. *Mag.* Constat, quia illa iustitia non est in vlla natura, quae rectitudinem non agnoscit. Quicquid enim non vult rectitudinem, etiamsi eam tenet, non meretur laudem, quia tenet rectitudinem: velle autem illam non valet, qui nescit eam. *Disc.* Verum est. *Mag.* Rectitudo igitur, quae tenenti se laudem acquirit, non est nisi in rationali natura: quae sola rectitudinem, de qua loquimur, percipit. *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* Ergo quoniam omnis iustitia est rectitudo: nullatenus est iustitia, quae seruauentem

Mag. Nonne rectitudo illa corporum ratione intelligitur praeter subiectum, & cognoscitur? Aut si de alicuius corporis absentis linea dubitetur, an recta sit, & monstrari potest, quia in nullam partem flectitur: Nonne ratione colligitur, quia rectam eam necesse est esse? *Disc.* Etiam. Sed eadem quae sic ratione intelligitur, visu sentitur in subiecto. Illae verò non, nisi sola mente percipi possunt. *Mag.* Possumus igitur, nisi fallor, diffinire: quia veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. *Disc.* Nullo modo hoc dicentem falli video. Nempe nec plus, nec minus continet ista diffinitio veritatis quam expedit: quoniam nomen rectitudinis diuidit eam ab omni re, quae rectitudo non vocatur. Quod verò sola mente percipi dicitur, separat eam à rectitudine visibili. Sed quoniam docuisti me omnem veritatem esse rectitudinem, & rectitudo idem videtur mihi esse, quod iustitia.

De iustitia, & eius diffinitione. Cap. XIII.

Iustitiam quoque doce me, quid esse intelligam. Videtur nanque, quia omne quod rectum est esse, iustum etiam esse: & conuersim, quia quod iustum est esse, rectum esse. Iustum enim & rectum videtur, ignem calidum esse: & vnumquemque hominem, diligentem se diligere. Nam si quicquid debet esse, rectè & iuste est: nec aliquid rectè & iuste est, nisi quod debet esse: sicut puto, non potest aliud esse iustitia, quam rectitudo. In summa nanque & simplici natura, quantum non ideo sit recta & iusta, quia debeat aliquid dubium: tamen non est idem, esse rectitudinem & iustitiam. *M.* Habes igitur diffinitionem iustitiae: si iustitia non est aliud quam rectitudo. Et quoniam de rectitudine sola mente perceptibili loquimur, inuicem sese diffiniunt veritas, & rectitudo, & iustitia: vt qui vnam earum nouerit, & alias nescierit, per notam ad ignotarum scientiam perungere possit: immò qui nouerit vnam, alias nescire non possit. *Disc.* Quid ergo? An dicemus lapidem iustum, cum a superioribus inferiora petit: quia hoc facit, quod debet: quemadmodum dicimus hominem iustum, qui quod debet facit? *Mag.* Non solemus huiusmodi a iustitia iustum dicere. *Disc.* Cur ergo magis homo quam lapis iustus est, si vterque iuste facit? *Mag.* Tu ipse an non putas facere hominis, a facere lapidis aliquo modo differre? *Disc.* Scio quia homo sponte, lapis naturaliter & non sponte facit. *Mag.* Idcirco lapis non dicitur iustus: quia non est iustus, qui facit quod debet, si non vult quod facit. *Disc.* Dicemus ergo iustum esse equum, cum vult pascere: quia volens facit quod debet? *Mag.* Non dixi iustum esse eum, qui facit volens quod debet: sed dixi non esse iustum, qui non facit volens quod debet. *Disc.* Dic ergo, quid sit iustus? *Mag.* Quæris, vt video, diffinitionem iustitiae, cui laus debetur: sicut contrario eius scilicet iniustitiae debetur vituperatio. *Disc.* Illam quæro. *Mag.* Constat, quia illa iustitia non est in vlla natura, quae rectitudinem non agnoscit. Quicquid enim non vult rectitudinem, etiamsi eam tenet, non meretur laudem, quia tenet rectitudinem: velle autem illam non valet, qui nescit eam. *Disc.* Verum est. *Mag.* Rectitudo igitur, quae tenenti se laudem acquirit, non est nisi in rationali natura: quae sola rectitudinem, de qua loquimur, percipit. *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* Ergo quoniam omnis iustitia est rectitudo: nullatenus est iustitia, quae seruauentem

A uantem se facit laudabilem, nisi in rationalibus. *Disc.* Non potest aliter esse. *Mag.* Vbi igitur tibi videtur ista iustitia in homine, qui rationalis est? *Disc.* Non est, nisi aut in voluntate, aut in scientia, aut in opere. *Mag.* Quid si quis recte intelligit, aut recte operatur, non autem recte velit: lau dabit eum quisquam de iustitia? *Disc.* Non. *Mag.* Ergo non est ista iustitia, scientiæ rectitudo, aut rectitudo actionis: sed rectitudo voluntatis. *Disc.* Aut hoc erit, aut nihil. *Mag.* Videtur tibi sufficienter esse diffinitiva iustitia, quam quærimus? *Disc.* Tu vide. *Mag.* Quicumque vult quod debet: putas eum recte velle, & habere rectitudinem voluntatis? *Disc.* Si quis nesciens vult quod debet: vt cum vult ostium claudere contra illum qui ipso nesciente vult in domo alium occidere: siue iste habeat, siue non habeat aliquam voluntatis rectitudinem, non habet illam quam quærimus. *Mag.* Quid dicis de illo, qui scit se debere velle quod vult? *Disc.* Potest contingere, vt intelligens velit quod debet, & nolit se debere. Nam cum latro cogitur ablatam reddere pecuniam: palam est, quia non vult se debere: quoniam igitur cogitur velle reddere, quia debet: sed hic nullatenus laudandus est hac rectitudine. *Mag.* Qui cibum esurientem pauperem propter inanem gloriam: vult se debere velle quod vult. Idcirco nanque laudatur, quia vult facere quod debet: quid itaque de isto iudicas? *Disc.* Non est huius rectitudo laudanda: & ideo non sufficit ad iustitiam, quam quærimus. Sed ostende iam quæ sufficient. *Mag.* Omnis voluntas sicut vult aliquid, ita vult propter aliquid. Nam quemadmodum considerandum est, quid velit: ita videndum est, cur velit. **B** Quippe non magis recta debet esse volendo quod debet: quam volendo propter quod debet. Quapropter omnis voluntas habet quid, & cur. Omnino nanque nihil volumus nisi sit cur velimus. *Disc.* Omnes hoc in nobis cognoscimus. *Mag.* Cur autem tibi videtur vnicuique volendum quod vult, vt laudabilem habeat voluntatem. Quid enim volendum sit, palam est: quia qui non vult quod debet, iustus non est. *Disc.* Nec minus apertum mihi viderur: quia sicut volendum est vnicuique quod debet: ita volendum est, ideo quia debet, vt iusta sit eius voluntas. *Mag.* Bene intelligis hæc duo necessaria esse voluntati ad iustitiam velle, scilicet quod debet, ac ideo quia debet. Sed dic, an sufficient? *Disc.* Cur non? *Mag.* Cum aliquis vult quod debet, quia cogitur: & ideo cogitur, quia hoc velle debet: nonne hic quodammodo vult quod debet, quoniam debet? *Disc.* Non possum negare. Sed alio modo vult iste, alio modo vult iustus. *Mag.* Distingue istos modos. *Disc.* Iustus nanque cum vult quod debet, seruat voluntatis rectitudinem: non propter aliud, inquam, iustus est, quam propter ipsam rectitudinem. Qui autem non nisi coactus, aut extranea mercede co ductus, vult quod debet: si seruare dicendus est rectitudinem, non eam seruat propter ipsam, sed propter aliud. *Mag.* Voluntas erga iusta est, quæ sui rectitudinem seruat propter ipsam rectitudinem. *Disc.* Aut ista, aut nulla voluntas iusta est. *Mag.* Iustitia igitur est rectitudo voluntatis propter se seruata. *Disc.* Verè hæc est iustitiæ diffinitio, quam quærebam. *Mag.* Vide tamen, ne forte aliquid in ea debeat corrigi. *Disc.* Ego nihil in ea corrigendum video. *Mag.* Nec ego. Nulla nanque iustitia est, quæ non est rectitudo: nec alia quam rectitudo voluntatis, iustitia dicitur per se. Dicitur enim rectitudo actionis, iustitia: sed non

nisi cum iusta voluntate fit actio. Rectitudo autem voluntatis, etiam si impossibile sit fieri quod recte voluntus: tamen nequaquam amittit nomen iustitiæ. Quod autem seruata dicitur, forte dicit aliquis: si rectitudo voluntatis non nisi cum ser uatur, dicenda est iustitia: non mox vt habetur, est iustitia: sed nec accipimus iustitiam, cum illam accipimus: sed nos seruando facimus eam iustitiam esse. Nam prius accepimus illam & habemus, quam seruamus. Non enim ideo illam accipimus, nec idcirco illam primitus habemus, quia seruamus: sed illam incipimus ideo seruare, quia accipimus & habemus. Sed ad hoc respondere nos possumus: quia simul accipimus illam & velle, & habere. Non enim illam habemus nisi volendo, & si eam volumus, hoc ipso solo eam habeamus. Sicut autem illam simul habemus & volumus, ita illam simul volumus & seruamus: quoniam sicut eam non seruamus, nisi cum illam volumus, sic non est quando eam velimus & non seruamus: sed quandiu eam volumus, seruamus, & donec seruamus, volumus. Quoniam ergo eodem tempore contingit nobis illam, & velle, & habere: nec diuerso tempore in nobis sunt & velle, & seruare, eam ex necessitate simul accipimus & habere illam, & seruare, & sic quandiu habemus, seruamus: nec vlla ex his generatur inconuenientia. Quippe sicut eiusdem rectitudinis acceptio, natura prius est quam habere, aut velle illam: quoniam habere illam aut velle, non est causa acceptiois, sed acceptio facit velle illam & habere. Simul enim incipimus illam & accipere, & habere, & velle: & tamen simul sunt tempore, acceptio, & habere, & velle: & mox vt accepta, est habita: & volumus eam ita habere, seu velle illam: quauis natura prius sint, quam seruare illam, simul tamen sunt tempore. Quare a quo simul accipimus, & habere, & velle, & seruare voluntatis rectitudinem: ab illo accipimus iustitiam, & mox vt volumus, & habemus eandem rectitudinem voluntatis, iustitia dicenda est. Quod verò addidimus, propter se: ita necessarium est, vt nullo modo eadem rectitudo, nisi propter se seruata, iustitia sit. *Disc.* Nihil possum cogitare contra. *Mag.* videtur tibi, quod ista diffinitio possit aptari summæ iustitiæ, secundum quod de re loqui possumus, de qua nihil, aut vix proprie aliquid, potest dici? *Disc.* Licet non sit ibi aliud voluntas, aliud rectitudo: tamen, sicut dicimus, potestatem diuinitatis, aut diuinam potestatem, siue potentem diuinitatem: cum in diuinitate non sit aliud potestas, quam diuinitas, ita non inconuenienter dicimus, ibi rectitudinem voluntatis, aut voluntariam rectitudinem, seu rectam voluntatem. Si verò illam rectitudinem dicimus propter se seruari, de nulla alia rectitudine tam conuenienter dici posse videtur. Sicut enim non aliud illam, sed ipsa se seruat: nec per aliud, sed per se: & ita non propter aliud, sed propter se. *Mag.* Indubitanter itaque, possumus dicere, quia iustitia est rectitudo voluntatis, quæ rectitudo propter se seruatur. Et quoniam verbi, quod hic dico (seruatur) non habemus participium passiuum presentis temporis, pro presenti, possumus vt passiuo preterito participio eiusdem verbi. *Disc.* Hunc vsu habemus notissimum, vt preteritis participijs passiuis vtamur pro presentibus, quæ latinitas non habet, sicut non habet, preterita participia a verbis actiuis & neutris, & pro preteritis, quæ non habet, vtitur presentibus: vt si dicatur de aliquo, hic quod studens & legens didicit, non nisi

A nisi coactus docet, id est, quod dum studuit, & legit, didicit: & non nisi cum cogitur docet. *Mag.* Bene ergo diximus, iustitiam esse rectitudinem voluntatis servatam propter se, id est, quæ servatur propter se. Et hinc est, quod iusti dicuntur aliquando *recti corde*, id est, recti voluntate: aliquando *recti sine adiectione cordis*: quoniam nullus alius intelligitur rectus, nisi qui rectam habet voluntatem: ut est illud: *Gloriamini omnes recti corde.* Et illud: *Videbunt recti, & letabuntur.* *Disc.* Satisfecisti etiam prius de diffinitione iustitiæ: transeamus ad alia.

Quod vna sit veritas in omnibus veris.

Cap. XIV. Mag.

Redeamus ad rectitudinem seu veritatem, quibus duobus nominibus, (quoniam de rectitudine mente sola perceptibili loquimur) vna res significatur, quæ genus est iustitiæ: & queramus, an sit vna sola veritas in omnibus istis, in quibus veritatem dicimus esse: an ita sint veritates plures, sicut plura sunt, in quibus constat esse veritatem. *Disc.* Hoc multum nosse desidero. *Mag.* Constat, quia in quacunq; re sit veritas, non est aliud quam rectitudo. *Disc.* Non hinc dubito. *Mag.* Si ergo plures sunt veritates secundum plures res, plures quoque sint rectitudines. *Disc.* Hoc quoque non minus certum est. *Mag.* Si secundum diversitates rerum, necesse est esse diversas rectitudines: utriusque secundum res ipsas habent esse suum eadem rectitudines, & sicut res ipsæ, in quibus sunt, variantur: sic quoque rectitudines varias esse necesse est. *Disc.* In vna re, in qua rectitudinem esse dicimus, ostende quod in cæteris intelligam. *Mag.* Dico, quia si rectitudo significationis, ideo est alia quam voluntatis rectitudo, quia ista in voluntate, illa in significatione est: habet suum esse rectitudo propter significationem, & secundum eam mutatur. *Disc.* Ita est. Cum enim significatur esse, quod est: aut non esse, quod est recta significatio est, & constat esse rectitudinem, sine qua significatio recta nequit esse. Si verò significetur esse quod non est, aut non esse quod est, aut si nihil omnino significetur, nulla erit rectitudo significationis, quæ non nisi in significatione est. Quapropter per significationem habet esse, & per eam mutatur eius rectitudo quemadmodum color per corpus habet esse & non esse. Existente namque corpore, colorem eius necesse est esse: & pereunte corpore colorem eius manere impossibile est. *Mag.* Non similiter se habet color ad corpus, ut rectitudo ad similitudinem significationum. *Disc.* Ostende dissimilitudinem. *Mag.* Si nullus aliquo significare velit signo quod significandum est: erit vna per signa significatio? *Disc.* Nulla. *Mag.* An ideo non erit rectum, ut significetur quod significari debet? *Disc.* Non idcirco minus erit rectum, aut minus hoc exiget rectitudo. *Mag.* Ergo non existente significatione, non perit rectitudo, qua rectum est, & qua exigitur, ut quod significandum est, significetur. *Disc.* Si interijset, non esset rectum hoc: nec ipsa hoc exigeret. *Mag.* Putasne cum significatur, quod significari debet, significationem tunc rectam esse propter hanc, & secundum hanc ipsam rectitudinem? *Disc.* Immo: non possum aliter cogitare. Si enim alia rectitudine recta esset significatio, pereunte illa nihil prohibet rectam esse significationem. Sed nulla est recta significatio, quæ significat quod non est rectum significari, aut quod non exiget rectitudo. *Mag.* Nulla igitur significatio est recta alia rectitudine,

quam illa, quæ permanet pereunte significatione. *Disc.* Palam est. *Mag.* An itaque non vides, quia non ideo est rectitudo in significatione, quia tunc incipit esse cum significatur esse quod est, vel non esse quod non est. Se! quia significatio tunc fit secundum rectitudinem, quæ semper est, nec ob hoc abest à significatione, quia perit cum non sicut debet, aut cum nulla sit significatio, sed quoniam tunc significatio deficit à non deficiente rectitudine. *Disc.* Sic video, ut non possim non videre. *Mag.* Rectitudo ergo, qua significatio recta dicitur, non habet esse & non esse, aut aliquem motum per significationem quomocumque moveatur ipsa significatio. *Disc.* Mihi nihil iam clarius. *Mag.* Potestne probare colorem similiter se habere ad corpus, quomodo rectitudo se habet ad significationem? *Disc.* Promptior nunc sum probare, quia valde dissimiliter. *Mag.* Puto quia iam tibi notum est: quid de voluntate, & eius rectitudine, & de alijs, quæ rectitudinem habere debent, sentiendum sit. *Disc.* Omnino video hac ipsa ratione probari quoquo modo ipsa sit, rectitudinem immobilem permanere. *Mag.* Quid itaque consequi existimas de ipsis rectitudinibus? Sunt alia ab invicem, aut est vna & eadem omnium rectitudo? *Disc.* Supra concessum est: quia si ideo sunt plures rectitudines, quoniam plures sunt res, in quibus considerantur, necesse est eas existere & variari secundum res ipsas: quod nequaquam fieri demonstratum est. Quapropter non ideo sunt plures rectitudines, quia plures sunt res, in quibus sunt. *Mag.* An habes aliquam aliam rationem, cur tibi plures esse videantur, præter ipsam rerum pluralitatem? *Disc.* Sicut istam nullam esse cognosco, ita nullam aliam inveniri posse considero. *Mag.* Vna igitur & eadem est omnium rectitudo. *Disc.* Sic me fateri necesse est. *Mag.* Amplius, si rectitudo non est in rebus illis, quæ debent rectitudinem, nisi cum sint secundum quod debent, & hoc solum est illis rectas esse: manifestum est earum omnium vnam solam esse rectitudinem. *Disc.* Non potest negari. *Mag.* Vna igitur in omnibus illis est veritas. *Disc.* Et hoc negari impossibile est: Sed tamen ostende mihi, cur dicimus huius vel illius rei veritatem, velut ad distinguendas veritatis differentias, si nullam ab ipsis rebus assumunt differentiam? Multi namque vix concedent nullam esse differentiam inter veritatem voluntatis, & eam, quæ dicitur actionis, aut alicuius aliorum. *Mag.* Improperie huius vel illius rei esse dicitur: quoniam illa non in ipsis rebus, aut ex ipsis, aut per ipsas, in quibus esse dicitur, habet suum esse: Sed cum res ipsæ secundum illam sunt, quæ semper præsto est his, quæ sunt sicut debent, tunc dicitur huius vel illius rei veritas: ut veritas vocis, actionis, voluntatis: quemadmodum dicitur tempus huius vel illius rei, cum vnum & idem sit tempus omnium, quæ sunt in eodem tempore simul: & si non esset hæc vel illa res non minus esset idem tempus. Non enim dicitur i deo tempus huius vel illius rei, quia tempus est in ipsis rebus: sed quia ipsæ sunt in tempore. Et sicut tempus per se consideratum, non dicitur tempus alicuius: sed cum res, quæ in illo sunt, consideramus, dicimus tempus huius vel illius rei: ita summa veritas per se subsistens nullius rei est: sed cum aliquid secundum illam est, tunc eius dicitur veritas, vel rectitudo.

Beati Anselmi Dialogus de Veritate explicat.

BEATI

A BEATI ANSELMI
ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS
 Dialogus de Libro Arbitrio incipit.

Quod potestas peccandi non pertineat ad libertatem arbitrij. Cap. I. Disc.

Cum liberum arbitrium videatur repugnare gratiae, & prædestinationi, & præscientiae Dei: ipsa libertas arbitrij quid sit nosse desidero, & utrum illam semper habeamus. Si enim libertas arbitrij est, posse peccare & non peccare, sicut à quibusdam solet dici: & hoc semper habemus, quomodo aliquando gratia indigemus? Si autem hoc non semper habemus, cur nobis imputatur peccatum, quando sine libero arbitrio peccamus? *Mag.* Libertatem arbitrij non puto esse, potentiam peccandi & non peccandi. Quippe si hoc eius esset dicitur: nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas est dicere. *Disc.* Quid, si dicitur aliud esse liberum arbitrium Dei & Angelorum bonorum, aliud nostrum? *Mag.* Quamvis differat liberum arbitrium hominum a libero Dei arbitrio & Angelorum bonorum: diffinitio tamen huius libertatis in utrisque secundum hoc nomen, eadem debet esse: licet enim animal differat ab animali siue substantialiter, siue accidentaliter, diffinitio tamen secundum nomen animalis omnibus animalibus est eadem. Quapropter talem oportet dare diffinitionem libertatis arbitrij, quæ nec plus, nec minus illa contineat.

B Quoniam ergo liberum arbitrium diuinum & bonorum Angelorum peccare non potest, non pertinet ad diffinitionem libertatis arbitrij, posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas. Quod ut planè intelligas, intende ad ea quæ dicam. *Disc.* Ad hoc hic sum. *Mag.* Quæ tibi voluntas liberior videtur, illa, quæ sic vult & potest non peccare, ut nullatenus valeat flecti a non peccandi rectitudine: an illa, quæ flecti aliquo modo potest ad peccandum? *Disc.* Cur non sit liberior illa, quæ ad utrumque se habet non video. *Mag.* An non vides quoniam qui sic habet quod decet, & quod expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, ut possit perdere: & ad hoc quod dedecet & non expedit valeat adduci? *Disc.* Nulli dubium hoc esse puto. *Mag.* Hoc quoque non minus indubitabile dices: quia peccare semper dedecens & noxium est. *Disc.* Nullus sane mentis aliter sentit. *Mag.* Liberior itaque voluntas est, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quam quæ illam potest deserere. *Disc.* Nihil mihi rationabilius asseri posse videtur. *Mag.* An putas, quod additum minuit, & separatum auget libertatem id aut libertatem esse, aut partem libertatis? *Disc.* Non hoc putare possum. *Mag.* Potestas ergo peccandi, quæ addita voluntati minuit eius libertatem, & si diriuatur auget: nec libertas est, nec pars libertatis.

Quod tantum homo & Angelus peccauerunt per hanc potestatem & liberum arbitrium: & quamvis potuerunt seruire peccato, non tamen eis potuit dominari peccatum.

Caput II. Disc.

Nihil consequentius. *Mag.* Non pertinet ad libertatem arbitrij, quod sic est extraneum

à libertate. *Disc.* Rationibus tuis nullatenus contradicere queo. Sed non parum me mouet: quia & Angelica & nostra natura in principio habuit potestatem peccandi, quam si non habuisset, non peccasset: quare si per hanc potestatem, quæ sic aliena est a libero arbitrio peccauit utraque prædicta natura: quomodo dicemus eam peccasse per liberum arbitrium? Aut si per liberum arbitrium non peccauit, ex necessitate peccasse videtur. Nempe aut sponte, aut ex necessitate: aut si sponte peccauit, quomodo nisi per liberum arbitrium? Quare si non per liberum arbitrium, utique ex necessitate peccasse videtur. Est & aliud, quod in hac peccandi potestate me mouet. Qui enim peccare potest, seruus potest esse peccati: quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati. Qui autem seruus potest esse peccati, huic potest dominari peccatum: quomodo libera fuit illa natura, aut cuiusmodi liberum arbitrium illud erat, cui peccatum dominari poterat? *Mag.* Et per potestatem peccandi, & sponte per liberum arbitrium, & non ex necessitate nostra, & Angelica natura primitus peccauit, & seruire potuit peccato: & tamen non illi peccatum dominari poterat, unde illa non libera, aut eius arbitrium non liberum dici possit. *Disc.* Opus habeo, ut, quod dicis, aperias: quia clausum est mihi. *Mag.* Per liberum arbitrium peccauit apostata Angelus, siue primus homo: quia per suum arbitrium peccauit, quod sic liberum erat, ut nulla alia re cogi posset ad peccandum, & ideo iuste reprehenditur: quia cum hanc haberet arbitrij sui libertatem, non aliqua re cogente, non aliqua necessitate: sed sponte peccauit. Peccauit autem per arbitrium suum, quod erat liberum, sed non per hoc, unde liberum erat, id est, per potestatem, qua poterat non peccare, & peccato non seruire: sed per potestatem, quam habuit, peccandi: qua nec ad non peccandi libertatem iuuabatur, nec ad peccandi seruitutem cogebatur. Quod autem consequi tibi videtur: quia si potuit seruus esse peccati, potuit ei dominari peccatum: & ideo nec illum, nec eius arbitrium liberum fuisse. Non ita est: Etenim qui suæ potestatis est, ut non seruiat, nec alienæ potestatis est, ut seruiat, quamvis potestate sua seruire possit: quando non illa, quæ est seruiendi; sed illa, quæ non est seruiendi, utitur potestate: nulla res potest illi dominari, ut seruiat. Nam etsi diues liber possit se facere seruum pauperis: quando hoc non facit, nec ille nomen amittit libertatis, nec pauper illi propriè dicitur dominari: Aut si dicitur, impropriè dicitur, quia hoc non in eius, sed in alterius est potestate. Quamobrem nihil prohibet Angelum & hominem ante peccatum liberos fuisse, aut liberum arbitrium habuisse.

Quomodo postquam se fecerunt seruos peccati, liberum habuerunt arbitrium.

Caput III. Disc.

Satisfecisti mihi, quia nihil certè hoc prohibet ante peccatum. Sed postquam se fecerunt seruos peccati: quomodo liberum arbitrium seruire potuerunt? *Mag.* Licet peccato se subdidissent, libertatem arbitrij tamen naturalem in se interimire nequiverunt: sed facere potuerunt, ut iam non sine alia gratia, quam erat illa quam prius habuerunt, illa libertate uti non valeant. *Disc.* Credo: sed intelligere desidero. *Mag.* Consideremus cuiusmodi arbitrij libertatem habuerunt ante peccatum: quia certum est

A est eos, liberum arbitrium habuisse. *Disc.* Hoc expecto. *Mag.* Ad quid tibi videntur habuisse illam libertatem arbitrij? An ad assequendum, quod vellent: an ad volendum, quod deberent, & quod illis velle expediret? *Disc.* Ad volendum quod deberent, & quod expediret velle. *Mag.* Ergo ad rectitudinem voluntatis, habuerunt libertatem arbitrij. *Quandiu* nanque voluerunt, quod debuerunt, rectitudinem habuerunt voluntatis. *Disc.* Ita est. *Mag.* Dubium est adhuc cum dicitur, quia libertatem habuerunt ad rectitudinem voluntatis, si non a datore alio. *Quæro* igitur, quomodo habebant illam libertatem ad rectitudinem voluntatis: an ad capiendum eam sine datore, cum illam nondum haberent: an ad accipiendum nondum habitam, si daretur ut haberent: an ad deserendum quam acceperant, & per se resumendum desertam: an ad semper seruandum acceptam? *Disc.* Ad capiendum rectitudinem sine datore, non puto illos habuisse libertatem: quoniam nihil potuerunt habere, quod non acceperant. Ad accipiendum verò a datore, quam nondum habebant, ut eam haberent, non est dicendum eos habuisse libertatem: quia non est credendum eos factos sine recta voluntate, quamuis non negandum sit eos libertatem habuisse recipiendi eandem rectitudinem, si eam desererent, & ab ipso datore primo illis redderetur, quod in hominibus sæpe videmus, qui de iniustitia ad iustitiam superna gratia reducuntur. *Mag.* Vnde est, quod dicitur eos posse recipere perditam rectitudinem, si reddatur: sed nos illam libertatem, quam habuerunt antequam peccarent, quærimus: cum sine dubio liberum habuerunt arbitrium, non illam, qua nullus indigeret, si nunquam veritatem deseruisset? *Disc.* Prosequar itaque & respondebo ad ea, quæ restant de his, quæ interrogasti. Ad deserendum autem eandem rectitudinem, eos libertatem habuisse non est verum: quia deserere voluntatis rectitudinem, est peccare: & potestatem peccandi, nec libertatem, nec partem esse libertatis supra monstrasti. Ad resumendum verò per se rectitudinem desertam, libertatem non acceperunt: cum ad hoc rectitudo illi data sit, ut nunquam deseratur. Ipsa nanque potestas resumendi desertam, generaret negligentiam seruandi habitam. Quapropter restat libertatem arbitrij datam esse rationali creaturæ, vel naturæ, ad seruandam acceptam rectitudinem voluntatis. *Mag.* bene ad interrogata respondisti. Sed adhuc opus est ut consideremus, propter quid illam rectitudinem seruare debeat rationalis creatura: an propter ipsam rectitudinem, aut propter aliud? *Disc.* Si non illa libertas data esset illi naturæ, ut voluntatis rectitudinem propter ipsam seruaret rectitudinem, non valeret ad iustitiam: quoniam constat iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se seruandam: sed ad iustitiam prodesse arbitrij libertatem credimus. *Quare* indubitanter asserendum est, rationalem naturam non eam accepisse, nisi ad seruandam rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. *Mag.* Quoniam omnis libertas est potestas: illa libertas arbitrij est potestas, seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. *Disc.* Non potest aliud esse. *Mag.* Iam itaque clarum est, liberum arbitrium non esse aliud, quam arbitrium potens seruare rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. *Disc.* Clarum itaque est. Sed quandiu ipsam rectitudinem habuit, seruare potuit

D. ANSELMI TOMVS III.

quod debuit. Postquam autem illam deseruit, quomodo potest seruare quod non habet? Absente ergo rectitudine, quam seruare possit, non est liberum arbitrium, quod eam seruare valeat. Non enim seruare valet, quod non habet. *Mag.* Etiam si absit rectitudo voluntatis, non tamen rationalis natura minus habet quod suum est. Nullam nanque potestatem habemus, ut puto, quæ sola sufficiat sibi ad actum: & tamen cum ea desint, sine quibus ad actum minimè perducuntur nostræ potestates, non minus eas, quantum in nobis est, habere dicimur. Sicut nullum instrumentum solum sibi sufficit ad operandum: & tamen cum desint illa, quæ, quibus instrumento uti nequimus, instrumentum nos cuiuslibet operis habere sine falsitate fatentur. *Quod*, ut in multis aduertat, in vno tibi monstrabo. Nullus visum habens dicitur, nullatenus videre posse montem. *Disc.* Qui montem videre non potest, profectò nullum habet visum. *Mag.* Habet ergo potestatem & instrumentum videndi montem, qui visum habet: & tamen si mons abest, & dicitur ei: vide montem, respondet tibi: Non possum, quia abest: si adesset, possem videre. item si mons adesset, & lux abesset: responderet se montem non posse videre, quia non posset absente luce: sed si lux adesset, tunc posset. Rursum si visum habenti lux & mons presens esset, & aliquid visui obstaret: velut si aliquis illi oculos clauderet, diceret, se non posse videre montem: sed si nihil visui eius obsteret, tunc, sine dubio montem videndi potestatem haberet. *Disc.* Hoc totum omnibus notum est. *Mag.* Vides ergo, quia potestas videndi aliquid corpus, alia est in vidente, alia in re videnda, alia in medio: idem neque in vidente, neque in re videnda: & ea quæ est in medio, alia est in adiuvante, alia in non impediante, id est, cum nihil quod impedire possit impedit. *Disc.* Video planè. *Mag.* Quatuor igitur istæ potestates sunt, quarum si quælibet vna desit, alia tres sunt: nec singulæ, nec omnes simul aliquid possunt efficere: nec tamen absentibus alijs negamus, aut qui visum habet, habere visum, aut instrumentum siue potestatem videndi: aut rem visibilem, posse videri: aut lucem, posse visum iuuare.

Quomodo potestatem habeant seruandi rectitudinem, quam non habent.

Caput IV. *Mag.*

Quarta autem potestas improprie dicitur: quod enim solet impedire visum, non ob aliud dicitur dare potestatem videndi, cum non impedit, nisi quia non aufert. Potestas autem videndi lucem, non nisi in tribus rebus est, quia tunc est idem, & quod videtur, & quod adiuvat. Nam hoc est omnibus notum. *Disc.* Nulli itaque est ignotum. *Mag.* Si ergo absente re, quæ videri possit, in tenebris positi, & clausos siue ligatos oculos habentes, quantum ad nos pertinet, videndi quamlibet visibilem rem potestatem habemus, quid prohibet nos habere potestatem seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, etiam absente ipsa rectitudine, quandiu & ratio in nobis est, qua eam valemus cognoscere; & voluntas, qua illam tenere possumus? Ex his enim constat præfata libertas arbitrij. *Disc.* Satisfecisti intellectui meo, potestatem seruandi rectitudinem voluntatis rationali naturæ semper inesse, atque hanc potestatem in primi hominis & Angelorum arbitrio liberam fuisse, quibus inuitus rectitudo voluntatis non poterat auferri.

GG

Quod

A *Quod nulla tentatio cogat inuitum peccare.*

Caput V.

SED nunc quomodo est humana voluntatis arbitrium hac potestate liberum, cum saepe rectam habens homo voluntatem, ipsam rectitudinem inuitus cogente tentatione deserat? *Mag.* Nemo illam deserit, nisi volendo. Si ergo inuitus dicitur volens, nemo deserit illam inuitus: ligari enim homo potest & inuitus: quia nolens potest torqueri inuitus, quia nolens potest occidi: velle autem non potest inuitus, quia non potest velle nolens velle, nam omnis volens, ipsum suum velle vult. *Disc.* Quomodo dicitur inuitus mentiri, qui mentitur ne occidatur: cum hoc non nisi nolens facit? Nam sicut inuitus mentitur, sic inuitus vult mentiri: & qui inuitus mentiri vult, nolens vult mentiri. *Mag.* Ideo forsitan inuitus mentiri dicitur: quia cum sic vult veritatem, ut mentiatur, nisi propter vitam: & vult mendacium, quia propter vitam: & non vult mendacium propter mendacium ipsum, quoniam vult veritatem: & ideo volens & nolens mentitur. Alia nanque voluntas est, qua volumus aliquid propter se, ut cum volumus salutem propter se: & alia cum aliquid volumus propter aliud, ut cum volumus absinthium bibere propter salutem. Unde potest forsitan dici, secundum has diuersas voluntates: quia inuitus, & non inuitus mentitur. Quapropter cum dicitur inuitus mentiri: quia id non vult, in quantum vult veritatem, non repugnat illi sententiae, qua dico, neminem inuitum deserere rectitudinem voluntatis, quia mentiundo vult eam deserere propter vitam, secundum quam voluntatem non inuitus eam deserit, sed volens, de qua voluntate nunc loquimur: de illa nanque loquimur, qua vult mentiri propter vitam: non de illa, qua non vult mendacium propter se. Aut idcirco certe mentitur inuitus: quia inuitus, aut occiditur, aut mentitur: id est, inuitus est in hac angustia, ut ex necessitate horum vnum quodlibet fiat: quauis enim necesse sit illum aut occidi, aut mentiri: non tamen necesse est illum occidi, quia potest non occidi, si mentitur: nec necesse est illum mentiri: quia potest non mentiri, sed occiditur. Neutrum enim est determinate in necessitate: quia vtrumlibet est in voluntate vel potestate. Itaque licet inuitus aut occidatur aut mentiatur: non tamen ideo sequitur, ut inuitus mentiatur, aut ut inuitus occidatur. Est & alia ratio, quam frequens habet vsus cum inuitus & nolens & ex necessitate dicitur aliquis facere, quod tamen volens facit. Nam quod non nisi difficile facere valeamus, & ideo non facimus: dicimus hoc nos facere non posse. Et ex necessitate nos siue inuitos deserere, quod sine difficultate dimittere nequimus: & idcirco cum facimus, hoc nos inuitos, & nolentes, & ex necessitate facere asserimus. Hoc igitur modo, qui mentitur ne moriatur, mentiri inuitus & nolens dicitur & ex necessitate: quia mendacium vitare non valet sine mortis difficultate. Sicut igitur qui mentitur propter vitam, improprie dicitur inuitus mentiri, quoniam mentitur volens, ita non proprie dicitur inuitus velle mentiri, quoniam hoc non nisi volens vult. Nam sicut cum mentitur vult ipsum mentiri, sic cum vult mentiri, vult ipsum velle. *Disc.* Non possum negare, quod dicitis. *Mag.* Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subijcere non potest? *Disc.* Nonne simili ratione possumus

dicere, voluntatem equi esse liberam, quia appetitui carnis non seruit nisi volens? *Mag.* Non est hoc similiter: in equo nanque non ipsa voluntas se subijcit, sed naturaliter subiecta semper necessitate appetitui carnis seruit. In homine vero, quandiu ipsa voluntas recta est, nec seruit, nec subiecta est cui non debet, nec ab ipsa rectitudine vlla vi aliena auertitur, nisi ipsa cui non debet, volens consentiat: quem consensum non naturaliter, nec ex necessitate, sicut equus, sed ex se aperte videtur habere. *Disc.* Satisfecisti huic obiectioni meae de voluntate equi. Redi ubi eramus. *Mag.* An negauimus omnem rem liberam esse ab ea re, a qua cogi non volens, vel prohiberi non potest? *Disc.* Non video, quomodo negem. *Mag.* Dic etiam, quomodo superat recta voluntas, & quomodo superatur? *Disc.* Velle ipsam rectitudinem perseveranter, est illi vincere: velle autem quod non debet, est illi vinci. *Mag.* Puto, quia tentatio rectam voluntatem non nisi volentem, aut ipsa rectitudine prohibere, aut ad id quod non debet, cogere potest: ut illam velit, & istud nolit. *Disc.* Nec hoc vlla ratione falsum esse video. *Mag.* Quis ergo potest voluntatem dicere, non esse liberam ad seruandam rectitudinem, & liberam a tentatione & peccato: si nulla tentatio potest illam nisi volentem auertere a rectitudine ad peccatum, id est, ad volendum quod non debet. Cum ergo vincitur, non aliena vincitur potestate, sed sua. *Disc.* Hoc monstrant ea, quae dicta sunt. *Mag.* Nonne vides ex his consequi, quia nulla potestas potest vincere rectam voluntatem? Nam si potest, habet potestatem vincendi, & sua potestate vincitur: sed hoc esse non potest, quoniam voluntas non nisi sua vincitur potestate. Quare nullatenus potest tentatio vincere rectam voluntatem, & cum dicitur, improprie dicitur. Non enim aliud intelligitur, quam quia voluntas potest se subijcere tentationi: sicut e conuerso cum imbecillis dicitur posse vinci a forti: non sua potestate dicitur, sed aliena, quoniam non significatur aliud, nisi fortis habet potestatem vincendi imbecillum.

Quomodo sit nostra voluntas potens contra tentationes, licet videatur impotens.

Caput VI. *Disc.*

QUAVIS sic omnia impugnantia voluntati nostrae subijcias, atque nullam tentationem illi dominari permittas, ut in nullo possim obuiare assertionibus tuis: non tamen possum dissimulare quandam impotentiam esse in eadem voluntate, quam ferè omnes exprimimus: cum violentia tentationis superamur. Quapropter nisi illam potentiam, quam probas; & illam impotentiam, quam sentimus facias conuenire: non potest animus meus in quietem huius quaestionis peruenire. *Mag.* Istam impotentiam quam dicitis voluntatis, in quo putas esse? *Disc.* In eo: quia non potest perseveranter rectitudini adherere. *Mag.* Si per impotentiam non adheret, aliena vi auertitur a rectitudine. *Disc.* Credo. *Mag.* Quae est haec vis? *Disc.* Vis tentationis. *Mag.* Haec vis non auertit a rectitudine: si ipsa non vult, quod suggerit tentatio. *Disc.* Ita est. Sed ipsa tentatio, ipsa sua vi cogit eam velle quod suggerit. *Mag.* Quomodo cogit eam velle? An ita, ut possit eam quidem nolle, sed non sine graui molestia: an ita ut nullatenus possit nolle? *Disc.* Quauis fateri me oporteat, nos aliquando sic premi tentationibus, ut sine difficultate non valeamus nolle, quod suggerunt:

A gerunt: non tamen possum dicere, quod sic nos
vixquam opprimant, ut quod mouent nullatenus
nosse possimus. *Mag.* Nescio quomodo possit
dici. Si enim vult homo mentiri, ut non susti-
neat mortem, ut seruet vitam ad tempus: quis
diceret impossibile velle eum non mentiri, ut vitet
æternam mortem, & sine fine viuat? Quapro-
pter iam dubitare hanc impotentiam seruandi
rectitudinem non debes, quam dicis in nostra
voluntate esse: cum tentationibus consentimus
non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate.
Frequenti namque vsu dicimus, nos non posse al-
iquid: non quia nobis est impossibile: sed
quia sine difficultate non possumus. Hæc autem
difficultas non permittit libertatem voluntatis
vinci. Impugnare namque potest inuitam volun-
tatem, expugnare nequit inuitam. Hoc itaque
modo, puto te posse videre: quomodo conuen-
niant potentia voluntatis, quam ratio veritatis as-
ferit: & impotentia, quam humanitas nostra sen-
tit. Sicut enim difficultas nequaquam voluntatis
interimit libertatem: ita illa impotentia, quam
non ob aliud in voluntate dicimus esse: nisi quia
non potest tenere suam rectitudinem sine diffi-
cultate, non aufert eidem voluntati perseverandi
in rectitudine potestatem.

*Quomodo voluntas fortior sit quam tentatio:
etiam cum ab illa vincitur.*

Caput VII. Disc.

Sicut nequaquam valeo, quod probas, negare:
Sita nullatenus queo voluntatem fortio-
rem esse tentationi, cum ab ea superatur, affirmare.
Nam si voluntas seruandi rectitudinem fortior
esse quam tentationis impetus: fortius illa volen-
do, quæ tenet, resisteret: quam illa insisteret. Non
enim aliud scio, me magis vel minus fortio-
rem habere voluntatem, nisi quia magis vel minus
fortiter volo. Quapropter cum minus fortiter
volto, quod debeo: quam tentatio mihi suggerit,
quod non debeo, quomodo tentatio fortior non
fit voluntate mea non video. *Mag.* Vt video,
æquiuocatio voluntatis te fallit. *Disc.* Ipsam
vellem æquiuocationem cognoscere. *Mag.* Si-
cut visus æquiuocè dicitur, ita & voluntas. Vo-
camus enim visum, instrumentum videndi, id
est, radem procedentem per oculos, quo senti-
mus lucem, & ea quæ sunt in luce: & dicimus vi-
sum, instrumenti ipsius optis, quando illo uti-
mur, id est, visionem. Eodem modo dicitur volun-
tas, ipsum instrumentum volendi, quod est in
anima, & quod conuertimus ad volendum hoc
vel illud: sicut visum ad videndum diuersa con-
uertimus, & dicitur voluntas, vsus eius volunta-
tis, quæ est instrumentum volendi: sicut dicitur
visus vsus eius visus, qui est instrumentum vi-
dendi. Sicut igitur visum, qui est instrumentum
videndi habemus etiam cum non videmus: vi-
sus autem, quod est opus eius, non est nisi cum
videmus: ita voluntas, instrumentum scilicet
volendi, semper est anima, etiam cum non vult
aliquid, velut cum dormit: voluntatem vero,
quam dico vsus siue opus eiusdem instrumen-
ti, non habemus nisi quando volumus aliquid.
Illa vtrique voluntas, quam dico instrumentum
volendi, vna & eadem semper est quicquid veli-
mus. Illa vero, quæ opus est, tam multiplex est,
quam multa, & quam sæpe volumus: quemad-
modum visus, quem etiam in tenebris vel clausis
oculis habemus, semper idem est quicquid vi-
deamus. Visus autem, id est, opus eius, qui visio

D: ANSELMI TOMVS III.

nominatur, tam numerosus est, quam numerosa,
& quam numerosè videmus. *Disc.* Planè vi-
deo, & amo hanc voluntatis distinctionem: &
iam mihi videor videre, quam ex eius ignoran-
tia patiebar deceptionem: sed tamen tu prose-
quere, quod incepisti. *Mag.* Cum ergo videas
duas voluntates esse, instrumentum volendi, &
opus eius: in qua harum duarum intelligis for-
titudinem constare volendi? *Disc.* In illa, quæ
est instrumentum volendi. *Mag.* Si ergo scias
virum ita fortem, ut eo tenente taurum indomi-
tum, taurus non posset se mouere: & videas eun-
dem virum tenentem arietem, ut ipse aries sese
de manibus eius excutiat, putabis ne illum mi-
nus fortem in tenendo arietem, quam in tenendo
taurum? *Disc.* Illum quidem non dissimiliter
fortem in vtroque opere iudicabo, sed eum sua
fortitudine non æqualiter uti fatebor: fortius e-
nim operatur in tauro, quam in ariete. Sed ille
fortis est, qui fortitudinem habet, actio vero eius
fortis dicitur, qua fortiter fit. *Mag.* Sic intellige
voluntatem, quam voco instrumentum volendi
inseparabilem fortitudinem habere: quia ali-
quando magis, aliquando minus utitur in volendo.
Vnde quod fortius vult, nullatenus deserit, ablato
eo, quod minus fortiter vult: & cum offertur for-
tius quod vult, statim dimittit quod non pariter
vult: & tunc voluntas, quam dicere possumus
actionem instrumenti huius, agit opus suum,
cum aliquid vult. Tunc, inquam, voluntas, actio
magis vel minus fortis dicitur? quoniam magis
vel minus fortiter fit. *Disc.* Aperta iam mihi esse
quæ explicas, necesse est ut fatear. *Mag.* Vides igitur,
quia cum homo habitam rectitudinem vo-
luntatis aliqua ingruente deserit tentatione, nul-
la vi aliena abstrahitur: sed ipse conuertit se ad
id quod fortius vult.

*Quod nec Deus potest auferre voluntatis
rectitudinem.*

Caput VIII. Disc.

Nunquid vel Deus potest illi auferre rectitu-
dinem? *Mag.* Vide quomodo non possit.
Totam quidem substantiam, quam de nihilo fe-
cit, potest redigere in nihilum. A voluntate vero
habentem rectitudinem, non valet illam separa-
re. *Disc.* Huius tuæ mihi in audite assertionis
inultum à te rationem expecto. *Mag.* Nos loqui-
mur de illa voluntatis rectitudine, qua iusta di-
citur voluntas, id est, quæ propter se seruatur.
Nulla autem est iusta voluntas, nisi quæ vult,
quod Deus vult eam velle. *Disc.* Sic oportet fa-
teri, quæ hoc non vult, planè iniusta est. *Mag.* Ser-
uare itaque rectitudinem voluntatis propter ip-
sam rectitudinem, est vnicuique seruanti eam
velle, quod Deus vult illum velle. Si itaque Deus
separat hanc rectitudinem ab alicuius voluntate,
aut volens facit hoc, aut nolens? *Disc.* Nolens
non potest. *Mag.* Si itaque aufert alicuius volun-
tati præfatam rectitudinem, vult quod facit. *Disc.*
Absque dubio vult. *Mag.* Vtrique si ab alicuius
voluntate vult separare eandem rectitudinem,
non vult eum rectitudinem seruare voluntatis
propter ipsam rectitudinem. *Disc.* Sic sequitur,
Mag. Sed iam positum est, seruare hoc modo re-
ctitudinem voluntatis esse omni seruanti velle,
quod Deus vult illum velle. *Disc.* Si positum non
esset, ita tamen esset. *Mag.* Ergo si Deus hanc re-
ctitudinem tollit ab aliquo, non vult eum velle,
quod vult eum velle. *Disc.* Nihil consequentius,
& nihil impossibilius. *Mag.* Igitur nihil magis
impos-

GG 2

impos.

A impossibile, quam Deum rectitudinem voluntatis aufere. Quod tamen facere dicitur, quando non facit, ut eadem rectitudo non deseratur. Porro diabolus vel tentatio, ideo dicitur hoc facere sine voluntate ipsam vincere, & a rectitudine, quam tenet, abstrahere: quoniam non permetter ei aliquid, aut minaretur auferre, quod magis quam ipsam rectitudinem vult: nullatenus ipse ab illa, quam aliquatenus vult, posse auertere. *Disc.* Sic planum videtur mihi quod dicis, ut nihil contradici posse existimem.

Quod nihil liberius sit recta voluntate.

Cap. IX. Mag.

Cernis itaque nihil liberius recta voluntate, cui nulla vis aliena potest suam auferre rectitudinem. Nempe si dicimus: quia cum vult mentiri, ne perdat vitam aut salutem, cogitur deserere timore mortis aut tormenti veritatem: non est verum. Non enim cogitur magis velle vitam, quam veritatem: sed quoniam vi aliena prohibetur utrumque seruare simul, ipsa eligit quod manuit: sponte utique, & non inuita, quanuis in necessitate, utramlibet deserendi posita sit non sponte, sed inuita. Non enim minus fortis est ad volendum veritatem, quam ad volendum salutem: sed fortius vult salutem. Nam si presentem videret gloriam aeternam, quam statim post seruata veritatem allequeretur, & inferni tormenta, quibus post mentis lacium sine mora deputaretur, procul dubio mox virium sufficientiam ad seruandam veritatem habere cerneretur. *Disc.* Apertè hoc videtur eum maiores vires exhibere ad volendum salutem aeternam propter se, & veritatem propter primum: quam ad salutem temporalem seruandam.

Quomodo peccans sit seruus peccati, & quod maius miraculum sit, cum Deus reddat rectitudinem illam deserenti, quam cum mortuo reddat vitam.

Caput X. Mag.

Semper itaque habet rationalis homo liberum arbitrium: quia semper habet potestatem seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, quanuis aliquando cum difficultate. Sed cum libera voluntas deserit rectitudinem per difficultatem seruandi: utique post seruit peccato, per impossibilitatem per se recuperandi. Sic ergo fit spiritus vadens, & non rediens: quoniam, qui facit peccatum, seruus est peccati. Quippe sicut nulla voluntas, antequam haberet rectitudinem, potuit eam Deo non dante capere: ita dum deserit acceptam, non potest eam, nisi Deo reddente recipere. Et maius miraculum existimo, cum Deus voluntati desertam reddat rectitudinem, quam cum mortuo reddat vitam amissam. Corpus enim necessitate moriendo non peccat, ut vitam nunquam recipiat: voluntas vero per se rectitudinem deserendo, meretur ut illa semper indigeat. Et si quis sponte sibi mortem infert, non aufert sibi aliquid, quod nunquam erat amissurus. Qui vero voluntatis rectitudinem deserit, hoc abijcit, quod ex debito erat seruaturus. *Disc.* Valde verum est quod dicis de seruitute. Quia seruus sit peccati, qui facit peccatum & de impossibilitate recuperandi desertam rectitudinem, nisi ab eo, a quo prius data ea reddatur, & ut illam semper teneant indefinenter considerandum est omnibus, quibus datur.

Quod ista seruitus non auferat libertatem arbitrij.

Caput XI.

Sed hac sententia multum repressisti exultationem meam, qua iam putabam esse securum hominem semper habentem libertatem arbitrij. Quare ipsam seruitutem exponi mihi postulo: ne forte libertati prefatae repugnare videatur. Vtraque enim scilicet, hæc libertas, & seruitus est in voluntate: secundum quamlibet aut liber, aut seruus est homo. Si ergo seruus, quomodo liber est? Aut si liber, quomodo seruus? *Mag.* Si bene discernas: quando non habet prefatam rectitudinem sine repugnantia & seruus est, & liber. Nunquam enim est eius potestatis rectitudinem capere, cum non habet: sed semper est eius potestatis seruare, cum habet. Per hoc, quia redire non potest a peccato, seruus est: per hoc, quia abstrahi non potest a rectitudine, liber est. Sed a peccato & eius seruitute, non nisi per alium potest reuerti. A rectitudine vero, non nisi per se potest auerti: & a libertate sua nec per se, nec per alium potest priuari. Semper enim naturaliter liber est ad seruandam rectitudinem, si eam habet: etiam quando, quam seruat, non habet. *Disc.* Sufficit mihi hoc huius libertatis & seruitutis, ut in eodem homine possint esse, simul facta concordia.

Cur cum homo non habet rectitudinem magis dicitur liber: quia non potest ei auferri, cum habet: quam cum eam habet seruus: quia cum non habet, per se non potest recuperare eam.

Caput XII.

Sed multum nosse desidero, cur quando non habet rectitudinem, magis dicitur liber: quia non potest ei ab alio auferri cum habet: quam cum rectitudinem habet seruus, quoniam eam non potest recuperare per se, cum non habet. Per hoc enim, quia redire non potest a peccato seruus est. Per hoc, quod abstrahi non potest a rectitudine, liber est. Et sicut nunquam abstrahi potest, si habet: ita nunquam potest redire, si non habet. Quapropter sicut semper habet illam libertatem: ita semper habere videtur illam seruitutem. *Mag.* Ista seruitus non est nisi impotentia. Siue enim dicamus eam impotentiam esse redeundi ad rectitudinem, siue impotentiam recuperandi, aut iterum habendi rectitudinem: non ob aliud est homo seruus peccati, nisi per hoc, quia nequit redire ad rectitudinem, aut recuperare, aut habere illam, qua potest homo non peccare. Cum autem habet eandem rectitudinem, non habet impotentiam non peccandi. Quare quando habet rectitudinem illam, non est seruus peccati. Potestatem autem seruandi rectitudinem semper habet, & cum rectitudinem habet, & cum non habet, & ideo semper est liber. Quod autem quæris, cur quando non habet rectitudinem magis dicitur liber: idcirco quoniam ab alio non ei potest auferri, quando habet: quoniam seruus, tunc cum habet rectitudinem, ideo quia non potest eam recuperare per se quando non habet: tale est ac si quæras, cur homo cum sol adest, magis dicitur habere potestatem videndi solem, propter hoc, quia intueri illum potest cum adest: quoniam dicitur cum sol abest, habere impotentiam videndi solem, quoniam quando abest non potest eum facere sibi presentem. Sicut enim & quando sol abest habemus in nobis visum, quo illum videmus, cum adest: sic etiam quando voluntatis rectitudo nobis deest, habemus tantum in nobis aptitudinem intelligendi & volendi, qua eam possumus seruare propter se, cum eam habemus. Et sicut quando nobis

*Psal. 77.
Ioan. 8.*

Ioan. 8.

A nobis nihil deest ad videndum solem, nisi presentia eius: tunc solummodo non habemus illam potestatem, quam nobis facit eius presentia: sic tantummodo quando nobis illa rectitudo deest, tunc habemus illam impotentiam, quam facit nobis eius absentia. Semper igitur homo habet arbitrii libertatem, sed non semper servus est peccati: sed quando non habet rectam voluntatem. *Disc.* Si intentē cogitasset, quæ supra dicta sunt, quando videndi potestatem in quatuor potestates distribuisti, non hæc dubitasset: quare fateor culpam huius dubitationis meæ. *Mag.* Parcam tibi, tamen nunc, sed deinceps ea quæ dicimus sic sint presentia, cum opus erit huiusmodi: ut ea nobis necesse non sit repetere. *Disc.* Gratum habeo tuam indulgentiam. Sed ne mireris, si ea quæ non consuevi, non sunt mihi propter unam auditionem semper omnia ad induendum in corde presentia.

Quod potestas seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, sit perfecta diffinitio liberi arbitrii.

Caput XIII. Mag.

Dicadhuc, si quid in diffinitione libertatis arbitrii, quam fecimus, dubitas? *Disc.* Vnum est, quod adhuc me aliquantulum in ea sollicitat. Nam sæpe habemus potestatem seruandi aliquid, quæ tamen libera non est, ut aliena vi impediti non possit. Quamobrem cum dicis quia libertas arbitrii est potestas seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, vide ne forte addendum sit, quod illam potestatem tam liberam designet esse, ut nulla vi superari possit.

B *Mag.* Si potestas seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, aliquando inueniri posset absque illa, quam perspeximus, libertate: expediret, ut quod dicis adderetur. Sed cum dicta diffinitio sic perfecta sit ex genere & differentiis: ut nec minus aliquid claudat, nec plus quam illa, quam quærimus, libertas: nihil illi addendum, aut demendum intelligi potest. Est enim, potestas, libertatis genus. Quod autem additum est, seruandi, separat eam ab omni potestate quæ non est seruandi, sicut est potestas ridendi, aut ambulandi. Addendo verò, rectitudinem, decernimus eam à potestate seruandi aurum, & quicquid non est rectitudo. Per additamentum voluntatis, segregatur à potestate seruandi rectitudinem aliarum rerum, ut virgæ, aut opinionis. Per hoc autem, quod dictum est propter rectitudinem ipsam, diuiditur à potestate seruandi rectitudinem voluntatis propter aliud, ut cum seruatur propter pecuniam, aut naturaliter. Seruat enim naturaliter canis rectitudinem voluntatis cum amat catulos suos, aut Dominum suum sibi benefacientem. Quoniam igitur nihil est in hac diffinitione, quod non sit necessarium ad concludendam libertatem arbitrii rationalis voluntatis, & ad alia excludenda, & sufficienter illa includitur, & alia excluduntur, nec abundans utique, nec indigens est hæc nostra diffinitio. Itane tibi videtur? *Disc.* Mihi utique perfecta videtur. *Mag.* Dic quoque, si quid vis amplius de libertate hac propter quam imputatur illam habenti, siue faciat bonum, siue malum. De hac enim sola nunc noster est sermo.

Diffinitio huius libertatis. Cap. XIV. Disc.

Restat nunc, ut diuidas eandem libertatem. Quamuis enim secundum hanc diffinitio-

nem communis sit omni rationali creaturæ vel nature, multum tamen differt illa, quæ Dei est, ab illis, quæ rationali nature sunt, & illæ ab inuicem. *Mag.* Libertas arbitrii alia est à se, quæ nec facta est, nec ab alio accepta, quæ est solius Dei: alia à Deo facta, & accepta, quæ est Angelorum. Facta autem siue accepta, alia est habens rectitudinem, quam seruet, alia carens. Habens, alia tenet separabiliter, alia inseparabiliter. Illa quidem, quæ separabiliter tenet, fuit Angelorum omnium, antequam boni confirmarentur & mali caderent, & est omnium hominum ante mortem, qui habent rectitudinem eandem. Quæ verò tenet inseparabiliter, est electorum Angelorum & hominum. Sed Angelorum electorum, post reprobationum ruinam, & hominum, post mortem suam. Illa autem, quæ caret rectitudine: alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Quæ recuperabiliter caret, est tantum in hac vita omnium hominum carentium, quantum illam multi non recuperent. Quæ autem irrecuperabiliter caret, est reprobatorum hominum & Angelorum, scilicet Angelorum, post ruinam: & hominum, post hanc vitam. *Disc.* De diffinitione & diuisione libertatis huius, Deo annuente, mihi satisfecisti: ut nihil queam inuenire, quod necesse habeam de illis interrogare.

Beati Anselmi Dialogus de Libero Arbitrio explicit.

**BEATI ANSELMI
ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS
Dialogus de casu Diaboli incipit.**

Quod etiam ad Angelos dicatur: Quid habes, quod non accepisti? & à Deo non sit nisi bonum & esse: & omne bonum sit essentia, & omni essentia bonum. Cap. I. Disc.

Illud Apostoli: *Quid habes quod non accepisti:* dicitur hominibus tantum, an & Angelis? *Mag.* Nulla creatura habet aliquid à se. Quod enim se ipsum à se non habet, quomodo habet à se aliquid? Denique si non est aliquid nisi vnus qui fecit: & quæ facta sunt, sunt ab vno: clarum est, quia nullatenus potest haberi aliquid, nisi qui fecit, aut quod fecit. *Disc.* Verè clarum. *Mag.* Sed neque ipse factor, neque quod factum est, potest haberi nisi ab ipso factore. *Disc.* Nec hoc minus clarum. *Mag.* Ille igitur solus à se habet, quicquid habet: & omnia alia, non nisi ab illo habent aliquid: & sicut à se non, nisi nihil, habent: ita ab illo non, nisi aliquid, habent. *Disc.* Non planè video quod ais, quod à Deo non habent alia, nisi aliquid: Nam quis fecit alius, ut multa, quæ videmus transire de esse ad non esse, nõ sint quod erant, etiam si omnino in nihilum non transeant. Aut quis facit non esse quicquid non est: nisi ille, qui facit esse omne quod est. Item si non est aliquid, nisi ideo quia Deus fecit: necesse est, ut quod non est, idcirco non sit: quia ipse non facit. Sicut ergo illa quæ sunt, ab illo habent esse aliquid: Ita quæ non sunt, vel quæ de esse transeunt ad non esse, videntur ab eodem ipso habere nihil. *Mag.* Non solum ille dicitur facere aliquid esse, aut non esse aliquid, qui facit ut sit quod non est: aut non sit quod est: sed etiam ille, qui potest facere aliquid, ut non sit, & non facit: dicitur facere esse non esse. Quippe non ille tantum dicitur facere aliquid nudum esse, aut non esse indurum, qui eum dispoliat: sed & qui spoliantem, cum prohibere possit, non prohibet:

Ahibet: sed ille dicitur propriè facere, iste impro-
 priè. Cùm enim iste dicitur, quia facit esse nu-
 dum, aut non esse indutum: non aliud intelli-
 gitur, nisi quia cùm posset non fecit vt non esset
 nudus, aut maneret indutus. Hoc modo Deus
 dicitur multa facere, quæ non facit: vt cùm dici-
 tur inducere intimationem, quoniam nõ defen-
 dit à tentatione cùm possit: & facere nõ esse quod
 non est, quoniam cùm possit, non facit esse. At si
 consideres ea quæ sunt, cùm transeunt ad non esse,
 non ipse facit ea non esse. Quoniam nanque
 non solum non est aliqua alia essentia nisi illo fa-
 ciente: sed nec aliquatenus manere potest quæ
 facta est, nisi eodem ipso faciente vt maneat. Cùm
 ipse definit seruare quod fecit, non ideo id quod
 erat redit in non esse, quia ipse facit non esse: sed
 quia cessat facere esse. Nam & cùm quasi iratus
 destruendo aliquid aufert esse, non est ab illo non
 esse: sed illo tollente velut suum quod præstite-
 rat, quod ab eo factum seruabatur vt esset, redit
 in non esse, quod non ab illo, sed à se, antequam
 fieret, habebat. Si enim ab aliquo tunicam repe-
 tas, quam præstiteras illi modò, ad tempus, non
 habet à te nuditatem: sed te quod tuum erat tol-
 lente, redit in id quod erat antequam indueretur
 à te. Nempe sicut à summo bono, non est nisi bo-
 num, & omne bonum est à summo bono: ita à summa
 essentia non est nisi essentia, & omnis essentia est à
 summa essentia, vnde quoniam summum bo-
 num est summa essentia, consequens est, vt omne
 bonum sit essentia, & omnis essentia bonum. Ni-
 hil ergo & non esse, sicut est essentia, non est bo-
 num. Nihil itaque & non esse, non est ab illo, à quo
 non est nisi bonum & essentia. *Disc.* Apertè nunc
 video, quia sicut bonum & esse, non est nisi à Deo:
 ita non est à Deo, nisi bonum & esse. *Mag.* Vide
 ne vllatenus pures cùm in diuinis libris legimus,
 aut cùm secundum illos dicimus, Deum facere
 malum, aut facere non esse, quod negem propter
 quod dicitur, aut reprehendam, quia ita dicitur:
 sed non tantum debemus inhære proprietati
 verborum veritatem tegenti, quantum inhære
 proprietati veritatis sub multimodo genere lo-
 cutionis latenti. *Disc.* Ista non nisi non intelli-
 genti aut calumnioso habes opus dicere. *Mag.*
 Redi ad id quod incepisti, & vide, si non solum
 homini, sed & Angelo potest dici, quia non habet
 quod non accepit.

*Cur videatur diabolus, ideo non accepisse perseue-
 rantiam, quia Deus non dedit.*

Caput II. Disc.

Satis patet, non minus Angelo quàm homini
 conuenire. Constat ergo, quia ille Angelus,
 qui stetit in veritate, sicut ideo perseverauit, quia
 perseverantiam habuit: ita ideo perseverantiam
 habuit, quia accepit: & ideo accepit, quia Deus
 dedit id. Consequens est igitur, quia ille, qui in
 veritate non stetit, quemadmodum ideo non perse-
 ueravit, quia perseverantiam non habuit, sic
 ideo non habuit perseverantiam, quia non accepit,
 & ideo non accepit, quia Deus non dedit. Si
 ergo potes, volo vt ostendas mihi culpam eius,
 cùm ideo non perseverauit, quia ille non dedit,
 quo non dante nihil habere potuit. Certus sum
 enim etiam si non videam, non illum nisi iuste à
 summo iusto damnatum, nec sine culpa iuste il-
 lum potuisse damnari. *Mag.* Vnde putas conse-
 qui, si bonus Angelus ideo accepit perseveran-
 tiam, quia Deus dedit: malum ideo non accepit,
 quia Deus non dedit. *Disc.* Quia si bono An-

gelo datio est causa acceptionis, puto non datio-
 nem esse malo Angelo causam non acceptionis,
 & si ponitur non datio, inde necessariam esse cau-
 sam, vt sequatur non acceptio, vt omnes scimus,
 quia cùm non accipimus, quod volumus, non i-
 deo non datur, quia non accepimus, sed ideo non
 accipimus, quia non datur. Denique quoscun-
 que legi aut audiui facere quæstionem hanc, hac
 ratione eam, in quantum memini, constituunt:
 quia si bonus Angelus, ideo accepit, quia Deus
 dedit: malus Angelus, ideo non accepit, quia
 Deus non dedit: nec memini me adhuc huius
 consequentiæ solutionem vidisse.

Quod ideo Deus non dedit, quia ille non accepit.

Cap. III. Mag.

Nulla est ibi consequentia, potest enim non
 dare, non esse causa non accipiendi: etiam si
 dare, semper esset causa accipiendi. *Disc.* Ergo si
 ponatur non dare, non necesse est sequi, non acci-
 pere. Quare potest esse accipere, etiam si non sit
 dare. *Mag.* Non est ita. *Disc.* Exemplo volo mi-
 hi ostendas, quod dicis. *Mag.* Si ego porrigo
 tibi aliquid, & tu accipis: non ideo do, quia ac-
 cipis, sed ideo accipis, quia do: & est datio, causa
 acceptionis. *Disc.* Ita est. *Mag.* Quid si ipsum
 porrigo alij, & non accipit: illenè ideo non acci-
 pit: quia non do? *Disc.* Potius videtur, quia tu
 ideo non das, quia ille non accipit. *Mag.* Hoc i-
 gitur non dare, non est causa non accipiendi, &
 tamen si pono non me dedisse, causa est conse-
 quendi illum non accepisse. Aliud nanque est
 rem, causam esse alterius rei: aliud positionem
 rei, esse causam vt sequatur aliquid. Cùm enim
 incendium non sit causa ignis, sed ignis incendij
 positio tamen incendij semper causa est, vt sequatur
 esse ignem. Si enim est incendium, necesse
 est ignem esse. *Disc.* Necesse est me sic esse fateri.
Mag. Vides ergo, vt puto, si tu ideo accepisti, quia
 ego dedi, non tamen idcirco consequi illum, qui
 non accepit, ideo non accepisse, quia ego non de-
 di: & tamen consequi, quia si ego non dedi, ille
 non accepit. *Disc.* Video, & placet mihi, quia vi-
 deo. *Mag.* An amplius dubitas, quia sicut Ange-
 lus, qui stetit, ideo accepit perseverantiam, quia
 Deus dedit: ita non statim idcirco Deus non de-
 dit, quia ille non accepit. *Disc.* Nondum mihi
 hoc ostendisti: sed illud tantum sufficienter de-
 monstrasti, scilicet non esse consequens ex eo:
 quia bonus Angelus ideo accepit, quia dedit,
 malum ideo non accepisse, quia Deus non dedit.
 Si enim vis asserere Deum illi ideo non dedisse,
 quia non accepit. Quæro cur non accepit? Aut
 quia non potuit, aut quia non voluit. Nam si non
 habuit potestatem, aut voluntatem accipiendi,
 Deus non dedit. Si enim Deus dedisset, pro cer-
 to habuisset. Quare si non potuit habere pote-
 statem, aut voluntatem accipiendi perseveran-
 tiam, nisi dante Deo: quid peccauit, si non ac-
 cepit, quod Deus illi non dedit posse aut velle
 accipere? *Mag.* Deus dedit illi potestatem & vo-
 luntatem accipiendi perseverantiam. *Disc.* Ac-
 cepit igitur quod Deus dedit: & habuit, quod
 accepit? *Mag.* Verè habuit, & accepit. *Disc.* Ac-
 cepit ergo, & habuit perseverantiam. *Mag.* Non
 accepit, & ideo non habuit. *Disc.* Nonne dixi-
 sti Deum illi dedisse, & illum accepisse potesta-
 tem & voluntatem accipiendi perseverantiam?
Mag. Dixi, sed non dixi Deum illi dedisse ac-
 cipere perseverantiam: sed tantum velle & posse
 perseverantiam accipere. *Disc.* Ergo si voluit, &
 potuit

potuit, accepit perseverantiam. *Mag.* Non est necessarium consequens. *Disc.* Non video, cur non: nisi mihi ostendas. *Mag.* Incepisti unquam aliquid cum voluntate & potestate perficendi: quod tamen voluntate ante finem rei mutata non perfecisti? *Disc.* Sape. *Mag.* Voluisti igitur, & potuisti perseverare, in quo non perseverasti? *Disc.* Volui utique, sed non perseveravi in voluntate, & ideo non perseveravi in actione. *Mag.* Quare non perseverasti in voluntate? *Disc.* Quia non volui. *Mag.* Nonne quandiu voluisti perseverare in actione, voluisti perseverare in ipsa voluntate? *Discip.* Non possum negare. *Magist.* Cur ergo dicis, non voluisse perseverare in illa? *Disc.* Iterum responderem, quia perseverare volui, sed non perseveravi in hac voluntate: nisi rem viderem in infinitum procedere, te semper idipsum interrogante, & me eadem respondente. *Mag.* Non ergo debes dicere: ideo non volui perseverare in voluntate huius voluntatis. Sed cum quaeritur: quare non perseverasti in actione, in qua voluisti & potuisti perseverare. Respondere potes vel debes, quia non perseveravi in voluntate. Quod si quaeritur iterum, quare non perseverasti in voluntate? Alia causa reddenda est, unde scilicet contigerit defectus illius voluntatis: quam, quia non perseverasti velle voluntatem. Non enim respondendo aliud ostendis, quam id ipsum quod quaeritur, id est, non perseverasti in voluntate perseverandi in actione. *Discip.* Video quia non videbam quid dicerem: *Mag.* Dic ergo vno verbo quid sit perseverare, quantum res exigit, in faciendo aliquid. *Disc.* Perficere. Nam perseverare in scribendo aliquid dicimus, perscribere, in ducendo perducere. *M.* Dicamus igitur similiter, etiamsi non sit in usu, quod perseverare in voluntate, sit perseverare velle. *Disc.* Ita fiat. *Magist.* Cum ergo non perfecisti quod voluisti, & potuisti: cur non perfecisti? *Disc.* Quia non perseverare volui. *Mag.* Ita ergo: dic quia diabolus, qui accepit velle, & posse accipere perseverantiam, & velle & posse perseverare: ideo non accepit, nec perseveravit, quia non perseverare voluit. *Disc.* Item quaero: quare non perseverare voluit? Cum enim dicis, quia non perseverare voluit, quod voluit, tale est ac si dicas: quod voluit prius, postea non voluit. Quoniam ergo non voluit quod prius voluit, quare non voluit: nisi quia non habuit voluntatem? Non dico voluntatem, quam prius habuit cum voluerit, sed quam non habuit, cum non voluit. Hanc autem voluntatem, quare non habuit: nisi quia non accepit? Quare autem non accepit, nisi quia Deus non dedit? sed ideo Deus non dedit, quia ille non accepit? *M.* Iterum dico, quia non ideo non accepit, quia Deus non dedit: sed ideo Deus non dedit, quia ille non accepit. *D.* Hoc ostende. *Mag.* Sponte dimisit voluntatem, quam habuit: & sicut accepit, habuit quousque habuit, ita potuit accipere & semper tenere, quod deseruit. Sed quia deseruit, non accepit. Quod ergo ideo non accepit tenere quod deseruit: non ideo non accepit, quia Deus non dedit: sed Deus non dedit, quia ille non accepit. Quis non videat, quia non ideo non voluit tenere, quia deseruit: sed ideo deseruit, quia non voluit tenere. Semper namque tenenti prius est, non velle tenere quam velle deserere. Ideo enim vult aliquid deserere quod tenet, quia non vult tenere. *Disc.* Quaero igitur, quare tenere non voluit quod tenebat, nisi quia Deus non dedit velle? *Magist.* Non semper prius est non velle tenere, quam vel-

le deserere. *Disc.* Quando non sit, ostende mihi. *M.* Quando aliquando rem propter se non vis tenere: sed deserere, ut carbonem ignitum in manu nuda positum: tunc forsitan prius est non velle tenere quam velle deserere, & ideo vis deserere, quia non vis tenere. Prius enim quam teneas non vis tenere: velle autem deserere non potes, nisi cum teneas. Cum autem teneas, quod propter aliquid non vis tenere, nec tamen propter aliquid deserere, vis: & magis vis aliquid, quod non potes habere, nisi deseras quod teneas: tunc velle deserere prius est, quam non velle tenere. Avarus namque, cum vult tenere nummum, & mavult panem, quem nequit habere, nisi nummum det: prius vult dare, id est, deserere nummum, quam non velit tenere: non enim illum ideo vult dare, quia non vult tenere: sed quia ut panem habeat, necesse habet dare. Nam & antequam habeat, vult tenere & habere, & cum habet, nequaquam non vult tenere, quandiu non habet necesse deserere. *D.* Verum est. *M.* Non ergo semper est prius, non velle tenere, quam velle deserere, sed aliquando prius est, velle deserere. *Disc.* Non possum negare. *Mag.* Dic ergo quia non ideo non voluit, cum debuit & quod debuit, quia voluntas deficit, Deo dare deficiente: sed quia ipse volendo, quod non debuit, bonam voluntatem expulit mala superueniente. Quapropter non ideo non habuit bonam voluntatem perseverantem, aut non accepit, quia Deus non dedit: sed ideo Deus non dedit, quia ille volendo, quod non debuit, eam deseruit, & eam deserendo non tenuit.

Quomodo ille peccavit, & voluit similis esse Deo.

Capitulum IIII. *Disc.*

Intelligo quod dicis. *Mag.* Dubitas adhuc diabolium non ideo voluisse deserere quod habebat, quia non voluit tenere: sed ideo non voluisse tenere, quia voluit deserere. *Disc.* Non dubito sic esse posse: sed nondum fecisti me certum sic esse. Prius ergo ostende, quid voluit habere quod non habebat, ut vellet deserere quod tenebat, sicut in avaro monstrasti. Deinde, si nihil condici poterit ita esse, me non dubitare favebor. *Mag.* Peccasse illum non dubitas: quoniam a iusto Deo non potuit iniuste damnari. Sed quaeris, quomodo peccavit. *D.* Ita est. *Mag.* Si iustitiam perseveranter servasset, non peccasset unquam, nec miser esset. *Disc.* Ita credimus. *M.* Iustitiam vero nullus servat, nisi volendo quod debet, neque deserit, nisi volendo quod non debet. *Disc.* Nulli dubium. *Mag.* Volendo aliquid igitur, quod velle tunc non debebat, deseruit iustitiam, & sic peccavit. *Disc.* Ita sequitur. Sed quaero, quid voluit? *Mag.* Verum quod habebat, debebat velle. *D.* Debebat vere velle quod a Deo acceperat, nec hoc volendo peccavit. *Mag.* Voluit igitur aliquid quod non habebat, nec tunc velle debebat: sicut Eva similis voluit esse dijs, prius quam Deus hoc veller. *Disc.* Nec hoc ita sequi negare queo. *Mag.* Nihil autem velle poterat nisi iustitiam, aut commodum: ex commodis enim constat beatitudo, quam vult omnis rationalis natura. *Disc.* In nobis possumus hoc cognoscere qui nihil volumus, nisi quod iustum & commodum putamus. *Mag.* Iustitiam vero volendo peccare, non potuit. *Disc.* Verum est. *M.* Peccavit ergo volendo aliquid commodum, quod nec habebat, nec tunc velle debuit: quod tamen ad augmentum beatitudinis esse illi poterat. *Disc.* Palam est, quoniam aliter non potuit. *M.* Cernis, ut puto, quia plus aliquid quam accepit inordinatè volendo, voluntatem suam extra iustitiam extendit. *Disc.* Apertè nunc video: quia peccavit, & volendo quod non debuit, & nolendo quod debuit, & palam est, quia ideo non voluit plus quam debuit, quia noluit tenere iustitiam: sed ideo iustitiam non tenuit, quia aliquid voluit, quod volendo illam deseruit: sicut in avaro de nummo & pane monstrasti. *Mag.* At cum hoc voluit, quod Deus illum velle volebat, voluit inordinatè, similis esse Deo. *Discip.* Si Deus cogitari non potest, nisi ita solus, ut nihil illi

A simile cogitari possit, quomodo potuit diabolus velle quod non potuit cogitare? Non enim ita obtuse mentis erat, ut nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret. *Magis.* Etiam si voluit omnino par esse Deo secundum aliquid minus Deo, contra voluntatem Dei hoc voluit inordinatè similis esse Deo, quia propria voluntate, quæ nulli subdita fuit, voluit aliquid. Solus enim Dei esse debet, sic voluntate propria velle aliquid ut superiorem non sequatur voluntatem. *Discip.* Ita it. *Magis.* Non solum autem voluit esse æqualis Deo, quia præsumpsit habere propriam voluntatem: sed etiam maior voluit esse, volendo quod Deus illum velle nolebat: quoniam voluntatem suam supra voluntatem Dei posuit. *Disc.* Satis liquet. *Mag.* Iam tibi manifestum esse puto ex rationibus supradictis diabolum sponte dimisisse velle quod debebat, & iuste amisisse quod habebat: quia sponte & iniuste voluit quod non habebat, & velle non debebat. *D.* Nihil puto manifestius. *M.* Quamvis igitur bonus Angelus ideo accepit perseverantiam, quia Deus dedit: non ideo non accepit tamè malus Angelus, quia Deus non dedit: sed Deus ideo non dedit, quia ille non accepit: & ideo non accepit, quia accipere noluit. *D.* Mihi quidem satisfecisti ad ea, quæ quæro: ut nec in his, quæ proponis, nec in ipsa consequentia conclusionum tuarum nullam videam sententiæ meæ titubare veritatem.

Quod boni Angeli ante casum malorum peccare potuerunt.

Capit. V. Mag.

Putane bonos Angelos similiter potuisse peccare, antequam mali caderent? *D.* Puto: sed ratione comprehendere vellè. *M.* Hoc certum habes: quia si non potuerunt peccare, non potestate, sed necessitate servauerunt iustitiam. Quare non magis meruerunt gratiâ à Deo, quia steterunt a ijs cadentibus: quâ quia servauerunt rationabilitatem, quâ perdere nequiverunt, sed nec iusti rectè, si bene cõsideres, diceretur. *D.* Sic monstrat ratio.

Quomodo boni cõfirmati sunt in suo statu, & mali in casu suo.

Capit. VI. Mag.

Blli ergo qui ceciderunt, si non peccassent, cū possent, tanto meliores essent quam nunc, quæto & veri essent iusti, & gratiam à Deo mererentur. Unde sequitur, quia aut electi homines, maiores & meliores erunt Angelis bonis, aut et probi Angeli perfectè non restituerunt, quoniam non tales erunt homines, qui pro illis sumuntur, quales illi futuri erant. *D.* Hæc duo penitus neganda existimo. *M.* Poterant igitur boni Angeli peccare ante casum malorum, nec aliter quam, sicut ostentum est, de illis, qui peccauerunt. *D.* Aliter esse posse non video. *M.* Illi itaq; Angeli, qui magis voluerunt iustitiâ, quam habebant, quâ illud plus, quod non habebant: bonum, quod quasi propter iustitiam, quantum ad voluntatem pertinet, perdidderunt, iustitia retribuente acceperunt: & de illo, quod habebat, in vera securitate permanserunt. Quapropter à Deo sunt profecti, ut sunt adepti quicquid potuerunt velle: nec iam videant, quod plus velle possunt, & propter hoc peccare nequeunt. Illi verò Angeli, qui maluerunt illud plus, quod nondum Deus illis dare volebat, quâ stare in iustitia, in qua facti erant: eadè iustitia iudicant, & illud, propter quod illâ contempserunt, nequaquam obtinuerunt: & quod tenebatur bonum, amiserunt. Sic ergo distincti sunt Angeli, ut adherentes iustitiæ nullum velle bonum possint quo non gaudeant, & deserentes illam nullum velle queant, quo non careant. *D.* Nihil pulchrius aut iustius hac distinctione. Sed si posses dicere, vellem audire cuiusmodi cõmodum illud fuit, quod & boni Angeli iuste volendo sic perfecerunt, & mali iniuste concupiscendo sic defecerunt. *M.* Quid illud fuerit non video, sed quicquid fuerit, sufficit scire: quia fuit aliquid, ad quod crescere potuerunt, quod non acceperunt, quando creati sunt, ut ad illud suo merito proficerent.

Questio, an voluntas, & eius conversio, ad quod non debet, sit ipsum malum, quod malos facit: & cur non possit rationalis creatura per se de malo converteri ad bonum, cui potest de bono ad malum. Cap. VII. Disc.

ET nobis nunc sufficiat hucusque de hoc inuestigare. Sed nescio, quid sit, ut cū me sperè ad finem questionis iam pertingere, tunc magis videam velut de radi-

Cibus succisarum questionum alias pullulantes cõsurgere. Ecce enim cū manifestissimè videam, perversum Angelum nulla ratione deuenire potuisse in immoderatam boni indigentiam, non propter immoderatam concupiscentiam: non parum me mouet, unde ipsam inordinatam habuit voluntatem. Si enim bona fuit, propter bonam voluntatem, de tanto bono cecidit in tantum malum. Item, si bona fuit, Deus illam illi dedit: quia non, nisi nihil, habuit à se. Si ergo voluit, quod Deus dedit velle, quid peccauit? Aut si à se habuit hanc voluntatem, habuit à se aliquid bonum, quod non accepit. Quod si mala est: & aliquid est: iterum occurrit, quia non nisi à Deo est, à quo omne quod est, aliquid est. Et similiter queri potest, quid peccauit habendo voluntatem, quâ Deus dedit, aut quomodo potuit Deus dare malam voluntatem. Si verò mala voluntas ab ipso diabolo fuit: & aliquid est: habuit aliquid à se, & non est omnis essentia bona, nec malum erit nihil, sicut solemus dicere. siquidem mala voluntas, essentia est: aut si mala voluntas nihil est: propter nihil, & ideo sine causa rã grauitè cõnatus est. Quod aut dico de voluntate, hoc idè dici potest de concupiscentia, siue desiderio: quoniam & concupiscentia & desiderium voluntas est, & sicut est bona & mala voluntas, ita est & bona & mala concupiscentia, & bonum & malum desiderium. Quod si dicitur, quia voluntas est aliqua essentia, & ideo bonum est aliquid: sed cõuersa ad hoc quod debet velle, fit bona voluntas: ad id verò, quod non debet, cõuersa, dicitur voluntas mala. Quicquid dixi de voluntate, video posse dici de ipsa cõuersione voluntatis. Mouet enim multum me, unde ipsa perversa habuit diabolum voluntatis cõuersionem, & cetera, quæ de voluntate modo dixi. Est adhuc aliquid, quod valde me miror, cū cõsidero hanc voluntatis cõuersionem: cur videlicet Deus talè fecerit illam naturam, quam tanta excellentia sublimauerat, ut de eo, quod debuit velle, possit cõuvertere voluntatem suam ad id, quod non debuit: sed de eo, quod non debet, non possit ad id, quod debet: cū magis videatur potestate debuisse talis creatura à tali factore accipere faciendum bonum, ad quod facta sunt: quâ faciendum malum, ad quod vitandum facta est. Quod etiã in nostra natura queri potest: quoniam credimus, nullum hominem posse bonam voluntatem habere nisi dare Deo: malam verò, semper habere posse sola permissione Dei.

Quod voluntas eius, & cõuersio sit, non ipsum malum.

Capit. VIII. Mag.

Nec voluntatem, nec voluntatis cõuersionem puto negari posse aliquid esse. Nam et si non sunt substantiæ, non tamen probari potest eas non esse essentias: quoniam multæ sunt essentiæ præter illam, quæ proprie dicitur substantia. Denique bona non magis est aliquid, quam mala voluntas: nec est ista magis malum, quâ illa bonum. Non enim magis est aliquid voluntas, quæ vult dare miteri cõditer: quâ illa, quæ vult rapere violenter: nec magis hæc malum, quâ illa bonum est. Ergo si mala voluntas est ipsum malum, quo malus aliquis dicitur: erit & bona voluntas ipsum bonum, quo fit aliquis bonus: sed mala voluntas erit nihil, si est ipsum malum, quod credimus esse nihil. Bona igitur voluntas nihil erit, quoniam ipsa non magis est aliquid, quâ mala voluntas. Quare ipsum bonum, quod bonos facit, non poterimus negare nihil esse: quoniam ipsum est bona voluntas, quæ nihil erit. Sed falsum esse nullus ambigit, bonam voluntatem, siue bonum ipsum, esse nihil. Itaque mala voluntas non est ipsum malum, quod malos facit: sicut nec bona voluntas est ipsum bonum, quod bonos facit. Hoc ipsum, quod dixi de voluntate, potest cõsiderari in cõuersione voluntatis. Non enim magis est aliquid cõuersio illa, quæ cõuertit voluntatem de rapina ad tribuendum: quam illa, quæ cõuertit eadè voluntatem de largitate ad auaritiã: & cetera, quæ de voluntate paulo ante dixi. *D.* Mihi quoque id ipsum videtur, ut asseris. *M.* Neque ergo voluntas mala, neque praua voluntatis cõuersio, est ipsum malum, quo Angelus vel homo fit malus, quod nihil esse dicimus: nec bona voluntas, nec bona voluntatis cõuersio, est bonum, quo boni fiunt.

Quod iniustitia sit ipsum malum, & sit nihil.

Capit. IX. Discip.

Quid ergo dicemus ipsum malum, quod malos facit: & quid ipsum bonum, quod bonos facit. *Mag.* Iustitiam credere dicimus, ipsum bonum,

A num, quo fiunt boni, id est, iusti, & Angeli & homines, & quo ipsa voluntas bona siue iusta dicitur. Iniustitiam verò ipsum malum esse, quod nihil aliud dicimus esse, quam boni priuationem, quod malos & malam voluntatem facit: & ideo eandem iniustitiam, nò aliud esse asserimus, quam priuationem iustitiæ. Quandiu enim voluntas primùm data rationali naturæ, & simul in ipsa datione ab ipso datore conuersa, immò non conuersa sed facta recta ad hoc, quod velle debuit: stetit in ipsa rectitudine, quam dicimus veritatem siue iustitiam, in qua facta fuit, iusta fuit. Cùm verò auertit: se ab eo quod debuit, & conuertit se ad id, quod non debuit, non stetit in originali (vt ita dicam) rectitudine, in qua facta est: quam cùm cùm deseruit, magnum aliquid perdidit. & nihil pro ea, nisi priuationem eius, quæ nullam habet essentiam, quam iniustitiam nominamus, suscepit.

Quomodo malum videatur esse aliquid.

Capit. X. Discip.

Quod dicis, malum esse priuationem boni, concedo; sed nihilominus video bonum priuationem esse mali. Et sicut percipio in priuatione mali aliquid aliud fieri, quod bonum dicimus: ita animaduërto in priuatione boni aliquid aliud fieri, quod malum dicimus. Quapropter licet quibusdam argumentis malum nihil esse probetur: vt quoniam malum non nisi vitium aut corruptio est, quæ nullo modo sunt nisi in aliqua essentia: & quanto magis ibi sunt, tantò magis illam redigunt in nihilum: & si eadem essentia omnino denegatur ad nihil, vitium quoque & corruptio inueniuntur nihil: licet, inquam, sic, aut alio modo probetur nihil, esse malum: non potest minus mens, nisi sola fide, acquiescere, si non illud mihi auferatur, quod mihi etiam probat malum non nisi aliquid esse. Nam cum auditur nomen mali: frustra horret corda nostra, quod in huius nominis significatione intelligunt, si nihil significetur hoc nomine. Item, si vox, hoc scilicet malum, nomen est, vtique significatum est. Si autem significatum est, significat: sed non nisi aliquid significat. Quomodo ergo malum est nihil, si quod significat nomine eius est aliquid? Denique cùm manente iustitia, tanta videatur tranquillitas; tanta quies: vt in multis nihil aliud videatur iustitia, quam quiescere à malo: fiet est castitas, patientia: recedente autem iustitia, tam diuersus, tam laboriosus, tamque multiplex occupat animum affectus, qui velut crudelis Dominus miserum homunculum cogat turpium & laboriosum operum sollicitum esse, & ipsis operibus tam grauitate laborare: mirum est, si poterit ostendi nihil hæc omnia operari. *Mag.* Puto, quia non ita es insanus, vt dicas nihil: esse aliquid: cùm tamen non possis negare nihil, esse nomen. Quapropter si nihil potest probari aliquid esse per nomen nihili: quomodo æstimas te probare esse malum aliquid, per nomen mali. *D.* Nihil agit exemplum, quod litè litè resoluit. Nam & hoc ipsum nihil, nescio quid sit. Quapropter quoniam quæstio est de malo in manibus, quod dicis esse nihil: si vis me docere, quid sit malum, doce me prius, quid intelligam esse nihil, deinde ad alia, quibus præter nomen mali me dixi, me moneri de eo, vt aliquid esse videatur, respondebis. *Magist.* Cùm nequaquam differant nihil esse, & non aliquid esse quomodo dici potest quid sit, & quod non est aliquid? *Discipulus.*

Si non est aliquid, quod hoc nomine significatur, non significat aliquid. Si verò non significat aliquid, non est nomen, sed vtique nomen est: quanquam igitur nullus dicat, nihil esse aliquid: sed semper nihil esse, cogamur fateri nihil. Nemo potest nomen nihili significatum esse diffiteri. Verùm si hoc ipsum nomen non significat nihil, sed aliquid: id quod significatur, videtur non posse esse nihil, sed magis aliquid. Si ergo quod significatur non est nihil, sed aliquid: qualiter verum erit, vt significetur per hoc nomen quod est nihil? Quippe si verè nihil dicitur, verè nihil est, & idcirco non est aliquid. Quare si quod significatur hoc nomine, non est nihil, sed aliquid, quemadmodum consequentia videtur ostendere, false & incongruè vocatur hoc nomine. At e contra, si secundum iudicium omnino, id quod nominatur nihil, verè est nihil, & nequaquam est aliquid: vsquamne videtur aliquid consequentius, quam vt hoc ipsum nomen nihil significet, id non significet aliquid. Quid itaque est: quia hoc nomen videlicet non significat nihil, sed aliquid: & non significat aliquid, sed nihil? *Mag.* Forsitan non repugnant, significare nihil, & aliquid. *Disc.* Si non repugnant: aut ista vox diuersa consideratione significat nihil, aut aliquid: aut inuenienda res est aliqua, quæ sit aliquid, & nihil. *Mag.* Quid si vtrunque inueniri potest, & diuersa scilicet significationis consideratio in hoc nomine, & eandem rem esse aliquid & nihil. *Discip.* Vtrunque vellem cognoscere. *Mag.* Constat, quoniam hæc vox, scilicet nihil, quantum ad significationem, nullatenus differt ab eo, quod dicit, non aliquid. Nihil quoque hoc aperius, quam quod hæc vox scilicet, non aliquid, omnem rem penitus, & omne quod est aliquid, intellectu remouendum, nec omnino vitam rem, aut penitus quod aliquid sit intellectu retinendum sua significatione constituit: sed quoniam remotio alicuius rei significari nullatenus potest, nisi cum significatione eius ipsius, cuius significatur remotio. Nullus enim intelligit, quid significet non homo, nisi intelligendo quid sit homo: necesse, vt hæc vox, quæ est, non aliquid, destruendo id, quod est aliquid, significet aliquid. Quoniam verò auferendo omnino quod est aliquid, nullam significat essentiam, quam in audientis intellectu retinendam constituat: idcirco vox non aliquid nullam rem, aut quod sit aliquid, significat. igitur hæc vox, non aliquid, his diuersis rationibus aliquatenus significat rem, & aliquid: & nullatenus significat rem, aut aliquid: significat enim remouendo, & non significat constituendo. Hac ratione nomen nihil, quod perimit omne, quod est aliquid: & destruendo non significat nihil, sed aliquid: & constituendo non significat aliquid, sed nihil. Quapropter non est necesse nihil, esse, aliquid: ideo quia nomen significet aliquid quolibet modo, sed potius necesse est nihil, esse nihil: quia nomen eius significat hoc modo aliquid. Hoc itaque modo non repugnat malum nihil esse, & mali nomen esse significatum: sed si aliquid perimendo significat, vt nullus rei sit constitutum.

Quomodo malum, & nihil, non possint probari per nomen suum aliquid esse sed quasi aliquid

Cap. XI. Discip.

Neq̄ueo negare nomen nihili secundum prædicta à te ratione, aliquo modo significare aliquid

A aliquid: sed satis notum est, quia illud aliquid, quod isto modo hoc nomine significatur, non nominatur nihil. nec cum audimus hoc nomen, accipimus illud pro illare, quam ita significat. Illud igitur quæro, pro quo hoc nomen ponitur: & quid intelligimus, cum ipsum audimus, illud, inquam, quæro, quid sit. Illud enim hoc nomine propriè significat, & idcirco nomen est: quia eius significatum est. non quia supra dicto modo negando significat aliquid: eius quippe nomen est, pro cuius significatione inter nomina computatur, & illud vocatur nihil. Illud quæro, quomodo sit aliquid, si propriè vocatur nihil: aut qualiter sit nihil, si nomen significatum significat nihil: aut quomodo idem sit aliquid, & nihil? Illud idem quæro de nomine mali, & de eo quod significat, & quod malum nominatur. *Magist.* Rectè quæris, quia licet supraposita ratione. malum & nihil significant aliquid: tamen quod significatur malum, non est aut nihil, sed & alia ratio, qua significant aliquid: & quod significatur est aliquid, sed non verè est aliquid, sed quasi aliquid. Multa quidem dicuntur secundum formam, quæ non sunt secundum rem, ut timere, secundum formam vocis dicitur actiuum, cum sit passiuum secundum rem. Ita quoque cæcitas, dicitur aliquid secundum formam loquendi, cum non sit aliquid secundum rem. Sicut enim de aliquo dicimus: quia visum habet, & visus est in eo: ita dicimus, quia habet cæcitatem, & cæcitas est in eo: cum hoc non sit aliquid: sed potius non aliquid: & hanc habere, non sit habere aliquid: imò carere eo, quod est aliquid. Cæcitas namque non est aliud, quam non visus, aut absentia visus, vbi visus debet esse: non visus, vel absentia visus non magis est aliquid, vbi visus debet esse, quam vbi non debet esse. Quare cæcitas non magis est in oculo aliquid, quia ibi debet esse visus: quam non visus vel absentia visus in lapide, vbi non debet esse visus. Multa quoque alia similiter dicuntur aliquid secundum formam loquendi, quæ non sunt aliquid: quoniam sic loquimur de illis sicut de rebus existentibus. Hoc ergo modo malum, & nihil, significant aliquid, & quod significat est aliquid, non secundum rem, sed secundum formam loquendi. Nihil enim non aliud significat, quam non aliquid, aut absentiam eorum quæ sunt aliquid: & malum non est aliud, quam non bonum, aut absentia boni, vbi debet & expedit esse bonum. Quod autem non est aliud, quam absentia eius, quod est aliquid, utique non est aliquid. Malum igitur verè est nihil, & nihil non est aliquid: & tamen quodammodo sunt aliquid: quia sic loquimur de his, quasi sint aliquid: cum dicimus, nihil, vel malum fecit: aut nihil, aut malum est, quod fecit: sicut dicimus, aliquid, vel bonum fecit: aut aliquid, vel bonum est quod fecit. Hinc est, quod cum negamus omnino esse aliquid quod dicit aliquis ita dicimus: hoc quod dicit, nihil est. Nam & hoc quod propriè non dicitur: non de eo, quod est aliquid: dicitur. & cum ita dicitur, sicut modo dixi, non dicitur: eo quod sit aliquid, sed quasi aliquid, dicitur. *Disc.* De ratione nominis mali, qua me putabam posse probare malum esse aliquid, satisfecisti.

Quod Angelus à se non potuit habere voluntatem primam, & quod multa dicuntur posse aliena potestate, & non posse aliena impotentia.

Restat nunc, ut me ad alia, quæ mihi malum esse aliquid persuadere nituntur, quid respondere valeam edoceas. *Magist.* Ut veritatem rei enodare possimus, longè aliquantulum exordiri nos oportet: sed & opus est, ut tu ea, quæ dicam, non sis contentus singula tantum intelligere: sed omnia simul memoria quasi sub vno intuitu colligere. *Disc.* Ego quidem intentus ero, quantum potero: veruntamen si in aliquo tardior, quam velis, extitero, non te me expectare pigeat, prout videris tarditatem meam expectare. *Magist.* Ponamus ergo Deum nunc facere Angelum, quem velit facere beatum: & non simul totum, sed per partes, & hætenus iam esse factum, ut iam sit aptus ad habendam voluntatem, sed nondum velit aliquid. *D.* Pone quod vis, & expone quod quæro. *Magist.* An ergo putas, quod ipse Angelus per se posse velle aliquid? *Disc.* Non bene video, quod dicit per se. Quod enim (sicut supra iam dixisti de omni creatura) nihil habet, quod non accepit, nihil potest per se. *Magist.* Per se dico, per hoc, quod iam habet, ut qui habet pedes, & quæ sufficiant ad potentiam ambulandi, potest ambulare per se: qui autem habet pedes, & non habet incolunitatem pedum, non potest ambulare per se. Hoc itaque modo quæro, an ille Angelus, qui iam aptus est ad volendum, & nõdum quicquam vult, possit per se velle aliquid? *Disc.* Puto, quia potest, si aliquando vult. *Magist.* Non respondes ad interrogationem meam. *D.* Quomodo? *Magist.* Ego quæro de nihil volente, & de potestate, quæ præcedit rem: & tu respondes, de voluntate & potestate, quæ fit eum re. Nam omne quod est, eo ipso, quo est, potest esse. Non autem omne quod est, potuit esse, antequam esset. Cum ergo quæro, vtrum ille, qui nihil vult, possit velle: quæro potestatem ante voluntatem, qua se possit mouere ad voluntatem. Tu verò cum respondes, quia si vult potest: dicit potestatem, quæ fit cum ipsa voluntate. Necessè enim est si vult, ut possit velle. *Disc.* Scio duas esse potestates: vnã, quæ nondum est in re; alteram, quæ iam est in re. Sed & hoc non possum nescire: quia quicquid ita potest esse, ut iam sit, si aliquando nõ fuit, potuit prius esse. Si enim non potuisset, nunquam esset. Bene ergo aestimo me respondisse: quia qui ideo potest velle, quia iam vult: necessè est eum prius potuisse, quæ vellet. *Mag.* Putas, quia quod nihil est, omnino nihil habet: & ideo nullam habet potestatem, & sine potestate omnino nihil potest. *Disc.* Hoc non possum negare. *Mag.* Aestimo, quia mundus antequam fieret, nihil erat. *Disc.* Verum dicitis. *Mag.* Ergo omnino nihil potuit antequam esset. *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* Non ergo potuit esse antequam esset. *Disc.* Et ego dico. Si non potuit esse, impossibile fuit, ut esset aliquando. *Mag.* Et possibile & impossibile erat antequam esset: & quidem in cuius potestate non erat ut esset, erat impossibile: sed Deo, in cuius potestate erat ut fieret, possibile erat. quia ergo Deus mundum facere poterat, prius quam fieret, ideo est mundus: non quia ipse mundus prius potuit esse. *Disc.* Rationi non possum contradicere: sed vsus loquendi non consentit. *Mag.* Non est mirum. Multa namque in comituni locutione dicuntur improprie: sed tamen oportet medullam veritatis inquirere. Necessè est improprietatem perturbantem, quantum res expetit & possibile est, secernere. Ex qua improprietate loquendi fit, ut sapienter

A finè dicamus, rem posse: non quòd illa possit, sed quòd iam alia res potest: & rem, quæ potest, non posse: quoniam alia res non potest. ut si dico: liber potest a me scribi, utique liber nihil potest: sed ego possum scribere librum. Et cum dicimus: iste non potest vinci ab illo, non aliud intelligimus, quam ille non potest vincere istum. Hinc est quod dicimus, Deum non posse aliquid sibi aduersum, aut peruersum: quoniam sic est potens in beatitudine & iustitia, immò, quoniam beatitudo & iustitia non sunt in illo diuersa, sed vnum bonum: sic est omnipotens in simplici bono, ut nulla res possit, quæ noceat summo bono. Ideo non potest corrumpi vel mentiri. Ita ergo quicquid non est, antequam est, sua potestate esse non potest: sed si potest alia res facere, ut scit: hoc modo, aliena potestate potest esse. Quauis autem pluribus modis diuidi possit potentia, vel impotentia: hoc tantum nunc tibi sufficiat, quia multa dicuntur posse non sua, sed aliena potestate: & multa non posse non sua, sed aliena impotentia. De propria igitur potestate loquor, cum quæro de Angelo, quem nouum posuimus fieri: & hæcenus iam esse, factum iam & aptus iam sit ad habendam voluntatem, sed nihil adhuc vult: an ipse possit per se velle aliquid, & de ipsa mihi responde. *Disc.* Si iam sit, aptus est ad voluntatem, ut nihil illi aliud desit, quam velle: non video, cur per se non possit. Quicumque enim aptus est ad videndum, & clausis oculis in luce positus nihil videt, potest tamen videre per se, quare ergo non volens simpliciter non velit per se, sicut non videns potest per se videre. *Magist.* Quia ille non videns habet visum, & voluntatem, qua potest mouere visum: nos verò de illo, qui nullam habet voluntatē loquimur. **B** Quare responde mihi, si qua res seipsam mouet de non velle ad velle: ut sic ipsa velit mouere. *Disc.* Si dixerò, quia moueatur non volens: consequens erit, ut non à se, sed ab alio moueatur. nisi fortè si quis subito claudit oculos ad ictum venientem: aut si cogitur quis aliquo incommodo, ut velit quod prius non volebat. Nescio enim tunc prius se velit mouere ad hanc voluntatem. *Magist.* Nullus cogitur vel timore vel sensu alicuius incommodi, nec attrahitur amore alicuius commodi, ad volendum aliquid: nisi qui prius habet naturalem voluntatem vitandi incommodum aut habendi commodum: qua voluntate se mouet ad alias voluntates. *Disc.* Negare nequeo. *Magist.* Dic ergo, quia quicquid se mouet ad volendum, prius se vult ita mouere. *Disc.* Ita est. *Magist.* Quod ergo nihil vult, nullo modo potest se mouere ad volendum. *Disc.* Non possum contradicere. *Magist.* Restat igitur, ut ille Angelus, qui iam aptus factus est ad habendam voluntatem, sed tamen nihil vult, non possit habere primam voluntatem à se. *Disc.* Necessè est fateri me: quia nihil potest per se velle, qui nihil vult. *Mag.* Beatus autem non potest esse, si non vult beatitudinem. Dico enim nunc beatitudinem, non beatitudinem cum iustitia: sed quam volunt omnes etiam iniusti. Omnes quippe volunt bene sibi esse. Excepto namque hoc, quòd omnis natura bona diuiditur in duo bona, & duo his contraria mala vsu dicuntur. vnum bonum, & quòd dicitur iustitia: cui contrarium malum iniustitia: alterum bonum est, quòd mihi videtur posse dici commodum, & huic malum opponitur incommodum. Sed iustitiam quidem non omnes volunt, neque omnes fugiunt iniusti-

tiam. commodum verò non solum omnis rationalis natura, sed & omne quòd sentire potest vult, & vitat incommodum. Nam nullus vult, nisi quòd aliquo modo putat sibi commodum. Hoc igitur modo, bene sibi esse omnes volunt, & malè sibi esse nolunt. De hac beatitudine nunc dico: quia nullus potest esse beatus, qui non vult beatitudinem. Nullus namq; beatus potest esse, aut habendo quòd non vult, aut non habendo quòd vult. *Disc.* Non est negandum. *Mag.* Nec beatus esse potest, qui non vult iustitiam. *Disc.* Nec hoc minus concedendum.

Quòd accepta sola voluntate beatitudinis, nec aliud posset velle, nec illam non velle; & quicquid vellet, non esset iusta, vel iniusta voluntas.

Cap. XIII. Mag.

Dicamus ergo Deum illi dare primùm solam beatitudinis voluntatem, & videamus an idcirco, quia accepit aliquam voluntatem, iam se possit ipse mouere ad volendum aliud, quàm quòd accepit velle. *Disc.* Prosequere quòd incepisti, ego enim paratus sum intelligere. *Mag.* Constat, quia nondum aliud accepit velle. *Disc.* Vnde est? *Ma.* Quæro ergo à te, an possit se mouere ad aliud volendum? *Disc.* Nequeo videre, quomodo se moueat ad volendum aliud quàm beatitudinem, quia aliud non vult. Nam si vult se mouere ad aliud volendum, vult utique aliud. *Ma.* Sicut ergo nulla voluntate adhuc data nihil poterat se velle: ita sola voluntate beatitudinis accepta, nullam aliam à se potest habere voluntatem. *D.* Ita est. *M.* Nonne si putat prodesse aliquid ad adipiscendum beatitudinē, potest se mouere ad volendū illud? *Disc.* Dubito quid respondeam: nam si non potest, non video quòd velit beatitudinem, qui non potest velle quò se adipisci posse beatitudinem putat. Si verò potest, nō intelligo quomodo non possit velle aliud. *M.* Qui vult aliud non propter rem, quam videtur velle, sed propter aliud: quid propriè iudicandus est velle? an illud quò dicitur velle, an illud propter quòd vult? *Disc.* Illud itaque propter quòd vult videtur velle. *Mag.* Qui ergo vult aliquid propter beatitudinem, non aliud vult quàm beatitudinē, quare potest, & quòd putat prodesse ad beatitudinem, & solam beatitudinem velle. *D.* Satis est planum. *Mag.* Quæro adhuc, an accepta hac sola voluntate possit non velle beatitudinem. *Disc.* Non potest vtrunque simul & velle, & non velle. *Mag.* Verum est. Sed non hoc quæro: sed quæro, an possit deserere hanc voluntatem, & mouere se de velle ad non velle beatitudinem? *Disc.* Siquidem hoc facit nolens, non ipse facit: si verò volens, aliud vult quàm beatitudinem, sed non vult aliud. Quare manifestum puto, quia nullatenus potest per se non velle, ad quòd solum accepit velle. *Mag.* Bene intelligis. Sed responde mihi adhuc, si non potest non velle beatitudinem: quāto maiorem eam intelliget, qui nihil nisi beatitudinem vult, & non potest nisi velle beatitudinem? *Disc.* Si non tanto magis vellet beatitudinem, quanto meliorem ac maiorem illā putaret: aut omnino si vellet beatitudinem, aut vellet aliud propter quòd meliorem nollet: sed dicimus, quia illam vult, & non aliud. *Mag.* Vult ergo esse beatus, quanto altius hoc esse posse cognoscit. *D.* Procul dubio vult. *Mag.* Ergo vult similis esse Deo. *D.* Nihil apertius. *Mag.* Quid tibi videtur, an esset iusta voluntas, si hoc modo similis vellet esse Deo? *D.*

Nec

A Nec iustam volo dicere, quia vellet quod non conveniret: nec iniustam, quia ex necessitate vellet. *Mag.* At eum, qui vult beatitudinem solam, commoda tantum velle posuimus. Si ergo ille, qui nihil vellet nisi commoda, non posset habere maiora & veriora: vellentur minora quibuscumque; uti posset? *Disc.* Imò non posset nec vellet quilibet infima, si maiora non posset. *M.* Nonne cum vellet commoda infima & immunda, quibus irrationabilia animalia delectantur: esset eadem voluntas iniusta & vituperabilis? *Disc.* Quomodo iniusta aut reprehendenda voluntas esset: quia vellet, quod non posse velle accepisset? *Mag.* Voluntatem tamen ipsam siue cum vult summa commoda, siue cum vult infima, constat esse opus & donum Dei: sicut est vita, aut sensibilitas: aut non esse in eo iustitiam, siue iniustitiam. *D.* Non est dubium. *Mag.* Ergo in quantum essentia est bonum, aliquid est: quantum verò ad iustitiam pertinet siue iniustitiam, nec bona nec mala est. *Disc.* Nihil clarius. *Mag.* Sed non debet esse beatus, si non habet iustam voluntatem: imò non potest perfecte nec laudabiliter esse beatus, qui vult quod nec potest nec debet esse. *Disc.* Multum patet.

Quòd similiter sit, si sola accepta voluntas rectitudinis, & idcirco utramque voluntatem accepit simul, & ut iustus, & ut beatus esset.

Cap. XIV. Mag.

B Consideremus ergo de iustitiæ voluntate. Si daretur eidem Angelo velle solum, quod eum velle conveniret: an posset aliud velle, aut si non posset non velle per se quod accepisset velle? *Disc.* Omnino quod vidimus in voluntate beatitudinis, necesse est in hac quoque voluntate evenire. *Mag.* Ergo nec iustam nec iniustam haberet voluntatem. Sicut enim ibi non esset voluntas iniusta, si vellet inconuenientia: nec idcirco esset iusta voluntas, quoniam sic hoc accepisset ut non posset aliter velle. Quoniam ergo nec solummodo volendo beatitudinem, nec solummodo volendo quod continet, cum ex necessitate sic velit, iustus, vel iniustus, potest appellari: nec potest nec debet esse beatus, nisi velit: & nisi iuste velit: necesse est, ut sic faciat Deus utramque voluntatem in illo convenire: ut & beatus esse velit, quatenus addita iustitia sic temperet voluntatem beatitudinis, ut & refecet voluntatis excessum, & excedendi non amputer potestatem: ut cum per hoc, quod vult beatus esse, modum possit excedere: per hoc, quod iuste vult, non vult excedere: & sic iustam habens beatitudinis voluntatem, possit & debeat esse beatus: qui non volendo, quod non debet velle, cum tamen possit mereatur: ut quod velle non debet, nunquam velle possit, & semper tenendo iustitiam per moderatam voluntatem nullo modo indigeat, aut si deseruerit iustitiam, per immoderatam voluntatem omnino indigeat. *D.* Nihil convenientius cogitari potest. *M.* Memento, quia cum superius considerabamus solam beatitudinis voluntatem, sine hac meta, quam addidimus: ut sub Deo se coerceat: dicebamus in ea non esse iustitiam vel iniustitiam quicquid vellet. *Disc.* Bene memini. *H.* An putas aliquid esse, quod additum eidem voluntati temperet illam: ne plus velit quam velle oportet, & expedit? *Disc.* Nullus intelligens nihil hoc esse putabit. *Ma.* Hoc satis credo, animaduertis non aliud esse quam iustitiam. *Disc.* Nihil aliud cogitari potest. *Ma.* Certum est igitur iustitiam esse aliquid,

Quòd iustitia sit aliquid. Cap. XV. Disc.

C Imò valde aliquid bonum. *M.* Antequam acciperet iustitiam hanc, voluntas illa debebat velle & non velle secundum iustitiam? *Disc.* Non debebat: quod idcirco non debebat, quia non acceperat. *Ma.* Postquam autem non accepit: non dubitas debere, nisi aliqua violentia amittat? *D.* Semper eam huic debito alligatam puto, siue teneat quod accepit, siue sponte deserat. *Mag.* Rectè asseris. Sed quid si voluntas eadem iustitiam tam utiliter & tam sapienter additam sibi, nulla indigentia & nulla violentia cogente deserat, utendo sponte sua potestate, id est, plus volendo quam debeat: an remanebit aliquid aliud cum ipsa voluntate, quam quòd prius considerabamus ante additamentum iustitiæ? Quoniam nihil aliud est additum quam iustitia, separata iustitia nihil aliud certum est remanere, quam quòd prius erat, nisi quia debitricem fecit eam accepta iustitia, & quasi quædam pulchra vestigia sui reliquit derelicta eadem iustitia. Eo enim ipso, quo debitrix iustitiæ permanet, monstratur honestate iustitiæ fuisse decorata. Sed & hoc satis iustum est, ut quod semel accepit iustitiam, servare eam semper debeat, nisi violenter amiserit. Et certè multum dignior natura probatur: quæ vel aliquando habuisse, & semper debere ut habeat tam honestum bonum communitè: quam quia hoc ipsum non habere nec debere aliquando cogitoscitur. *Mag.* Bene consideras, sed adde huic tux sententiæ: quia quanto natura, quæ hoc habuit, quod debet, monstratur laudabilior: tanto persona, quæ non habet quod debet, conuincitur vituperabilior. *Disc.* Vehementer assentio. *M.* Discerne mihi bene, quid tibi monstrat naturam laudabilem, & quid faciat personam vituperabilem. *D.* Habuisse vel debere, monstrat naturalem dignitatem: & non habere, facit personalem inhonestatem. Habere enim, factum est ab eo qui dedit: non habere, factum ab ipso qui deseruit. Ideo namque debet, quia accepit: ideo verò non habet, quia deseruit. *M.* Non ergo reprehendas in ipsa voluntate, quæ non stetit in iustitia, debere iustitiam, sed non habere iustitiam. *D.* Omnino nihil aliud ibi reprehendo quam absentiam iustitiæ, siue non habere iustitiam. Nam, sicut iam dixi: habere decorat: non habere verò, deturpat. & quo magis illud decet, eo magis istud deturpat: imò non ob aliud voluntatem illam deturpat ex propria culpa non habere, quam quia illam decorat ex bonitate dantis habere debere. *Mag.* Nonne iam voluntatem ipsam, quæ non habet iustitiam, quam debet habere, iudicas iniustam, & in illa esse iniustitiam? *Disc.* Quis non ita iudicat? *Mag.* Si non esset iniusta, nec esset in illa iniustitia: puto quia nihil in ea reprehenderes. *D.* Nihil omnino. *M.* Ergo nihil aliud in ea reprehendis, quam iniustitiam, & quia iniusta est. *Disc.* Non possum aliud quicquam in ea reprehendere. *Mag.* Si ergo nihil aliud ibi reprehendis, quam absentiam iustitiæ, & illam non habere iustitiam: sicut paulo ante dixisti: & iterum verum est, quia nihil aliud reprehendis in ea, quam in illa esse iniustitiam, siue illam esse, iniustam: palam est, quia non aliud in illa est iniustitia, aut esse iniustam, quam absentia iustitiæ, aut non habere iustitiam. *Disc.* Nullo modo possunt hæc esse diuersa. *Mag.* Sicut igitur absentia iustitiæ, & non habere iustitiam, nullam essentiam habent: ita iniustitia, & esse iniustum, nullum habent esse. & idcirco non est aliquid, sed nihil. *Disc.* Non est consequenti-

A frequentius aliquid. *Mag.* Meinvento etiam iam consistere: quia recedente iustitia, excepto debito iustitiae, nihil aliud ibi remanet, quam quod habebat ante susceptam iustitiam. *Disc.* Constat utriusque. *Mag.* Ac iniusta non erat, nec iniustitiam habebat antequam haberet iustitiam. *Disc.* Non. *Mag.* Ergo aut recedente iniustitia, non est in illa iniustitia, nec est iniusta: aut nihil est iniustitia, vel esse iniustum. *Disc.* Non potest videri aliquid magis necessarium. *Mag.* At iniustitiam illam habere, & esse iniustam, post desertam iustitiam concessisti. *Disc.* Immo non possum non videre. *Mag.* Nihil igitur est iniustitia, vel esse iniustum. *Disc.* Credentem me fecisti scire, quod nesciens credebam.

Quod iniustitia non sit nisi absentia debita iustitia.

Cap. XVI. Mag.

A Estimo etiam te cognoscere iam, quod cum iniustitia non sit aliud quam absentia iustitiae: nec iniustum esse aliud, quam non habere iustitiam: cur non ante datam, sed post derelictam iustitiam, eadem absentia iustitiae vocetur iniustitia: & non habere iustitiam, sit iniustum esse, & sit utriusque reprehensibile. non enim propter aliud, nisi quia non dedecet abesse iustitiam, nisi ubi debet esse. Sicut enim virum, qui nondum debet habere barbam: non dedecet non habere: cum vero iam debet habere, indecorum est non habere. Ita naturam, quae non debet habere iustitiam, non deformat non habere: illam vero, quae habere debet, dehonestat non habere, & quanto magis debet habere, virilem ostendit naturam: tanto magis non habere, foedat virilem figuram. *Disc.* Sufficiens video iniustitiam non esse, nisi absentiam iustitiae, ubi debet esse iustitia.

B *Mag.* Cum possimus solam voluntatem beatitudinis praefato Angelo dari, vidimus eum nihil potuisse velle aliud. *D.* Apertè vidimus quod dicitis.

Cur desertor Angelus non possit redire ad iustitiam.

Cap. XVII. Mag.

A N modo derelicta iustitia, & remanente illa solùm voluntate, quae prius fuerat, beatitudinis, potest idem desertor ad voluntatem iustitiae redire per se, ad quam non potuit antequam desertor venire? *Disc.* Sed modo multo minus. Tunc enim conditione naturae non poterat habere: nunc vero merito quoque culpae non debet habere. *M.* Nullo ergo modo potest habere iustitiam à se, cum non habet iustitiam: quia nec antequam eam accepit, nec postquam eam deserit. *D.* Non debet aliquid habere à se. *Mag.* Nonne aliquo modo vel cum ipse haberet potuit sibi dare iustitiam. *Disc.* Quomodo potuisset? *Mag.* Pluribus modis dicimus facere. Dicimus enim facere aliquid, cum esse facimus rem: & cum facere possimus ut non sit, & non facimus. Hoc itaque modo potuit ipse sibi dare iustitiam, quia potuit sibi auferre eam, & potuit non auferre: quomodo ille, qui stetit in veritate, in qua factus est, non fecit cum potuit ut eam non haberet, & ita eam ipse sibi dedit, & totum hoc à Deo accepit. Ab eo enim acceperant ambo habere, & posse tenere, & posse deserere. Hoc ultimum ideo Deus dedit, ut possent sibi dare aliquo modo iustitiam. Si enim nullo modo eam sibi possent auferre, nullo modo possent sibi dare. Qui ergo hoc modo sibi dedit eam, hoc ipsum à Deo accepit, ut sibi eam daret.

D. ANSELMI TOMVS III.

Quomodo malus Angelus se fecit iniustum, & bonus se iustum, & quod malus sic debet Deo gratias pro bonis, quae accepit & deseruit: sicut bonus, qui seruauit accepta.

Caput XVIII. Discip.

Video, quia non auferendo potuerunt sibi dare iustitiam, sed alter sibi dedit, alter sibi abstulit. *Mag.* Vides ergo Deo parem eos habere gratiam, quantum ad bonitatem ipsius, nec diabolum ideo minus debere Deo reddere quod Dei est: quia sibi abstulit quod Deus dedit, & noluit accipere quod Deus obtulit. *Discip.* Video. *Mag.* Semper igitur debet Deo gratias agere malus Angelus pro beatitudine, quam sibi abstulit: sicut bonus, pro ea, quam sibi ipse dedit. *Discip.* Verissimum est, *Mag.* Aestimo, quia animadueritis Deum nullo modo posse facere iniustum, nisi iniustum non faciendo iustum cum possit. Deus iniustum facit, quando non facit iustum, quem iustum facere potest. Nam ante acceptam iustitiam nullus est iustus vel iniustus: & nullus post acceptam iustitiam fit iniustus, nisi spontè derelicta iustitia. Sicut ergo bonus Angelus fecit se iustum, non auferendo sibi iustitiam cum potuit: ita Deus malum Angelum, Angelum facit iniustum, non reddendo ei iustitiam cum possit. *D.* Facile cognoscitur.

Quod voluntas, in quantum sit, bonum est, & nulla res mala sit.

Caput XIX. Mag.

Redeamus ad considerationem voluntatis, & reminiscamur quod considerauimus, voluntatem scilicet beatitudinis quicquid velit non esse malum, sed esse bonum aliquod, antequam accipiat iustitiam. Vnde consequitur: quia cum deserit acceptam iustitiam: si eadem essentia est, quae prius erat bonum aliquod, quantum ad hoc quod est: quantum vero ad hoc quia iustitia non est, in illa quae fuit, dicitur mala & iniusta. Nam si velle Deo simile esse, malum esset, Filius Dei non veller similis esse Patri. Aut si velle quaslibet infimas voluptates esset malum, mala diceretur voluntas brutorum animalium. Sed nec voluntas Filij Dei est mala, quia est iusta: nec voluntas irrationalis mala dicitur, quia non est iniusta. Vnde sequitur, nullam voluntatem esse malum, sed esse bonum in quantum est, quia opus Dei est, nec nisi in quantum est iniusta, malum esse, & quoniam nulla res mala dicitur, nisi mala voluntas, aut propter malam voluntatem: ut malus homo, & mala actio: nihil est apertius quam nullam rem esse malam, nec aliud esse malum, quam absentiam iustitiae derelictae in voluntate, aut in aliqua re propter malam voluntatem.

Quomodo Deus faciat malas voluntates & actiones, & quomodo accipiantur ab eo.

Cap. XX. Disc.

Sic tua disputatio veris & necessarijs apertisque rationibus concatenatur, ut nulla ratione quod dicitis, dissolui posse videam: nisi quia video aliud consequi, quod nec dici debere credo, nec quomodo non sint, si vera sunt quae dicitis, non video. Nam si velle esse similem Deo non nihil nec malum, sed quoddam bonum est: non nisi ab eo, à quo est omne bonum, quod est, haberi potuit. Si ergo Angelus non habuit quod non accepit: quod habuit ab illo, accepit à quo habuit. Quid autem ab illo accepit, quod ille non

HH dedit?

A dedit? Quare si habuit velle esse similem Deo: i-
deus habuit, quia Deus dedit. *Mag.* Quid mirum, si
quemadmodum dicitur inducere in tentationem.
quando non liberat de ea, ita fatemur eum dare
voluntatem malam, non prohibendo eam, cum
potest: præsertim cum potestas volendi quælibet
non nisi ab illo sit. *Disc.* Hoc modo non videtur
esse inconueniens. *Mag.* Si ergo datio non est si-
ne acceptione: quemadmodum non iniustitiam di-
citur dare, & qui sponte concedit, & qui non ap-
probando permittit: ita non incongruè accipe-
re dicitur, & qui concessa suscepit, & qui illi-
cita præsumit. *Discip.* Nec incongruum nec ini-
iustitiam mihi videtur quod dicitur. *Mag. St.* Quid
ergo dicimus contra veritatem? si dicimus: eum
diabolus voluit, quod non debuit, hoc illum & à
Deo accepisse, quia Deus permisit: & non acce-
pisse, quia ille non consensit. *Discip.* Nihil hoc re-
pugnare videtur veritati. *Mag. St.* Cum igitur di-
abolus conuertit voluntatem ad quod non debu-
it, & ipsum velle, & ipsa conuersio fuit aliquid: &
tamen non nisi à Deo, & de Dei voluntate aliquid
habuit. quoniam nec velle aliquid, nec mouere
potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit
omnes naturas substantiales & accidentales, vni-
uersales & indiuiduales. In quantum enim vo-
luntas & conuersio siue motus voluntatis est ali-
quid, bonum est, & Dei est. In quantum verò iu-
stitia caret sine qua esse non debet: non simpli-
citer malum, sed aliquid malum est, & quod ma-
lum est non Dei, sed volentis, siue mouentis vo-
luntatem. Simplex quippe malum est iniustitia:
quoniam non est aliud quam malum, quod nihil
est. Aliud verò malum est natura, in qua est ini-
iustitia: quia est aliquid, & aliud quam iniusti-
tia, quæ malum & nihil est. Quare quod aliquid
est à Deo fit, & Dei est, quod verò nihil est, id est,
malum ab iniusto fit, & eius est. *Disc.* Quod qui-
dem Deus naturas rerum omnium faciat faten-
dum est. Quod verò singulas actiones peruer-
sarum voluntatum, velut ipsum præuam motum
voluntatis quo ipsa mala voluntas se mouet, faci-
at, quis concedat? *Mag. St.* Quid mirum, si dici-
mus Deum facere singulas actiones, quæ sunt ma-
la voluntate, cum fatemur eum facere singulas
substantias, quæ sunt iniusta voluntate & inhone-
sta actione. *Disc.* Non habeo quid contradicam,
quippe nec negare possum verè aliud esse quam li-
bet actionem: nec fateri volo nõ fieri à Deo, quod
verè aliquam habet essentiam. Neque ista tua ratio
ullo modo accusat Deum, aut excusat diabolum:
sed omnino Deum excusat, & diabolum accusat.
Sed vellem scire, vtrum idem desertor Angelus i-
sta de se præsciuerit.

Quod malus Angelus non potuit præscire se casurum esse.

Caput XXI. Mag.

Cum quæris, vtrum ille Angelus, qui non stetit
in veritate, præsciuerit se esse casurum, discer-
nendum est de qua scientia dicas. Nam si de illa
scientia quæritur, qua non nisi cum certa ratione
aliquid intelligitur, omnino respondeo, non posse
sciri quod potest non esse. Quod enim non esse
potest, nequaquam esse, certa potest colligi ratio-
ne. Quapropter constat illum nullatenus potuisse
se præscire casum suum, quem necesse non erat fu-
turum. Ponamus enim non fuisse futurum ca-
sum illum, an itaque putas præsciri potuisse, si
furus non erat? *Disc.* Videtur non posse præsci-
ri, quod potest futurum non esse, nec posse non ef-

se futurum, quod præscitur. Sed reminiscor nunc
illius famosissimæ quæstionis de præscientia diui-
na & libero arbitrio: quantum enim tanta autorita-
te asseratur, & tanta teneatur utilitate, & nullate-
nus propter humanam rationem dubitandum sit
diuinam præscientiam & liberum arbitrium sibi
inuicem consentire: tamen quantum ad rationis
considerationem, quæ videtur spectare in sociabi-
liter, videntur dissentire: vnde videmus in hac
quæstione nonnullos sic in vnam partem vrgen-
tes, vt alteram omnes deserant, vnde infidelitatis
sua submergente, perire: multos verò velut con-
trarijs ventis hinc inde contra inuicem sustentan-
do quassantibus periclitari. Cum ergo diuinam
constet præscientiam esse, omnium quæ sunt li-
bero arbitrio, nec aliud horum sit ex necessitate:
nihilominus videtur posse nõ esse futurum quod
præscitur. *Mag. St.* Breuiter interim respondebo.
Præscientia Dei non proprie dicitur præscientia.
Cui enim omnia semper sunt præscientia, non ha-
bet futurorum præscientiam, sed præsentium sci-
entiam. Cum ergo alia sit ratio de præscientia fu-
tura quam de præsentis rei scientia: non est neces-
se diuinam præscientiam, & illam, de qua quæri-
mus, eandem habere consequentiam. *D.* Assentio.
M. Redeamus ad illam, quæ erat in manibus, quæ-
stionem. *Discip.* Placet quod dicitis. Sed eo pacto, vt
cum de illa, cuius mentionem fecimus, quæsero,
mihi respondere quod inde Deus tibi dignabitur
ostendere, non renuas. Valde namque necessaria
est eius solutio, si iam ab aliquo facta est, aut si fiat:
fateor enim non Deum alicubi, excepta diuina
auctoritate, cui indubitanter credo, me legisse
rationem, quæ mihi sufficeret ad eiusdem solu-
tionis intellectum. *Mag. St.* Cum ad illam veni-
emus, si fortè venerimus, erit sicut Deus dabit.
Nunc autem quoniam supraposita ratione patet
apostatam Angelum non potuisse præscire rui-
nam suam, ea præscientia, quam rei necessitas se-
quitur: accipe adhuc aliam rationem, quæ non
solum præscientia, sed & æstimatione, aut qua-
licet suspitione suum eum præsensisse casum ex-
cludit. *Discip.* Hoc accepto. *Mag. St.* Si adhuc
in bona voluntate stans præsciebat se casurum,
aut volebat vt ita fieret, aut nolebat. *Discip.* V-
num horum necesse est verum esse. *Mag. St.* Sed si
cum præscientia voluntatem habebat aliquando
cadendi, iam ipsa mala voluntate ceciderat. *Disc.*
Patet quod dicitis. *Mag. St.* Non itaque volendo ca-
dere prius sciuit se casurum, quam caderet. *Discip.*
Non potest aliud obijci conclusioni tuæ. *Mag. St.*
Ac si præsciebat se casurum, & nolebat: tantum
miser erat dolendo, quantum magis stare volebat:
& quo erat iustior, eo debebat esse felicior. *Discip.*
Negari non potest. *Mag. St.* Ac tanto iustior erat,
quanto magis volebat stare, & quo erat iustior, eo
debebat esse felicior. *Discip.* Non potest negari.
Mag. St. Ergo si nolendo præsciebat se casurum,
tanto erat miseror, quanto debebat esse felicior,
quod non conuenit. *Disc.* Ita quidem consequi
negare nequeo: sed hoc sæpe non solum sine in-
conuenientia, sed & laudabiliter & superna gratia
fieri cognoscitur: multotiens enim, vt pauca de
incommodis iustorum commemorem, quanto
quis iustior est, tanto maiore doloris compassio-
ne de alieno casu afficitur. Sæpe enim cum, qui
maiolem habet in iustitia constantiam, videmus
ab iniustis maiorem pati persecutionis instan-
tiam. *Mag. St.* Non est eadem ratio in homini-
bus, & in illo Angelo. Hominis enim natura pro-
pter peccatum primi parentis iam innumera-
bilium

A bilium incommodorum facta est passibilis, ex qua passibilitate multis modis gratia nobis operatur incorruptibilitatem. Ille verò adhuc nullo peccato precedente alicuius mali non inuenerat passionem. *D.* Satisfecisti obiectioni meæ. Patet enim, quia hæc ipsa ratio sicut separata ab ipso malo Angelo sui casus præscientiam: ita nihilominus omnem segregat opinionem. *Mag.* Est & aliud, quod mihi fatis videtur ostendere nullo modo eum suam ante putauisse futuram præuarcationem. Nepe ut coactam putauisset aut spontaneam: sed nec nullatenus erat vnde se aliquando cogi suspicaretur: nec quamdiu voluit in veritate perseverare, villo modo putare potuit se sola voluntate illam deserturum. Supra nanque iam monstratum est eum quamdiu rectam voluntatem habuit, in hac ipsa voluntate voluisse perseverare. Quapropter volendo tenere perseveranter quod tenebat: nullo modo video vnde potuisset, vel suspicari, nulla alia accedente causa: sola se illud deserturum voluntate. Non nego illum sciuisse, quia posset mutare voluntatem, quam tenebat, sed dico illum non potuisse putare: quia aliquando omni alia cessante causa, sponte mutaret voluntatem, quam perseveranter tenere volebat. *D.* Qui diligenter intelligit quod dicis, patenter videt, quia nullo modo scire vel putare potuit Angelus malus se facturum quod malefecit.

Quod sciuit se non debere velle hoc quod volendo peccauit, & deberet puniri si peccaret.

Cap. XXII.

Sed & hoc volo ut pariter ostendas, si sciuit se non debere velle quod præuarcando voluit. *Magist.* In hoc dubitare non debes, si supra dicta consideras. Si enim nescisset se non debere velle quod iniuste voluit, ignorasset se debere voluntatem tenere quam deseruit. Quapropter nec iustus esset tenendo, nec iniustus deserendo iustitiam, quam nescisset. immò nec poterat non velle plus quam habebat, si nesciebat se debere esse contentum eo, quod acceperat. Denique quia ira rationalis erat, ut nulla re prohiberetur vti ratione, non ignorabat quid deberet, vel non deberet velle. *Disc.* Rationem tuam non video posse infirmari: sed tamen inde mihi videtur quedam oriri quæstio. Si enim sciebat se non debere deserere quod acceperat, utique sciebat nihilominus se debere puniri si desereret. Quomodo igitur sponte potuit velle vnde miser esset, qui acceperat inseparabiliter velle vnde beatus esset?

Quod non debuit scire, quia si peccaret puniretur.

Cap. XXIII. *Mag.*

Sicut certum est quia debere se puniri si peccaret ignorare non potuit, ita quia puniretur si peccaret scire non debuit. *Disc.* Quomodo hoc ignorauit, si ita rationalis erat, ut eius rationalitas non impediretur veritatem cognoscere: sicut sepe nostra impeditur, regnante corruptibili corpore. *Mag.* Quia rationalis erat, potuit intelligere quia iuste, si peccaret, puniretur. Sed quoniam iudicia Dei multa, & inuestigabiles via eius, nequituit comprehendere, an Deus faceret quod iuste facere posset. Sed & si quis dicat, quia nullatenus credere potuit Deum creaturam suam propter eius culpam damnaturum, quam tanta sua bonitate fecerat: præsertim cum nullum exemplum iustitiæ viciscentis iniustitiæ præcessisset, & certus esset numerum, in quo facturi erant, qui Deo

D ANSEMI TOMVS III.

frui deberent, tanta sapientia esse præstitutum: ut sicut nihil habebat superfluum, ita si minueretur, imperfectus esset, nec tam præclarum opus Dei ex aliqua parte permanens imperfectum: nec vlla ratione scire posset, si homo iam factus erat, Deum humanam naturam pro Angelica: aut Angelicam pro humana, si caderet substituturum: sed potius vnamquamque in id, ad quod facta erat, pro se, non pro alia restitutam: aut si factus nondum homo erat in illo minus putare posset ad substitutionem alterius naturæ illum esse faciendum. Si inquam, aliquis hoc dicat, quæ inconuenientia inest? Sed redeamus ad hoc, quod dixeram, illum scilicet hanc non debuisse habere scientiam. Si enim sciuisset, non posset volens & habens beatitudinem sponte velle, vnde miser esset: quare non esset iustus, non volendo quod non deberet: quoniam non posset velle. Sed & hac ratione considera, vtrum scire quod quæris debuerit, nam si scisset, aut peccasset, aut non? *D.* Vnum horum esset, *M.* Si præuisa tanta poena nulla indigentia & nulla re cogente peccasset: tanto magis puniendus esset. *Disc.* Ita est. *M.* Non ergo hæc præscientia illi expediebat. *D.* Verè peccaturo non expediebat præscire poenā. *M.* Quod si non peccasset, aut sola bona voluntate non peccasset, aut timore poenæ. *D.* Nihil aliud dici potest. *M.* Sed quoniam non cauisset peccatum solo amore iustitiæ, ipso opere monstrauit. *D.* Non est dubium. *Mag.* Si verò timore cauisset, non esset iustus. *D.* Palam est nullo modo eum debuisset scire indictam sibi poenam suam sequituram peccatum. Sed quoniam eum Angelum, qui stetit, & eum, qui non stetit in veritate, pari scientia præditos in prima conditione credimus: non video cur illi negata sit scientia ista, cui tam tenax erat bona voluntas, ut sufficeret ad cauendum peccatum. *Mag.* Non tamen posset, nec deberet contemnere poenam, quam præcisset. *Disc.* Sic videtur. *Mag.* Sicut ergo solus amor iustitiæ, ita solum odium poenæ sufficeret ad non peccandum. *Disc.* Nihil planius. *M.* Duas igitur habuisset causas, non peccandi: vnam honestam & vtilem, alteram inhonestam & inutilem, id est, amorem iustitiæ, & odium poenæ. Nam non satis est honestum solo odio poenæ non peccare, & ad non peccandum inutile est odium poenæ, vbi solus amor iustitiæ sufficit. *Disc.* Non est quod possim obijcere. *M.* Quid ergo? Nonne multo nitidius placet eius perseverantia? cum illa sola perseverandi causa videtur in illo, quæ utilis est & honesta, quia spontanea, quam si simul sese illa ostenderet, quæ inutilis & inhonesta, quia necessaria intelligitur.

Quod etiam bonus Angelus hoc scire non debuit.

Capit. XXIII. *Disc.*

Sic patet quod dicis, ut quod paulo ante volens enim sciuisse, nunquam gaudeam eum nesciuisse: nisi quia nunc eundem eum negare non possumus habere scientiam quam ipso Angeli exempli peccantis ignorare non potest. *M.* Quod nunc vterque, scilicet bonus Angelus & malus, certus est, quia talem culpam talis sequitur poena: sicut scientia est ambobus diuersa, ita est scientiæ causa non eadem, & finis dissimilis. Nam quod ille scit ipso sui experimento, hoc iste didicit solo alterius exemplo. Sed ille ideo modo, quia non perseverauit, iste alio modo, quia perseverauit. Quapropter sicut illi, quoniam vituperabiliter non perseverauit, scientia sua est ad poenam: sic isti, qui laudabiliter perseverauit, scientia est ad gloriam. Si ergo

HH 2

ille

A 88 ille dicitur hoc solo, quia hanc habet scientiā, iam peccare non posse: satis patet, quia sicut gloriosa est scientia, quæ ex laudabili perseverantia est comparata: sic ad gloriā est impotentia peccandi, quæ ex gloriosa scientia est nata. Quemadmodum ergo malus Angelus vituperandus est, quia non potest ad iustitiam redire: ita iste laudandus est, quia non potest abire. Sicut enim ille iam redire non potest, quia sola mala voluntate abiit, sic iste iam ambire non potest: quia sola bona voluntate permansit. Palam igitur est, quia sicut illi non posse recuperare, quod deseruit, est pœna peccati: ita huic non posse deserere quod tenuit, est præmium iustitiæ.

Quod ille si etiam hoc solo dicitur iam non posse peccare, quia nunc habet scientiam ex casu Diaboli, tamen illi sit ad gloriam.

Caput XXV. Disc.

Valde pulchra esset huius scientiæ atq; impotentię tua ista contemplatio, si, quemadmodum asseris, ideo bono Angelo eadem scientia & impotentia, quia perseveravit, contigissent. Non enim eas adeptus esse videtur, quia ipse perseveravit: sed quia deseruit non perseveravit. *M.* Si ita est ut dicis, gaudere potest bonus Angelus de casu apostatę Angeli: utpote cui expediebat, ut ille caderet: quoniam adeptus est hanc scientiam, qua nec peccare, nec miser esse amplius possit, non quia ipse bene meruit: sed quia alius male meruit: quæ omnia sunt nimia absurditate plena. *D.* Quanto absurdius videtur, sicut tu monstras, casum peccantis Angeli profuisse stanti: tanto magis necessariū est, ut ostendas istum non ideo adeptum esse scientiam, de qua agitur, quia ille peccavit. *M.* Non debes dicere ideo bonum Angelum ad scientiam profecisse hanc, quia malus peccavit: sed bonum Angelum ideo profecisse ad hanc scientiam exemplo cadētis; quia ille peccavit. Si enim neuter peccasset: utriq; daturus erat Deus eandem scientiam merito perseverantię alio modo sine alicuius cadentis exemplo. Nullus enim dicit, Deum nō alio modo potuisse Angelis suis hanc dare scientiam. Cū ergo ille peccavit, exemplo eius istum docuit, quod docturus erat non impotentia, quia alio modo nō potuit, sed maiore potentia qua de malo bonum facere potuit: ut nec malum inordinatum in regno omnipotentis scientię permaneret. *D.* Placet mihi valde quod dicis. *M.* Patet itaq; si bonus Angelus hoc solo iam peccare non posset, quia scit peccatum mali Angeli pœnam secturam esse: quod tamen hæc impotentia non illi esset ad minutionem laudis: sed ad præmium servatę iustitiæ. Sed scis quia supra claruit eum ideo peccare non posse: quoniam merito perseverantię a Deo perfectus est, ut iam non videat quid plus velle queat. *D.* Nihil excidit eorum, quæ supra ratione inuestigante competimus, à memoria mea.

Quod horremus audito nomine mali, & quid faciat opera, quæ videtur iniustitia facere, cum ipsa & malum nihil sit. Cap. XXVI.

Sed cū omnibus quæstionibus meis satisfeceris, illud adhuc expecto aperiri, quod sit quod horremus audito nomine mali, & quid faciat opera, quæ iniustitia, quæ malum est, videtur facere, ut in raptore, in libidinoso, cū malum nihil sit. *M.* Breviter tibi respondebo. Malū quod est iniustitia semper nihil est, malum verò quod est incommoditas aliquando sine dubio est nihil, ut cæcitas: aliquando est aliquid, ut tristitia, & dolor. Et hanc incommoditatem, quæ est aliquid, sem-

per odio habemus. Cū itaque audimus nomen mali, non malum, quod nihil est, timemus: sed malum, quod aliquid est, quod absentia boni sequitur. Nam iniustitiam & cæcitatem, quæ malum & nihil sunt, sequuntur multa incommoda, quæ malum & aliquid sunt, & hæc sunt, quæ horremus audito nomine mali. Cū autem dicimus, quia iniustitia facit rapinam, aut cæcitas facit hominē cadere in foueam: nequaquam intelligendum est, quod iniustitia aut cæcitas faciant aliquid: sed si iustitia esset in voluntate, & visus in oculo, nec rapina fieret, nec casus in foueam. Tale est cū dicimus absentia gubernaculi impellit navem in scopulos, aut absentia frēni facit equum discurrere, quod non est aliud, quàm si gubernaculum abest naui, & frēnum equo: quæ si adessent, nec vēti navem impellerent: nec equus discurreret. Sicut nāque gubernaculo navis, & frēno regitur equus, sic iustitia gubernatur volūtas hominis & visus pedes.

Vnde veniat malum in Angelum, qui bonus erat.

Caput XXVII. Disc.

Sic mihi de malo, quæ est iniustitia, satisfecisti, ut iam omnes in corde meo, quæ de illo inesse solebant, quæstiones sint deterse. De hoc enim malo quæstio nasci videtur: quoniam si esset aliqua essentia, esset a Deo, a quo necesse est esse omne, quod aliquid est, & impossibile est esse peccatum siue iniustitiam. De malo verò, quod est incommoditas si aliquando est aliquid, nihil video reetę fidei obviare. Sed ne tædeat te breviter respondere fatuæ interrogationi meæ: ut sciam qualiter hoc ipsum quærentibus respondeam, quippe non semper facile est insipienti insipienter quærenti, sapienter respondere. Quæro igitur vnde primū venit malum, quod dicitur iniustitia, siue peccatum in Angelum, qui factus est iustus? *Magist.* Die tu mihi vnde venit nihil in aliquid? *Disc.* Nihil nec venit, nec recedit. *Magist.* Cur ergo quæris vnde venit iniustitia, quæ nihil est? *Disc.* Quia quando iustitia recedit inde ubi erat, dicimus accedere iniustitiam. *Magist.* Dic ergo quod magis proprię & apertius dicitur, & quare de abscessu iustitię? Siquidem sæpe apta interrogatio expedit responsionem, & inepta reddit impeditiorem. *D.* Cur ergo recessit ab Angelo iusto iustitia? *Mag.* Si proprię vis loqui, non recessit ab eo: sed ipse deseruit eam volendo quod non debuit. *Disc.* Cur deseruit eam? *Mag.* Cū dico quia volendo quod non debuit eam deseruit, apertē ostendo, cur & quam illam deseruit. Nam ideo illam deseruit, quia voluit quod velle non debuit, & hoc modo id volendo quod non debuit illam deseruit. *Disc.* Cur voluit quod non debuit? *M.* Nulla causa præcessit hanc voluntatem, nisi quia velle potuit. *Disc.* An ideo voluit, quia potuit? *Magist.* Non quia similiter potest bonus Angelus velle: nec tamen voluit. Nam nullus vult quod velle potest: ideo quia potest sine alia causa, quannis nunquam velit si non potest. *D.* Cur ergo voluit? *Mag.* Non nisi quia voluit. Nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, qua impelleretur aliquatenus aut attraheretur: sed ipse sibi efficiens causa fuit si dici potest effectus.

Quod potestas volendi quod non debuit: bona fuit semper, & ipsum velle bonum quantum ad esse. Cap. XXVIII. Disc.

Si potestas ipsa volendi & ipsum velle fuit aliquid bonum: fuit à Deo, *Mag.* Vtrumq; fuit aliquid

A quid, & potestas quidem non nisi bonum aliquid & spontaneum donum Dei: velle autem secundum essentiam bonum: sed quoniam non iuste, factum est malum, & tamen a se eo fuit, a quo est omne quod aliquid est. Nempe non solum hoc habet aliquis a Deo, quod Deus sponte dat, sed etiam quod iniuste rapit Deo permittente. Et sicut dicitur Deus facere quod permittit fieri: ita dicitur dare, quod permittit rapi. Quoniam igitur permittente Deo Angelus malus per rapinam usus est potestate a Deo sponte data, a Deo habuit uti, quod non est aliud quam ipsum velle. Non est enim aliud velle quam uti potestate volendi, sicut idem est loqui, & uti potestate loquendi.

Beati Anselmi Dialogus de Casu Diaboli explicat.

In Librum de Grammatico

PRAEFATIO F. IOANNIS
Picardi Victoriani Canonici. Regula.

Quandoquidem & ipse Auctor in Prologo Tractatus de Veritate censet hunc Librum de Grammatico non esse insigniferum neophytus Dialecticis, mirum nimis est usque hodie delituisse. Quartum, inquit, quem simili modo edidi, non inutilem, ut puto, introducendis ad Dialecticam, cuius initium est, de Grammatico. Et quidem si penuria exemplarium adeo prorogavit eius publicationem, equanimiter toleranda tarditas est. Sin delicatulum quoddam ingenium, & Dialectica abhorrens tam diuturnas crearet moras, manifestum hocce publici emolumentum odium non mediocriter dolendum venit. Et enim si ex vulgato Adagione nullus sit Liber tam ineptus, ex quo non legas fructum aliquem, sane bonorum Auctorum seriores, integrasque divulgationes lugenda sunt. Porro coniectus in titulum oculus memet deluserat. Suspexabar enim hic tractari quae ad Grammaticum spectarent, iam iam oblitus argumenti a me perlecti apud Biographos Anselmi. Continet enim hic Liber disputationem persimilem illi quam Dialectici conferunt scilicet, cum concreta substantiaria collocentur in Categoria substantiae, concretis vel abstractis nominibus. Quod verò hunc Dialogum, proximè tertium posuerimus, effecit cum disputandi similitudo; nempe magistro & discipulo interloquentibus: tum identitas temporis, ut quae pendè eodem tempore, (sic aduertit Eddin. c. 14. lib. 1. vita Auctoris) eodemque partu fuisse edita, simul legerentur. Nostra autem Bibliotheca, quae huic fortui alteram dedit lucem, bene precare Candidae Lector.

B

SANCTI ANSELMI
CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI
Liber, seu Disputatio Dialectica de Grammatico, Disc.

DE Grammatico peto, ut me certum facias, verum sit substantia, aut Qualitas: ut hoc cognito, quid de alijs, quae similiter denominatiue dicuntur, sentire debeam, agnoscam. *Magister.* Dic primum cur dubites? *Discipulus.* Ideo, quia videtur utrumque posse probari necessarijs rationibus: esse, scilicet, & non esse. *M.* Proba ergo. *D.* Ne ergo festines, contradicere, quicquid dixerò, sed patere me orationem ad suum finem perducere: demum, aut approba, aut corrige. *M.* Ut vis. *D.* Ut quidem Grammaticus probeatur esse substantia,

D ANSELMI TOMVS III.

sufficit: quia omnis Grammaticus homo, & omnis homo substantia. Quicquid enim habet Grammaticus, ut sequatur eum substantia, non habet, nisi ex eo, quod homo est. Quare hoc concessio ut homo sit, quaecumque sequitur hominem, sequitur Grammaticum. Quod verò Grammaticus sit Qualitas, aperte fatentur Philosophi, qui de hac re tractauerunt: quorum auctoritatem de his rebus est imprudentia improbare. Itaque necesse est, ut Grammaticus aut Substantia, aut Qualitas, aut quodlibet horum sit, alterum non sit, & quodlibet non sit, alterum necesse sit esse. Quicquid videlicet ad astringendam unam partem destruit alteram; & quicquid unam partem astringit, destruit alteram, & unam debilitat, alteram roborat. Cum ergo alterum horum verum sit, alterum falsum: rogo, ut falsitatem detegens, aperias mihi veritatem. *M.* Argumenta, quae ex utraque parte posuisti, necessaria sunt: nisi quod dicis, si alterum est, alterum esse non posse. Quare non debes a me exigere, ut alteram partem esse falsam ostendam, quod ab illo fieri non potest: sed quomodo sibi inuicem non repugnent, aperiam; si a me fieri potest, sed vellem ego prius a te ipso audire, quid his probationibus tuis obijci posse opineris. *D.* Hoc quod tu a me exigis, a te intentus expectabam. Sed quoniam tu easdem probationes asseris irreprobabiles, meum est, quod dubito aperire, quod me sollicitet, tuum verò est utriusque partis firmitatem & convenientiam ostendere. *M.* Dic ergo tu quod sentis: & ego tentabo facere quod poscis. *D.* Illam quidem propositionem, quae dicit Grammaticum esse hominem, hoc modo repellere existimo: quia nullus Grammaticus potest intelligi sine Grammatica, & omnis homo potest intelligi sine Grammatica. Item omnis Grammaticus suscipit magis & minus, & nullus homo suscipit magis & minus: ex qua utraque concessione binarum propositionum, conficitur una conclusio, id est, nullus Grammaticus homo. *M.* Non sequitur. *D.* Quare. *M.* An tibi videtur animalis nomen aliud significare quam substantiam animatam sensibilem? *D.* Prorsus nihil aliud est animal, quam substantia animata sensibilis: nec substantia animata sensibilis aliud est, quam animal. *M.* Ita est. Sed dic quae so, utrum omne quod non est aliud quam substantia animata sensibilis, possit intelligi praeter rationalitatem nec sit rationale ex necessitate. *D.* Negare non possum. *M.* Omne igitur animal potest intelligi praeter rationalitatem, & nullum animal est ex necessitate rationale. *D.* Nequeo dicere quin ex concessis consequatur: quamquam valde metuam quod te suspicor intendere. *M.* Aut nullus homo potest intelligi praeter rationalitatem, & omnem hominem necesse est rationalem esse. *D.* Angustiae sunt mihi vndique: nam si concedo, concludis nullum hominem esse animal: si renuo, dicere me non tantum posse intelligi, sed vere esse sine rationalitate. *M.* Ne timeas, non sequitur quod putas. *D.* Si sic est, ut promittis, spontaneus concedo quicquid proposuisti: Sin aut, inuitus, *M.* Contexe igitur tu ipse quatuor ultimas propositiones, quas feci in duos syllogismos. *D.* Sic utique ordine digeri possunt: *Omne animal potest intelligi praeter rationalitatem. Nullus vero homo potest intelligi praeter rationalitatem. Iterum: Nullum animal rationale est ex necessitate: Omnis autem homo, rationalis est ex necessitate:* Ex utroque hoc ordine binarum propositionum videtur nasci: *Nullus igitur homo est animal:* quo nihil falsius, licet praecedentes propositiones titubare in nullo videam. Duae namque quae subiectum habent tantum hominem,

Grammaticus cum esse Qualitatem docet.

Grammaticus non esse hominem probat.

D altera probatio.

Confutatio superioris syllogismi.

Probat Grammaticum esse substantiam.

A sic sunt per se notæ, vt imprudentia sit eas probare. Duæ verò, quæ subijciunt *animal* sic videtur probare, vt imprudentia sit eas negare. Sed video horum duorum syllogismorum connexionem per omnia similem illis duobus, quos paulò ante protuli. Quapropter ad nihil aliud suspicor te hos attulisse, nisi, vt cum eorum conclusionem aperte falsam cerneret, idem de similibus quos ego fecerã, decernerem. *M.* Sic est. *D.* Ostende ergo in quo & hic, & ibi tanta sit deceptio: vt cum & veræ propositiones, & secundum naturam syllogismorum contextæ videantur, nulla tamen eorum cõclusione veritas tueatur. *M.* In tuis syllogismis hoc faciã, meos si vis per te discutito. *D.* Fiat tuo iudicio. *M.* Repete, & cõtexe syllogismos quos fecisti. *D.* *Omnis homo potest intelligi sine grammatica.* *M.* Quid dicis hominem intelligi posse sine grammatica? *D.* Hominem. *M.* Dic ergo in ipsa propositione quid intelligis? *D.* Omnis homo potest intelligi homo sine grammatica. *M.* Concedo, assume. *D.* Nullus grammaticus potest intelligi sine grammatica. *M.* Quid nõ potest grãmaticus intelligi sine grãmatica? *D.* Grãmaticus. *M.* Profer ergo quod intelligis. *D.* Nullus grãmaticus potest intelligi grammaticus sine grãmatica. *M.* Iuge simul has duas propositiones ita integras, sicut eas modo protulisti. *D.* *Omnis homo potest intelligi homo sine Grammatica: nullus Grammaticus potest intelligi Grammaticus sine Grammatica.* *M.* Vide ergo vtrum habeam communem terminum, sine quo nihil efficiunt. *D.* Video eas non habere cõmunem terminum, & idcirco nihil ex eis consequi. *M.* Contexe alterum syllogismum. *D.* Non iam opus est, vt pro eius ostensione labores: nam aduerto eius fallaciam. Sic enim eius propositiones intelligebam, ac si diceretur quia nullus homo est magis & minus homo; & omnis Grammaticus est magis & minus grammaticus, & quoniam hæc duæ propositiones nullum habent communem terminum, nihil conficiunt. *M.* Itane esse videtur: his tuis connexionibus nihil cõcludi posse. *D.* Ita vtiq; putabam: sed hæc tua interrogatio me facit suspectum, ne fortè in illis lateat aliqua efficacia, sed quomodo efficiunt sine cõmuni termino? *M.* Communis terminus syllogismi non tam in probatione quam in sententia est habendus. Sicut enim nihil efficitur, si communis est in voce & non in sensu: Ita nec obest, si est in intellectu & non in prolatione. Sententia quippe ligat syllogismum nõ verba. *D.* Expecto vt reddas effectum propositionibus meis. *M.* Efficiunt verè quid, sed non quod expectas. *D.* Quicquid illud sit, non ingratus accipio. *M.* Qui dicit, omnis homo potest intelligi homo sine Grammatica, & nullus Grammaticus potest intelligi Grammaticus sine Grammatica: nonne hoc significat quia esse hominis non indiget Grammatica, & esse Grammatici indiget Grammatica? *D.* Nihil verius. *M.* An habent communem terminum hæc duæ propositiones, quas modo dixi, in alijs duabus. *D.* Habent. *M.* Conficitur ergo, quia esse Grammatici non est esse hominis. id est, non esse easdem diffinitiones vtriusq;. *D.* Procul dubio sic video esse & cõsequi. *M.* Non tamè ideo consequitur Grammaticum non esse hominem sicut tu intelligebas. Sed si ita intelligas, Grammaticus non est homo, id est, ac si dicatur grammaticus non est. Idè quod homo, id est, non habent eandem diffinitionem, vera est cõclusio. *D.* Intelligo quod dicis. *M.* Si ergo benè intelligis quæ dixi: dic quomodo tu dissolueres hunc syllogismum, si quis ita contexeret: *Omnis Grammaticus dicitur in eo quod quale nullus homo dicitur in eo quod quale, ergo nullus homo Grammaticus.*

Communis terminus syllogismi est habendus in sententia non in probatione.

Ex superioribus magister discipulum impugnat.

Ino gladio perit discipulus.

ticus. *D.* Tale mihi hoc videtur esse, ac si diceretur: *Omnis rationale dicitur in eo quod quale, at nullus homo dicitur in eo quod quale, nullus ergo homo rationalis, hoc autem nulla probatio verum efficere valet vt rationale prædicetur de nullo homine.* Similiter ille syllogismus, què modo protulisti, nõ necessariò concludit Grammaticum non prædicari de homine, hoc enim significant eius propositiones, si secundum veritatem eas intelligimus, tanquam si diceretur ita: *Omnis Grammaticus dicitur Grammaticus in eo quod quale: Nullus homo dicitur homo in eo quod quale.* Ex his autem duabus propositionibus, nequaquã consequitur *nullus Grammaticus prædicatur de homine*, quoniam nõ est idem terminus qui affirmatur de Grammatico, & negatur de homine. Effet etiam in illis cõmunis terminus, & necessariam conclusionem ingerent; si autem manente propositione, sicut proposita est, sic vera fuerit assumptio. *Nullus homo dicitur Grammaticus in eo quod quale; aut manente assumptione, sic verè proponeretur: Omnis Grammaticus dicitur homo in eo quod quale.* Nam ex vtraq; hac cõplexione, nasceretur: quia de nullo homine Grammaticus prædicaretur: si quis verò id quod dicitur, *homo non est Grammaticus.* Ita velit intelligere ac si diceretur *homo nõ est idem quod Grammaticus*: vt si dicam, fulgor est splendor, aut fulgor, non est splendor, id est, fulgor est id ipsum aut fulgor, non est id ipsum quod splendor, si quis, inquam, sic intelligat, hoc quod dicitur, homo non est Grammaticus: sed huc sensum cõsequatur ex illis propositionibus, si earum vis consideretur benè, quia nullus homo est Grammaticus: nam ad hoc probandum quia essentia hominis non est essentia Grammatici, habet eorum significatio cõmuni terminum. *M.* Benè intellexisti quid dixi, sed fortè non benè considerasti. *D.* Quomodo benè intellexi & nõ benè consideravi? *M.* Dic mihi si quis sic proponeret: *nullus homo potest intelligi sine rationalitate: Omnis aut lapis potest intelligi sine rationalitate, quid consequeretur.* *D.* Quid, nisi *nullus lapis homo.* *M.* Quomodo hoc intelligis, an quia nullo modo lapis est homo, an quia nõ est lapis idem quod homo. *D.* Quia nullo modo lapis homo. *M.* Dic ergo quid differt iste syllogismus ab illo tuo syllogismo: in quo dicis Grammaticum non posse intelligi sine Grammatica, hominem verò posse non Grammaticum hominem non esse. *D.* Quantum quidè ad vim argumentationis, nihil video hunc ab illo differre: sicut enim ibi intelligendum est, quia Grammaticus nõ potest intelligi Grammaticus sine Grammatica: Ita hæc est intelligendum, quia homo non potest intelligi homo sine rationalitate: & idcirco cum huius syllogismi rata sit conclusio, quia nullo modo lapis est homo, videtis mihi syllogismi mei, qui omnino similis est, isti, conclusionem callidis tuis expositionibus obruisse. Benè iam intelligo quid dixeris, quia benè intellexi, sed non benè consideravi: benè enim intellexi quid loquendo mihi significares, sed id ipsum quod significabas non benè consideravi, quia quomodo me deciperet ignoravi. *M.* In hoc non benè considerasti, quia quomodo te non deciperet ignorasti. *D.* Quomodo? *M.* Quippe si iste syllogismus, quem modo proposui sic exponatur, quemadmodum exposui tuum, vt dicatur *nullus homo potest intelligi homo sine rationalitate. Omnis aut lapis potest intelligi sine rationalitate, nõ habet aliam vim concludendi quam dixi tuum habere.* Sed quoniam iste quodam alio modo potest intelligi, quo ille tuus non potest, habet hæc conclusio non vt nullo modo lapis possit esse homo: cum

A enim dico quia nullus homo intelligi valet sine rationalitate, & omnis lapis potest intelligi sine rationalitate sic potest, immo debet accipi, ac si dicatur nullus homo potest aliquo modo intelligi sine rationalitate. Omnis verò lapis quolibet modo potest intelligi sine rationalitate: Unde conficitur, *nullus igitur lapis aliquo modo est homo*. In tuis verò propositionibus, veritas nequaquam similem admittit subauditionem: non enim potest dici nullus Grammaticus intelligi valet aliquo modo sine Grammatica; aut omnis homo valet quolibet modo intelligi sine Grammatica: nam omnis homo qui Grammaticus est, potest intelligi homo, sine Grammatica, & nullus homo potest intelligi Grammaticus sine Grammatica. Quapropter non possum conficere Grammaticum nequaquam esse hominem. **D.** Non habeo quid contra hanc sententiam tuam dicam. Sed quoniam latenter monuisti me, ut non sum contentus intelligere quid dicas, sed id ipsum quod dicis, considerem: videtur mihi concedenda tua conclusio, quam ex meo syllogismo confici ostendisti: quia esse Grammatici non est esse hominis. Si enim hoc est, qui habet essentiam Grammatici, non ideo necessario habet essentiam hominis: sed si homo sequatur Grammaticum, essentia hominis sequitur essentiam Grammatici, sed hæc non sequitur hanc, quare nec ille illum; Non igitur omnis Grammaticus homo, at cum omnibus Grammaticis una sit ratio, cur sint homines, profecto aut omnis Grammaticus homo, aut nullus. Sed constat, quia non omnis; nullus igitur videtur: Itaque quia syllogismo meo conclusionem quam acutè abstulisti, auferendo acutius dedisti. **M.** Et si latenter te monui considerare quod audis, non tamen, ut apparet, inutiliter: nam etsi sophisticè probens nullum Grammaticum hominem per hoc quod esse Grammatici non est esse rationis: velle tamen tibi erit, cum ipsum sophisma, quod te sub pallio veræ rationis fallit, in sua fallacia nudum conspicias. **D.** Ostende ergo quod me fallit, & ubi me fallat, hæc quam modo feci de Grammatico, probatio. **M.** Redeamus iterum ad animal & hominem, in quibus ita palpamus quasi veritatem, ut nullum sophisma nobis persuadeat, licet cogat credere falsitatem. Dic ergo utrum esse uniuscuiusque rei in diffinitione consistat. **D.** Ita est. **M.** Diffinitio hominis est diffinitio animalis. **D.** Minimè: si enim *animal rationale mortale* (quæ est diffinitio hominis) esset diffinitio animalis; cuicumque conueniret animal, conueniret rationale, quod falsum est. **M.** Non est igitur esse hominis esse animalis. **D.** Ita consequitur. **M.** Potes igitur ex hoc probare, quia nullus homo animal, cum eadem ratione, qua probasti modò nullum Grammaticum esse hominem. Quapropter si vides apertam esse falsitatem quia hæc tua ratiocinatio hic concludit ne credas certam veritatem, quod ibi concludit. **D.** Iam ostendisti quia me fallit, ostende etiam ubi. **M.** Non tenes quod paulò antè dixi te concedente, quia esse Grammatici non est esse hominis, Idem est ac si diceretur: diffinitio hominis non esse diffinitionem Grammatici, id est, non est idem Grammaticus omnino & homo. Sicut enim homo non debet defini cum Grammatica, ita Grammaticus non valet sine Grammatica. Quare debet intelligi illa tua argumentatio hoc modo. Si esse Grammatici non est simpliciter esse hominis qui habet essentiam Grammatici, non ideo sequitur, ut habeat simpliciter essentiam

hominis. Similiter intelligendum est, quia simpliciter homo non sequitur Grammaticum, id est, si Grammaticus est, non sequitur ut sit simpliciter homo, ita verò nihil aliud sequitur nisi *nullus Grammaticus est simpliciter homo*, quod verum est non simpliciter sed homo talis est Grammaticus. **D.** Nihil clarus. **M.** Verum si probaretur, quod (ut puto) difficile fieri potest, quia esse Grammatici, ita non est esse hominis, sicut esse albi, non est esse hominis; potest enim homo esse sine albo & albo sine homine, tunc verè sequeretur aliquis Grammaticum posse esse non hominem. **D.** Quid ergo laboramus utrum possit esse, si hoc probari potest, proba: & finiatur hæc quæstio. **M.** Non hoc a me debet hic exigere, non enim in hac quæstione ventilamus, utrum possit esse, sed utrum sit aliquis Grammaticus non homo, quod vides monstrari non posse. **D.** Nondum video, quia adhuc habeo dicere contra. **M.** Dic. **D.** Aristoteles ostendit Grammaticum eorum esse quæ sunt in subiecto, & nullus homo est in subiecto, quia nullus Grammaticus homo. **M.** Noluit Aristoteles hoc consequi ex suis dictis, Nam idem Aristoteles dicit, & quendam hominem, & hominem & animal Grammaticum. **D.** Quomodo ergo dissoluitur iste syllogismus? **M.** Responde mihi, cum loqueris mihi de Grammatico unde intelligam te loqui de hoc nomine, an de rebus quas significat? **D.** De rebus. **M.** Quas ergo res significat? **D.** Hominem & Grammaticam. **M.** Audito ergo hoc nomine, intelligam hominem aut Grammaticam & loqueris de Grammatico. Loquor de homine aut de Grammatica. **D.** Itaque oportet. **M.** Dic ergo, homo est substantia, an in subiecto? **D.** Non est in subiecto, sed est substantia. **M.** Grammatica est qualitas & in subiecto. **D.** Vtrumque est. **M.** Quid ergo mirum si quis dicit, quia Grammaticus est substantia, & non est in subiecto secundum hominem, & Grammatica est qualitas & in subiecto secundum grammaticam? **D.** Diffiteri non possum: Sed vnum adhuc dicam; cum Grammaticus non sit substantia, quia omnis substantia est prima aut secunda, Grammaticus autem nec prima nec secunda. **M.** Memento dictorum Aristotelis, quæ paulò antè dixi, quibus dicit Grammaticus, & primam, & secundam substantiam; quia hominem quendam & hominem & animal Grammaticum dici testatur; sed tamen unde probas Grammaticum non esse primam aut secundam substantiam? **D.** Quia est in subiecto, quia nulla substantia est & dicitur de pluribus, quod primæ non est, nec est genus, aut species, nec dicitur in eo quod quid, quod est secundæ. **M.** Nihil horum, si bene meministi, quæ iam diximus auferunt Grammatico substantiam: quia secundum aliud Grammaticus non est in subiecto, & est genus, & species, & dicitur in eo quod quid: quia est & homo (qui species est,) & animal, quod est genus: & hæc dicuntur in eo quod quid; Est autem indiuiduus sicut homo, & animal: quia quemadmodum quidam homo, & quoddam animal, ita quidam Grammaticus est indiuiduus. Socrates enim & homo, & animal est, & Grammaticus. **D.** Non possum negare quod dicis. **M.** Si alia non habes unde possis probare Grammaticum non esse hominem, nunc proba eum non esse Grammaticam. **D.** Facilius hoc possum digito quam argumento. Ibi nanque fregisti omnia mea argumenta, ubi aperuisti à Grammatico significari diuersa, & secundum ea loquendum, & intelligendum de Grammatico:

A quod quamvis abunde non possum, tamen non sic satisfacit animo meo, ut velut quod querebat inuento quiescat: videris quasi non tractare ut me doceas, sed tantum ut rationes meas obstruas. Sed sicut meum fuit exponere, quæ me ex utraque parte in ambiguitatem cogunt: ita tuum erat aut unam partem destruere, aut ostendere quomodo sibi inuicem non repugnant. *M.* Cur non satis tibi videretur ostensum, quod Grammaticum esse substantiam & Grammaticam esse qualitatem, nequaquam repugnent sibi inuicem, in eo quod de Grammatico modo secundum hominem, modo secundum Grammaticam loqui, & intelligere oportet. *D.* quoniam nemo, qui intelligit nomen Grammatici, ignorat Grammaticum significare hominem & Grammaticam: & tamen si hac fiducia in populo loquens dicam: utilis scientia est Grammatica, aut bene, sic: homo iste Grammatica, non solum stomachabuntur Grammatici, sed & ridebunt rustici. Nullatenus itaque credam, sine aliqua alia ratione tractatores Dialecticæ tam sæpe, & tam studiosè in suis libris scripsisse, quod idem ipsi colloquentes dicere erubescerent, sapissime namque cum volunt ostendere qualitatem, aut accidens, subiungunt ut Grammaticus & similia: cum Grammaticus magis esse substantiam quam qualitatem, aut accidens usus omnium loquentium attestatur: & cum volunt aliud dicere de substantia, nusquam proferunt, ut Grammaticus, aut aliud huiusmodi huc accedit, quia si ideo Grammaticus, quia significat hominem & Grammaticam, dicendus est substantia & qualitas: cur homo superior non est qualitas, & substantia? homo namque significat substantiam, cum omnibus illis differentiis, quæ sunt in homine, ut est sensibilitas & mortalitas. Sed nusquam ubi sit scriptum aliud de qualitate aliqua, probatum est ad exemplum velut homo. *M.* Quod illam rationem quam dixi, cur Grammaticus scilicet sit substantia & qualitas, idcirco repudias; quia non valet in nomine hominis: idcirco facis, ut puto, quia non consideras quam dissimiliter significant, scilicet nomen hominis, ea ex quibus constat homo, & Grammaticus hominem & Grammaticam. Nempe nomen hominis per se & ut unum significat ea ex quibus constat totus homo, in quibus substantia principalem locum tenet: quoniam est causa aliorum, & habens ea non ut indigens illis, sed ut se indigentia. Nulla enim est differentia substantiæ, siue qua substantia inueniri non possit: & nulla differentiarum eius, sine illa potest existere. Quapropter quamvis omnia simul velut unum totum, sub una significatione uno nomine appellentur homo; sic tamen principaliter, hoc nomen est significatiuum & appellatiuum substantiæ, ut cum rectè dicatur, substantia est homo, & homo substantia, nullus tamen dicat rationalitas est homo, aut homo rationalitas; sed habens rationalitatem. Grammaticus verò non significat hominem & Grammaticam ut unum; sed Grammaticam per se, & hominem per aliud significat: & hoc nomen quamvis sit appellatiuum hominis, non tamen propriè dicitur eius significatum: & licet sit significatum Grammaticæ, non tamen propriè est eius appellatiuum. Appellatiuum autem nomen cuiuslibet rei nunc dico, quo res ipsa vsu loquendi appellatur, nullo enim vsu loquendi dicitur Grammatica est Grammaticus, aut Grammaticus est Grammatica, sed homo est Grammaticus, & Grammaticus homo. *D.* Non video quid dicas, quod Grammaticus

Grammaticus magis substantia quam qualitas.

B significat Grammaticam per se, & hominem per aliud, & quod modo Grammaticæ tantum significatum sit. Sicut enim homo constat ex animali & rationalitate, & mortalitate, & idcirco homo significat hæc tria: Ita Grammaticus constat ex homine & Grammatica, & ideo nomen hoc significat utrumque. Nunquam enim dicitur Grammaticus aut homo sine Grammatica, aut Grammatica sine homine. *M.* Si ergo ita est ut tu dicis, definitio & esse Grammatici, est homo sciens Grammaticam. *D.* Non potest aliud esse. *M.* Ergo cum Grammatica diuidit hominem Grammaticum a non Grammatico, conducit Grammaticum adesse: & est pars eius quod est esse rei, nec potest adesse, & abesse a Grammatico præter subiecti corruptionem. *D.* Quid inde. *M.* Non est igitur Grammatica accidens, sed substantialis differentia; & homo genus, & Grammaticus species: nec dissimilis est ratio de albedine, & similibus accidentibus, quod falsum esse totius artis tractatus ostendit. *D.* Quanquam non possum negare quod dicis, nondum tamen mihi persuasum est quod Grammaticus significet hominem. *M.* Ponamus quod sit animal aliquod rationale; non tamen homo: quod ita sciat Grammaticam sicut homo. *D.* Facile est hoc fingere. *M.* Est igitur aliquis non homo sciens Grammaticam. *D.* Ita consequitur. *M.* At omne sciens Grammaticam, est Grammaticum. *D.* Concedo. *M.* Est igitur quidam non homo Grammaticus. *D.* Consequitur. *M.* Sed tu dicis in Grammatico intelligi hominem. *D.* Dico. *M.* Quidam ergo non homo est homo, quod falsum est. *D.* Ad hoc ratio deducitur. *M.* Nonne ergo vides quia Grammaticus non ab aliud magis videtur significare hominem quam album, nisi quia Grammatica soli homini, albedo verè non soli homini. *D.* Sicut sequitur, ex eo finimus, sed sine figmento volo ut hoc efficias. *M.* Si homo est in Grammatico, non prædicatur cum eo simul de aliquo; sicut animal non prædicatur cum homine quia inest in homine, non enim aptè dicitur quia Socrates est homo animal. *D.* Non potest contradici. *M.* Sed conuenienter dico quod Socrates est homo Grammaticus. *D.* Conuenienter. *M.* Non est igitur homo in Grammatico. *D.* Sic consequi video. *M.* Item si Grammaticus est homo sciens Grammaticam, ubicunque ponitur Grammaticus, aptè ponitur homo sciens Grammaticam. *D.* Ita est. *M.* Si igitur aptè dicitur Socrates est homo Grammaticus, aptè quoque dicitur Socrates est homo sciens Grammaticam. *D.* Consequitur. *M.* Omnis autem homo sciens Grammaticam est homo Grammaticus, & quoniam homo Grammaticus est homo sciens Grammaticam: Consequitur ut Socrates sit homo sciens Grammaticam & sic in infinitum. *D.* Non possum aptè consequentiæ resistere. *M.* Igitur si in Grammatico homo intelligendus est, similiter in omnibus similibus denominatiuis, id est, quod denominatur, cum eo a quo denominatur. *D.* Hoc sentiebam. *M.* Ergo hodiernum significat id quod vocatur hodiernum & hodie. *D.* Quid postea? *M.* Hodiernum igitur significat aliud cum tempore. *D.* Ita esse necesse est. *M.* Ergo hodiernum non est nisi scilicet verbum; quia est vox con significans tempus, nec est oratio. *D.* Satis mihi probasti Grammaticum non significare hominem. *M.* Vides igitur quid dixerim, quia Grammaticus non est hominis significatum. *D.* Video, & expecto, ut Grammaticum ostendas significat

C

D

significa-

A significatum esse Grammaticæ. *M.* Nonne ante dicebas Grammaticum significare hominem scientem Grammaticam? *D.* Et credebam. *M.* Sed iam satis probatum est, quia non significat hominem. *D.* Satis. *M.* Quid ergo restat? *D.* Ut non significet aliud quam scientem Grammaticam. *M.* Est ergo significatum Grammaticæ. *D.* Sufficenter probatum est Grammaticum non esse appellativum Grammaticæ, sed hominis, nec esse significatum hominis sed Grammaticæ: sed quoniam dixisti Grammaticum significare Grammaticam per se, & hominem per aliud: peto, ut aperte mihi has duas significaciones distinguas, ut intelligam quomodo Grammaticus non sit significatum eius, quod pro aliquo modo significat, aut quomodo sit appellativum, timet significatum non est. *M.* Si est in domo aliquis albus equus te nesciente inclusus, & alius tibi dicit in hac domo est albus siue albus: An scis per hoc ibi inesse equum? *D.* Non: siue enim dicat album albedinem, siue in quo siue cui inest albedo, nullius certe rei mente concipio essentiam, nisi huius coloris. *M.* Si aliquid aliud intelligis quam colorem istum, illud tamen rectum est, quia eius, in quo est ipse color, essentiam per hoc nomen non intelligis. *D.* Certum nam si occurrat animo corpus aut superficies, quod non ob aliud sit nisi quia expertus sum in his Solem esse per albedinem, ipsum tamen nomen albi nihil horum significat; sicut prolatum est de Grammatico: sed adhuc expecto ut ostendas quid significet. *M.* Quid si vides stantes iuxta se inuicem album equum, & nigrum bouem, & dicat tibi aliquis de equo percutit illum, non monstrans aliquo signo de quo dicatur, an scis quod de equo dicat? *D.* Nō. *M.* Si verò nescienti tibi & interroganti quoniam respondit album intelligis de quo dicit? *D.* Equum intelligo per nomen albi. *M.* Nomen ergo albi significat equum. *D.* Significat utique. *M.* Nonne vides quia alio modo quam nomen equi? *D.* Video nempe nomen equi etiam priusquam sciam ipsum equum album esse: significat inde equi substantiam per se, & non per aliud. Nomen vero albi equi substantiam non per se, sed per aliud, id est, per hoc quod scio equum esse album; cum enim nihil aliud significet hoc nomen quod est albus; quam hæc oratio, quod est habens albedinem: sed hæc oratio per se constituit mihi intellectum albedinis, & non eius rei quæ habet albedinem: Ita & nomen, scilicet quoniam scio albedinem esse in equo, & per aliud quam per nomen albi; intelligo equum per hoc quod albedinem scio esse in equo: Id est, per aliud quam per nomen albi, quo tamen equus appellatur. *M.* Vides ergo quoniam album non sit significativum eius, quod aliquo modo significat; & quomodo sit appellativum eius, cuius non est significativum. *D.* Hoc quoque video; significat enim equum, & non significat eum; non enim significat per se, sed per aliud; & tamen equus appellatur albus; & quod video in albo, hoc intelligo in Grammatico, & in similibus denominatiuis. Quapropter videtur mihi significatio nominum & verborum sic diuidi posse, quod alia sit per se, alia per aliud. *M.* Considera etiam quoniam earum duarum significatiuum, illa quæ per se est, ipsis vocibus significatiuis est substantialis: alia verò appellatur accidentalis. Cum verò in diffinitione nominis vel verbi dicatur, quia est vox significatiua; intelligendum est, non alia significatiua quam ea quæ per se est: nam si illa significatio quæ est per aliud,

in diffinitione nominis vel verbi intelligenda est, iam non erit hodiernum, nomen sed verbum: significat enim aliquando ea significatione, aliud cum tempore, sicut prædixi, quod non est nominis, sed verbi. *D.* Patet quod dicis, sed non sine scrupulo accipit animus, Grammaticum esse qualitatem, quamuis significet Grammaticam, aut hominem solum, id est, sine Grammatica esse Grammaticum: licet probatum sit hominem simul & Grammaticam non esse Grammaticum. Unde consequitur solum hominem esse Grammaticum, quoniam non potest esse Grammaticus nisi solus, aut cum Grammatica: quamuis nunquam Grammatici nomen significatum sit Grammaticæ, non tamen conuenienter responderetur interroganti, quid Grammaticus sit; Grammatica aut qualitas: & si nullus est Grammaticus, nisi participando Grammaticam: consequitur ut homo non sit Grammaticus nisi cum Grammatica. *M.* Quod quidem dicitur quod homo solus, id est, sine Grammatica est Grammaticus, quantum ad tuam questionem sufficit, duobus modis intelligi potest: vno modo vero, altero modo falso; homo quippe solus, id est, absque Grammatica, est Grammaticus: quia solus est habens Grammaticam: Grammatica namque nec sola nec cum homine habet Grammaticam, sed homo solus, id est, absque Grammatica non est Grammaticus: quia absente Grammatica nullus est Grammaticus, vel potest esse: sicut qui procedendo ducit alium, & solus est primus: quia qui sequitur non est primus, nec separatim: nec sic, ut ex illis duobus unus fiat primus, & solus non est primus: quia nisi sit qui consequatur primus esse non potest. Cum verò dicitur quod Grammaticus est qualitas non recte, nisi secunda tractatum Aristotelis de Categorijs dicitur. *D.* An aliter habet ille tractatus, quam omne quod est, aut est substantia, aut qualitas, aut quantitas &c. Si ergo solus homo est Grammaticus, quomodo ergo secundum illum tractatum magis est Grammaticus qualitas quam substantia? *M.* Et si hoc ibi intelligatur quod tu dicis, quia omne quod est aliquid horum est: non tamen fuit principalis intentio Aristotelis, hoc in illo libro ostendere sed quoniam omne nomen vel verbum aliquid horum significat, non enim intendebat ostendere quid sint singulares, nec quarum rerum sint appellatiuæ singulæ voces; sed quarum significatiuæ sunt: Sed quoniam voces non significant nisi res, dicendo quid sit quod voces significant, necesse fuit dicere quid sint res. Nam (ut alia taceam) sufficienter hoc quod dico diuisio quam facit in principio Categoriarum ostendit; non enim ait. Eorum quæ sunt singularium est substantia aut quantitas, &c. Nec ait: Quæ secundum ullam complexionem dicuntur: singulum aut substantia appellatur aut quantitas; sed ait. Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam significat aut qualitatem. *D.* Persuadet ratio quod dicis. *M.* Cum ergo Aristoteles ita dicat, eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam, significat aut quantitatem, & tunc de qua significatione videtur tibi dicere? de illa quam per se significant ipsæ voces, & quæ illis est substantialis: aut de altera quæ per aliud est, & accidentalis. *D.* Non nisi de ipsa quam idem ipse eisdem vocibus inesse diffiniendo nomen & verbum assignauit, quæ per se significant. *M.* An putas illum aliter prosequutum

A in tractatu, quam proposuit in diuisione? an aliud eorum, qui eum sequentes de Dialectica scripserunt, aliter sentire voluisse de hac re, quam sentit ipse? **D.** Nullo modo eorum scripta hoc aliud opinari permittent; quia nusquam inuenitur aliquis eorum aliquam vocem, ad ostendendum aliud quod significet per aliud, sed semper ad hoc quod per se significat. Nullus enim volens monstrare substantiam, ponit album aut Grammaticum, sed de qualitate docens, album & nigrum ponunt & similia. **M.** Si ergo proposita diuisione prefata, quaero a te quid sit Grammaticus secundum hanc diuisionem, & secundum eos qui illam scribendo de Dialectica sequitur, quid quaero, aut quis mihi respondebit. **D.** Procul dubio hoc non potest quaeri, nisi aut de voce aut de re quam significat: quia constat Grammaticum non significare secundum hanc diuisionem hominem, sed Grammaticam: Incunctanter respondebo si quaeris de voce, quia est vox significans qualitatem: si vero quaeris de re quia est qualitas. **M.** An ignoras quia idem Aristoteles appellat voces nomine rerum, quarum voces sunt significatiuae: & non quarum sunt appellatiuae in eodem libro. Ut cum dicit, Omnis substantia videtur significare hoc aliquid, id est, omnis vox significat substantiam, sicut nominat vel potius ostendit res, quod tu paulo ante inuenisti solis vocibus earum significatiuis, & saepe non appellatiuis. **D.** Non hoc ignorare possum, quare siue quaeratur de voce, siue de re, cum quaeritur quid sit Grammaticus secundum Aristotelis tractatum & secundum sequaces eius: recte responderetur, qualitas: & tamen secundum appellationem vera est substantia. **M.** Ita est: non enim monere nos debet quod Dialectici aliter scribunt de vocibus, secundum quod sunt significatiuae: aliter eis vtuntur loquendo secundum quod sunt appellatiuae. Sed & Grammatici aliud dicunt secundum formam, aliud secundum rerum naturam. Dicunt quidem lapidem esse masculini generis, petram foemini, mancipiumque neutri; timere autem actiuum, timeri passiuum: cum nemo dicat lapidem masculum, aut petram foeminam, aut timere facere, timeri autem pati. **D.** Aperta ratio in his quae dixisti dubitare non permittit, sed adhuc est de hac questione quod velim dicere. Nam si Grammaticus est qualitas, quia significat qualitatem: non video cur armatus non sit substantia, cum significet substantiam: & si armatus ideo est habere, quia significat habere: Ignoro cur Grammaticus non sit habere, cum significet habere. Omnino enim quemadmodum Grammaticus probatur significare qualitatem, quia significat habentem qualitatem: ita armatus significat substantiam, quia significat habentem disciplinam. **M.** Nullatenus hac ratione considerata, negare possum, aut armatum esse substantiam, aut Grammaticum habere. **D.** Vellem ergo a te doceri, vtrum vnum aliud possit esse diuersorum praedicamentorum. **M.** Rem quidem vnam, & eandem non puto sub diuersis arctari posse praedicamenti: licet in quibusdam dubitari possit, quod maiori & altiori disputatione indigere existimo, quam hac breui nostra sermocinatione assumpsimus. Vnam autem vocem plura significantem, non vt vnum non video quid prohibeat pluribus aliquando supponi praedicamenti: vt albus dicitur qualitas & habere. Albus enim non ita significat qualitatem & habere, quemadmodum homo signi-

ficat vt vnum significat habentem substantiam, id est, arma & sicut armatus conuincitur significare habere, quia significat habentem arma: Ita Grammaticus significat habere vt vnum, substantiam & qualitates, quibus constat homo. Res quidem, quae appellatur homo, est vnum quiddam constans ex his quae dixi; res vero quae appellatur album, non est vnum aliquid ex habere & qualitate constans; quia nihil appellatur album, nisi res quae habet albedinem; quae nequaquam constat ex habere & qualitate, quia si dicitur homo est substantia & homo est qualitas: Vna eadem res quae significatur, & appellatur hoc nomine, dicitur substantia & qualitas esse; quod videtur inconueniens, cum autem dicimus quia album est qualitas, & habere: non omnis, quia quod appellatur hoc nomine qualitas est & habere. Sed quia haec duo significantur hoc nomine, & nullum inconueniens sequitur. **D.** Cur autem non est homo secundum diuisionem Aristotelis substantia & qualitas, quia vtrumque significat: quemadmodum est album & qualitas & habere, propter vtriusque significationem. **M.** Aestimo huic interrogationi illud posse facere quod supra dixi, quia est principaliter significatum substantiae, & quia illud vnum quod significat substantia est: & non qualitas sed quale: albus vero nihil principaliter sed pariter significat qualitatem & habere; nec fit vnum ex his quod magis fit hoc vel illud cuius fit album significatum. **D.** Planius mihi vellem explicari, quomodo non fiat vnum aliud ex his quae significat album. **M.** Si aliud constat ex eis, aut est substantia, aut aliud aliorum praedicamentorum. **D.** Aliter esse non potest. **M.** Sed nihil horum fit ex habere & albedine. **D.** Non possum contradicere. **M.** Item vnum non fit pluribus. hoc est aut compositione partium, quae sunt eiusdem praedicamenti; vt animal constat ex corpore & anima aut conuenientia generis & differentiae vnius, vel plurium; vt corpus & homo: aut specie, & proprietatem collectione; vt propositio illa vero, quae album significat, non sunt vnius praedicamenti; nec est alterum alteri genus; aut differentia aut species aut collectio proprietatum: nec sunt differentiae vnius generis, sed sunt accidentia eiusdem subiecti: quod tamen subiectum, album non significat: quia omnino nihil significat aliud quam habere, & qualitatem: quia non fit vnum ex his quae album significat. **D.** Quamquam ratio mihi asserere videatur quae dicis, vellem tamen audire quid responderes. Si quia ad hoc, quod dicis, quia nihil omnino album significat aliquid quam habere & qualitatem, sic obijceres: Album cum fit idem quod habens albedinem, non significat determinate hoc vel illud habens, id est, corpus sed indeterminate aliquid habens albedinem. Albus enim, aut est qui habet albedinem, aut qui non habet: Sed qui non habet albedinem, non est albus; Albus igitur est quae habet albedinem. Quare quoniam omnis qui habet albedinem, non nisi aliquid est: necesse est vt aliquid sit album quod habet albedinem, aut aliquid habens albedinem. Denique albus aut aliquid significat habens albedinem, aut nihil. Sed nihil non potest intelligi habens albedinem, necesse est ergo vt albus significet aliquid habens albedinem. **M.** Non agitur vtrum omnis qui est albus, sit aliquid: an sit, qui habet. Sed vtrum hoc nomen sua significatione contineat id quod dicitur aliquid, aut qui habet sicut homo continet animal: at quomodo est ho-

Amo animal rationale mortale, ita albus fit aliquid habens albedinem: multa namque necesse est rem quamlibet esse, quæ tamen rei eiusdem nomine non significantur. Nam omne animal necesse est coloratum esse, & rationale aut irrationale; nomen tamen animalis nihil horum significat: quare licet album non sit nisi aliquid habens, aut qui habet albedinem; non tamen necesse est, ut album significet hoc. Ponamus enim quod album siue albus significet aliquid habens albedinem sed aliquid habens albedinem non est aliud quam aliquid album. **D.** Non potest aliud esse. **M.** Albus igitur siue album significat aliquid album. **D.** Ita fit. **M.** Vbi igitur ponitur albus vel album, semper accipitur pro illo aliquid album. **D.** Consequitur. **M.** Ergo ubi dicitur aliquid album, rectè quoque dicitur bis aliquid aliquid album: & ubi his, ibi ter &c. Et hoc infinitè. **D.** Consequens & absurdum est hoc. **M.** Sit quoque album id ipsum quod est qui albedinem habet: sed hoc non est aliud quam habens est. **D.** Nec potest esse. **M.** Albus ergo non est aliud quàm qui albedinem habens est. **D.** Non aliud. **M.** Cum autem dicitur albedinem habens non aliud significat hæc oratio quàm album. **D.** Ita est. **M.** Idem est igitur albus, quod qui albus est. **D.** Sic sequitur. **M.** Vbi cumque itaque ponitur albus, rectè pro eo quod accipitur qui albus est. **D.** Non possum negare. **M.** Si ergo albus est, qui albus est; & si hoc est: est etiam quicumque qui albus est, est, est sic in infinitum. **D.** Non hoc minus inconsequens, nec minus absurdum est quàm ut sæpe sit aliquid, aliquid. **M.** Si quis autem dicit quia albus, aut aliquid significat habens albedinem, aut nihil: Si sic, intelligitur, ac si diceretur: albus aut significat aliquid habens, aut significat non aliquid habens, ut non aliquid, sit infinitum nomen non est integra, ac verè diuisio & ideò nihil probat, veluti si quis diceret excus aut videt aliquid aut videt non aliquid. Si verò sic intelligitur, quia significat habens albedinem, aut non significat. Integra est diuisio & vera, nec repugnat ijs quæ dicta sunt. **D.** Satis apparet quia per album non significatur aliquid habens albedinem nec qui habet albedinem; sed tantum albedinem habens: id est qualitas & habere ex quibus solis non conficitur vnum aliquid: & ideò albus est vtrumque; quia per vtrumque significat: quam rationem, in omnibus quæ siue complexione dicuntur, & similiter significant quælibet plura ex quibus non fit vnum valere video: nec aliquid his quæ in hac disputatione asseruisti te posse obijcere existimò. **M.** Nec mihi nunc videtur: tamen quoniam scis quam nostris temporibus Dialectici certent de quæstione à te proposita, volo te sic his, quæ diximus inherere, ut ea pertinaciter teneas, si quis validioribus argumentis hoc destruat & diuersa velit astruere: quod si contingeret, saltem ad excitationem disputandi nobis hoc profecisse non negabis.



DE CONCEPTU VIRGINALI ET PECCATO Originali.

Quæ sit originalis & personalis natura.

CAPVT PRIMVM.

CVM in omnibus religiosa tuæ voluntati velim, si possim, obsequi & frater & fili charissime. **B.** tunc vique maximè debitorem me iudico, cum eam à me in te excitari intelligo, Certus autem sum eum in libro: Cur Deus homo (quem vt ederem tu maxime inter alios me impulisti, in quo te mecum disputantem assumpsi) legis aliam præter illam quam ibi posui, posse videri rationem, quomodo Deus accepit hominem de massa peccatrice humani generis sine peccato: quia studiosa mens tua ad quærendum, quæ nam sit illa, non parum prouocatur. Quapropter iniustus videri timeo: si quid inde mihi videtur, dilectioni tuæ abscondo. Dicam igitur sic breuiter de hoc quod sentio vt nullius de eadem re fidelem improbem sententiam: nec meam (si veritati repugnare rationabiliter poterit ostendi) peruicaciter defendam. Illam tamen eiusdem rei rationem, quam in eodem opusculo posui, omnino ratam & sufficienter (si bene consideretur) existimo, nihil enim prohibet eiusdem rei rationes plures esse quarum vnaquæque sola potest sufficere. Ad videndum igitur qualiter Deus hominem assumpsit de generis humani massa peccatrice sine peccato: primùm de originali peccato necesse est inuestigare, quia de hoc solo nascitur hæc quæstio. Nam si videtur, quomodo Christus huic subiaceret non potuit: æqualiter assumptio siue conceptio illius hominis ab omni peccato libera fuit, palam erit. Originale ab origine denominari dubium non est. Si ergo originale peccatum non est, nisi in homine: videtur dici ab origine humanæ naturæ, quod est ab eius initio originale, eò quod ab ipsa humanæ naturæ origine trahatur. Aut ab origine, hoc est, ab initio vniuscuiusque personæ, quoniam in ipsa eius trahatur origine. Sed quod ab initio humanæ naturæ descendat, non videtur: quando origo illius iusta fuit, quando primæ parentes iusti facti sunt sine peccato. Videtur itaque dici originale ab ipsa origine vniuscuiusque personæ humanæ: quamuis si quis dicat peccatum vocari originale, eò quod ab illis descendat in singulos, à quibus habet originem naturæ, non contradicam: si tamen non negetur originale peccatum, cum ipsa vniuscuiusque personæ trahi origine. Licet enim in vnoquoque homine simul fuit natura, quæ est homo sicut omnes alij: & persona, quæ discernitur ab alijs, vt cum dicitur ille, vel iste sine proprio nomine: vt Adam & Abel, & vniuscuiusque peccatum sit in natura & persona, fuit enim peccatum Adæ in homine, quod est in natura: & in illo qui vocatus est Adam quod est in persona. Est tamen peccatum, quod quisque trahit cum natura, & in ipsa sui origine & est peccatum quod non trahit ab ipsa natura sed ipse facit illud postquam iam est persona discreta ab alijs personis. Illud quidem quod trahit in ipsa origine, vocatur originale quod potest etiam dici naturale, non quod sit ex essentia naturæ, sed quoniam propter eius corruptionem cum illa assumitur.

Peccat.

A Peccatum autem quod quisque facit postquam persona est, personale potest nominari, quia vitio personæ fit. Simili ratione potest dici originalis & personalis iustitia. Siquidem Adam & Eva originaliter, hoc est, in ipso sui initio mox ut homines extiterunt sine interuallo iusti simul fuerunt. Personalis autem dici potest iustitia, cum iniustus accipit iustitiam, quam in origine non habuit. Ergo Adam & Eva si iustitiam seruassent originalem, qui de illis nascerentur originaliter, sicut illi, iusti essent.

Qualiter humana natura corrupta est.

Caput II.

Quoniam autem personaliter peccauerunt cum originaliter fortes & incorrupti haberent potestatem semper seruandi sine difficultate iustitiam, totum quod erant infirmatum & corruptum est. Corpus quidem, quia tale post peccatum fuit qualia sunt brutorum animalium corruptioni & carnalibus appetitibus subiacentia, anima verò, quia ex corruptione corporis & eiusdem appetitibus atque ex indigentia bonorum quæ perdidit, carnalibus affectibus infecta, & quia tota natura humana in illis erat, & extra illos nihil erat, tota infirmata & corrupta est. Remansit igitur in ea debitum iustitiæ integræ sine omni iustitia quam accepit, & debitum satisfaciendi, quia eam deseruit cum ipsa corruptione, quam propter peccatum incurrit. Sicut itaque, si non peccasset, qualis facta est à Deo talis propagaretur: ita post peccatum, qualem se fecit peccando, talis propagatur. Quoniam igitur per se nec satisfacere pro peccato, nec iustitiam derelictam recuperare valet, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam: & tunc maxime, quando infirmum est, ut in infantia & in utero matris, ut nec intelligere iustitiam possit: videtur esse necesse eam infantibus nasci, cum debito satisfaciendi pro primo peccato, quod semper cauere potuit & cum debito habendi originalem iustitiam, quam semper seruare valuit. Nec impotentia excusat eam in ipsis infantibus: quia in illis non soluit quod debet, quoniam ipsa sibi fecit eam deserendo iustitiam in primis hominibus in quibus tota erat: & semper debetrix est habere potestatem, quam ad seruandam semper iustitiam accepit: hoc esse videri potest in infantibus originale peccatum. Addamus etiam peccata proximorum parentum, quæ redduntur in tertiam & quartam generationem. Quamuis enim queri possit, vtrum hæc omnia intelligenda sint in originali peccato an non, tamen ne propter hoc quod quero videar leuigare illud, ponam istud esse tale: ut à nullo grauius ostendi possit.

Quod non sit peccatum nisi in voluntate rationali.

Caput III.

Verum siue hoc totum sit originale peccatum, siue aliud minus, puto nullatenus illud posse asseri esse in infante, antequam habeat animam rationalem: sicut nec in Adam fuisse iustitiam prius quam fieret homo rationalis. Nam si Adam & Eva generassent sine præcedenti peccato: non tamen esset in semine iustitia, nec esse posset prius quam formarentur in viuente hominem. Si ergo semen hominis non est susceptibile iustitiæ prius quam fiat homo, non potest suscipere originale peccatum antequam homo fiat. Nempe originale peccatum esse iustitiam dubitari non debet. Nam si omne peccatum est

iniustitia, & originale peccatum est peccatum, vtrique est & iniustitia. Sed si dicit aliquis: non est omne peccatum iniustitia, dicat posse simul in aliquo & esse peccatum & nullam esse iniustitiam: quod videtur incredibile. Si verò dicitur originale peccatum non esse absolute dicendum peccatum, sed cum additamento originale peccatum, sicut pictus homo non verè homo est, sed verè est homo pictus, profecto sequitur: quia infans qui nullum habet peccatum nisi originale, mundus est à peccato: nec fuit solus inter homines filius virginis in utero matris & nascens de matre sine peccato: & aut non damnatur infans qui moritur sine baptismo, nullum habens peccatum præter originale, aut sine peccato damnatur. Sed nihil horum accipimus. Quare omne peccatum est iniustitia, & originale peccatum est absolute peccatum, vnde sequitur, quod est iniustitia. Item si Deus non damnat nisi propter iniustitiam: damnat autem aliquem propter originale peccatum, ergo non est aliud originale peccatum quam iniustitia. Quod si ita est, originale peccatum non est aliud quam iniustitia, id est absentia debiti iustitiæ, non enim videtur esse iniustitia nisi in natura quæ, cum debet habere, iustitiam non habet vtrique originale peccatum clauditur sub eadem definitione iniustitiæ. At si iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata, nec ista rectitudo potest esse nisi in rationali natura: ergo non est vlla natura susceptibilis iustitiæ præter rationalem. Quare quoniam iniustitia non potest esse, nisi vbi iustitia debet esse, originale peccatum quod est iniustitia, non est nisi in natura rationali. Rationalis autem natura non est nisi Deus, & Angelus & anima hominis per quam homo dicitur rationalis, & sine qua non est homo. Quoniam ergo non est originale peccatum nec in Deo nec in Angelo, non est nisi in hominis anima rationali. Sciendum quoque est, quia iustitia non potest esse nisi in voluntate, si iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata: quare nec iniustitia. Non enim vocatur absentia iustitiæ iniustitia, nisi vbi debet esse iustitia. Nihil itaque præter ipsam iustitiam vel iniustitiam dicitur iustum vel iniustum nisi voluntas, aut propter voluntatem iustam vel iniustam. Per hanc dicimus iustum vel iniustum hominem vel Angelum, iustam vel iniustam animam siue actionem.

Quod nihil per se sit iustum aut iniustum nisi ipsa iustitia vel iniustitia, & quod nihil puniatur nisi voluntas vel iniustitia.

Caput IV.

Nihil enim siue substantia siue actio siue aliud quod aliud per se consideratum est iustum nisi iustitia, aut iniustum vel peccatum nisi iniustitia: nec ipsa voluntas in qua est iustitia siue iniustitia. Aliud enim est vis illa animæ, per quam ipsa anima vult aliud, quæ vis instrumentum volendi potest dici (sicut visus instrumentum videndi) quam voluntatem nominamus: & aliud est iustitia, quam habendo iusta voluntas, & qua carendo iniusta vocatur, dicuntur enim voluntates eiusdem instrumenti affectionis & vsus, quod hic longum est inferere. Nec ipsi appetitus, quos Apostolus carnem vocat, quæ concupiscit aduersus spiritum: & legem peccati, quæ est in membris, repugnantem legi mentis, iusti vel iniusti sunt per se considerandi. Non enim iustum faciunt vel iniustum sentientem, sed iniustum tantum voluntate, cum non debet, consentientem. Dicit enim

Apostolus

A Apostolus, nihil damnationis esse his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, id est, non carni voluntate consentiunt. Nam si sentientem sine consensu iniustum facerent, sequeretur damnatio. Quare non eos sentire, sed eis consentire peccatum est. Si enim iniusti iusti per se essent, quoties illis consentiretur iniustum facerent. Sed quando bruta animalia illis consentiunt, non dicuntur iniusta. Item si peccata essent auferentur in baptismo: cum omne peccatum abstergitur, quod nequaquam fieri palam est. Quare non est in eorum essentia vlla iniustitia sed in voluntate rationali illos inordinate sequente. Cum enim illis resistit voluntas condelectando legi Dei secundum interiorem hominem, tunc est iusta voluntas. Iustitiam enim quam lex iubet, & legem Dei dicit, quia à Deo est, & lege mentis, quia per mentem intelligitur, sicut lex vetus Dei dicitur, quia à Deo est, & lex Moyse, quia per Moysen ministrata est. Quod quidem dixi nullam actionem per se iniustam dici: sed propter iniustam voluntatem, in illis planum est, quæ non iniuste possunt fieri aliquando: ut est hominem occidere, sicut fecit Phinees: & vtriusque sexus commixtio, ut in coniugio: & sicut in brutis animalibus. In illis verò quæ nunquam nisi iniuste possunt esse, ut est periurium, & quædam alia, quæ nec sunt nominanda non ita facile intelligitur. Sed si aliqua actio, qua fit aliud: quæ non est nisi dum fit aliud, & peracto eo transit, ut iam non sit, aut opus quod fit & remanet. Verbi gratia: Cum in scribendo quod scribi non debet transit scriptio, qua fiunt scripturæ quæ remanent, esset peccatum transiente actione, ut iam non sit, transiret similiter peccatum, nec iam esset, aut quamdiu remaneret quod fit, nunquam deleteretur peccatum: Sed videmus peccata sæpe non deleri actione deleta, & deleri non opere non deleta. Quare actio quæ transit nec opus quod remanet est aliquando peccatum. Denique si de actionibus voluntarijs, quæ iniuste fiunt, arguuntur membra & sensus quibus fiunt, respondere possunt. Deus nos, & potestatem quæ in nobis est, subiecit voluntati: ut ad imperium eius non possimus mouere nos & facere quod vult, immo illa monet nos velut instrumenta sua, & facit opera quæ videmur facere: nec nos possumus illi per nos resistere: nec opera quæ facit, possunt non fieri Dominæ quam Deus nobis dedit, nec possumus, nec debemus non obedire. Quando illi obedimus: Deo qui hanc legem nobis dedit, obedimus. Ergo quid peccant membra, vel sensus, vel opera, quæ Deus sic subiecit voluntati, si seruant quod Deus illis ordinauit. Quicquid igitur faciunt, totum imputandum est voluntati. Quod cum ita sit, miratur forsitan quis: cur pro culpa voluntatis membra puniantur vel sensus. Verum non ita est, non enim punitur nisi voluntas. Nam nihil est alicui poena nisi quod est contra voluntatem: & nulla res poenam sentit, nisi quæ habet voluntatem, membra autem & sensus per se nihil volunt. Si igitur voluntas in membris & sensibus operatur ita in illis ipsa torquetur aut delectatur. Quod si quis non accipit, sciat in sensibus & membris non nisi animam, in qua est voluntas, sentire & operari, & ideo in illis torqueri aut delectari, habet tamen vsus, ut actiones, quas fecit iniusta voluntas, vocemus peccata: quia in voluntate qua fiunt est peccatum: Dantur etiam quibusdam nomina, quibus significatus eas iniuste fieri, ut fornicatio, mendacium. Sed aliud in-

D. ANSELMI TOMVS III.

telligitur cum quasi actio vel prolatio, aliud cum verum iuste vel iniuste fiat consideratur.

Quod malum quod est peccatum siue iniustitia nihil sit.

Caput V.

DEnique omnis essentia est à Deo, à quo nihil iniustum. Quare nulla essentia est iniusta per se. Iniustitia autem omnino nihil est, sicut cæcitas. Non enim aliud est cæcitas quam absentia visus vbi debet esse: quæ res non magis est aliud in oculo vbi debet esse visus, quam in ligno vbi non debet esse. Non enim est iniustitia talis res quia inficiatur & corrumpatur anima, velut corpus veneno, & quæ faciat aliud sicut videtur, quando malitiosus homo mala facit opera. Nam quemadmodum cum indomita fera ruptis vinculis discurrendo sæuit: & cum nauis si gubernator dimisso gubernaculo dimittit eam, ventis & motibus maris vagatur & inuehitur in quælibet pericula, dicimus quia hoc facit absentia cathenæ, vel gubernaculi: non absentia eorum aliquid sit, aut quicquam faciat: sed quoniam si adesset, facerent ne sæniret fera, aut periret nauis. Ita cum malus homo sæuit, & in quælibet animæ suæ pericula, quæ sunt mala opera impellitur, clamamus, quia hoc operatur iniustitia: non quod ipsa vlla essentia sit, aut faciat aliquid: sed quoniam voluntas (cui subditi sunt omnes voluntarij motus totius hominis) absente iustitia diuersis appetitibus impulsa, se & omnia sibi subdita, in multimoda mala leuis & effrenata & sine rectore præcipitat: & quod totum iustitia, si adesset, prohiberet ne fieret. Ex his ergo facile cognoscitur: quia iniustitia nullam habet essentiam, quamuis iniustæ voluntatis affectus & actus, qui per se considerati aliquid sunt, vsus iniustitiam vocet. Hac ipsa ratione intelligimus malum nihil esse. Sicut enim iniustitia non est aliud, quam absentia debitæ iustitiæ. Ita malum non est aliud, quam absentia debiti boni. Nulla autem essentia, (quamuis mala dicatur,) est nihil, nec malum esse, est illi esse aliquid. Nulli enim essentiæ est aliud malam essentiam esse, quam deesse illi bonum quod debet habere. Deesse verò bonum quod debet adesse, non est aliquid esse. Quare malum esse, non est vlli essentiæ aliquid esse. Hæc breuiter de malo, quod semper est nihil, indubitanter sicut de iniustitia: dixi. Incommoditas enim non est malum: vnde incommoda mala dicuntur, quæ aliquando nihil est: ut surditas & cæcitas: aliquando videntur esse aliquid: ut dolor, & tristitia. Quod autem iustitia sit rectitudo voluntatis propter se seruata: & iniustitia non sit aliud quam absentia debitæ iustitiæ, & nullam habet essentiam, quod etiam omnis essentia sit à Deo, & nihil sit à Deo nisi bonum, sufficienter me ipso ostendisse in eo tractatu quem feci de casu diaboli. Sed de iustitia plenius, in illo quem edidi de veritate.

Quod cum punit Deus pro peccato, non punit pro nihilo.

Cap. VI.

Quidam cum audiunt peccatum nihil esse, solent dicere. Si peccatum nihil est cur punit Deus hominem pro peccato, cum pro nihilo puniri nemo debeat. Quibus, quamuis humilis sit quæstio, tamen quia quod quærunt ignorant, aliquid breuiter respondendum est. Licet pariter nihil sit absentia iustitiæ, & vbi debet esse

II

iusti-

A iustitia, & ubi non debet esse punit tamen Deus rectè peccatores non pro nihilo, propter aliquid (quod in præfato libro dixi: quia debitum sibi honorem, quem sponte reddere noluerunt, ab iniustis exigit, & nequid inordinatum sit in regno eius, eos separatim à iustis ordine competenti disponit. Cresturas autem, in quibus iustitia non debet esse, non punit pro absentia iustitia, hoc est, pro nihilo: quia non est aliquid, quod ab illis exigat, nec ordo congruus vniuersitatis rerum hoc exposulet. Sic itaque cum punit Deus pro peccato, quod est absentia debitæ iustitiæ, quæ nihil est: non omnino punit pro nihilo, & verum est: quia nisi sit aliquid propter quod punire debeat, omnino non punit pro nihilo. Iam peccatum & iustitiam nihil esse: & hæc non esse nisi in rationali voluntate, nec vllam essentiam propriè dici iniustam nisi voluntatem, ex his quæ dicta sunt, apertum esse existimo.

Quod semen hominis dicatur immandum & concipi in peccatis quamuis in eo non sit peccatum.

Caput VII.

Videtur itaque sequi, quod aut infans statim ab ipsa conceptione animam habet rationalem sine qua voluntatem rationalem nequit habere: aut in eo non est originale peccatum mox cum conceptus est. Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sequitur enim, ut quotiens susceptum semen humanum etiam ab ipso momento susceptionis, parit: antequam perueniat ad humanam figuram, totiens damnatur in illo anima humana: quoniam non reconciliatur per Christum quod est nimis absurdum. Hæc igitur pars huius diuisionis penitus relinquenda est. Sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum: quid dicit Iob Deo: *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine: nisi tu qui solus es?* Et quomodo verum est, quod dicit David: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quæram igitur, si possum quomodo (quamuis non statim ab ipsa conceptione) sit in infantibus peccatum, de immundo tamen semine, iniquitatibus & peccatis concipi dicatur. Sæpe utique diuina Scriptura asserit aliquid esse, quando non est: idcirco, quia certum est, futurum esse. Sic quippe Deus Adæ delicto dicit. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* nõ quod ea die mortuus sit corpore: sed quoniam de illa necessitatem accepit aliquando moriendi. Et Paulus similiter ob necessitatem moriendi aliquando ait: *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò uiuit propter iustificationem.* Non enim corpora eorum, quibus loquebatur, mortua erant, sed moritura propter peccatum: quia per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Sicut in Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus: Sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illi necessitas, ut cum essemus, peccaremus: quoniam per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Similimodo de immundo semine, in iniquitatibus & in peccatis concipi potest homo intelligi, non quod in semine sit immunditia peccati, aut peccatum siue iniquitas: sed quia ab ipso semine & ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem: ut cum habebit a-

nimam rationalem, habeat peccati immunditiæ am: quæ non est aliud quam peccatum & iniquitas. Nam & si ex vitiosa concupiscentia semine generetur infans, non tamen magis est in semine culpa, quam est in sputo vel in sanguine, si quis mala voluntate exspuit, aut de sanguine suo aliquid emittit, non enim sputum aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo, & in infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum: & vera sunt quæ de diuina Scriptura opposui, quippe non est in illis peccatum, quia non habent (sine qua non inest peccatum) voluntatem: & tamen dicitur inesse quoniam in semine trahunt peccandi, (cum homines iam erunt) necessitatem. Si ergo hæc ut putò vera sunt, quod assumitur de parente ad prolem: quia nullam habet voluntatem, nullum est in eo peccatum.

Quod in semine sumpto de virgine non sit peccatum, nec necessitas futuri peccati.

Caput VIII.

ITaque perspicuum est, quod in eo quod filius Dei in personam suam assumpsit de virgine, nulla potuit esse peccati macula. Sed dictum est, quia semen à parentibus trahitur cum necessitate peccati futuri, cum fuerit animatum anima rationali, hoc utique non est propter aliud nisi quia humana natura nascitur in infantibus (ut dixi) cum debeat satisfaciendi pro peccato Adæ, & secundum quod posui, proximorum parentum, quod nequaquam facere potest, & quam diu non facit peccat, & quia sola per se non valet iustitiam habere quam deseruit: & anima, quæ grauatur corpore quod corrumpitur, nequit eam saltem intelligere, quæ nec seruari potest nec haberi non intellecta. Quapropter si ab his necessitatibus semen assumptum de virgine liberum ostendi poterit, palam erit quia nullam peccati necessitatem traxit. Quod sola quidem necessitas qua humana natura sola per se iustitiam recuperare nequit, & illa qua corpus quod corrumpitur aggrauat animam, ut eandem iustitiam nec acceptam in ætate perfecta sine auxilio gratiæ seruare, nec infantibus saltem intelligere queat, ab illo semine sint alienæ facile monstrari valet per vnitatem personalem assumentis & assumptæ naturæ: si prius necessitas illa repellitur, qua ad satisfactionem pro peccatis primorum & proximorum parentum astringi videtur. Sed quia illud nullum sequatur à proximis parentibus debitum, dubium non erit, si à debito primorum parentum, intelligi poterit. Hoc igitur adiuuante Deo conabor primum, quomodo cognosci possit inuestigare: quatenus hoc demonstrato in alijs non sit necesse multum laborare.

Cur peccatum quod damnatur humanum genus, magis imputatur Adæ quam Euz, cum ille post, & per illam peccauerit.

Caput IX.

AD quod mihi videtur quærendum in primis, cur sæpius & specialius peccatum, quo damnatum est humanum genus, magis imputetur Adæ quam Euz: cum ipsa prius peccauerit & Adam post & per illam. Dicit enim Apostolus: *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Multa quoque alia leguntur, quæ magis Adam, quam Enam criminari videntur. Quod ideo fieri existimo, quia illa duorum copu-

Iob. 14.

Psal. 50.

Genes. 2.

Rom. 8.

Rom. 5.

Vt supra.

Sapient. 4.
D

Rom. 5.

Genes. 5.

A copula tota intelligitur in nomine principalis partis, sicut sæpe per partem totum solet significari: Aut quoniam Adam cum costa sua quamuis in mulierem edificata, dici poterat Adam sicut legitur: quia Deus masculinum & feminam fecit eos, & benedixit eis. Et vocauit nomen eorum Adam in die quo creati sunt: Aut idcirco, quia si non Adam, sed sola Eua peccasset, non necesse erat totum humanum genus perire, sed solam Euan. Poterat namque Deus de Adam, in quo semen omnium creauerat, aliam facere mulierem: per quam de Adam propositum Dei perficeretur. Eisdem rationibus significabo per nomen Adæ eos ambos: nisi cum necesse erit eos discernere.

Genes. 5.

Cur grauentur peccato Adæ qui eius conscij non fuerunt.

Caput X.

Est quidem vnusquisque filius Adæ homo per creationem, & Adam per propagationem, & persona per indiuiduitatem, qua discernitur ab alijs. Non enim habet homo esse ab Adam, sed per Adam. Nam sicut Adam non se fecit hominem: ita non fecit in se naturam propagandi, sed Deus qui eum creauit hominem, fecit in eo hanc creaturam: vt de illo propagarentur homines. Dubium autem non est, vnde vnusquisque alligetur debito, de quo agitur: non enim inde, quia homo est, nec quia persona est. Nam si idcirco vnusquisque huius debiti reus est, quia est homo, aut persona: necesse erat Adam priusquam peccasset ad hoc debitum astrictum esse, quia erat homo & persona, quod est absurdissimum. Restat igitur, vt per hoc tantum sit debitor, quia est Adam: sed non simpliciter, quia est Adam: sed quia est peccator Adam. Nempe sequeretur, quia si nunquam peccasset Adam: tamen qui de illo propagarentur, cum hoc debito nascerentur, quod impium est. Non incongruum est hoc repetere, quod iam supra dictum est: cur scilicet vnusquisque peccato vel debito Adæ grauentur, idcirco quia de illo propagatur cum eiusdem peccati conscius non fuerit. Cum enim fecit Deus Adam, fecit in eo naturam propagandi, quam subiicit eius potestati, vt ea vteretur pro sua voluntate, quamdiu ipse vellet subditus esse Deo: non vt illa vteretur bestiali vel irrationali voluptate, sed humana & rationali voluntate. Sicut enim est bestiarum nihil velle cum ratione: ita hominum est nihil velle sine ratione, quod semper debent, quia potestatem hanc accepit Adam, & eam semper seruare potuit. Dedit etiam illi Deus gratiam, vt sicut quando illum condidit, nulla propagandi operante natura, aut voluntate creaturæ, simul fecit eum & rationalem & iustum: ita simul cum rationalem haberent animam, iusti essent quos generaret operante natura & voluntate, si non peccaret. Eadem quippe ratione, qua monstratur rationalem naturam iustam esse creatam, quod in præfato feci opusculo, probatur etiam, quod qui ex humana natura propagarentur non præcedente peccato, ex necessitate iustitiam pariter haberent cum rationalitate. Siquidem qui creauit primum hominem sine parentum generatione, creat etiam omnes qui per creatam sunt ab illo propagandi naturam. Omnis igitur homo, si peccatum non præcessisset, simul esset, sicut Adam, & iustus & rationalis. Quoniam verò Adam subditus noluit esse Dei voluntati, ipsa natura propagandi quamuis remaneret, non fuit subdita eius voluntati, sicut esset si non peccasset: & gratiam quam de se propagandi seruare poterat, perdidit: atque omnes qui operante natura quam acceperat, propagantur, eius astricti debito nascuntur. Quæ obrem quoniam humana natura (quæ sic erat in Adam tota, vt nihil de illa extra illum esset,) peccando sine omni necessitate, Deum exhonoraui. vnde & per se satisfacere non potuit, gratiam, quam acceptam propagandi de se semper potuit seruare perdidit: & peccatum secum comitante poena peccati, quantumcunque per datam propagandi naturam propagetur, trahit.

Quod propagatio de virgine non subiaceat legi & meritis naturalis propagationis, & quod tres sint.

Caput XI.

Nunc igitur considerandum est, vtrum hæc quasi hæreditas peccati, & peccati poena ad hominem per virginem de Adam propagatam iuste pertranseat. Certum quidem est, quod Adam non accepit, naturam propagandi nisi per virum simul & mulierem. Siquidem humana natura non habet, & impossibile cognoscitur, vt solus vir, aut sola mulier hominem generare queat, natura tantum voluntate propria operante. Sicut namque limus terræ non acceperat naturam aut voluntatem, qua operante vir primus de illo fieret, quamuis esset de quo à Deo fieri posset: sic non est facta mulier de costa viri, aut vir de sola muliere operante natura aut voluntate hominis. Sed Deus propria voluntate & potestate fecit virum de limo vnum, & alterum de sola femina & foeminam de solo viro: licet enim nihil fiat, nisi voluntate Dei faciente aut permittente: quædam tamen sola potestas & voluntas eius facit: quædam creata natura quædam voluntas naturæ. Sed sicut creata natura nihil per se facere potest, nisi quod à voluntate Dei suscepit: ita voluntas naturæ nequit per se quicquam operari, nisi quod natura adiuuat aut concedit. Sola Dei voluntas fecit in principio rerum naturas, dans quibusdam, competentes singulis voluntates: vt naturæ & voluntates secundum ordinem sibi traditum, suum opus in rerum cursu persoluerent: & adhuc multa facit cum de eiusdem naturis & voluntatibus operatur, quod ille secundum suum vsum & propositum nequaquam faceret. Solius quippe voluntatis Dei est opus cum mare siccum iter intra se populo præbet, cum mortui resurgunt, cum aqua subito in vinum conuertitur, cum spiritu sancto corda hominum ea quæ nec per se nec per aliam creaturam sciunt, docentur, cum noxæ voluntates à suo impetu sola gratia regente ad hoc quod prodest, conuertuntur, cum alia multa sunt quæ nec creatura nec eius voluntas per vsum suum operatur. Natura leuia sursum, graua deorsum trahit, terram aliquando prius voluntate colente & seminante: aliquando nullo voluntatis opere præcedente herbas & arbores innumeras producere & eas fructificare facit: & alia multa quæ facilius vsum quam doctrina agnoscimus. Voluntati imputantur illa, quæ sunt huiusmodi, iter facere, edificare, scribere, loqui, & similia quæ non nisi voluntas facit. Cum igitur omnia quæ sunt, si diligenter considerentur, fiat aut sola voluntate Dei, aut natura secunda vim à Deo illi inditam, aut voluntate creaturæ: & ea quæ nec natura creata, nec voluntas creaturæ, sed solus Deus facit: semper miranda sint apparet, quia

D. ANSELMI TOMVS III.

II 2

res

A tres sunt cursus rerum, scilicet mirabilis, naturalis, voluntarius: & mirabilis quidem alijs, aut eorum legi nullatenus subditus est, sed liberè dominatur: neque illis facit iniuriam, quando eis obuiare videtur, quia nihil habent, nisi quod ab illo acceperunt, nec ille dedit eis aliud nisi sub se. Quoniam ergo propagatio viri de sola virgine, ita nõ est naturalis aut voluntaria, sed mirabilis sicut illa quæ mulierem protulit de solo viro, & sicut creatio viri de limo, palam est, quia nequam subiacet legibus & meritis illius propagationis: quoniam & voluntas & natura quamuis discretè operentur, aliud enim ibi facit voluntas, aliud natura pariter tamen verus est homo & Adam de non homine, & Iesus de sola muliere, & Eua de solo viro, sicut est verus homo, quilibet vir aut mulier de viro & muliere. Omnis autem homo aut Adam est aut de Adam est: sed Eua de solo Adam est, & omnes alij de Adam & Eua. Quoniam namque Maria, de qua sola est Iesus, de Adam & Eua est, non potest ipse de eisdem non esse. Sic namque expediebat, vt qui redempturus erat genus humanum, esset & nasceretur de patre & matre omnium.

Quod mala Adæ nulla rectitudine ad illum hominem transeant.

Caput XII.

Quomodo autem filius virginis non subiacet peccato, aut debito Adæ, sic quoque difficile non est intelligere. Si quidem Adam factus est, & iustus & liber à peccato, & debito sæpescato & à pœna peccati, & beatus & potens seruare semper acceptam iustitiam, & per iustitiam eam, quam dixi, libertatem & beatitudinem. Quoniam ergo cum hæc bona sine omni difficultate posset seruare sibi, non seruauit, ea sibi ipse abstulit: & horum se contrarijs subiecit, factus est itaque seruus peccati, siue iniustitiæ & debiti, quod reddere nequit: & miseriæ de quo est impotentia bona perdita reparandi. Sicut igitur aliter nequiuit sibi auferre bona quæ habebat, & attrahere mala quæ non habebat, quam non seruando sibi bona cum potuit: ita nulli alij valuit eadem bona auferre atque mala inferre, nisi non seruando bona cum seruare potuit. Seruare autem nulli potuit ea bonâ, nisi illis quorum generationis potestatem voluntati subditam accepit. Nulli ergo personæ quamuis de eo propagatæ transmittere mala prædicta potuit, in cuius generatione nec natura illi data est propagandi, nec voluntas eius quicquam operata est aut operari valuit.

Quod si non esset Deus sed purus homo, necesse tamen esset illum talem esse qualis primus homo factus est.

Caput XIII.

Quare Adæ male prædicta nulla ratione aut rectitudine ad hominem conceptum de virgine pertranseunt. Item si diligenter puro rationis intuitu, sapientem Dei speculamur iustitiam: nimis absurdum intelligitur, vt per illud semen quod non creata natura, nec voluntas creaturæ, non vlli data potestas producit aut seminat: sed solius Dei voluntas propria ad procreandum hominem, noua virtute mundum à peccato de virgine segregat, alieni peccati seu debiti siue pœnæ ad eundem hominem necessitas vlla pertranseat: etiam si non assumatur in persona Dei, sed vt purus homo fiat. Nam eadem ipsa ratio-

ne: qua non debuit Deus, Adam facere nisi iustum, nec aliquo debito siue incommodo grauatum, aperte mens rationalis cognoscit eum, quem similiter propria voluntate & virtute procreauit, alicui malo subditum fieri non debere, quoniam nimis inconueniens est omnipotenti & sapienti Dei bonitati, talem facere rationalem naturam sola propria voluntate de materia, in qua est nullum peccatum. Quod qui non intelligit, non cognoscit quid Deo non conueniat. Quapropter etiam si purum hominem sic faceret Deus, vt dictum est, necesse esset eum non minori præditum iustitia & beatitudine, quam fuit Adam cum primum factus fuit.

Quod proposita rationi non refragetur, quod scriptum est: hominem de immundo semine & in iniquitatibus conceptum, etiamsi de aliquibus propriè dictum sit.

Caput XIV.

NAM si alicuius mens non capit, quod de semine hominis dixi, scilicet: non esse in illo peccatum ante animam rationalem sed immundum dici peccato & iniquitate propter futuram immunditiam, cum iam erit homo: atque putat illum immundum esse in ipsa conceptione propria, quia sicut ipse mihi opposui legitur. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, & iniquitatibus conceptus sum, in peccatis concepit me mater mea? non hoc laboro, quia non indigeo vt quod non potest capere capiat: Sed peto, vt quod breuiter dicam, attendat. Illi utique qui hoc dixerunt aut noluerunt ea intelligi de omni hominis semine: aut tantum de illo quod cum consensu seminatur voluptatis, quod non esset nisi brutorum animalum, si homo non peccasset. At si de omni hoc senserunt, ergo semen de sola virgine sumptum immundum tanti viri asserunt, quod impium est credere. Non itaque hoc de illo scripserunt. Sed si de aliquo hominis semine hoc iuxta hunc sensum protulerunt non nisi de illo quod cum prædicta voluptate concipitur, intelligi voluerunt. Hoc autem nullatenus refragatur nostræ rationi, quæ semen de virgine sumptum asserit esse mundum, quamuis de massa peccatrice.

Quomodo massa peccatrix non sit tota peccatrix.

Caput XV.

NAM quemadmodum cæcitas non est nisi in aliqua parte hominis, quamuis homo dicatur cæcus, nisi in oculo vbi debet esse visus: non enim est in manu, vel in pede: nec surdidas, nisi in auro: cum homo dicitur surdus: ita licet massa generis humani peccatrix nominetur, non tamen in vlla parte, eius peccatum nisi, vt dixi in voluntate quæ in nulla hominis conceptione semen habere cognoscitur. Quamobrem nulla ratione vera aut verisimili contradicente, si considerentur quæ supra dicta sunt, iam liberè possumus concludere: quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem de virgine conceptum de peccato massæ peccatricis, quamuis de illa sit assumptus aliquid potuisse aut debuisse accedere, etiamsi non esset Deus.

Cur Ioannes & alij qui similiter concepti sunt per miraculum, non sint per se liberi.

Caput

Caput XVI.

Quod si obijciuntur mihi Iohannes baptista & alij, qui de sterilibus & in quibus præ se-nectute, natura generandi iam erat emortua, propagati sunt, & quasi per similem rationem putatur debuisse nasci sine peccato & pœna peccati, quia per miraculum concepti sunt: valde utique intelligenda est ab istis aliena ratio illa quæ virginalem conceptionem liberam ab omni peccati monstrat necessitate, Aliud est enim inaudium & inopinabile atque naturæ incognitum facere: & aliud naturam aut ætate, aut aliquo vitio debilitatam sanare, & ad suum opus reuocare. Nam si Adam non peccasset, sicut ipse nulla senectute, nulla causa infirmatus deficeret: sic natura propagandi creata in illo, & ad utendum, ut iam dictum est, eius potestati subdita, nullo casu à suo cursu impediretur. Non ergo in Ioanne & similibus est aliquid nouum naturæ Adæ, sicut est in filio virginis, datum: sed quod suis causis infirmatum erat, cognoscitur esse reparatum. Quare quoniam illi per propagationem naturalem datam Adæ sunt generati, nequaquam possunt aut debent ei, de quo agimus, in conceptionis assimilari miraculo aut ab originalis vinculo peccati absoluti possunt ostendi.

Cur Deus incarnatus sit, cum de Adam posset facere homines non Deo sine peccato tot, quot sufficerent.

Caput XVII.

Forsitan dicit aliquis, si purus homo, qui Deus non esset, potuit fieri de Adam sine omni peccati contagione sicut dicis, cur necesse fuit Deum incarnari, cum aut per unum talem, qui esset sine omni peccato posset peccatores redimere: aut tot, quot necessarii erant ad perficiendam supernam ciuitatem, homines simili miraculo facere. Ad hæc breuiter respondebo. Ideo Deus factus est homo, quia non sufficeret ad redimendos alios, sicut in præfato opusculo monstratum est, homo non Deus. Idcirco etiam non fecit tot homines tales, quot necessarii erant: ne si nullus de propagatione naturali saluaretur, frustra naturam illam in Adam condidisset, & quasi quod non bene fecisset, correxisse videretur: quod summæ sapientiæ non conuenit de aliqua natura facere: non longè supra inuestigare proposui, quo modo semen sumptum de virgine in quo monstratum erat, nullum esse peccatum liberum à necessitatibus prædictis in quibus omnes alios homines concipi posueram, posset intelligi: & de illa quidem necessitate, qua recuperare iustitiam, quam deseruit humana natura per se nequit: & de illa quæ corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & maximè in infantibus illum liberari posse, quia homo ille Deus esset, confidebam, si prius ab illo necessitas peccati & debiti Adæ proximorum parentum rationaliter alienaretur. Incepi itaque querere quomodo valeret hoc intelligi, de necessitate peccati & debiti Adæ & de alijs, ut postea facilius quod quærebam, inueniretur: & abundante gratia illius, de eius conceptione agitur, munditia factum est, ut non modo ab omni peccato & debito & necessitatibus præfatis liberum cognoscere- tur: sed in super hominem ita conceptum esse debere prædictum non minori iustitia vel beatitudine, quam in qua factus est Adam intelligibili ratione, etiam si non Deus sed purus homo esset, probaretur. Siquidem pariter irrationabile vi-

D. ANSELMI TOMVS III.

debat, & peccatum & pœnam peccati ab illis parentibus ad illum per talem propagationem descendere, & Deum sponte rationabilem naturam iniustam aut nulla eius promerente iniustitia miseram facere.

Quod de virgine iusta Deus conceptus sit, non ex necessitate, quasi de peccatrice non possit, sed quia sic decebat.

Caput XVIII.

Quamuis ergo de mundissima virgine filius Dei verissimè conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat, ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus pater unicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat: ut naturaliter esset vnus idemque communis Dei patris & virginis filius, & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur & nasceretur ille de quo procedebat. Qualiter autem virgo eadem per fidem ante ipsam conceptionem mundata sit, dixi, ubi aliam rationem de hoc ipso vnde agitur hic reddidi: quæ duæ rationes intellectui meo videntur ad quæstionem vnaquæque per se sufficere, sed ambæ simul animo vim rationis & decorem actiones quærenti copiosè satisfacere.

Quomodo ista ratio & altera alibi data, concordent & differant.

Caput XIX.

Et quamuis ad idem tendant, in hoc tamen differunt, quod ipsa quidem quam hic protuli, monstrat Deum etiam de peccatrice virginis substantia, quoniam nusquam est in hominis natura præter voluntatem peccatum, prolem debere iustam: immo non nisi iustam nulla ratione repugnante tali propagatione producere. Illa verò probat, quod etiam si in tota virginis essentia peccatum esset, tamen ad huiusmodi conceptionis munditiam, per fidem munda fieri possit. Atque in ista omnis mortis necessitas & cuiuslibet corruptionis siue laboris ab illo homine aperte excluditur. In illa autem quæstio oriri de hoc ipso videtur: sed sufficienti ratione si diligenter perspecta fuerit soluitur. Quapropter ex vtraque palam est: quia nihil nisi pia voluntate Dominus noster & redemptor sustinuit in omnibus, quæ passus est.

Quod natus de virgine, pro originali peccato habuerit originalem iustitiam.

Caput XX.

Vt mihi videtur, de peccato quidem originali sicut proposui sufficienter ostensum est, quomodo ad hominem de virgine conceptum nulla ratione descendere à parentibus potuit: sed potius iustus beatus fieri ratione exigente debuit. Quamobrem quoniam de iusto patre secundum diuinam, & de iusta matre secundum humanam naturam, iustus ab ipsa origine, ut ita dictum sit, natus est non incongruè pro originali iniustitia, quam omnes filij Adæ habent, à sua origine iustitiam originalem habere, dicendus est.

A est. At de personali iniustitia superfluum est disputare, quod ad illum non attigerit, quoniam humana natura nunquam in illo sine diuina fuit, nec illius anima vnquam aggrauata contra voluntatem, aut vlllo modo impedita est corpore corruptibili, quæ anima, quoniam ipsa, immo, totus ille homo & verbum Dei Deus, vna persona semper existit, nunquam sine perfecta iustitia, & sapientia, & potestate fuit, quam semper à seipso ille secundum personam sicut Deus habuit, licet in naturis humana à diuina quod habuit accepit, altiore autem aliam rationem, quomodo Deus assumpsit hominem de massa peccatrice sine peccato, velut azymum de fermento, præter istam quam hic: & illam, quam alibi posui, esse non nego: quam, si mihi ostensa fuerit, libenter accipio: & meas si quod non arbitror, contra veritatem poterint ostendi, non teneo.

De quantitate originalis peccati.

Capitulum XXI.

Porro peccatum originale nec maius potest esse quam dixi, nec minus: quia cum infans iam rationalis est, humana natura non habet in illo iustitiam quam accepit in Adam, & quam semper deberet habere, nec eam excusat impotentia: quia non habet vt supra iam dictum est. Illud tamen non per omnia tam graue, sicut supra posui, existimo. Nam quoniam ad hominem de virgine conceptum ostendere volebam illud non pertinere, tale istud constitui, cui aliud non possit addi: nec sicut dixi, propter hoc quod inuestigabam viderer pondus eius minorare. De quo quid mihi videatur, breuiter nunc aperiam. Peccatum Adæ in infantes descendere: vt sic puniri pro eo debeant, ac si ipsi singuli illud fecissent personaliter sicut Adam, non puto: quamuis propter illud factum sit, vt eorum nullus possit nasci sine peccato quod sequitur damnatio. Cui enim dicit Apostolus, quia *mors regnauit ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem prauaricationis Adæ*, aperte videtur significare: quod non illis personaliter imputetur ipsa Adæ prauaricatio, aut aliud tam magnum, quamuis omnes filios Adæ excepto virginis filio peccatores & filios *iræ* in scriptis suis pronuntiet. Nam cum ait, *etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem prauaricationis Adæ*: potest sic intelligi, ac si dicat: *etiam in eos, qui non tantum peccauerunt, quantum Adam peccauit prauaricando. Et cum ait: lex autem subintravit, vt abundaret delictum*, aut intelligemus peccatum ante legem in illis, qui non peccauerunt, in similitudinem prauaricationis Adæ minus quam Adæ peccatum: aut si non minus erat, abundauit in eis peccatum post legem vltra peccatum Adæ, quod intelligere nequeo, cum illud considero de cuius pondere & satisfactione in capit. Cui Deus homo, quod mihi visum est, sicut iam legisti, exposui. Verum est tamen, quod nullus ad hoc ad quod homo factus est, & propagatio illi data est, restituitur, nec à malis in quæ incidit humana natura, eruitur: nisi per satisfactionem illius peccati, per quod in eadem mala ipsa se præcipitavit. Dicit aliquis: si non habent singuli peccatum Adæ, quomodo asseris nullum saluari sine satisfactione peccati Adæ. Nam qualiter iustus Deus exigit ab illis satisfactionem peccati, quod non habent? At quod dico. Deus non exigit ab vlllo peccatore plus quam debet, Sed quoniam nullus potest reddere quantum debet, solus Christus

Rom. 5.

Ibidem.

reddidit pro omnibus qui saluantur plusquam debetur: sicut iam in præfato opusculo dixi. Adhuc alio quoque modo videndum est, qua ratione peccatum minus sit in infantibus quam in Adam cum ab illo in omnes descendat. Per vnum enim hominem quod est per Adam peccatum intravit in hunc mundum: & per peccatum mors. Cur autem minus sit non cognoscitur, si cur & quomodo in sit non intelligatur.

Cur & quomodo peccatum descendat in infantes.

Capitulum XXII.

Quod quamuis supradictum sit, quantum opus erat ad hoc quod quærebatur, tamen non erit superfluum si hoc breuiter repetitur. Equidem negari nequit infantes in Adam fuisse cum peccauit: sed in illo causaliter siue naturaliter, velut in semine fuerunt, in seipsis personaliter sunt: quia in illo fuerunt ipsura semen, in se singuli sunt diuersæ personæ. In illo non alij ab illo, in se alij quam ille. In illo fuerunt ille, in se sunt ipsi, fuerunt igitur in illo, sed non ipsi: quoniam nondum erant ipsi. Forsitan dicit aliquis, istud esse quo alij homines in Adam fuisse dicuntur, quasi nihil & inane quoddam est, nec est nominandum esse. Dicit ergo illud esse, fuisse nihil aut falsum siue vanum, quo fuit Christus secundum semen in Abraham, in Dauid, & in alijs Patribus: & quo omnia quæ sunt ex semine fuerunt in seminibus, & nihil fecisse Deum: cum omnia quæ procreantur ex semine, ipse fecit prius in seminibus ipsis: & dicat nihil vel vanum aliquid esse hoc, quod si verè non esset, hæc quæ videmus esse, non essent. Si enim verum non est ea quæ natura procreat ex seminibus, in illis prius aliquid fuisse, nullo modo ex ipsis essent. Quod si hoc dicere stultissimum est, non est falsum vel vanum, sed verum & solidum esse fuit, quo fuerunt omnes alij homines in Adam. Nec fecit Deus inane aliquid, cum eos in illo fecit esse. Sed sicut dictum est, in illo fuerunt non alij ab illo: & ideo longe aliter quam sunt in seipsis. Verum quamuis constet eos in illo omnes fuisse, solus tamen filius virginis valde diuerso modo ab alijs in illo fuit. Omnes quippe alij sic fuerunt in illo, vt per naturam propagandi, quæ potestati & voluntati eius subdita erat, de illo essent: solus vero iste non sic in eo fuit, vt per naturam aut voluntatem eius de illo fieret. De alijs acceperat Adam quando peccauit, vt esset hoc, de quo illi futuri erant, & vt de illo esset: de isto vero vt esset hoc, vnde futurus erat: non autem vt de illo esset, quia non erat in illa potestate, vt de illo propagaretur. Sed nec in potestate eius erat, vt de alia essentia, aut de nihilo fieret. Quare non erat in eo, vt hic aliquo modo esset. Nam nec in potestate naturæ, nec in potestate voluntatis eius erat, vt esset quoquo modo. Erat tamen in eo natura, de qua propagandus erat, non eius sed Dei potestate. Nam & si vsque ad virginem in matrem in parentibus & voluntas seminavit, & natura germinavit, vt ipsa virgo partim naturali partim voluntario cursu ad suum esse ab Adam produceretur, sicut omnes alij: in illa tamen nec voluntas creaturæ prolem seminavit, nec natura germinavit, sed spiritus sanctus & virtus altissimi de virgine muliere virum mirabiliter procreauit. De alijs ergo erat in Adam, id est, in eius potestate, vt de illo essent, de isto vero non erat in illo, vt aliquo modo esset, sicut non erat

erat

A erat in limo, vnde vir primus factus est, vt de illo esset mirabiliter, neq; in viro, vt Eua de illo quemadmodum facta est, esset. Sed nec in aliquo eorum, in quibus fuit ab Adam vsque ad Mariam erat vt esset, fuit tamen in illis, quia erat in eis. Vnde ipse assumendus erat, quemadmodum erat in limo, vnde primus homo factus est, & in eo vnde Eua facta est, non in voluntate creaturæ aut potestate, sed sola diuina virtute, sed iste tantò mirabilis & maiori gratia, quanto illi puri homines, hic homo Deus factus est. Valde itaque diuerso modo iste erat in Adam, quando peccauit, quam erant illi qui voluntario & naturali cursu procreantur. Illos ergo quodammodo facit Adam, quos per acceptam potestatem humana voluntas seminando, & natura germinando procreat. Istum verò non nisi Deus fecit, quamuis de Adam, quia non per Adam, sed per se velut de suo. Quid ergo conuenientius ad ostendendum magnitudinem bonitatis Dei & ad plenitudinem gratiæ Adæ concedebat, quam vt quorum esse in illius potestate sic erat, vt quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent, ita quoque in eius esset arbitrij libertate: vt qualis erat ipse in iustitia & felicitate, tales eos propagaret. hoc igitur illi datum est. Quoniam itaque in tantæ gratiæ celsitudine positus, quæ bona sibi & illis seruanda acceperat, sponte deseruit: idcirco filij perdiderunt, quæ pater illis cum seruando dare posset, non seruando abstulit. Hæc mihi sufficere videtur ratio, cur ad infantes peccatum & mala descendant Adæ, si diligenter remota nostra voluntate, quæ saepe & multum impedit mentem ab intellectu rectitudinis, ipsa pura iustitia consideretur. Qualiter autem peccatum idem mihi videatur ad eos descendere, paucis expediam. Est peccatum à natura, vt dixi: & est peccatum à persona. Itaque quod est à persona, potest dici personale. quod autem à natura, naturale, quod dicitur originale: & sicut personale transit ad naturam: ita naturale ad personam, hoc modo. Quod Adam comedebat, hoc natura exigebat, quia vt hæc exigeret, sic creata erat. Quod verò de ligno vetito comedit, non hæc voluntas naturalis, sed personalis Adæ propria fecit: quod tamen egit persona non fecit sine natura. Persona enim erat quod dicebatur Adam: natura quod homo, fecit igitur persona peccatricem naturam: quia vbi Adam peccauit, homo peccauit. Siquidem notum quia homo erat, vt vetitum præsumeret impulsus est: sed propria voluntate quam non exegit natura, sed persona concepit, attractus est. Similiter fit in infantibus e conuerso. Nempe, quod in illis non est iustitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis sicut in Adam: sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam. In Adam namque, extra quem de illa nihil erat, est nudata iustitia quam habebat: & ea semper nisi adiuta careret, hac ratione: quia natura subsistit in personis, & personæ non sunt sine natura, fecit natura personas infantium peccatrices. Sic spoliavit persona naturam bono iustitiæ, in Adam, & natura egens facta, omnes personas quas ipsa de se procreat eadem egestate peccatrices & iniustas facit. Hoc modo transit peccatum Adæ personale in omnes, qui de illo naturaliter propagantur, & est in illis originale siue naturale. Verum patet magnam esse distantiam inter peccatum Adæ & peccatum eorum, quia ille peccauit propria voluntate, illi naturali peccant necessitate, quam propria & personalis me-

ruit illius voluntas. Sed cum nemo dubitat, quia par poena non sequetur imparia peccata, in hoc tamen similis est & personalis & originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine quo non redditur, quod pro Adæ peccato debetur, quamuis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem iudicij nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno. Ita igitur & peccatum infantium minus est quam peccatum Adæ: & nullus tamen sine vlla vniuersali satisfactione saluatur, per quam magnum & paruum dimittitur peccatum. Cur autem non sit sine illa morte, & quomodo per illam sit salus hominum, in præfato libro sicut Deus mihi dedit, quæsumi & dixi.

Quod peccata parentum post Adam non computentur in originali peccato filiorum.

Cap. XXIII.

Parentum verò proximorum peccata ad originale peccatum non æstimo pertinere, quippe si Adam nequiuisset ad eos, quos generaturus erat, iustitiam suam producere, nequaquam posset eis suam iniustitiam transmittere. Quare quoniam nullus post Adam filijs suis quiuuit iustitiam suam seruare nullam, video rationem, cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari. Denique nulli dubium est, quod infantes nullam seruant rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. In hoc ergo sunt omnes pariter iniusti: quia nullam habent, quam omnis homo habere debet, iustitiam. Hæc nuditas iustitiæ descendit ad omnes ab Adam, in quo humana natura se spoliavit eadem iustitia. Nam & si in Adam illi remansit aliqua iustitia, vt in rebus aliquibus rectam seruaret voluntatem: sic tamen priuata est illo bono, quo sibi iustitiam custodire poterat in posterum, vt in nullo eorum ipsa cum aliqua iustitia se propagare queat. Plus itaque in infantibus auferre sibi non valuit, quam omnem iustitiam & beatitudinem, quæ nulli datur aliquo carenti debita iustitia. Quod autem proximorum parentum iniustitia possit hanc augere iustitiæ nuditatem, quæ non valet in infantes ab Adæ peccato maior descendere, non videtur possibile. Nam vbi nulla est iustitia, nulla potest auferri iustitia. Vnde autem nulla potest absentari iustitia, ibi addi nulla valet in iustitia. Nullam ergo infantibus suis addere queunt iniusti parentes iniustitiam super prædictam nuditatem iustitiæ. At vbi nulla iustitia, nihil prohibet aliquam inuenire iniustitiam. Verisimilius igitur & possibilis videtur, si parentes iniusti aliquam suis infantibus addere dicuntur iustitiam, quod iusti suis aliquam dare possent iustitiam. Quod si sit, habent infantes iustorum aliquam iustitiam. Si verò hoc est, leuius damnantur quam infantes iustorum, si moriuntur sine baptismo: aut si saluentur, cum aliquo suo præcedenti merito eliguntur. Quod Paulus Apostolus negat, vbi per *Iacob & Esau* probat nullum nisi omnium merita præcedente gratia saluari. Quoniam itaque nullam dant iusti parentes ante baptismum infantibus suis iustitiam, nullam vtique addunt iniusti suis iniustitiam. Quod si dicitur, non addunt iniusti parentes suis infantibus aliquam iniustitiam, quibus auferre nequeunt vllam iustitiam: sed originalem, quam habent ab Adam faciunt in eis grauiorem.

A ergo & iusti in suis reddunt eam leuiorem. Quare si minus sint iniusti infantes iustorum quam iniustorum, minus debent reprobari quam illi. Quod, dicat, qui audeat, & ostendere potest. Ego vero non audeo, cum mixtim videam & iustorum infantes ad baptismi gratiam eligi, & ab illa reprobari. Sed & hoc si quis dicit, non valet ostendere. Quippe sicut hoc modo, non est iustior nisi qui voluntate magis aut appetit aut vitat quod debet: ita non est iniustior nisi qui plus amat aut contemnit quod non debet. Si igitur infantes nequeant ostendi mox ut animam habent, alius alio maius vel minus velle quod debet aut quod non debet, nemo potest probare quod in infantibus alius alio nascatur iustior vel iniustior: Pariter ergo nec iusti sua iustitia reddere videntur in suis infantibus originalem iniustitiam leuiorem, nec iniusti in suis sua iniustitia grauiorem. Quapropter si parentes iniusti nec numero nec magnitudine queant originale peccatum suis infantibus suo peccato augere, videtur mihi peccata parentum post Adam in infantum originali peccato non deputari. Nec nego propter merita bona parentum filijs multa & magna beneficia corporis & animæ impendi, propter peccata parentum filijs & nepotes vsq; ad tertiam & quartam generationem, & forsitan vltra diuersis tribulationibus in hac vita flagellari, & ea perdere bona etiam in anima, quæ forsitan per illos consequerentur, si iusti essent, quorum exempla nimis longum est inserere. Sed dico peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter æquale esse: sicut peccatum Adæ, quod est causa, cur nascuntur in illo ad omnes pertinet æqualiter.

Peccata parentum quomodo noceant animabus filiorum. Caput XXIV.

SI autem peccata parentum aliquando nocent animabus filiorum, hoc modo potius fieri existimo: non quod ea illis Deus imputet, aut quod eos in aliqua delicta propter parentes inducat. Sed sicut sæpe meritis parentum filios iustorum à peccatis eruit: ita filios iniustorum eorum meritis in suis aliquando derelinquit. Quoniam enim nemo liber est à peccato, nisi Deo liberante: cum non liberat, dicitur inducere: & cum non mollit, indurare. Namque satis videtur susceptibilis, quod animam peccatricem, cui nihil præter poenam debet propter parentum peccata, in suis dimittat peccatis, ut pro ipsis puniatur, quam quod eam alienis oneret, ut pro eis torqueatur. Ita igitur sine repugnantia & originale peccatum est idem in omnibus, & filius non portabit iniquitatem patris & vnusquisque onus suum portabit & recipiet, prout gessit in corpore siue bonum siue malum, & reddet Deus peccata parentum filijs etiam in tertiam & quartam generationem, etiam si hoc sit in anima, & quicquid aliud legitur, quod animalibus filiorum imputari peccata parentum significare videtur. Quippe, non moritur anima filij peccato patris, sed suo: nec portat quis iniquitatem patris, cum in sua relinquitur, sed suam: nec onus alienum, sed suam: nec recipit prout Pater, sed ut ipse gessit in corpore. Sed quoniam propter peccata parentum à suis malis non est liberatus, ea quæ portat, eisdem peccatis parentum imputantur.

Quomodo nullus portet peccatum patris, sed suum.

Caput XXV.

AT si obijcitur, quia omnes qui non saluantur per fidem, quæ est in Christo, portant iniquitatem & onus Adæ, ut per hoc velit probare infantes, aut aliorum quoque parentum iniquitatem similiter debere portare, aut illius non debere, consideret diligenter: quia non portant peccatum Adæ, sed suum. nam aliud fuit peccatum Adæ: aliud infantum, quia different, ut dictum est. Illud enim fuit causa, istud est effectus. Adam caru t debita iustitia, non quam alius, sed quam ipse deseruit. Infantes carent ea, non quam ipsi, sed alius dereliquit. Non est ergo idem peccatum Adæ, & infantum. & cum dicit Apostolus, quod supra posui: quia mors regnavit ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. sicut significat infantum minus esse quam Adæ peccatum: ita aperte monstratur aliud esse. Quapropter cum damnatur infans pro peccato originali: damnatur non pro peccato Adæ sed pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ, sed suam, quamuis ideo dicatur portare: quia iniquitas illius peccati istius causa fuit. Hæc autem causa quæ fuit in Adam, ut infantes in peccato nascantur, non est in alijs parentibus: quia non habet in eis humana natura potestatem, quemadmodum dixi, ut filij iusti propagentur. quare non ita sequitur, ut pro peccato illorum sit in infantibus peccatum, sicut pro peccato Adæ.

Quid sit originale peccatum, quod sit omnibus æquale.

Caput XXVI.

ORiginale igitur peccatum non aliud intelligo, quam quod est in infante mox ut animam habet rationalem, quicquid prius in corpore nondum animato factum sit, ut est aliqua membrorum corruptio, vel post, siue in anima siue in corpore futurum sit. Quapropter prædictas æstimo rationes in omnibus infantibus naturaliter propagatis esse æquale & omnes qui in illo solo moriuntur æqualiter damnari. siquidem quicquid peccati super illud additur personale est, & sicut persona propter naturam peccatrix nascitur, ita natura propter personam magis peccatrix redditur, quia cum peccat persona quælibet, peccat homo. Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ iustitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filij sunt ire, quoniam & naturam accusat spontanea, quam fecit in Adam iustitiæ desertio, nec personas excusat, ut dictum est, recuperandi impotentia, quam comitatur beatitudinis quoque nuditas: ut sicut sunt sine omni iustitia, ita sint absque omni beatitudine, per quas duas nuditates in huius vitæ exilio positi sunt, & parentes, peccatis & miserijs incessanter vbique occurrentibus & vndique irruentibus nisi quantum diuina defenduntur dispositione.

Contra illos qui non putant infantes non debere damnari.

Caput XXVII.

Sunt quorum animus, infantes debere damnari, qui sine baptismo moriuntur, ob solam iniustitiam quam dixi, vult accipere, quoniam nullus homo iudicat eos reprehendendos de pec-

A de peccato alienæ personæ: & quia nondum sunt iusti & intelligentes in tali ætate: nec putant Deum districtius innocentes debere iudicare, quàm iudicant homines. Quibus dicendum est, quia aliter Deus erga infantes debeat agere, aliter homo. Nam homo non debet exigere à natura, quod ipse non dedit, & quod sibi non debetur. Nec iuste redarguit homo hominem cum culpa nasci, sine qua ipse non nascitur, & de qua non nisi per alium sanatur. Deus verò rectè exigit à natura quod dedit, & quod sibi iuste debetur. Sed & hoc iudicium quo infantes damnantur, non est alienum multum, si consideretur ab hominum iudicio. Si quis enim vir & vxor eius ad magnam quandam dignitatem & possessionem nullo suo merito, sed gratia sola profecti, simul crimen grane inexcusabiliter committunt & pro eo iuste deiciuntur, & in seruitutem rediguntur: quis dicet Filios quos post damnationem generant, eidem non debere subiacere seruituti: sed potius ad bona, quæ parentes iuste perdiderunt, gratis oportere restitui? Tales primi parentes & Filij eorum, quos iuste pro culpa sua de beatitudine in miseriam damnati, in eodem generant exilio. De similibus itaque simile debet esse iudicium, sed de illis tanto districtius, quantum delictum eorum probari potest improperabilius. Denique omnis homo, aut saluatur aut damnatur: omnis homo, qui saluatur, ad regnum cælorum admittitur, & omnis qui damnatur, ab eo excluditur. Qui verò admittitur, prouehitur ad similitudinem angelorum: in quibus nullum vnquam fuit, aut erit peccatum, quod heri nequit, quamdiu est in eo aliqua macula peccati. Impossibile itaque est aliquem hominem cum aliquo, quamuis pro vno, peccato saluari. Quare si quod dixit originale peccatum, est aliquod peccatum: necesse est omnem hominem in eo natum, in illo non dimisso damnari.

Quomodo impotentia habendi iustitiam excusat eos post baptismum.

Caput X X V I I I.

Dixi impotentiam habendi iustitiam, non excusare iniustitiam infantium. Quæret ergo aliquis forsitan, dicens: Si infanti peccatum, id est, iniustitia ante baptismum, nec excusatur impotentia habendi iustitiam, sicut dicit, & in baptismo non remittitur peccatum, nisi quod prius erat, cum post baptismum sit sine iustitia, quamdiu infans est, nec intelligere potest iustitiam quam seruet: siquidem iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata: quomodo non est iniustus etiam postquam baptizatus est. Si ergo baptizatus, moritur in infantia: non statim post baptismum cum pœnitere nondum scit, quoniam non habet debitam iustitiam, nec excusatur impotentia, iniustus transit de hac vita sicut faceret ante baptismum, nec ad regnum Dei admittitur intra quod nullus iniustus recipitur, quod Catholica non tenet Ecclesia. Quod si in baptismo peccatum in infantia futurum remittitur infantibus cur non & illa quæ in sequenti fiunt ætate? Ad quod respondeo, quod in baptismo peccata penitus, quæ ante baptismum erant delentur. Quapropter originalis impotentia iustitiam habendi baptizatis non imputatur ad peccatum, sicut prius. Quemadmodum igitur impotentia habendi iustitiam prius excusare non poterat absentiam iustitiæ quoniam ipsa erat in culpa: sic

post baptismum illam omnino excusat, quia remanet sine omni culpa. Vnde fit vt iustitia, quæ ante baptismum debebatur ab infantibus sine omni excusatione, post baptismum ab illis non exigatur quæsi ex debito. Quamdiu ergo sola originali impotentia non habent iustitiam, non sunt iniusti: quoniam non est in eis absentia debitæ iustitiæ. Non enim est debitum, quod sine omni culpa est impossibile. Quare sic moriuntur, quia non suat iniusti, non damnantur, sed & iustitia Christi qui se dedit pro illis, & iustitia fidei matris Ecclesiæ, quæ pro illis credit, quasi iusti saluantur. Hæc breuiter de originali peccato pro capacitate intellectus mei non tam affirmando quàm coniectando dixi, donec mihi Deus aliquando melius reuelet. Si cui verò aliter visum fuerit, nullius respuo sententiam, si vera probari poterit.

Explicit liber Anselmi de conceptu virginis & peccato originali.

DECLARATIO CUIUSDAM DE EODEM LIBRO INCIPIT.

Quidam, quod hic dicitur, scilicet in semine quo concipitur homo, non magis esse culpam aliquam vel originalem vel actualem, quàm est in sputo vel sanguine, si quis mala voluntate expuat, aut de sanguine suo aliud emittat, reprehendunt, falsum esse ex hoc astruentes, quod in ipso semine sit quidam fomes peccati & corruptionis naturæ humanæ, & inde origo peccati originalis. Sed si ab eis queratur, quid appellent fomitem peccati qui in illo sit, & corruptionem naturæ: non video quid respondere possint de ratione, nulla enim res ratione carens, vel ad peccatum incitare potest, vel ad virtutem vt ait Ambrosius, de sacris sermo. primo. Iudæus vrceos baptizat & calices, quasi insensibilia vel culpam possint habere vel gratiam. Quod igitur nec culpam potest habere nec laudem, non potest fomes esse peccati vel virtutis. Tale est semen quo concipitur homo, cum sit insensibile, ergo insensibile semen illud, cum in eo non sit, nec esse culpa possit: nec est, nec esse potest fomes peccati. Quod autem in eo ipso sit causa corruptionis humanæ naturæ: non videtur si vocant corruptionem eam quæ de peccato processit, & cum peccato inest. Est enim quædam naturæ nostræ corruptio, quæ de peccato quidem processit: sed cum peccato inest aliquando, aliquando cum peccato non inest. Corruptio illa quæ tantummodò pœna est & non peccatum, vt morbi corporum nostrorum, & aliæ incommoditates, & mors ipsa: quæ corruptio sine peccato fuit in corpore Christi & sine peccato mortali est in sanctis hominibus in hac vita, eadem cum peccato inest peccatoribus. Hæc corruptio non habet causam in semine nec ex semine: licet pertranseat in omnes qui gignuntur paterno semine. Sed cum sit pœna peccati habet causam in peccato primi parentis, propter quod inflicta est non semini insensibili, sed eis qui sentire & sustinere debent molestiam afflictionis. De hac autem corruptione oritur quædam alia corruptio quæ in semine quidem est, non autem à semine causam habet: vt cum de morbidis parentibus semen morbidum formatur in morbidam prolem, de qua medici considerant: sed

A sed in hac nec culpa est, nec culpa originalis vel actualis. Et de hac non puto eos dicere. Si autem vocant corruptionem ipsum peccatum, quomodo quaedam potest dici corruptio virtutis, ea longe alia est à prædicto semine: ut præmissa Ambrosij docet auctoritas. Quid ergo appellant fomitem peccati vel corruptionem naturæ quæ est in semine? Fortè dicere volent, quod hæc auctoritas vera sit, sed de feminibus ex quibus homines sint, sic esse non possunt: sicut etiam ab Ambrosio de illis dictum non fuerit. Nam quod in tali semine sit peccatum ostendit Augustinus in secundo libro de nuptijs & concupiscentia. Natura hominis inquit habet auctorem Deum, in qua ex vitio inobedienciæ trahitur originale peccatum. Nam si semen ipsum nullum habet vitium, quid est quod scriptum est in libro Sapientiæ? *non ignorans, quoniam nequam est eorum natio, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.* Nempe de quibuscunque dicat ista: de hominibus dicit. Quomodo est ergo cuiuslibet hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio? nisi ad illud respiciatur: quod per unum hominem peccatum in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Cuius autem hominis cogitatio non potest mutari in perpetuum: nisi quia per seipsam non potest, nisi gratia diuina subueniat, qua non subueniente quid sunt homines: nisi quod ait Petrus Apostolus: *velut muta animalia procreata naturaliter in captiuitatem, in interitum.* Hæc Augustinus.

B Ecce aiunt: habetis in hac auctoritate, culpam esse in semine. Eis ergo qui hæc prætendunt respondemus. Primò, dicant unde ostendere possint Augustinum sensisse hic de ipso semine, quo homo feminatur, Semen enim æquiuocè dicitur & de eo quod est causa: & de eo quod est ex causa, ut illud: *semen abraham sumus.* Iuxta quem modum, semen maledictum est: id est, illi sunt maledicti qui sunt de semine vel generatione in malitia perseverantium, si ipsi sunt in eodem perseverantes. Non ita est, aiunt. Dicit enim hoc manifestè Augustinus quærens: Quomodo est cuiuslibet hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio? Cuiuslibet, inquit, hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio. Sicut enim cuiuslibet hominis malitia est naturalis: ita cuiuslibet hominis semen maledictum: dicimus, quia non valet hoc zeugma, id est, repetitio, à superioribus: nec ipse Augustinus, eam repetitionem fecit. Quare non cogimur consentire eam facientibus, sed sic dicimus: Cuiuslibet hominis malitia est naturalis: & ipse est semen maledictum non eius semen maledictum, quia in eo non est peccatum. vel possumus figuratiuè dicere, ipsum semen maledictum esse, pro eo, quod ex eo erunt qui maledicti erant, iuxta illud: *Maledicta terra in operibus tuis, id est, opera tua in terra.* Non enim terra maledicta est, cum ipsa alibi dicatur sancta, licet eam peccatores operentur: *Ut, locus, in quo stas, terra sancta est, alioquin eadem & maledicta, & sancta esset.* Sic semen maledictum, quia maledicti qui ex semine. Iuxta quem modum Anselmus noster optimè & verè exponit illam auctoritatem Iob de immundo semine, quod tamen in se, neque immundum est, neque maledictum. Imò, inquit, de semine quod est materia carnis humanæ videtur dicere. Augustinus dum sic incipit: Nam si semen ipsum nullum

habet vitium, ad quid enim fieret relatio per ipsum? Non enim processit sermo de semine, sed sæpe fit per hoc pronomen non relatio, sed proprietatis quaedam expressio eius rei, quæ in causa dicti est: ut etiam Palladius de rusticatione incipit. Pars prima est prudentiæ, ipsam cui præceptus est estimare personam. Nulla igitur per ipsam fit relatio, sed proprietatis eius quæ in persona est expressio. At si dicat: Ipsam personam, id est, virtutem vel scientiam, vel dignitatem, vel artem, vel professionem personæ, vel tale quid eius. Sic & hic accipitur, ipsum cum de semine agitur, quasi dicat: Ipsum semen, id est, ratio feminis ea esse, ut non sine vitio sit. Nam si non in vitio est, si nullum habet vitium, quid est quod scriptum est, &c. Ad hoc respondemus. Quia quid sit de relatione vel de proprietatis expressione per hoc pronomen, ipsum in semine nullum esse peccatum probat Augustinus, aliam quæstionem faciens Hieronymo de origine animæ dicenti, quod quotidie Deus creat nouas animas. Quod Augustinus nec recipiens, nec improbens, quærens autem quid Hieronymus respondeat obiectis, quæstionem talem facit ei in epistola de origine animæ. Si anima huius infantuli recens nati infundendo creata est, & creando infusa, quando vel quomodo peccauit in Adam, hæc quæstio nunquam posset esse illius, qui diceret in semine, quo concipitur homo esse peccatum originale. Diceret enim ei, Quid quæris hic quod tu ipse indubitè fateris? In semine peccatum & vitium, quod traiecitur de primo homine in omnes posteros, frustra quæris quomodo peccauit, qui seminaliter de Adam processit. Semen autem culpam secum trahit, hoc inquam diceretur ei. Quare si hæc Augustinus sentiret: nunquam Hieronymo eam quæstionem faceret. huic autem quæstioni nihil est à Hieronymo responsum, nec eam ipse Augustinus soluit, qui de origine animæ nullam certam sententiam protulit. Videant moderni præceptores, quomodo eam soluant. In tantum per ipsum Augustinum obtinimus in auctoritate eius supraposita, non eum intellexisse de semine, quod sperma est: hoc quod dixit, in semine esse vitium. Rata est ergo sententia Ambrosij & nostri Anselmi generaliter, quæ intelligenda est quod in resensibili nec gratia sit nec culpa. Attamen adhuc opponunt de auctoritate Ioannis Damasceni, qui dicit, quod post conceptum siue consensum beatæ virginis spiritus sanctus superueniens omne peccatum in ea purgauerit, & omnem fomitem peccati. Et inde, credo, volunt habere auctoritatem, quod oportet aliquatenus semen illud virginale, licet non esset ex viri commixtione, tamen mundatum esse à peccati fomite, spiritus sancti operatione. Ad hoc respondemus, nihil nos Ioanni Damasceno in dictis suis præiudicare, utpote quòd eius scripta nulla legerimus, nisi quatenus ea ab aljs in testimonium introducta multis in locis cognouimus. At nobis promptum est Hieronymi nostri sanctissimi & doctissimi testimonium ferte in contrarium, dicentis in sermone de assumptione eiusdem domine & regine nostræ: Beata, inquit, & gloriosa virgo Maria: quantum dūdam incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cælo sunt, virginibus, ut decenter posset in se suscipere diuinitatis admixtionem, salua vtraque natura, tamen cum gratia repletur, cum spiritu sancto perfunditur, cum spiritu sancto obumbratur, sit preciosior meritis, cellis sublimior, fastigijs pulchrior, sancti-

A tate gloriofior fuorum meritis & prerogatiuis meritorum: ita vt nullis iam vifibus fit ipfa eadem mancipanda nifi diuinis. Rogo te Ioannes Damascene, vel quicumque es in fententia, qui putas beatam Dei matrem post annuntiationem sancti Angeli, tunc primùm in superuentione Spiritus sancti amiffisse vel peccatum vel fomitem peccati. Rogo, inquam, te per eandem beatam theotocon defifte, *noli emulari in malignantibus, cessa sinceriffimum vas incrustare, solue calcamenta pedum tuorum*, quæ impediunt progresfum rectæ intentionis tæ. Siquidem zelum Dei habes in hac parte: *sed fortè non secundum scientiam*. Forsitan enim putas in hoc errore, Deo te obsequium exhibere, quòd si nolueris cessare scito quod terra hæc, quam calcas, deuorat habitatores suos, vltionem faciens in omnes ilios diffidentia. Adhuc audi, quid dicat inde nostrorum temporum spiritus sancti organum beatus Bernardus Abbas Clarenallens *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Superius dicta est *gratia plena*, & nunc quomodo dicitur: *Spiritus sanctus superueniet in te, &cæt.* Nunquid potuit repleti gratia & necdum habere spiritum sanctum, cum ipse fit dator gratiarum? Si autem iam spiritus erat in ea quomodo adhuc tãquam non venit superuenturus repromittitur? An fortè ideo non dicit simpliciter venit in te: sed addidit superueniet, quia & prius quidem fuit in ea per multam gratiam: sed superuenire nuntiatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusus est super illam. At verò cum plena sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem aliud plus capere potest: quomodo autem plena fuisse intelligenda est? **B** prior quidem gratia eius tantum repleuerat mentem, sequens vno & ventura perfundere debet: quatenus scilicet plenitudo diuinitatis, quæ ante in illa sicut & in multis sanctorum spiritualiter habitat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat? Quid est virtus altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere capiat, & fortè propter hæc maximè dictum sit obumbrabit tibi: quia res nimirum in Sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in solo & cum sola virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Hæc nos quidem breuiter introduximus contra hoc quod opponunt de Ioanne Damasc. cui nos dare determinationem præsumptuosum esset: qui quo sensu dixerit penitus ignoramus. At si ille Hieronymo & nostris contraria hic dixit, libet in hoc eodem potius adhærere non ei, sed Hieronymo & nostris. Opponitur adhuc Anselmo nostro, quod in hoc libro dixerit, quod nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem de sola virgine conceptum & de peccato massæ peccatricis aliud potuisse vel debuisse accidere, etiam si non esset Deus, quamuis de illa massa esset assumptus. Dicunt enim Christum non potuisse nec voluisse peccare: non quia filius virginis: sed quia Deus fuit Christus aiunt: nec voluit nec peccare potuit, ergo Deus fuit. Quid ergo dicemus de sanctis Angelis, qui ex gratia confirmationis non volunt nec possunt peccare? vel si Adam antequam peccasset aliquos, qui ante ipsum in iustitia confirmarentur, genuisset: de illis quid dicemus? Vtique si illi cum nec vellent nec possent peccare, non ideo Deus vel Dij essent: sicut in Christo videndum, virum quòd peccare non potuit nec voluit, sola diuinitas eius homini vnita in cau-

sa fuerit. Nam quòd ipsa plurimum & maximè adinuenerit, omni constat fidei. Sed aliud est, causam simpliciter esse, aliud causæ supplementum conferre. Dicent fortè, quia post peccatum Adæ nulla caro mortalis non vnita Deitati absque peccato esse præualuit vel præualere potuit, quocumque modo Deus aliquem vel aliquam absque semine viri creasset, dummodo de Adam esset. Sed cū hoc dicunt causam peccati, vt supra in semine ponunt: quod vtiq; Deus sicut facit esse ex mare & foemina, sic facere potest ex foemina sola. Ipsi igitur soluant quæ supra diximus & ex auctoritate & ex ratione, & libenter audiemus. Quod si non potuerint, constabit nobis sicut constat ex Anselmi ratione irrefragabili, quicumque gignitur alio modo quàm Adam generauit, quod non tenetur præiudicio peccati originalis quod per traducem ex Adam descendit: licet ille Deus non sit vt Christus fuit, & ita si voluerit non peccare poterit, & non velle peccare, cum posse non peccare valebit, donec ei confirmans gratia non posse velle & non posse peccare supereraxit. Consentit nobis Augustinus in tertio contra Iulianum: frustra, inquit, putas ideo in paruulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hoc enim rectè dicitur propter proprium cuiusque peccatum: non propter primi parentis originale delictum siue contagium. Quod si nullum esset, profecto nulli malo paruuli obstricti, nihil mali vel in corpore vel in anima sub tanta Dei potestate paterentur. Vide in his verbis prudens lector hanc maximam incurrere. A quocumq; remouetur poena peccati, ab eodem & peccatum remouetur: & non conuertitur. A quibus ergo paruulis remouet in corpore & animo peccati poenam Augustinus prius ab eis remoueri docet peccatum omne & contagium peccati. Illi ergo non essent nec Deus nec Dij: & tamen possent si vellent non peccare, & confirmati non possent peccare. Rectè ergo & veriffimè Anselmus, quia cū eo est veritas, & filius veritatis Augustinus.

Explicit de conceptu virginali & peccato originali.

IN S. ANSELMI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI TRACTATUM, DE SACRAMENTO ALTARIS.

PRAEFATIO F. IOANNIS PLACIDI VICTORIANI CANONICORUM REGULA.

Cum viderem huic tractatui, in operibus Anselmi danti locum à plerisque, scilicet Vincent. Bellonac. lib. 26. spec. histor. cap. 71. memoriali Historiarum. D. Anton. part. 2. histor. tit. 16. cap. 11. Petro Aquilino lib. 6. Catalog. Sanctorum, cap. 56. non mediocriter dolebam tam fructuosum opus deperisse. Inter hæc occurrit Bibliotheca nostra scriptus codex, & similitudine argumenti, & eruditione, & stylo referens Anselmum: sed ætate antiquior erat vt plerique alia ignotorum authorum scripta. Et quidem illa suadebant, pro Anselmo completi, hæc à complexibus retraherent, monebantque nihil temerè euulgandum. Sic mihi perplexo Nicolaus Faber præcipuus bonarum literarum fautor, liberalissimè misit apographum Anselmi nomine, eodemque insignitum titulo. Quod mox ad nostrum exemplar oculatius vidi plusculis in locis emendauit nonnihil adiutus varijs eiusdem libri testimonijs à Thoma Valdensi relatis in Tom. 2. de Sacramento; quo etiam non mediocriter vsus sum ad restituendas capitum & titulorum distinctiones: Præter quas diuinarum scripturarum sanctorumque Patrum loca

(qua

A (qua vel creberrima sunt) appositis adoram notis designavi. Quod quanti sudoris sit probè norunt, qui id saxi volutarunt aliquando. Nam præterquam, quæ hæc citationes aut corruptæ, aut truncatæ erant, oportuit aliquot eosque integros percurrere libros, sic tamen incassum aliquando, ut quod quaerem, non offenderim. Cæterum, ut lectorem de genuino huius tractatus auctore nempe Anselmo Cantuariensi faciam certior, Thomas Valdensis excellentissimus Theologus, qui huius tractatus sententijs creberrimè explodit, ἀποφάσιν VViclefitarum, præsto est, fide sua iubens esse cap. 42. to. 2. de Sacramentis, ubi producens auctores Berengario contemporaneos aduersus VViclefsum ait: Anselmus in libro de corpore Domini parte prima, quam epistolari more scribit, increpans illum Berengarianum auctorem tuum de officijs diuinis eò quod posuit panem remanere in Eucharistia: Panis (inquit) substantiam post Dominici corporis consecrationem &c. Hæc enim reperire est longiusculè à principio. 1. cap. At ne quis ex homonymia alium generet scrupulum. Idem sub finem cap. 43. recensens impugnatores Berengario superstites ait: Velut primas Lanfrancus, Guimundus Episcopus: tandem Anselmus primas: cap. 54. clarissimè: Hunc passum Lanfranci sequitur euestigio filius eius Anselmus in libro suo de corpore & sanguine Domini cap. 11. &cet. Cur autem Anselmum Lanfranci appellet filium, sciet qui eius vitam legerit. Cætera testimonia ex hoc Anselmi opusculo à Valdensi producta notauimus in margine, ut sciat lector quanti momenti iudicauerit ad resellendas VViclefitarum gerras. Verum etsi passim hoc opus vocitet de corpore & sanguine Domini, eam tamen ob causam titulum non mutauimus, quod illum in cæteris auctoribus repererim, nec non in exemplari Nicolai fabri; his adde quod sola verborum sensus nulla prorsus sit discrepantia. Cùm autem in primo capite totus sit Anselmus in discutiendis aliquot sententijs exaratis apud Rupertum lib. 2. de offic. diuin. qui supra 200. annos scilicet tempore Valdensis putabatur esse Valerianus ad quem scripsit Anselmus: Nos tanti viri nomine causam suscepimus tuentes & aperientes eius mentem quantum per veritatem Catholicam datum est, lectorem velim exoratum ne ad singulas annotationes exclamet, Ohe iam satis est. Malui enim suis eum verbis, etsi prolixius ostendere innocentem: Ut pateat si qua subobscurius vel durius scripserit, aut dixerit; non hæreseos pertinacia, sed humana mentis infirmitati vertenda, eamque ob causam candidè interpretanda. Circa quem verò annum id operis Anselmus excuderit, conabimur enucleare in tertia annotatione post nonnulla eaque non penitenda de Berengario præmissa. Verum serò, & forsàn serò monendi fuerint eruditi Anselmum nostrum, ut apparet, & ratio suadet, eiusdem quidem materiei, sed ordine altero excudisse tractatum de Corpore Christi, quem notat. Balaucent, 13. scriptorum Brytannia, cum hoc initio: primum in hoc nostro tractatu.

**S. ANSELMICAN,
TVARIENSIS ARCHIE-
piscopi tractatus de Sacra-
mento altaris.**

De quibusdam sententijs leuisculis in opere Ruperti de diuinis officijs fratri in Christo Charissimo, illuminatos oculos cordis.

CAPVT PRIMVM.

LEgo, & relego Charissime opus vestrum de officijs: multumque me delectat eius lectio,

tum pro sui utilitate, cùm pro auctoris dulcissima mihi charitate. Sed quoniã veritas charitatis & charitas veritatis adulationis odit fucum, & videor mihi videre in facie pulchri operis, nequũ vnũ qui quid est et si interim inter nos beneuola quadã dissimulatione tegatur, vel coleretur: tamẽ si opus hoc exierit in manus eorum, qui carpere amant aliorum, etiam bene dicta; futurus es in signum, cui à multis contradicetur. Cùm enim in ordine diuini huius sacrificij, tria illa digesturus materiã, intencionem, causamque finalem de materia agens dixisti post multa: Sed dicit mihi aduersarius; viuens, & sensibilis in corpore suo, mobilisque est Deus, & homo Christus: Corpus autem sacrificij vitam non habet, sensum non habet, mobile nõ est. Corpus igitur Domini non est. Ad hoc vos contra aduersarium: obsecro te quam in corpore Domini vitam requirit? Est enim vita animalis est & spiritalis: Animalis vita quinque sensibus fungitur, visu, odoratu, auditu, gustu, & tactu. Hæc vita animalis est, carnalis est, caro est. Dominus autem Apost. dicit quod caro non prodest quicquam. Solam ergo spiritualem vitam in sacrificio nobis administrare sapientiam eius decebat, quæ est sanctificatio, benedictio, misericordia, & veritas, iustitia & pax. Hæc autem eius vita spiritalis sic est in corpore sacrificij, absque eius vita animali. Quomodo lux solis absque calore eius in corpore luna nobis representatur. Primum quid hoc sacrificij corpus appelletur, penitus non aduerto. Cùm enim ad benedictiones mysticas operante inuisibiliter verbo Dei, corpus in corpus, substantia mutata sit in substantiam: sicut in mensa nuptiali, aqua in vinum mutata solum adfuit vinũ, in quod aqua mutata erat: sic in mensa altaris, solum adest corpus Domini, in quod verè mutata est vera panis substantia, nisi, quod de aqua nihil remanet in mutatione illa: De pane verò mutato, ad peragendum sacri institutum, mysterij sola remanet species visibilis. Vnde B. Ambrosius: ne (inquit) horror cruoris fieret. Ideo in similitudinem accipimus Sacramentum. Nam panis substantiam post Dominici corporis consecrationem in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana: nuperque damnauit in Berengario Turonensi; eiusque sequacibus. Nam si hoc admitteretur, iam verbum non incarnatum tantum sed etiam si dici potest, in panatum diceretur: si sicut ille dicebat, panis sic in corpus Domini transfret, ut tamen panis esse non desineret: Corpus igitur sacrificij non aliud intelligo, nisi quod mortuũ est, & resurrexit: quod non corpus sacrificij, sed, sicut verè appellamus, corpus Domini: Quod ipsum esset, quod in altari sacrificatur, qui non concedit, in eorum numero se constituit, qui retro abierunt, dicentes: Durus est hic sermo. Sed & vos corpus illud sacrificij, aliquando appellatis corpus Domini: sed salua pace vestra, dictum sic inferis quod nescio an corpori sacrificij, sed corpori Domini nequaquam conuenit. Nam corpus Domini, immò Dominum Iesum in corpore suo ipso, tanquam in corpore, in quo nobis præsto est in altari, (quod non est aliud quàm quod sedet ad dexteram patris) motum & sensum habere & per omnia nostre esse naturæ, licet alterius gloriæ, contradicet nullus nisi insipiens ille qui dixit in corde suo: nõ est Deus. Quod si corpus sacrificij visibilem illam speciem appellatis, quæ apparet in altari, videlicet propter similitudinem panis corporalis, stultus & ineptus erit ille aduersarius, qui ea requiret in specie panis, quæ propria sunt viuientis corporis, id est, vitam & sensum & motum: & non potius ea quæ propria sunt

C Thomas VValdensis 200. ab hinc annos 10. tam hanc paginam descripsit cap. 47. to. 2. de Sacramentis: nec non plerosq; huius Tractatus locos. Id Argumenti producti Thomas VValdensis to 2. de Sacram. cap. 21. & 47. hæc extant apud Rupertum lib. 2. de offic. diuin. ca. 9. Responsio Auctoris huius de offic. diuinis: ad quem hæc Anselm. respicit. Anselmi responsio ad D. rationem superiorem hoc autem Thomas VValden. supra cap. 31. allegat. 1. Ioan. 2. De conf. dist. 2. Codices in præsi hæc dicunt, sed aliquot verbus mutatis, in sine cap. 4. lib. 4. de Sacra. & c. 1. lib. 6. Citantur hæc à Tho. VVald. cap. 42. to. 2. de Sacram. Hoc vitur testimonio Tho. VVald. c. 31. to. 2. de Sacram. Ioan. 6. Psal. 13. hæc iterum Tho. VVald. supra.

A Hoc testimonio Tho. Vald. lib. 1. berat Ansel. à calumnia VVicle. c. 82. to. 2. de Sacram. 10b. 26. cod. Imp. habet super nihilum. Psal. 23. Ioan. 20. 2. Cor. 8. Exod. 16. Vbi non istudem proferis verbum, sed eodem sensu id legitur. Hunc locũ à VViclefo preperans interpretatur Tho. VValden. suetur **B** & explanat c. 82. to. 2. de Sacram. B. Ambros. c. 4. lib. 4. de Sacram. August. de conf. dist. 2. non hoc corpus. Psal. 13. 4. Theff. 5.

C

animalem consuetudo est scripturarum talisq; est. homo qui non percepit quæ Dei sunt. Hac autem vita animali qui vivere dicit corpus Christi, non vivit ipse peiorque est omni animali. Quod si nomen animalitatis in hoc coarctemus, ut animalem vitam dicamus qua vivificatur tantum corpus, & sensificatur: quoniam quicumque corpori Christi post resurrectionem ex mortuis derogat vitam & substantiam nostræ naturæ, licet alterius gloriæ inuideat, maxime unum astruat quod dicit: *vixit Christus* cum membris auferat resurrectionis spem, quam in capite videtur perimere. Ecce hoc est quod in opere vestro me offendit & nonnullos fratrum nostrum in quem sensum & id concurrere videtur quod paulo superius dixeratis. Sic enim ibi legitur: quippe qui *visibilem panem sacrificij comedit, & invisibilem à corde suo non credendo repellit, Christum occidit, qui vitam à vivificato se iungit, & dentibus suis mortuum laniat corpus sacrificij, ac per hoc reus est corporis & sanguinis Domini.* Et in hunc sensum consonare videtur quidquid propositum vel sumptum est in sententia illa de materia sacrificij sancti. Quod utrum correctione indigeat, vestro legentiumque iudicio derelinquo. Nunc unum est quod precor charitatem vestram, per ipsam qui est charitas, ne me quasi de integritate fidei nostræ dubitantem (quod longè sit à corde meo, & scientia mea,) aestimetur in opus studij vestri quasi censoriam tulisse sententiam iactabunda quadam temeritate sed fraterna charitate, & amica sollicitudine (teste Deo loquor) pro vobis sollicitus: sic vellem hoc omne opus studij vestri, & laboris exquisitum esse, & circumspectum priusquam in manus exiret eorum qui foris sunt, ut qui rodere vellet, non inveniret ubi dentem posset figere, & ut sincerum vas nullum posset incrustare. vale:

1. Cor. 2.

Ruper. l. 2. de offic. c. 9. supra.

integrum hunc locum vsq; ad finem huius capituli, legere est exaratum, apud Tho. Vald. cap. 47.

Exponit causas suscepti huius operis Charissimo suo lecto ex millibus suis ille seipsum.

CAPUT I.

Cum nuper recta exigente causa, cuidam fratri nostro breviter de sacramentis scripsissem: sumpto inde cogitandi exordio, rationes quasdam ex patrum sententijs sumptas corpi inuicem conferre: Et quasdam quæ in libris eorum & maxime beati Augustini super hac re nonnullos turbare solent, in unum colligens tentare cepi utrum aliquid inde possem conficere. Cumque ex conflatione illa opusculum hoc nescio quomodo exisset, vobis, præ omnibus, putavi destinandum: mihi, & vobis solummodo habendum: ut cum in eo correxeritis quæ corrigenda sunt, & meum opus & vestrum sit cum ego fecerim, vos correxeritis: nisi quod magis erit vestrum quam meum, si non bene factum à me, bene fuerit à vobis correctum. Post finem vero opusculi sententias ipsas patrum congeffi, pro quibus explanandis & sibi inuicem conciliandis opus ipsum aggressus sum, licet per ipsum opusculum passim eas disperferim & ubi opportunum fuerat, ipsa verba eorum ponere maluerim quam meâ.

Quomodo Christiano expediat accedere ad fidem, & quid sit ipsa fides.

Caput II.

Cum Christianæ fidei veritas quasi hoc speciali iure præmineat, ut non ipsa per intellectum sed per eam intellectus quærendus sit. Cuius intellectus, omnem à se compefcit superbum

KK vel

sunt illius speciei ut est rotunditas, albedo, & cætera huiusmodi. Nam similitudo illa panis, quæ in altari carnis se oculis ingerit, per se inspecta non est corpus Domini. Sed cum esset quiddam priori simile, id est, panis inhaerens vel accedens, migrante in Dominicum corpus substantia cui inhaerebat, remansit ad peragendum sacri institutum mysterij. Quod quidem est visum contra rationem & omnis mundanæ sapientiæ, ut sublata substantia, substantiæ accidens subsistat: sed legi naturæ non subiacet Deus; immo ipsius legis lex est. Creator enim potest quoque accidentia subducto substantiæ fundamento, vel continere vel in aliam transferre substantiam, qui terram secundum Prophetam appendit in nihilum: vel secundum alium, super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam. Qui & de hoc ipso corpore suo, de quo agimus, hæc mirabiliter operatur quod etiam de diuina eius substantia vix potest capere humanæ animæ infirmitas, ut illud clausis ianuis introducat, & palpabile præbeat. Ut cum in Sacramento distribuitur fidelibus, faciat de eo quod scriptum est, qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit unoquoque momento & in dexteram patris sedeat in coelis, & sacrificetur in mensa altaris. Itemque uno eodemque momento à solis ortu vsque ad occasum, ab Aquilone ad Austrum præsto sit omnibus fidelibus hoc quod tradidit ipse in sui memoriam celebrantibus fideliter. Quia de corpore cogitare non potest aliquis, qui sit in corpore. Est igitur in mysterijs vera Domini corporis substantia, sed absque visibili specie sua, & est vera species visibilis panis, sed absque substantia sua. Unde B. Augustinus. Quod, inquit, videtis in altari, panis est & calix quod nobis renuntiant oculi nostri: Quod autem fides postulat instruenda, panis, corpus est Christi, & calix, sanguis est Christi. Et Beatus Anabrosius ut sicut quæ erant, sint, & in aliud commutentur. Nihil enim falsum factum purandum est in sacrificio veritatis, sicut fit in magorum prestigijs: ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videatur illis esse, quod non est omnino. Sed vera species visibilis panis, quæ fuit in pane, ipsa facta præter substantiâ suam quodammodo in aliena peregrinatur continente eam: qui fecit eam, & ad suam transferente corpus. Quæ tamè translata ad corpus Domini, non eo modo se habet ad illud, quomodo accidens ad substantiam: quia corpus Domini in substantia sua, nec album efficit albedo illa, nec rotundum rotunditas: sicque de reliquis. Namque, sicut dicit B. Augustinus, visibiliter necesse est celebrari, quod tamen invisibiliter necesse est intelligi: ad quod necessaria est species illa ad mysterij ritum: ad gustus suffragium necessario & pio consilio quasi perfunctorie admittitur quo pacto in accipiendo Sacramento, consumitur. Consumptibilis enim erat, & obnoxia corruptioni: Quod esse non potest secundum id de quo Propheta, non dabis (inquit) sanctum tuum videre corruptionem. Deinde cum corpus istud sacrificij in vivere negatur, vita animali vellem diceretis apertius quam vitam animalem dicatis. Dicit Apostolus ut spiritus noster & anima & corpus conseruetur in diem Domini. Secundum hanc definitionem, quod in omni homine possibile est inueniri, duæ vitæ discernuntur quæ inuicem sibi aduersantur, spiritualis & animalis. Horum enim trium spiritus videlicet & animæ & corporis: cum duo vltima primo seruiunt, vita est spiritualis. Cum duo prima, vltimò: vita est animalis. Hanc vitam appellare

Hoc testimonio Tho. Valden. l. 1. berat Anselm. à calumnia VVicle. c. 82. to. 2. de Sacram.

Iob. 26. Cod. Imp. habet super nihilum. Psal. 23.

1 Ioan. 20.

2 Cor. 8. Exod. 16. Vbi non istudem prorsus verbu, sed eodem sensu id legitur.

Hunc locum à VViclefo præparatum interpretatur Tho. Valden. tuetur

Explicat c. 82. to. 2. de Sacram. B. Ambros. c. 4. lib. 4. de Sacram.

August. de conf. dist. 2. non hoc corpus.

Psal. 15.

2. Theff. 5.

A vel curiosum intellectorem, vel eum qui multis & varijs quæstionibus in fide non quærit nisi gloriam suam, vel eum qui quasi ratiocinando & retractando dubijs quibusdam deliberationibus explorat vtrum credendum sit quod credendum indicat diuina auctoritas. Beati verò patuperes spiritu, qui paruulos se cognoscunt & lacte nutriendos, donec apti sint ad solidum cibum, attendunt simpliciter ad fidem, quos suscipit & exercet, & eorum est quæ non omnium est fides. Aliudque est fides, aliud scientia: scientia ratione & intellectu colligitur, fides vero sola auctoritate inducitur. Qui ergo nihil credere vult, nisi ratione vel intellectu præcedente, hic rem confundit & scire omnia volent, nihil credens, fidem quæ in ipso est videtur adnullare. Sed credere oportet accedentem ad Deum quia est scriptura, & iustus ex fide viuit. Vnde cum de Sacramentis sancti sanctorum corporis Domini nostri Iesu Christi: quod ille met ipse, scripturus non abs re puto de hoc & de huiusmodi cogitantes vel loquentes in eum pariter cominonere non nimis inniti sensui suo, sed prudentiæ suæ ponere modum. Intendere verò aciem mentis in rem de qua agitur & secundum Boetij viri prudentissimi sententiam, sicut res est sic de ea fidem capere tentare, non enim est hominis rationem habentis, cum tractat diuina pensare ea ex his rebus quæ infra Deum sunt, & omnipotentie immensitatem intra terminos nostræ possibilitatis angustare, eamque naturam quodam modo disputando velle informare ad exemplum non imitabile, in qua stant essentialiter omnes causales formæ rerum habentium temporaliter. In hac enim desursum non deorsum trahenda sunt rationum exempla per probationum argumenta. Alioquin qui hoc non facit, similis ei æstimandus est qui fontem riuo, & non riuum fonti attribuit.

Quomodo æstimandum sit de corpore Domini.

Caput III.

HAc igitur consideratione mysterij, Christi carnem sapere nõ debemus secundum carnem. Nam etsi Christum secundum carnem nouimus, sed nunc iam non nouimus. Rursumque carnis veritatem non sic debemus quasi spiritualiter ruminando attenuare, vt naturam verbo Dei unitam non tamen in verbum mutatam quasi ratiocinando videamur destruere. Nam Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula: qui naturam illam, quam carni communicauit & sanguini, vt fratribus per omnia assimilaretur misericors pontifex: sic glorificauit vt non destrueret, sic prouexit vt non exinaniret, sic enim est cogitandum corpus Domini sicut est, nostræ scilicet naturæ, sed alterius gloriæ. Est enim quidem non quid spiritus aut Deus, sed tamen spirituale quodammodo & diuinum. Si enim nostræ humilitatis corpus resurrectione glorificatum, spirituale erit in quantum, spirituali potentia, & incorruptione & gloria præminebit. Quanto magis istud, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, eius qui resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium est Christus. Si in nobis fiet tunc vt quicquid mortale est, absorbeat à vita, quicquid hominis est in melius commutetur, vt quod nunc est anima & corpus tunc sit totum spirituale vel Spiritus: quanto magis quod ex iniunctis in id ipsum naturis naturæ vtriusque res est mente carens in vtroque Deus & homo Christus, cum in virtute resurrectionis suæ ea quæ erant passibilis & mortalis hominis, finem fecit habere formam. Illam quæ

ditanda erat tantæ glorificationis augmento, & in semetipso prouexit, vt sicut dicit Apostolus, exaltaret illum & donaret illi nomē quod est supra omne nomen: & si natura carnis, ex quo summæ illi nature unita est in tanta unitate ei ab ipso conceptu virginis est concepta, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana: Et per hanc unitatem etiam in diebus carnis suæ homo Christus potuit diuina. Quanto magis cum exaltatione illa qua illū exaltauit Deus, humilitas eius mutata est in gloriam, infirmitas in virtutem, mors in vitam? Nam quod de humanitate eius per resurrectionem glorificata secularis philosophiæ ratiocinationibus videtur insusceptibile, vt clausis ianuis ad discipulos intraret mortalis exercuit v. c. dū de thalamo vteri virginalis ad currendam viam dispensationis humanæ clausis nature ianuis processit. Quod si corpus illud intrare & exire per clausa potuisse, virtus auctoris & pietas fidei esse fecit credibile, alia etiam quæ præter naturam corporis sunt, posse corpus illud vel potuisse, non video quid facere possit incredibile.

Christi corpus esse in diuersis locis vno tempore non tamen vbiq. Cap. IV.

NAm etsi spiritus noster in quo ad imaginem Dei conditi sumus, cum secundum imaginem eius qui creauit eum in regno machinæ corporalis, cui præest sic quodam modo se habeat, quomodo Creator in regno creaturæ suæ, vt sicut ille vbiq; locorum est, & totus est, sic iste in toto corpore suo sit, & vbiq; totus sit, licet ratio humana non comprehendat modum quo id fiat. Cur tandem difficile videbitur naturam carnis illi summæ naturæ sic unitam esse vt eius facta sunt omnia quæ illius sunt, maxime post resurrectionis glorificationem ex diuina potentia posse vt in diuersis locis, sic non diuerso tempore. Nam vt ait Apostolus, & si crucifixus est ex infirmitate nostra, viuit tamē ex virtute Dei: sicut enim dignioris & subtilioris naturæ spiritum rationalem constat esse: quā quodlibet corpus. Istud tamen corpus quod super omnes cœlos in eo qui super omnia est, meruit exaltari dignus & ad omnia quæ voluit subtilius & efficacius puto esse quàm sint aliqui non solum inferiores spiritus, sed & omnes illi qui cœlorum nomine meruerunt appellari. Nam quantum etiā corporalis eius eleuatio, qua super cœlos eleuata est illa natura, procul dubio sit credenda: tamen exaltatio qua exaltata creditur super cœlos, sic diuersissime intelligenda est, vt dignitate, gloria, & potestate super omnia cœlestia credatur glorificata. Cum sederit enim, vt ait Apostolus, ad dexteram maiestatis in excelsis, tãtò melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Et profecto dextera non aliud intelligenda, quàm ea, quæ maiestas illa habet potiora. Nec tamen naturam corporis Domini vbiq; esse dico, quia nec opus est, nisi vbi vult, & nisi fidei certo sacramento hoc operatur ad quod assumpta est & glorificata mysterijs videlicet saluationis humanæ. Ambrosius. non enim secundum naturam diuinitatis interpretandum est quod per illam naturam est. Nam etsi credamus à Christo carnem susceptam, non tamen discernamus naturam verbi & carnis, nobis dicetur si recte offeras, recteque non diuidas peccasti. Deus enim solus necessariò vbiq; est, quia cum omnia in ipso consent, nec posset esse vbi illum constringeret deesse. Ideoque substantiam eius & potentiam vbiq; adesse inuitabile exigit necessarium. Si ergo constat in diuersis locis vno horæ

Matth. 5.

Thas accedens

Paul. He. 11.

Abac. c. 2.

Boetium

2. Cor. 5.

Aduersus VViclefsum. id producit Tho. V al. c. 51. to. 2. de Sacram.

al. rimando

al. curuando

Hebr. 13. al. simile. Philip. 3. Coloss. 2.

al. vniu.

Philid. 8.

referatur hic locum Tho. V al. c. 73. to. 2. de Sacram.

Ioan. 20.

Hic vniu Tho. supra.

D

2. Cor. 13.

Hebr. 1.

Hac authoritate VViclef respicit Thomas VV al. c. 73. to. 2. de Sac.

Amb. lib. de incarn. c. 4. in principio verbis oauit immutatis.

Ioan. 1. Ex Athanas. Symbo.

Ioan. 3.

1. Cor. 2.

Psal. 46.

Ioan. 6.

A hora momento esse posse corpus Christi, sed lege creatricis naturæ non creatæ. Cùm autem creatæ naturæ natura sit creatricis naturæ legibus in omnibus obedire: si aliquando acta sua resoluenda illi permittit qui ea instituit & ordinat, non debet videri errare & deuiare ab ordine suo, maximè etiam & illa natura quæ in vnitatem naturæ coniuncta est illi verbo per quod facta est omnis creatura & per quod non posset a modo esse, nisi sicut dicit *Euangelista, in ipso vita esset*. Sic tamen cogitemus illam naturæ vnitatem, qua licet Deus sit & homo, non duo tamen sed vnus est Christus, secundùm quam ipse Dominus: *nemo, inquit, ascendit ad cælum, nisi qui descendit de cælo*. Et de qua Apostolus, *si, inquit, cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: cùm homo Christus quantum in suæ proprietate naturæ, id est, humanæ ante conceptum virginis non fuerit, nec in suæ proprietate naturæ Dominum gloriæ crucifigi possibile, si, inquam, hanc personæ cogitemus vnitatem, participationem humanæ naturæ cum Deo: & in cælo, & in terra, & vbique, etiam ante conceptum virginis & fuisse & esse credendus est homo Christus. Quemadmodum secundùm participationem diuinæ cum homine naturæ, procul dubio Dominus gloriæ credendus est crucifixus, secundùm hanc enim naturæ vnitatem vno momento Christus Dominus & in sepulchro quieuit, & in cælo, & in terra, & vbique fuit, sed secundùm vnitatem solam: eodem temporis momento in sepulchro quieuit, sed in carne sola. Eodem tempore in inferno erat, suos liberans, sed anima sola. Eodem tempore in cælo ad dexteram patris sedebat, sed in deitate sola. Et si de quolibet horum requiramus, Christum Dominum planè respondendum est fecisse, sed secundùm proprietatem cuiuslibet substantiæ. Sed de hac corporis eius præsentia non modo agitur, sed secundùm illam naturam de qua agere ceperamus, adesse vno tempore in diuersis locis Dominus in corpore suo, incomprehensibili & inenarrabili modo, certa tamen fide, vbicunq; exigit res salutis humanæ. Qui enim in manifestatione illa corporis sui, in qua post resurrectionem ascendit in cælum in iubilatione Apostolicæ congratulationis, & voce tubæ angelicæ testificationis vno aliquo loco continetur quicumque ille locus sit, quem nemo velit inuestigando querere, qui non vult errare, futurus ibi vsque ad tempora restitutionis omnium, & tunc demum venturus quemadmodum visus est ascendere & in cælum.

Quomodo necessaria nunc sit nobis præsentia Corporis Domini.

Cap. V.

Sicut enim exigit necessitas salutis humanæ, vt adsit vbi opus sit: sic etiam exigit, vt sic adsit corpus eius, sicut opus est. Iam enim non est necessaria nobis illa eius manifesta præsentia, qua hic cum hominibus conuersatus est Christus: cum natura nostra eius morte redimenda fuit, in qua solus innocentem se inuenit. Etenim aliter crucifigi non poterat nisi ex infirmitate, & nisi in manifestatione carnis, & distinctione membrorum exhiberet se talem qui crucifigi posset. Necessaria tamen nobis est præsentia eius eo modo quo eam necessariam ipsa veritas testata est, dicens: *Nisi manducaueritis carnem & biberitis sanguinem meum non habebitis vitam in vobis manentem*. Oportet igitur nos Christi carnem manducare, si vitam in nobis manentem volumus habere. Nam caro eius verè est cibus, & sanguis eius verè est potus. Quod

D. ANSELMI TOMVS III.

enim potu & cibo appetitur in hoc solo cibo præstatur: scilicet vt ultra non esuriatur. Et sicut igitur cibo id appetitur, vt viuatur, sic ad eam vitam qua viuatur, solummodo per hunc cibum peruenitur. Cibus enim hic ad vitam æternam animæ conferendam collatus est, non ad ruinas sustentandas huius miseræ vitæ, quæ vapor est ad modicum parens. Hic ergo modus est, quo necessaria nobis est ad salutem & vitam præsentia corporis eius, videlicet vt manducetur à nobis factus panis noster quotidianus. Oportebat autem vt sicut cum necessaria nobis fuit visibilis eius præsentia inuisibile in suis, visibile factum est in nostris verbum caro: sic cùm res exigit nostræ salutis vt manducetur caro eius, quod non est ipsa caro in natura sua fiat in aliena, manducabitur. Quod in nullis rebus aptius fieri potuit, quàm in eis, quæ inter omnia victualia humani corporis quodammodo tenent principatum, quæ sunt panis & vinum. Nam & ad literam præ cunctis cibis panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat. Quid ergo diuina pietate dignatus est in humeros suos eleuare otem perditam. i. in vnitatem personæ suæ assumere corruptam naturam nostram: idem nunc terrenam substantiam panis suscipiens in virtute diuinæ potentie cui in omnibus & per omnia subest, cùm voluerit posse, transmutat in veritatem carnis suæ.

De visibili specie in Sacramento Corporis Domini.

Caput VI.

DVM verò mutat naturam in naturam, substantiam in substantiam, corpus in corpus, hoc solum de eo immutatum in eo in quod mutatum est, facit supereffe quod res exigebat, scilicet, vt cùm panis substantia in illam transfret substantiam, quæ sedet in dexteram patris. De qualitate prioris substantiæ hoc sibi vendicet, vt secundùm ritum mysterij tractabile fiat, & gustabile ex illa natura, quod non erat ex sua: & cõtra omnem secularis philosophiæ rationem & intellectum mutata panis substantia in aliam substantiam ad quoddam mysterij obsequium quædam accidentia, quæ illi inhærebant, sic transfuit in mutatam. Vt corpus Domini licet albedo non faciat album, nec rotunditas rotundum, sed huiusmodi omnia sic cõseruantur: vt licet vero humanitatis eius corpori adsint, non tamen insint, non tamen istud inficiat, vel afficiant sicut accidentia substantiam cui accidunt, sed exterius seruiencia ad corpus Domini quodammodo obtegendum quod in forma & natura sua verè persistit quoddam vnum quod panis inerat naturaliter & non inerat corpori Domini, & inesse illi exigebat res Sacramenti tegminis sui obsequio in istud faciat transire vt verè fiat secundùm ritum mysterij tractabile & gustabile, quod non erat: in qualitate naturæ suæ & hoc mihi videtur illa species panis visibilis in Sacramento altaris. Sed nec magis mirandum hoc est, quod post substantiam facit Deus subsistere accidentia: quàm hoc quod ipse est substantia nulla recipiens accidentia, quicquid est substantialiter existens, sine qualitate bonus, sine quantitate magnus sine loco vbique præsens aut patiens, sicq; de reliquis.

Disputat de naturali mutatione formarum, vt in clarius argumentum transubstantiationis.

Caput VII.

SED libet de communi & naturali & secundùm naturam possibili natura vel formarum transmutatione subtilius aliquid indagare, vt videamus & intelligamus quid in sacrificio sancto secundùm

KK 2

cundùm

10an. 1.
Ex Athanasio
nas. Symbo.

10an. 3.

1. Cor. 2.

Psal. 46.

10an. 6.

Psal. 103.

Sup. 12.

D

& Philid. 1.
ex-ora
na
on-
di-
anc
ori-
tio-
nu-
s in
re-
oci-
nuis
i de
dis-
ces-
lau-
ecit
oris
deo

Hiu vitim
Tho. supra.

2. Cor. 13.

Hebr. 1.

Hac authoritate
V. V. clef. resp. det
Thomas V. V. al. c. 77.
to. 2. de Sac.
Amb. lib. de
incarn. c. 4.
in principio
verbis oauo
inmutatis.

A cundum naturam, quid supra naturam faciat noster omnium creator & ordinator Deus. Boetius, sola quippe mutari transformariq; in se possunt que vnius habent nature commutativae substantiam. Sed haec omnia secundum ea que in se & facere & pati possunt. Id vero probatur hoc modo, nec enim potest in lapide permutari, nec in herba, nec quodlibet aliud corpus, in quod aliud transfigurari potest, nisi & eadem sit materia rerum in se transeuntium & a se & facere pati possunt, ut cum vinum atque aqua miscentur, utraque sunt talia que actu sibi passionemque communicent, potest enim aquae qualitas a vini qualitate aliquid pati: Et iterum vini qualitas ab aquae qualitate aliquid pati. Atque idcirco si multum quidem fuerit aquae, vini vero paululum, non diceretur immixta, sed altera alterius qualitate corrumpitur. Si quis enim vinum infundat in mare, non mixtum mari vinum sed corruptum in mare. Idcirco quoniam qualitas aquae multitudine sui corporis non passa est a qualitate vini sed potius in seipsum vini qualitatem propria multitudine commutavit. Si ergo sint mediocres atque aequalis vel paulo inequalis naturae quae a se facere & pati possunt, ille miscentur, & mediocribus inter se qualitatibus temperantur, atque haec quidem non in corporibus omnibus, sed ijs tantum quae a se ut dictum est, & facere & pati possunt communi atque eadem materia subiecta. Omne enim corpus quod in generatione & corruptione subsistit, communem videtur habere naturam, sed non omne vel ab omni, vel in omni vel facere aliquid, vel pati potest. Corpora vero in incorporea nulla ratione poterunt permutari, quoniam nulla communi materia subiecta participat quae susceptis qualitatibus in alterum permutetur. Corpus vero Domini cum pane vnius habet commune materiae subiectum. In quantum enim corpus Domini & generari potuit & mori: communem cum pane isto terreno videtur sortiri materiam. In quantum vero panis cum corpore Christi communem habet materiam, potestatem habet in istud transmutari, nec cum hoc fit, a natura usquequaque receditur. Si enim multitudini maris, modicam vini guttam transformare in suam naturam, in tantum ut de ea penitus nihil videatur residuum, est possibile, magnitudini vel multitudini virtutis Christi, qua cum de patre vnus est homo Christus omnipotenti creatoris actione, & obedientissima creature passione panem in suum transmutare corpus erit impossibile? Et cui creare de nihilo & formatum & formam fuit facile, mutare formatum & conservare formam, quomodo erit difficile? Sic itaque ut dictum est, ad mysterium ritum, ad gustumque suffragium quibusdam ut a pio redemptore posse factum est verbis pie, & sancte, & vere corpus eius manducat, quotiens verbo panem istum benedicit, id est, transmutat in corpus suum.

De necessaria huius Sacramenti manducatione & modo manducationis. Caput VIII:

1. Cor. 2.

Sed cum homini illi, qui non percipit ea quae Dei sunt, absurdum & plenum horrore videatur, ut servus manducet Dominum suum, omni diligentia considerandum nobis est, quomodo ad vera vitam talis sit cibus nobis necessarius, ut sine hoc ad illam perveniri impossibile sit. Modus etiam manducandi subtilius discutendus videtur, ne omnis, qui corporaliter videatur manducare, confidat se vitam in semetipso manentem habere, sed iam dictum quae sit ipsa vita ad quam nos vivificet ipse cibus. Quod enim per hunc potius animae vita quaeratur, quam corporis, nulli dubium est. Liqueat

IOAN. 6.

enim omnibus quod sicut vita corporis est anima, sic animae Deus. Deus autem Charitas, vita ergo animae rationalis est charitas Dei, ut ergo ille ametur, qui ipse est amor suus, & qui habetur ubi amatur, ad hoc enutrire non debet cibus iste. Quicquid enim redemptor noster in carne fecit, ob hoc utique fecit ut amaretur a nobis: non quod egeret ipse nostro amore, qui bonorum nostrorum non eget. Per omnia sufficiens ipse sibi: sed quia quos beatos facere susceperat, nisi etiam amando non poterat esse beati, neque vero solummodo amore quo nos prior dilexit, sed omnimodis amoris obsequijs ut amaretur a nobis quodammodo laborabat mereri, infirma nostra curando, mortua resuscitando, ignobilia mundi eligendo, fortia eius confundendo, terrenorum odium, coelestium amorem commendando. Ideo quippe descenderat ad nos, ut amore nostrum in terrenis dispersum & putrefactum beneficia pietatis exhibendo in se colligeret, & in novitatem vitae reformaret, & abstractum & emedatum a face earum rerum quae cum ipso pariter amari non possunt, secum sursum leuaret. Augustinus in libris confessionum. Sic enim illa summa maiestas superioribus creature partibus supereminens subditos erexit ad seipsam. In inferioribus enim edificavit sibi humile domum de limo nostro per quam subditos deprimeret a seipsis & ad se traheret finiens timorem & mittens amorem ne fiducia sui progrediretur longius, sed potius infirmarentur videntes ante pedes suos infirmatam deitatem ex participatione tunice pellicae nostrae & lapsi perflarentur in anima. Illa autem surgens leuaret eos, quid enim faceret miser homo? quis eum liberaret de corpore mortis huius nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum in quo cum princeps huius mundi non inueniret quicquam morte dignum occidit eum: Et sic euacuatum est Chyrographum quod erat contrarium nobis. Ille vero libens pro omnibus gussavit in mortem & liberavit eos qui per totam vitam timore mortis obnoxij erant servituti, sic quoque in mortis consortio filius Dei fieri dignatus est nobis amicus, ut Deum agnosceremus similem quodam modo nobis factum, eaque fiducia relinqueremus hostem nostrum, & fugeremus ad redemptorem nostrum: qui interim descendit ad subleuandum nos, ut nec hoc abhorreret a nobis pro nobis suscipere, in quo maiorem & digniorem vitam nostra inimicus se gloriabatur existere. Cedendo enim illi in passionibus & moriendo paulo minorari visus ab ipsis apostaticis Angelis: quia mori potuit, illi qui mori non poterat impotens apparuit & non formidabilis. Sic enim ait propheta, Osee attrahendi eramus in vinculis charitatis. Sic curandi erant qui se amabant usque ad contemptum Dei, ut discerent Deum amare usque ad contemptum sui. Hic enim non propter se, sed propter nos provocabat in nobis quod propter ipsos nos in seipso exercebat in nobis: videlicet ut disceremus amare usque ad contemptum nostri, qui nos prior amavit quodammodo usque ad contemptum sui. Salvo enim altero redemptionis nostrae Sacramento huius rei gratia carnem suscepit, susceptamque necessitatibus naturae iniuriisque & passionibus exposuit, fecitque vel dixit, quicquid per carnem vel in carne fecit vel dixit. Cum ergo de carne sua amandi se tantam ingerit materiam, magnam & mirificam animabus nostris vitae alimoniam ministrat, quam tunc avidis faucibus sumimus, cum dulciter recolligimus, & in ventre memorae recondimus, quae cum pro nobis fecit & passus est Christus, hoc est, conuiuium de carne Iesu & sanguine, qui cum commu-

nicat,

C

1. IOAN. 14.

Psal. 17.

Psal. 127.

MAN. 6.

Rom. 7.

IOAN. 14.

Coloss. 2.

D

Osee 11.

B

Badem pe-
ne sunt qua
Hieronym.
commenta
tur.

1. IOAN. 6.

Psal. 103.

IOAN. 12.

Psal. 80. C
147.

IOAN. 6.

In 7. parte
Cano, miss.

In 8. p. Ca
non, miss.

In collect
post commu
nionem de
omnib. san
ctu. uxor.
missale
Rom. par
& Vict.
In collect.
post com.
Ascension
Esai. 66.

Anicat, habet vitam in se manentē, tunc enim communicamus, cum fide ardeat quę per dilectionem operatur, reposuimus in mensa Domini qualia ipsi sumpsimus, videlicet, vt sicut ille totū se prebuit pro salute nostra nulla sua necessitate: sic nos totos fidei eius & charitati exhibeamus necessitate salutis nostre. In hoc inest conuiuio quicunq; saginatus nescit panem suum ociosus comedere, sed sollicitē cum muliere eius ardet de nocte huius seculi cōsurgere ad lucernam verbi Dei, vt labores manū suarum manducet, & bene sit ei. Sicq; in Christo manet bonus conuiuia Christi proprię dilectionis affectu, habetq; Christum in se manentē per sanctę operationis effectū. Quod cum vtrunq; Domum Dei sit, totū accrescit magis ac magis ad cumulum amoris in illum quem perfectē amare est perfectē bonum esse. Hunc autē cibum plus manducat, qui amplius amat: Et plus amando rursus qui plus & plus manducat, & plus & plus amat. Licet huius amoris in hac vita non nisi pignus quoddā accipiamus, plenitudinem eius, in pręmium, in futuro seculo expectatis. Et ecce hoc est manducare illam carnem de qua dicit Iesus. Qui manducat carnem meam, in me manet & ego in eo.

De duplici acceptione Corporis Domini secundum Hieronymum in Epistolam ad Ephesios

Capitulum IX.

Sed dupliciter intelligitur caro Christi vt spiritualis illa sit, & diuina, de qua ipse dicit. *Caro mea verē est cibus*: Et caro illa quę crucifixa est & sepulta. De carne enim illa priori, quę crucifixa est, hęc altera procedit, & secundum Psalmistā, educit Deus panem de terra: cum à terreni corporis agro, quem à nobis assumpsit, mysteriū profert cęlestis panis ac poculi salutaris quo reficitur Ecclesia, & sicut corpus Domini, quod mortuum est in Euāgelio granum frumenti vocat cadens in terrā: sic in psalmo ad eum frumētū vocatur illa mystica caro, ad quā Dominus discipulos hortans dicebat, nisi mādūcaueritis carnem meam & biberitis sanguinē meum non habebitis vitā in vobis manentē. Et in Sacramento corpus Domini facit sanctę Ecclesię fides, cuius generaliter est ipsum sacrificiū cuiuscūq; sit meriti, per quem fit. Spiritualem verō illā carnem per gratiam Dei vitę meritum efficit & affectus mentium in cordibus ministrantium & percipientium vnde istud: vt nobis fiat corpus & sanguis filij tui: nobis, inquit, fiat, fit enim procul dubio corpus Domini in mensa altaris semper, cum solempne istud celebratur mysteriū ritu quo debet, sed non semper eis fit per quos fit:

Cumq; hac ratione dupliciter hęc caro intelligatur, sicut altera intelligi potest sine altera, sic & altera manducatur sine altera, vnde istud in canone: vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinē sumpserimus omni benedictione cęlesti & gratia repleamur. Non enim omnes qui corporaliter corpus Domini sumunt ex participatione altaris spiritualiter illa benedictione cęlesti, & gratia replentur. Vnde est & istud: vt quod temporaliter gerimus, eternis gaudiis consequamur. Et: vt quęcunq; visibilibus mysterijs sumenda percepimus, inuisibili consequamur effectū. Et multa in hunc modum. Nam secundum Isaiam omnes voluptatum amatores magis quam Dei sanctifici cantur in hortis & liminibus, quia mysteria veritatis non valent introire, & comedūt cibos pietatis, dum non sunt sancti corpore & Spiritu: neq; comedunt carnem Iesu, neq; bibunt sanguinem de quo ipse loquitur. *Qui manducat carnem*

meam &c. Sanctificantur quippe in liminibus, qui in Sacramento hoc solum attendunt, quod corporaliter accipiunt, & sanctum quoquo modo venerantur. Sicq; comedūt cibos pietatis, sed pietatem ipsam repellentes à corde sanctificationem glorię cęlestis intra domus suę limina nolunt recipere. Non enim efficiuntur corpus Christi sumēdo corpus Christi. Ideo & carnem Iesu, de qua supra diximus non manducant neque sanguinem bibunt: Qui autē manducant & bibunt, ad iudiciū tibi manducant & bibunt. Nam sicut sol vno radij sui calore hinc ceram soluit, vnde lutum stringit: Et non diuersus in se, diuersē operatur in rebus contrarijs, vtens materijs, sicut eas inuenit: sic Christi gratia quantum in ipso est vno modo infundit se in omnes, sed diuersos inueniens animos diuersē in eis operatur, hunc in amorem suum misericorditer emolliens, illum iuste non inuando indurans: nam cuius vult miseretur, & quem vult indurat, fuit Iudas in conuiuio Saluatoris, cui fuit venenum buccella Dominica quā de manu eius suscepit, quam cum suscepit, inimicus in eum intrauit, non quia malum, sed quia bonum malus male accepit, de vno enim pane Iudas accepit, & Petrus, sed tamen quę pars fidei cū infideli? Petrus enim accepit ad vitā, Iudas ad mortem. Itaq; secundum diuersum intellectum & diuersum effectū cum vnus sit panis Christi, Alter tamen quodammodo quę sumpsit Petrus, alter quem sumpsit Iudas, alterq; sumi potest sine altero.

Capitulum X.

Sed iam de spirituali manducatione spiritualis scarnis Christi satis vt puto dictum est: quę, vt multa breuiter concludam, nō est aliud quam ponere corda in virtute eius, & totā rem ducere in affectum. Iam & ipse rei ordo videtur exigere vt de corporali alia differamus. Corporalis autem manducatio est, corpus Domini corporaliter percipere siue dignē, siue indignē: siue ad vitam, siue ad mortem. Licet enim illa sufficiat, si sic inuitabile cogat necessarium, tamen & hęc non est omittenda, sufficit enim per se illa.

Quia nulli aliquatenus est ambigendum tunc vnumquemq; fidelium corporis sanguinisq; Domini participem fieri quando in baptisate membrum efficitur Christi. Nec alienari ab illius panis & calicis consortio, etiamsi antequam panē illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitatem corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione, sanguinisq; Domini participem fieri quando in baptisate membrum corporis fiat. Ac beneficio nō priuatur quando in ipso hoc quod illud Sacramentum significat inuenitur, non tamen negligenda est Sacramenti perceptio, quia vterq; domus nostrę postis, id est, corpus & anima, signandus est agni sanguine: ne ab exterminante vastetur, & flagellū appropinquet tabernaculo nostro: sed & natura carnis nostrę, quę in primo parente suo cibo vitata illicito, originali propagine peccato, & pœna peccati tota erat infecta, & morti æternę addicta, id est, simul tradita corruptioni: in alterius cibi curāda erat antidoto, sicut pulcherrimē Christianus Poeta dicit: *Qui percuntem hominem vetui dulcedine pomi instauras meliore cibo, potuq; sacrati sanguinis infusum depellis ab angue venenum*. Sumpta enim ore carnis nostrę caro Christi nequaquam æstimanda est lege communi ciborum. Hic enim cibus non est ventris sed est mentis, dissimilis omnino ab illis cibus de quibus dicitur: omne quod in es intrat in ventrem vadit, & per secessum emittitur.

KK 3 Hic

C

1. Cor. 11.

Hanc similitudinem atq; adeo sequentes periodos Tho. Wal. producit c. 32. de sac. tom. 2.

Rom. 9.

Matth. 26.

Mar. 14.

Luca 22.

Ioan. 13.

Ex D. Aug.

Tract. 26.

in Ioannem.

Idem verbis parum mutatis

scribit Aug.

l. 2. contra

lit. Pet. c. 2.

lit. Pet. c. 2.

D

Psal. 47.

Augustinus

in sermone

ad infantes

ad altare

de sac. vt

notauit

Ioannes

Piscatorius

in Epitome

operum

August. si-

mile pen-

videre est

4. sent. dist.

9. de conf.

dist. 2.

Quia passus

est.

Tho. VV al.

c. 61. to. 2. de

sac. ad ci-

tans Boetii

putat hunc

esse Poetam.

1. Ioan. 14.

Psal. 117.

Psal. 127.

Mat. 6.

Rom. 7.

Ioan. 14.

Coloss. 2.

D
Osea 11.

Badem pe-
ni sunt que
Hieronym.
commenta-
rit.

1. Ioan. 6.

Psal. 103.

Ioan. 12.

Psal. 80. &
147.

Ioan. 6.

In 7. parte
Cano. missæ.

In 8. p. Ca-
non. missæ.

In collecta
post comu-
nionem de
omnib. san-
ctis iuxta
missale

Rom. parif.
& Vict.

In collecta
post com.

Ascensionis.

Esai. 66.

A Hic est cibus qui nō vadit in corpus. quia nequam sicut alij cibi in naturam. vertitur corporis, sed corpus nostrum vertit in suam naturam, & futura resurrectioni & perpetuæ incorruptioni illud præparans & coaptans; & in nobis & vbi erat, scilicet, in dextera Dei patris. Sic enim naturalis per Sacramentū proprietates perfectæ Sacramentum fit vnitatis, cum hæc accepta atq; hausta id efficiūt, vt & nos in Christo & Christus in nobis sit. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eodem secundū hoc quod nos sumus in Deo. Est hæc ergo vitæ nostræ causa, quod in nobis carnalibus per carnem Christum manentē habemus iunctum nobis per eum ea conditione qua viuūt ille per patrē.

Quod Corpus Christi sit Sacramentum Corporis spiritualis. Caput XI.

Sciendum est autem, quod carnis illius, vel corporis spiritualis (de quo iam supra multa diximus) Sacramentū, est caro vel corpus Christi: quod in ara crucis, & in altari sacrificatur, & corporaliter māducatur. Nemo autē nouitatis in e arguat præsupptorē quod corpus Christi sacramentum appellem corporis Christi: Nam & Paulus ad Timotheum magnum dicit esse pietatis Sacramentum quod manifestum est in carne. Sed & B. Ambrosius in libro ad Gratianum dicit apparuisse hominibus vnigenitū patris per Sacramentū assumpti hominis. Cæteri q; Ecclesiæ doctores Sacramento tenus eos dicunt corpus Christi manducare, qui manducāt indignē. Quos tamen māducare corpus Christi iam supra præstructum est, licet non manducant carnē illam, quæ viuificat per spiritum viuificatē. Permittuntur siquidem, sicut Iudas ad iudicium suū in carnem illam, vt ita dicam, corporalem incurere, de qua dicit Apostolus. Et reconciliauit nos in corpore suæ carnis per mortem, quæ illius alterius est carnis Sacramentum. Permittuntur mira Dei potentia corpus Christi indignē manducando ipsum Christum sibimet rursus, vt ait Apostolus crucifigere, & ostentui habere, & quasi inuitum indignis & pollutis manibus quodammodo sibi alligare, dum Sacramento tenus manducant corpus eius, quod ipse omnibus parauerat in cibum vitæ æternæ. Qui non pollutum ducerent sanguinem testamenti considerarent horrendū esse incidere in manus Dei viuētis in quem coinquinatas ipsi manus iniecerunt, dum manducant non dijudicantes corpus Domini. Mitis tamen Iesus dū tempus patientiæ est, qua pietate Iudæos tolerauit irridentes, conspuentes, crucifigentes. Eadem & illos tolerat: quales fuerunt, tales propriè circa eum existentes: Sicut igitur dicere ceperamus, altera Christi caro alterius est Sacramentum. Sacramentum enim est sacræ rei signum: signum autem est quod præter speciem quā ingerit sensibus, facit aliquid aliud in mentem venire. Caro autem illa, quæ ideo dicitur esse cibus, quia veram efficit vitam, Sacramentum habet carnem Christi, quæ crucifixa est & resurrexit, quia consideratio huius cur fuerit assumpta, cur sic dispensata illam viuētē facit venire in refectione mentis. Rursusq; caro quæ crucifixa est in panis visibili forma suum habet Sacramentum: quia eum in mysterijs consideratur fractio, depositio, & eleuatio eius &c. Quæ licet visibiliter celebrantur, inuisibiliter tamen intelliguntur facit venire in mentem fidelium mortem vel sepulturam vel ad cælos ascensionē totumq; ordinem rei cuius est Sacramentum. Licet etiam in eo quod panis inter omnes cibos tenet principatū, visibilis illa species eius carnis possit esse Sacramentū: quæ ideo verè dicitur cibus quia nutrit ad verā vitā, sed visibilis caro Christi cum sit Sacramentū illius carnis, spiritualis tamen verè caro Christi est: illa verò

Apud Thomam VV al. sub finem cap. 32. 10. 2. de Sac. hic locus, & aliter post Ambrosium proximè citandum refertur.

1. Timoth. 3.

Ambrosius.

2. Cor.

B

Hebr. 6.

Hebr. 10.

species visibilis panis nō est caro vel corpus Christi per se considerata: nisi quod hoc nūcupatur ea consuetudine scripturarū qua plerumq; Sacramenta sortiūt nomina earū rerum quarum similitudinem aliquā gerunt. Ideo & earum rerū Sacramenta sunt, si enim sacramenta quandā similitudinem earū rerum quarum Sacramenta sunt, non haberēt, omnino Sacramenta nō essent, propter quarū similitudinē sicut petra dictus est Christus, inquit, petra autē erat Christus: sic corpus Domini potest nūcupari: Et manna illud quod patres incredulorum Iudæorū in Sacramentum Domini corporis māducauerunt, & mortui sunt: nō quia manna malū erat, sed quia malè manducauerunt. Hac ratione corpus quod de nobis sumpsit, & manna illud nō quidem in eo quod sunt, sed in eo quod signant, cōparantur & paria sunt. Et corpus Domini, cui rei Sacramentū sit, iam supra satis dictum est eiusdemq; manna typū gessit, & similitudinē expressit, nō in vna re, sed in multis quas modo longū est exequi, ideoq; eius Sacramentum vitæ appellatur. Itaq; licet non sint vnum, vnum tamē significauit manna & corpus Domini panē scilicet qui de cælo descendit: hunc panem significauit manna, hunc panem significat altare Dei. Sacramenta illa fuerūt & ista Sacramenta sunt. In signis diuersa, in re, quā significant, paria. Omnes, inquit, eandem escā spiritualem manducauerunt: spiritualem utiq; eandē corporalem aliam. Quia illi manna: nos aliud, spiritualement verò eandem quam nos, & omnes eundē potum spiritualement biberunt aliud illi, aliud nos, sed specie visibili. Quod tamen hoc idem esset virtute spirituali: Eo modo enim eundem potum bibebāt, bibebāt enim de spirituali consequēte eos petra, petra autem erat Christus. Idem panis, idem potus petra Christus. In signo cib⁹, Christus in carne & verbo, hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit nō moriatur: secundū quod pertinet ad veritatem Sacramenti, nō quod pertinet ad visibile Sacramentū. Qui māducatur inus nō foris: qui manducat corde, non qui premit dētē. Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc quomodo caperet caro, quod dixit panem carnē, vocatur caro quod nō capit caro. Et ideo magis nō capit caro, quia vocatur caro. Eadē similitudinē ratione idē corpus Christi quod de terra sumptū est, & Sacramentum eius visibilis illa species panis Sacramenta sunt alterius cuiusdam corporis, quod est Ecclesia, cuius caput est Christus. Quod enim in corpore est diuersitas membrorum, hoc est in Ecclesia diuersitas gratiarū: illamq; & istā diuersitatē charitas redigit in vnitatem, sicut enim diuersa in corpore mēbra subseruiedo & subministrado & cohæredo sibi inuicē vnitatē corporis efficiūt: sic & Ecclesiæ mēbra capiti suo & sub ipso sibi inuicē coherentia pulcherrimā sui corporis efficiūt vnitatē. Rursusq; considera species illas, in quib⁹ voluit Dominus corp⁹ & sanguinē. cōmendare suū, in his scilicet reb⁹ quæ ad vnū aliquid ex multis rediguntur, nā & panis ex multis granis vnū efficiūt: vinū autē ex multis acinis in vnū confluit. Quod eiusdē rei est Sacramentū: & cū hoc similitudinē Sacramento in sancto illo mysterio sum⁹, magis tamē per illā reciproca naturā cōmunionē, quæ fact⁹ est quod eramus nos, fecit nos, quod erat ipse caput nostrū Christus. Sic enim per vnitatē nature, per amorē speciei vbiq; ille est, & nos sumus, & corpus eius, & plenitudo eius, effecti: hoc quod sumus ab eo incipimus dū corpus eius māducamus.

Quomodo res sacramenti estimanda sint. Cap. XII.

Cum ergo sic se habent res sacramenti; Res sicut sunt debemus estimare: spiritualia, spiritualiter pensare, Et cum de altari sumimus carnem

C

Ex D. Aug. Bonif. Epist. 23.

1. Cor. 10.

Exod. 16.

Num. 11.

Psal. 77.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

1. Cor. 10.

D

Hæc omnia vsq; ad eandē & in similitudinē ratione ad verbum habet Aug. Tract. 26. in Ioan. ad hæc verba. Hic panis est qui de cælo descendit, aliquot tamen vocula aut syllabis mutati: Ioan. 6. Ioan. 6. Hæc citat Tho. VV al. 10. 2. de Sac. cap. 22. sub finem. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

A

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

Hebr. 5.

B

De consec. dist. 2. in Christo.

à Tho. V al. isthac refertur to. de sacra. cap. 27.

1. Cor. 11.

Eodem s. su. ad di. s. omnin.

C
Ex D. Aug. Bonif. Epist. 23.
1. Cor. 10.
Exod. 16.
Num. 11.
Psal. 77.
Ioan. 6.
Ioan. 6.
1. Cor. 10.
D
Hac omnia vsq; ad eadem & in similitudinis ratione ad verbum habet Aug. Tract. 26. in Ioan. ad haec verba. Hic panis est qui de calo descendit, aliquot tamen vocula aut syllabis mutata.
Ioan. 6.
Ioan. 6.
Hac citat Tho. VVal. to. 2. de Sac. cap. 22. sub finem.
1. Cor. 12.
Ephes. 4.

A Iesu, curemus sollicitè, ne cogitatione remaneamus in carne; & à spiritu non viuificemur, vel si non viuificamur à spiritu: caro enim nò prodest quicquã. Nã si cogitatione remaneamus in carne saluatoris, non solum non viuificamur à spiritu, sed nec intelligere possumus, quomodo caro Christi hominis ab homine possit manducari: nisi sicut intellexerunt illi duro corde, quib⁹ durus visus est sermo Christi, & abierunt retro; acceperunt enim illud carnaliter. Illud cogitauerunt quod præcisurus esset particulas de corpore suo, & daturus ad manducandum. Debemus ergo id corpus Domini spiritualiter & diuino quodam modo cogitare humiliterq; dijudicare, id est, ab omnibus alijs cibis diuersum dijudicare & spiritualem carnè Iesu spiritualiter manducare, id est, sacramento veræ eius carnis quæ in altari percipitur. Rursumque credere debemus ipsam carnem crucifixam & sepultam, sub vno. Item, sacramento non conscindi, non discerpi, non deuorari morte communi carnis, sed sub specie panis incorruptibiliter frangi, & immolari, & nunquam consumi. Non enim impiè à nobis occiditur, sed piè sacrificatur & hoc modo mortem Domini annunciamus donec veniat. Hoc enim in præsentia humiliter agimus in terris, quod potentialiter ipse pro nobis sicut filius pro sua reuerentia audiendus agit in cœlis; vbi apud patrem pro nobis, quasi aduocatus interuenit, hoc est pro nobis interuenire carnem, quã pro nobis, & de nobis sumpsit, Deo patri quodammodo pro nobis ingerere, sacrificamus ergo corp⁹ Christi, dum certa fidei pietate sanctum illud credimus, & sanctificamus, & hanc fidem asserimus ad honorem eius ex quo qui sanctificat, & sanctificatur ex vno omnes. Mortem enim Christi, nò opus est iterari quia semel facta potens est ad salutem sempiternã. Ambros. Christus enim semel mortuus est, & factus est oblatio pro peccatis nostris. Quid igitur nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus, sed ad recordationem mortis eius. Et vna est hostia, nò multa: Quomodo vna & non multæ? quia semel oblatus est Christus, hoc autem sacrificium, exemplum illius est, id ipsum semper, id ipsum. Proinde, hoc est sacrificiũ. Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt, nequaquam: sed vnus vbiq; Christus, & hic plenus existens, & illic plenus. Sicut enim quod vbiq; offertur, vnum corpus est, & non multa corpora: Ita & vnum sacrificium: pontifex autem ille est qui hostiam mundantè nos obtulit, ipsumque offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest, quod nos facimus in cõmemorationem sui eius quod factum est: hoc facite inquit, in meam cõmemorationem. Non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus magis autem sacrificij recordatione operatur, ei que dona eius in nobis nosq; ipsos vouemus & reddimus, & beneficiorum eius solemnibus festis & diebus statutis dicamus sacramusq; memoriam, ne volumine temporum in grata subrepat obliuio.

1. Cor. 11.
1. Cor. 11.

1. Cor. 11.
1. Cor. 11.

1. Cor. 11.
1. Cor. 11.

1. Cor. 11.
1. Cor. 11.

1. Cor. 11.
1. Cor. 11.

1. Cor. 11.
1. Cor. 11.

1. Cor. 11.
1. Cor. 11.

B De consecr. dist. 2. in Christo. à Tho. VVald. isthac referuntur to. 2. de sacram. cap. 27. De consecr. dist. 2. in Christo. à Tho. VVald. isthac referuntur to. 2. de sacram. cap. 27. De consecr. dist. 2. in Christo. à Tho. VVald. isthac referuntur to. 2. de sacram. cap. 27. De consecr. dist. 2. in Christo. à Tho. VVald. isthac referuntur to. 2. de sacram. cap. 27.

In legendis patrum scriptis esse multa opus vigilantia; hereticorumq; oppugnationibus inexpugnabilem stare fidem nostram. Cap. XIII.

Iam postquam ex confragosis locis hucusq; euasimus, considerare liber attentius, cur super hac re in sanctorum patrũ tractatibus reperuntur sententiæ tam dubiæ, tam scrupulosæ, & quæ etiã sibi inuicè nonnunquam cõtrariæ videntur, vt non solũ qui contemnendi intentione illas congregant, materiam in eis inueniãt errandi: sed, & qui ex eis aliter velint fidem catholicam nò facile se inde queat expedire. Oportet, inquit, Apostolus hereses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant. Quod in hoc evidentiſsimè comprobatur. Iam enim obscurissimam de Trinitate sententiã, claram omnibus effecerunt

Arrianorũ contentiones, & disput. subtilissimè. Iam de incarnatione Dei graues & perplexas quæst. Apollinaris, Nestorij, & Eutichetis multorumq; aliorum hæreticorum, claras & euidentes fecerunt in Ecclesia Dei. Quod nisi coegisset necessitas, de re, de qua quærebatur, viros sanctos & pereruditos altius aliquid sentire & proferre: semper timida hominũ mentes habuissent obscurum, vnde quia ab initio S. Ecclesiæ vsq; ad nostra pene tempora hæc ab hominibus quæstio intacta relicta est, S. patres quod non impugnabatur, nò defendebant: nisi quod aliquando in tractatibus suis, hoc vnũ proferebãt quod res postulabat, & habebatur in manibus. Quod, quia quæstionib⁹ non respondebat quæ nondũ erant, parum modo sufficere videtur ad eas cum exurgunt compescendas: contra quas quia tunc nò vigilabat eorum intentio, plurima de sacramentis in scripturis suis reliquerunt, quæ loco suo, suo sensu benedicta, ab eis qui cõtendere vel errare amant, eruta de locis suis per se videntur aliud sonare quam sonent vnde assumpta sunt. & quam senserunt qui scripserunt sed vt multa de eadem re ab eis relicta sunt quæ bene dicta, sed obscurius: vtpote ab eis, qui vt homines, venturas omnes errorũ calumnias nò poterant præuidere: malè intellecta materiam errandi vel cõtendendi perditis videtur præstare. Quæ B. August. in multis accedisse nò ignorat, qui librorũ ei⁹ lectione familiarè habet antequã. n. pelagiana heresis exurgeret, in libris, quos iã ediderat, nò pauca posuit quæ exurgēs exiãde illa heresis sic sũpsit ad patrocinũ sui erroris vt etiã paria secũ sentire iactaret virtũ per omnia catholicum. Vnde illi necessitas imposta est plures postea libros cõtra pestem illam edere & cõfiteri, crebro bene dicta sua ad vitandũ tamen prauum legentium intellectũ aliter quam dixerat debuisse se dixisse. Quod scire potest, qui libros retractationum legerit, aliosq; quos ipse cõscripsit: quoniam etiã super hac re de sacramentis s. prædicto viro simile quid accidisse videtur, sed qui errare vult vel errore docere, nihil est tam bene dictũ quod non posset prauo intellectu deprauare. Nã (vt alia omitam) quis cõcedere possit virtũ eruditissimũ edidisse in scriptis suis, quod ignarus quilibet si scripsisset prima facie respuendum & conspuendũ nò dubitaret? Quid magis ignarũ quam in vno loco cõtraria sibi edere. Nã cũ Psal. tractaret 98. De carne (inquit) Mariæ carnè accepit, & in ipsa carne ablaetauit & ipsam carnè nobis mandendã ad salutem dedit, statimq; post pauca: non hoc corp⁹ quod videtis manducaturi estis, vel bibituri illũ sanguinè què effusuri sunt qui me crucifigent, quid magis cõtrarium. Sed prudens lector, & qui ea benevolentia, Eccles. legit: vt à secularib⁹ secularia leguntur, inter quos plurimũ laudatur ille, qui quemlibet auctore docere poterit melius dixisse, nò ambigēs quod ipse potius errare diceretur, si persuadere voluerit in aliquo illũ errare: Qui sic (inquã) lib. Eccles. doctoris legerit, vt si quid in eo quasi dubiũ & scrupulosum inuenierit, nò statim istud exercẽdo inuadit: sed inspicit, & discernit, & retractat ex circũstantijs, & ex scriptis eiusdem authoris, & ad vltimũ prius elegit se ignorare & nò intelligere quã illi erroris notam impingere: sicut illud B. August. Intelligendũ est: quia nò ipsum est corp⁹, & nò ipsum Ipsum quidẽ est materiali essentia, nò ipsum visibili forma. Quod autem B. August. accidisse diximus, hoc in S. Hieron. de Originianistis, & de Pelagianis & alijs doctoribus & de alijs accidisse heresib⁹ nò potest ignorare quicũq; catholice bibliothec. larib⁹ familiar. fuerit cõuersatus. Porrò sicut iam dictum est, inter omnes hereseum diuersitates quæ singulæ suo tempore impugnauerunt petram, supra petram ædificatam, & quæ in so-

C verbis Aug. gust. idem scribit ad Psal. 54. vers. 23.

D Istac allegat Tho. VVald. to. 2. sac. cap. 54.

ad vers. 5. De consecr. dist. 2. Accesserunt.

In epist. ad Hircenium relata. de consecr. dist. 2. & 4. sent. distinct. 10. tamen in Psal. citato. Lanfrancus. totum hunc locum Thom. VVald. cap. 40. to. 2. de sacram. translulit.

Huius loci bonam partem retulit Tho. VVald. to. 2. de sacra. cap. 19.

A liditate sua permanente petra, collisæ, in illâ vt lutea vasa sunt contractæ: huius quæstionis nec mentio facta est nisi in Nestoriana hæresi sola, in qua assertores eius in persona Christi, diuina ab humanis penitus separantes Mariâ θεοτοξον, id est, Dei genitricem penitus negâtes: sed solius hominis matrê esse affirmant: cum requirentur corpus quod de mensa Domini sumimus: cuius esse profiteretur, hæretica prauitate vel temeritate ad suam errorê detorquebant verba Domini dicentes: nisi manducaueritis carnem filij hominis & est, & ex ijs verbis astruere conabantur: quod ibi sumimus carnem esse tantum filij hominis: ne si istud corpus Domini esse confiterentur, contra se loquerentur consentientes in Christo Deo & homine vnitatem esse persona. Dicebant ergo carnem illam esse viri sanctificati & verbo cõiuncti, secundû dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem. Cõtra quos Cælestino papa & Cyrillo Alexandrino adnitentibus celebrata est Ephesina synodus vna de quatuor quas B. Gregorius in summo culmine auctoritatis cõstituit. In qua contra pestiferum errorê delirantium, Episcopi multi congregati Nestorio huius mali repertori sic inueniuntur scribere. *Ad bealateran. au-* *nedictiones mysticas accedimus & sanctificamur participes sancti corporis & pretiosi sanguinis effecti non vt cõmunem carnem participâtes quod absit, nec vt viri sanctificati & coniuncti verbo secundû dignitatis vnitatem aut sicut diuinâ possidentis habitationem sed vt viuificatricem & ipsius verbi propriâ factam: vita enim vt Deus naturaliter existens qua proprie carni vnitus est viuificatricem eam professus est esse. Et ideo quamuis dicat ad nos. Amen dico vobis nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non tamen carnem eam vnus hominis esse nos existimare debemus. Quomodo enim hominis caro iuxta naturam suam viuificatrix esse poterit? sed vt vere propriam eius esse factâ qui propter nos & filius hominis & vocatus est & factus. Et circa finem concilij. Si quis non confitetur carnem Dei viuificatricem esse & propriam ipsius verbi, & Dei patris sed velut alterius per ipsum coniuncti eidem per dignitatem aut quasi diuinam habentis habitationem, at non potius viuificatricem esse quia facta est propria verbi viuificare valentis Anathema sit Quisquis ergo in sanctorû patrum tractatibus se exercens in his & in similibus in offenso vult pede incedere, primas sibi intellectus lineas de huiusmodi, fidei ponat simplicitatem, quam cû catholicos patres modo obscurius, modo apertius in omnibus constet prædicare, cum in fidei conuenientiâ eorû viderit concurrere sententias: gaudeat de inuentione veritatis, cum minimè id ei claruerit, illorû veneretur sensum, suû vero accuset tarditatis. Porro opinionum suarû rationem qualemcunq; speciem prima frôte præferant, si exitus earum præscriptas fidei lineas inueniuntur vel non implere, vel excedere plenas esse nõ dubitet erroris quas veritati constat nõ conuenire. Cum enim per Apostolos & Apostolicos viros omnè veritatem iam olim nos docuerit spiritus veritatis, non iam ad examen rationû fidei sed ad examè fidei corrigendæ rationem, sunt & secundû Apostolicû præceptû destruenda est omnis altitudo extollens si aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigendus omnis intellectus in obsequium Christi. Vbi cunq; ergo prudens lector in libris aliquid inuenit de carne vel corpore Dei Iesum recurrat ad illam triplicem definitionem carnis, vel corporis eius quam supra non præsumptione mea adinueni, nec meo sensu formam, sed protuli ex patrû sententijs vt videat & discernat, scilicet quemadmodû illic agatur de corpore vel carne Iesu, sicque ad scriptoris sensum suum formet intellectû. Aliter enim cogitanda est caro il-*

la vel corpus quod pependit in ligno & sacrificatur in altari aliter caro eius vel corpus quod qui mâducauerit, habet in se vitam manentem. Aliter caro vel corpus eius quod est Ecclesia. Nam & Ecclesia caro Christi dicitur, vt ibi, hoc, nûc os ex ossibus meis & caro de carne mea sacramentum hoc, inquit, Apostolus magnum est: Ego autè dico in Christo & in Ecclesia. Non quod tricorpori à nobis Christus describatur, sicut de Gerione illo, ferunt Fabulæ. cû vnum esse corpus Christi testetur Apostolus, sed quodam fidei respectu intellectus vel affectus facit diuersitatem hanc: Res vero ipsa simplicitatis sue puram obtinet veritatê. Hæc enim trinitas corporis Domini non est aliud intelligenda quam ipsum Domini corpus cogitandû secundum essentiam, secundum veritatem, secundû effectû. Nam corpus Christi quantum in se est, omnibus se prebet cibû vitæ æternæ, & fideliter se fumentes vnum viuere secum efficit, & amore spiritus, & ipsius consortio naturæ caput existens corporis Ecclesiæ. Præterea cû in scripturis sicut supra ex verbis B. Augusti Diximus sæpe sacramentum earum rerum nomina sortiatur quarû sacramentû est, non vñibile istud quod oculis preesto est, in sacramento corporis Domini non nunquã in scripturis appellatur corpus Christi: & in alijs huiusmodi hoc prudens lector, & qui rudus nõ erit in lectione diuina horû librorû prudenter discernat quem singula requirant intellectum, in quo quid agendum putauerit indifferenter videat, quomodo se expediat de sententijs patrum quas subiecimus, multisq; alijs quæ in hunc modû passim per omnes earum tractatus inueniuntur. Augusti. *Donec seculum finiatur sursum est Dominus: sed tamen & hic nobiscû est veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo resurrexit, in vno loco esse oportebat, veritas autem eius vbiq; est diffusa.* Ambrosi. *In Epist. ad Hebræos. Vnus vbiq; est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus. sicut enim quod vbiq; offertur vñ corpus est & non multa corpora, ita & vñ sacrificium.* Augusti. *de doctrina Christi. Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. Figura est præcipiens passioni Domini esse communicandû, & suauiter atq; vtiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixâ sit & sepulta. Item de ciuitate Dei. Non sunt dicendi manducare corpus Christi qui non in membris cõputantur Christi. Deniq; ipse dicit. Qui manducat carnem meam &c. Tanquam diceret: Qui non in me manet, non se dicat aut existimet manducare corpus meum. Hieron. in Epist. ad Ephes. *Dupliciter intelligitur caro Christi & vel spiritualis illa atq; diuina, de qua ipse dicit: Caro mea verè est cibus & vel caro illa qua crucifixâ est & sepulta. Itè super Isaiam secundû tropologiam possumus dicere omnes amatores voluptatum magis quã Dei sanctificari in hortis & in liminibus, quia mysteria veritatis non valêt Introire, & comedere cibos pietatis, dum non sunt sancti corpore & spiritu: nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinè de quo ipse loquitur: Qui mâducat carnem meâ, bibit sanguinem &c. Item in Agge. Sanctû quidè est, quod offertur in altari: sed non tam sanctificaris ex hostijs quã ex eo quod in cõuallibus habitas & de mortuis operibus vitæ expolluerit. Item in Psal. 103. vt educas panem de terra, & vinû ketificet cor hominis. A terroni corporis agro quem à nobis sumpsit proferens mysteriû cælestis panis ac poculi saluatoris quorescitur Ecclesia. Item in Isaiam. Cibauit ex Adipe frumenti: qui adipem non aliud intelligendi sunt, quam mystica caro ad quã Dominus inuitat discipulos suos dicens, nisi manducaueritis carnem meâ, &c. Vnde & in valle Gethsemani traditus est, quod significat vallem aromatum adipeam. Augustinus super Iohannem. *Spiritualis virtus sacramenti; ita est vt lux, & ab illuminandis pura excipitur & si per immundos transeat non inquinatur. Etiam qui fuerit superbum minister cum tabulo computatur, sed non contami-***

C

ad Ephes. 5.

Epist. 23. ad Bonifat. videre descendat negatio.

id relatum est 4. sent. dist. 10. & de consecr. dist. 1. prima quidem.

D Habetur apud Gratia. de cons. dist. 2. in Christo Lib. de doct. Christi. cap. 16. de Ciuitat. Dei lib. 21. cap. 25. in cap. 1. ad Ephesior. Ioh. 6. in cap. 66. lib. 18.

in cap. 2.

Lib. 15. comment. in Esa. cap. 55. Ioh. 6.

Lanfrancus aduersus Bereng. idem argumentû tenet.

Ioh. 6.

Dist. 15. c. si cut & post Greg. Pasch. 2. in Concil. lateran. au. no 111 2. seft. Malmesb. l. 5. de Reg. Angl. & vsq; in Epist. Cyrilli ad Nestorium. De consecr. dist. 11. Necesse igitur.

B

2-Cor. 10.

A In cap. 2.

In impress. Psal. deest non ventris: Ambrosi. cap. 4. lib. 5. de sacra. & de consecr. dist. 2. non est iste li. 27. cap. 25. Cõit. Faust. manuhe lib. 19. cap. 15. tom. 6. Pro sacrificij & impr. sacrosanctæ quidè cap. 6. Cap. 18. to. 3. operum August. neque enim. B. Fulgentij essent erudit.

Apud Grat. de cons. dist. 2. Quia passus est & cõmendauit in horreo seruabamini. Epist. 23. & de cons. dist. 4. quartus me.

Ex Augusti verbis loci misere de prauitate stitimus,

A natur Christi Dominum. Hieronymus in Sophonia. Sacerdotes quoque qui Eucharistia seruiunt: & sanguinem Domini populus eius diuidunt impie agunt, in lege Christi putantes Eucharistiam imprecantis facere verba non vitam. Et necessariam esse tantum solemmem orationem, & non sacerdotum meritum. Augustinus super Iohannem. Iudas cum sanctis discipulis suis intrabat & exiebat, ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit: De vno pane & Iudas accepit & Petrus: sed Petrus ad vitam, & Iudas ad mortem. Item de Pœnitentia. Buccella Dominica fuit Iuda venenum, quem cum accepit, inimicus in eum intravit. Non quia malum, sed quia male bonum malus accepit. Item viuunt corda eorum in seculum seculi. Nam

In impress. cibus ille cordis est, non ventris. Ambrosius. Non est ista esca corporalis. Item Non est iste panis qui in corpus vadit. non ventris: Augustinus. De ciuitate Dei. Qui mœducat carnem meam

Ambrosius. &c. Ostendit quid sit non sacramento tenus, sed reuera corpus Christi manducare. Hoc enim in Christo manere de sacra. & est, vt in illo maneat & Christus. Item Contra Faustum de consecr. Quid sunt aliud corporalia sacramenta nisi quadam quasi dist. 2. non verba visibilia sacrificij sed tamen mutabilia & tēporalia. est iste li. 21. Itē de vno baptismo. Si ad ipsas res visibiliter quibus sacramenta tractantur animum conferamus, cap. 25. quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur, quis non iudicat nō posse corrumpti. Item de fide ad Petrum. Sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Ecclesia per vniuersum orbem terra offerre non cessat. Item de Serm. de Sacram. Pro sacrificij & impr. Commendauit nobis in isto sacramento corpus & sanguinem suum quod etiam fecit & nos ipsos. Nam & nos corpus eius sumus, & per misericordiam eius quod accipimus, Cap. 18. to. 3. nos ipsi sumus. Recordamini, & vos non fuisistis & creati operum Augustinus. neque enim. B quando catecumini differebamini, † inhorrescebamini, Fulgentij esse muna vestra dedistis cepistis maiora, & ex porticiuys cœsent erudit. postea ad aquam conuenistis, & cum spiritu eius estis & panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo apud Grat. ergo vnum videtis esse quod factum sit, vnum estote vos de conf. dist. diligendo & tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduam a. Quia pas- charitatem: sicut vinum in multis racemus fuit, & modo sus est & vinum est. Vnus est in suauitate calix post pressuram tor- cōmendauit cularis: Et vos post illa ieiunia in vase Christi tanquam ad † in horreo calicem venistis, & ibi vos estis & nos vobiscum simul enim seruabami- nos sumus, hoc simul bibimus quia simul nos viuimus. Item ni. ad Bonifacium. Sape ita loquimur vt pascha appropinquante Dicamus crastinam vel perendinam esse Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, de conf. dist. nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die 4. quaris à me. Dominico dicimus: hodie Dominus resurrexit; cum ex quo resurrexerit, tot anni transierint tamē nemo tam ineptus est, vt nos ita loquentes arguat esse mentitos, videlicet quia istos Dies secundum illorum quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus: vt dicatur ipse est Dies qui non est ipse, sed reuolutione temporis, similis est eius; & dicatur illo die fieri propter sacramenti celebrationem, quæ non illo die sed iam olim facta sunt, nonnō semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in sacramento non solum per omnes pascha dies sed omni die populus immolatur; nec vti que mentitur, qui interrogatus eam responderit immolari. Si enim sacramenta quadam similitudinem rerum earum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac similitudine plerumq; etiā ipsarum rerum nomina accipiuntur, sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est. Ita & sacramentū fidei fides est. Item super Iohannem. Caro vas fuit. Quod habebat, attende: non quod errat. Accedat spiritus ad carnem, sicut charitas ad scientiam & prode plurimum. Hieron. in epist. ad Ephes. Quomodo enim caput in animalibus habet membra sibi subiecta: & quibus nonnulla vitiosa & debilia: Ita & Do-

minus noster Iesus Christus cum sit Ecclesie caput habet membra subiecta eos omnes qui in Ecclesia cōgregantur, tū sanctos videlicet quam peccatores sed sanctos voluntate peccatores vero sibi necessitate subiectos. Atque ita fit, vt inimici etiā subiecti sint pedibus eius. Item in Osee. Super tritico & vino & falsis mystetys corporis & sanguinis Christi heretici conciduntur, & diuersa sibi restitunt tabernacula: & euerfi sunt in nihilū si enim veritas Deus est, quicquid est contrarium veritati, mendacium est & nihil nominatur. Item in Psal. 145. Dat escā esurientibus putat quis quod panē caelestē de mysterijs dicat: Et de hoc quidē accipimus: quia vere caro Christi est. Ceterum dicamus aliter panis Christus caro eius, sermo diuinis est, & doctrina caelestis quæ animam nostram reficit.

Finis tractatus Anselmi De sacramento Altaris.

ANNOTATIONES AD PRIMUM Caput tractatus D. Anselmi de Sacramento Altaris, I. Picardo Bellouco ad S. Victoris Parisiensis Augustiniano Canonico.

Lego, & relego Charissime opus vestrum de officijs.

Quoniam VViclefus huius operis testimonijs, quasi Achilleis crebro vt ebatur argumentis; multorum aures peruulsi ignorantia scriptoris: adeo vt Henrici 4. Anglorum Regis iussu sedula disquisitione indagaretur. VViclefus enim cap. 7. sui libri de apostasia aauthorem illum vocat Ambrosium Mediolanensem, aut saltem Ambrosij discipulum: VViclefitæ, Hidorum. Nonnulli eorum postea asseruere esse fulgentium. Hidorum nomē cum in sonuisset quorundam auribus in nullum non mouerunt lapidem, vt possēt comparari. Interea cæteri legentes attentius, hoc Anselmi opusculum (in quo eiusdem scriptoris aliquot sententiæ examinantur) detexerunt nec Ambrosium Mediolanensem, nec Hidorum Hispalensem, nec Fulgentium Ruspensem esse posse habita ratione Chronologia: cum Anselmus hunc scriptorem fraternè commonefaciat, de sententijs aliquot leuiores, ad fidei catholice libellam trutinandis, priusquam totum inuulgaret opus. Thomas Valdē. Theologus Carmelita, & prouinciæ Anglicanæ visitator (ex cuius to. 2. de sacramentis cap. 47. & 92. Hæc carpsimus) asserit se tandem reperisse quandam Herdeclai, Cancellarij Oxoniensis quæstionem, (in qua disceptabatur, num ex salutis necessitate forent admittenda accidentia in Sacramento altaris) vbi hic author de officijs diuinis, VViclefitarum Hercules (vt ita dicam) pomarius, appellaretur Valerannus Memburgensis, (melius Neumburgensis) Episcopus: ad quem Anselmus scripsit epistolam de azymo & fermentato, 134. lib. 3. Epistolarum eiusdem Anselmi nunc primū à nobis editarum: quæ ante hac sub nomine de Azymo & fermentato circumferebatur. Addebat præterea Cancellarius Oxoniensis antiquos codices huius operis de officijs, Valeranni esse nomine prenotatos, quodque ita se habere, compererit Tolosæ quispian perispicax fidei inquisitor. Cui opinioni & coniecturæ, videtur astipulari, inquit Cancellarius, quod Anselmus in ipsi epistola foribus honorificam pro ratione amicitia, & dignitatis salutem non dicat. Thomæ Valdēsi minime displicuit hæc diuinatio, quā cap. 47. to. 2. de sacr. Hinc confirmat, quod Valeranno ad se reuerso, denegatam reddiderit Anselmus salutem: Et sic inquit, credi potest quod à perfida sacramenti ad veram fidē Ecclesia se collegit. Vnde & salutari ab Anselmo promeruit in principio libri eius de sacramentis. His igitur coniectatiunculis innixus Valdēnsis, postea auctorem illum de diuinis officijs antea incognitum, nunc suo iudicio notiozem vbiq; infectatur ceu Berengaria-

C antea eum egebat ut quod habe accendunt quod est interpolata etriā Augustus verba citat. Angel. cap. sub finem. Sic imp. panis Christi & caro eius &c.

D

In cap. 2.
Ephef. 5.
Epist. 23. ad
videte di
enda nec
atio.
relatum
4. sent.
10. &
consecr.
1. prima
uidem.
D
abatur a
id Gratia,
e conf. dist.
in Christo
lib. de doct.
Christi. cap.
3.
e Ciuitat.
ei lib. 21.
ip. 25.
cap. 1. ad
ephefios.
an. 6.
cap. 66.
b. 18.
cap. 2.
ib. 15. com
ent. in E.
cap. 55.
an. 6.

A rengarianum, impanatorem vel companatorem (vt Guitmundi Auerfani verbo vtar) ac potissimum in prædictis locis. Rursus to. 1. de sacramentalibus titulo 4. cap. 19. Eundem allegans, Valerianum appellat. Verum enimvero si Herdeclæi coniecturas reiecerimus, hæresis notam Valeriano iniustam delebimus, eoq; facilius, quò ex leuiori suspitione imponitur. Nam ipsemet Valerianus lib. 3. Inter D. Anselmi epist. 135. Conquerens de veritate ceremoniarum inter faciendum Christi corpus variè obseruatarum à varijs ita scribit: *Inter sacrificandū quod Christus fecit & nos facimus. Et iterum: Qui exoptant indui Christi corporis incorruptionem, noui sacrificij sinceritate veterem exant hominem. In Christi corporis consecratione. Dissiplet alia nisi quam ipse obtulit substantia.* Rursusq;: *Nudus Iesus in ara crucis; nudus appareat in ara nostræ immolationis: Panis ille, verè Christi corpus est.* Idem postremò ait. *Sicut ipsemet (Christum intelligit) sacerdos & hostia obtulit semetipsum, ita & nostrum ei offeratur sacrificium. Inuolumus tamen & vitalem hostiam, non sicut vobis mos est à principio, sed cum Ioseph & Nicodemo. Quod non solum offertur in ei specie sed in veritate: Dissipare non oportet in sua immolatione.* Hactenus Valerianus suis verbis, (si ad vnguem explorentur) à se procul repulit Berengarianismum, & ἀρετοκραιχότερα (si mihi detur ita loqui) omnisq; erroris puriora iudicauit Anselmus; cum in eis ne comma quidem expnnerit: in quibus tamen non fuisset talpa; qui in alijs eiusdem Valeriani (si ramen eius sunt, vt Valden. & Oxoniensis Cancellarius autumant) visus est Argus non centies tantum sed & milies oculatus. Præterea Stephanus Halberstadensis Episcopus, in epistola ad eundem Valerianum, (cuius exrat bona pars apud Dodechinum Abbatem) eum quidem vocat hæreticus & Simoniacum, Berengarianum minimè quod tamen haud filuisset. Sed & hæretici nomen ibidem positum tantum extenditur ad Henricianismum, vt aperte videbit lector. Quamobrem non est quod in ijs diutius morer nisi forsitan cum dicit non esse aliam, quam Christus obtulit, offerendam substantiam. Vbi dicit *o substantia* non refertur ad substantiam corporis Christi, sed ad illam substantiam, quæ substantialiter in Christi corpus transmutatur, scilicet Azymum panem, cuius loco etiamnum Græci fermentatum & offerunt, & consecrant. Tandem postrema eius verba, quibus ait Christum non in specie rei tantum, sed & in veritate offerri, satis produnt sinceram & catholicam hominis mentem. Neque, si quidpiam offendiculo esse vidisset Anselmus, vt dixi, filuisset; cum tamen in rescripto suo cui hactenus pleriq; indiderunt ritulum de diuersitate sacramentorum) *μὴδε γὰρ οὐδέ γινεται.* Salutatio verò ab Anselmo denegata nequit facere Valerianum Berengarianismi nomine suspectum, quin potius Henricianismi vt illius seculi more loquar; quod manifestissimè lucet in Anselmi verbis dicentis eum fauere successori Iulij Cæsaris, & Neronis & Iuliani Apostatæ contra successorem & Vicarium Petri Apostoli. Perfidia enim Berengarianæ cōiectura hinc à Thoma Valdensi elicita frigidior est, quàm vt exsuffletur, cum dicat: *Et sic credi potest, quod à perfidia sacramenti ad veram fidem Ecclesia se collegit.* Sed contra dico credendum, quod se ad Ecclesie communionem (fidei enim perpetuò seruaret) receperit, post obitum Henrici 4. Teuthonicorum Regis à fidelium cœtu Gregor. 7. & Pafchalis anathematibus submoti propter simoniacā hæresim: vide annotationes nostras ad epist. 134. & 135. lib. 3. epist. Anselmi. Est igitur alter à Valeriano querendus author de diuinis officijs. Et quidem non facile repertus fuisset, nisi Thomas Valdensis

cap. 93. tomo secundo de sacramentis notasset, prologum sui operis ab his exordiri verbis: *Ea que per anni circulum;* mox enim venit in mentem egregij illius Ruperti decimi Abbatis Tuitiensis cœnobij Benedictinorum Monachorum, quod Comes Rotemburgius ad Tubarum, D. Heriberti Coloniensis Archiepiscopi frater curauit extructum anno 1012 regione Coloniz Agrippinæ, in dextra descendentis in Belgicum Rheni. Præter hoc indicium alia sunt in promptu testimonia à Thoma Valdensi ex his Ruperti libris de diuinis officijs excitata; Et cum primis illud de Pallio Archiepiscopi apud Valdensem to. 1. de sacramentalibus tit. 4. cap. 19. ali-quod scriptum est lib. 1. de offic. diuin. cap. 27. Rup. authore alterum à Valdensi allatam cap. 47. to. 2. de sacramentis, extat apud Rupertum lib. 8. cap. 4. non vt mendosè codex Valdensis impressus habet, 17. quia ne verbum quid è fit de Christi ex sepulchro clauso prodeuntis miraculo, per repentinam cinguli cuiusdam monachi, quantumlibet eo fortiter præcincti, dissolutionem. Nec est quod Valdensis cap. 47. to. 2. de sacram. ob incognitum huius libri de diuinis officijs authorem, tantum perspiret, eūq; damnat, quod tria exemplaria sui scriptoris nomine & titulo careret: Non est inquam, eā ob rem dicendus Apocryphus; cum eadem de causa complures eruditissimorum virorum reijcerentur labores: quales & pleriq; in MS. codicibus nostræ bibliothecæ obseruauit; neque tantum in externis & peregrinis anthoribus, sed & domesticis nostris doctoribus, Hugone Richardo, Roberto, Iacobo & alijs. Hic quoq; Anselmi tractatus, nec non eiusdem epist. 158. lib. 3. sui progenitoris nomen minimè præferebant. Et id quidem hinc arbitror, contigisse, quod cum hæc opera superstitibus adhuc authoribus plerumque exscriberentur, à librarijs non inscriberentur lucubatorum vocabulo, propter celeberrimam eorum famam cui inscriptionis liminaris addere faculam idem esset, ac in meridie splendidioris lucis causam cinedulam accendere.

ANNO TATIO SECUNDA.

Obsecro te, quam in corpore Domini vitam requiris? &c.

IST hæc videre est exarata lib. 2. Ruperti de offic. diuin. cap. 9. quæ quidem Anselmus iniatulis notauerat carulis: & post illum non pauci, qui si nō ob ista, sed alia non dissimilia. Rupertū quali Sacramentarium lacerabant. His enim lachrymis suam deflet miseriam in epistola nuncupatoria suorum commentariorum ad S. Ioannem, ad Canonem Sigebergæ Abbat: *Quid facerem pater? Ille mihi veritatem corporis & sanguinis Domini auferre comendabat.* Rupertus contra, obscuras illas malignæ opinionis nebulas dissipaturus sed fidei Catholicæ, ait ibidem paulò superius: *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, nō habent: nisi, quod aliqui ex eisdem volunt sacramentum corporis & sanguinis Domini, solūmodo signum esse sacre rei, iuxta errorem quoddam Berengarij Turonensis. etiam B. Augustinum ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ergo autem verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse decreto sanguinem, qui pro nobis fusus est sicut Ecclesia catholica docet.* Rursusq; ante finem epistolæ: *Summis calorū pontifex, cum sit ipsa veritas, nomina nō vana rebus solet imponere; ideo fortiter nomen hoc impressit, vt non saltem diceret, hoc vocetur corpus meum, hoc vocetur sanguis meus: sed hoc est corpus meum.* Consequenter explanans alium modum realis existentie corporis Christi, dicit: *est etiam re, quia nimirum sanctum sanctorū est quàm verū illa specie, qua traditus & lactatus est, ipse sanctus sanctorū est.* In postrema tandē epistolæ periodo sic cōcludit: *Credamus econtra fideli saluatori Deo, in eo quod nō videmus*

A videamus scilicet panem & vinum, in veram corporis & sanguinis transisse substantiam, & comedentes atque bibentes viuamus in aeternum. Hic ille. Verum ut cumulatè satisficiamus valens, & quem, velut Berengerianum companatorem traduxit per ora Catholicorum, amplectetur sibi in Eucharistiae rebus consentientem: operè pretium est ex eodem libro, quem reijciebat, & ex quo verba hæc in quæ commentatur depromit Anselmus, adducere manifestas pro Ruperto testimonias ibidem sic profertente lib. 2. cap. 2. post initium: *Panis & vinum in verum corpus & sanguinem Domini transferuntur, & consequenter: Multi fidei oculos non habentes, & in sancto sacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cum diceretur eis: Corpus & sanguis Domini est, murmurauerunt dicentes, quomodo est? Et post modicum: Verum Dei verbum, verum Dei filium sancta Ecclesia catholica offert creatori suo, credens corde, & ore confitens, pariterque, manibus panem & vinum, sicut tradidit ipse saluator offerens. Nam pro quot a suorū parte beneficiorū gratias ageret Ecclesia creatori, saluatori, & illuminatori suo, si nihil aliud ei, quam panem & vinum offerret? Item. Non ergo solum panem & vinum, quæ corporaliter videntur, sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur, verbum Dei, filium Dei offert sancta Ecclesia, nouum & verum immolans sacrificium. Item: Ne ergo dicas in corde tuo, quis ascendit in cælum, hoc est, Christum inde deducere: ut is, qui in se resurgens ex mortuis iam non moritur, adhuc per sacri altaris hostiam in suo mysterio pro nobis iterū immoletur. Prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus, inquit Apostolus. Quoniam ergo prope est in ore tuo, in corde tuo, verbum Dei, verbum crucis, Christus Dominus, si huius verbi flumen super panem & vinum effuderis, & ordine, (qui ab ipso statutus est) veritatem huius verbi protuleris, statim de sancto altari, panem & vinum, in corpus & sanguinem suum transferendo suscipit eadem virtute, eadem potentia, vel gratia, qua nostram de Maria virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit. Nec duo corpora dicuntur, aut sunt hoc quod de altari, & illud quod acceptum est de utero virginis: quia videlicet vinum idemque, verbum, vnus idemque, Deus, sursum est in carne, hic in pane: Alioquin, & ille panis quem heri sacrificauimus, & ille, quæ hodie, vel cras sacrificabimus, plura sunt corpora; nec rectè dicimus offerri ab Ecclesia corpus Domini, meliusque, diceremus, corpora: quia quotidie pene tot offeruntur panes, quod habentur in Ecclesia sacerdotes. Sed hoc prohibet causa, conuincit ratio, religio respuit: Vnitas enim verbi vnitatem efficit sacrificij. Similiter enim vnum verbum, & olim carnem de Maria virgine sumpsit, & nunc de altari salutarem hostiam accipit: igitur vnum corpus est, & quod de Maria genitum, in cruce pependit, & in sancto altari oblatam, quotidie nobis ipsam innouat passionem Domini. Hactenus Rupertus (sub cuius vexillo fictos agebant triumphos VViclefitæ) assertionibus maximè catholicis, expressis, & manifestissimis non tantum VViclefitas, sed & vniuersam Berengarianorum, impanatorum, atque adeo nostratium Calvinianorum colluuiem dissipauit, vnde miror Thomam Valdensem, virū alioqui perspicacis ingenij, qui hoc opus Ruperti de officijs diuinis legerat & relegerat, non animaduertisse tam perspicua testimonia, ut eum cap. 19. tom. 2. de sacramentis vocaret cancrum serpentem; cap. 31. magistrū erroris VViclefici, & VViclefi doctorem & cap. 93. quod VViclefitæ nec vsque ad verbum scirent de sacramento suam sibilare perfidiam, & quod fuerit de hæresi impanantium: doleo, inquam, Doctorem tam catholicum tam acriter perstrinxisse*

Rupertum non minùs catholicum ut apparet ex verbis eiusdem supra relatis, & ex eis quæ iterum scribit sub finem cap. 12. lib. 12. de victoria verbi Dei, lib. 4. in Matthæum paulò ante hæc verba, si ergo offers munus tuum, & lib. 6. comment. in Ioannem passim ab his potissimum verbis Ioannis non Moyses dedit vobis panem de cælo, verum & lib. 7. vsque & post hæc Ioannis: Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt, vbi concludens ait: *Quantum potuimus, adiuuante Deo, panem sanctum & calicem, quem de altari sumimus, verum & viam agnum Dei esse suomet ex balatu comprobare curauimus: & cap. 17 lib. 1. de offic. diuin. vbi ait, missæ sacrificium esse sacrarium propitiationis in quo Christus exhibetur præsentialiter, non in umbra, sed in veritate, non in figura, sed in re: adde cap. 15 lib. 5. Hæcce vniuersa notare me compulerunt Anselmū vngues huic Ruperti loco adhibiti: ut lector candidus persuasum habeat, Ruperti esse catholicum pectus, licet in his periodis angustius & obscurius se patefecerit. Quamobrem ut Petri Lombardi & D. Thomæ exemplo dicta eius, quantum fidei catholicæ permittet amissis, sincerè valeamus exponere, in primis obseruandum venit Rupertū synonimos vsurpare dictiones animalis & carnalis, cum ait: hæc vita animalis est, carnalis est. Iam verò carnalem & spiritualement opponit vitam. Atque ex certissima scripturarū regula habemus nomen carnis oppositū & diametro nomini spiritus, aut alteri idem pollenti, accipi non pro natura carnis, sed pro infirmitate, corruptibilitate & culpa quæ nascitur ex humana carne. In hunc sensum est illud Genes. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: & Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est, & 26. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. & Ioan. 1. Qui non ex sanguinibus neque, ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. & cap. 3. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est. & toto cap. 8. ad Roma. Qui secundum carnem sunt; quæ carnis sunt, sapiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sapiant. Nam prudentia carnis, mors est, & prudentia spiritus, vita. Et Galat. 4. Qui ex ancilla secundum carnem natus est, qui autem ex libera, per promissionem. Et iterum: Quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat, persequatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc & cap. 5. Spiritu ambulate & carnis desideria non perscietis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum. & cap. 6. Qui in carne seminatur, de carne & metet corruptionem: Qui autem in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Rupertus igitur iuxta hos scripturæ sensus negat ut in corpore Christi vel ut loquitur, sacrificij esse vitæ animalis, in carnalē infirmitati & corruptioni adhuc subditā, ut liquet ex his, quæ ab Anselmo missa subiungit dicens: *Animalis vita, quia caro est, si in corpore Domini adesset, nihil nobis prodesset, ac propter hoc illam requirere superfluum est. Nam quid cælestis homo, per cælestē sacrificiū hoc administraret, quod nobis non deerat? Quasi diceret Rupert. minime: Vita animalis seu carnalis nobis inest, illa igitur magis necessaria scilicet spiritalis, quæ nobis deest, huius sacrificij beneficio tribuatur; carnalis enim vita sine spiritali quid inuat? Vnde subiicit. Solem ergo vitam spiritualement in sacrificio nobis administrare sapientiam eius decebat; & nostra necessitati expediebat, quæ est sanctificatio, & benedictio, misericordia & veritas, & iustitia & pax. Sed proprius intueamur aduersarij syllogismum, & ruperti responsum: procul enim video quidpiam lucis. Ille ergo sic argumentabatur: viuens & sensibilis in corpore suo, nobi-***

A nobilisque est Deus & homo : Corpus sacrificij vitam motum & sensum. Non habet ergo, corpus Domini non est. Viden, lector id argumenti esse Berengariani cuiuspiam, qui vt realem corporis Christi in Sacramento praesentiam neget, dicit illud carere vita sensu & motu : At si quis contra respondiisset habere motum & sensum, quoniam quæso hic aduersarius confugisset nisi ad iudicium corporaliu oculoru, qui nihil sensus huiusmodi deprehendant in sacramento Eucharistiae ? Et hunc quidem Dialecticum oculatum suspicor esse vnum illorum de quibus Rupertus supra 2. cap. lib. 2. de officijs diuinis loquitur in hunc modum : *Multi fidei oculos non habentes & in sancto sacrificio præter panem, & vinum nihil amplius intuentes, cum diceretur corpus & sanguis Domini est; murmurauerunt dicentes; quomodo est? Sic sanè hic Philosophaster solos adhibens corporis oculos, Christi corpus videre nequit panis & vini speciebus tectum. Sophistæ igitur amantissimo, vt ita dicam, responderet Rupertus non esse in Christi corpore quærendam vitam animalem & carnalem, vt pote quam habeamus, sed spirituales eamque per necessariam. Nec tamen inficiatur Rupertus Christi corpus animalis vitæ esse expers, hac quam Anselmus coniungit, sententia, sic testante : *Hec autem eius vita spiritualis sic est in corpore sacrificij absque eius vita animali. quomodo lux solis absque calore eius in corpore lune nobis representatur.* Quænam verò sit hæc spiritualis vita corporis Christi, ipsemet Rupertus supra enucleauit vocans eam sanctificationem, benedictionem, misericordiam, & veritatem & iustitiam & pacem: Similis profectò vita huic, quam Apostolus Galat. 2. Non tantum Christi appellat vitam, sed & ipsum Christum dicens : *Viuo autem iam non ego: viuit autem in me Christus.* Nullus tamen sui compos opinabitur & asseret Christum in Paulo vixisset iuxta propriam & naturalem substantiam constantem ex duabus naturis humana scilicet & diuina Hypostaticè vnitis; rectius verò dicet cum Hieronymo hunc locum suis commentarijs ita enucleante: *Viuo in meo Christus sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, cæteræque virtutes: quas qui non habet, non potest dicere: viuit autem in me Christus.* Quam verò sit similis, ne dicam, eadem vitæ Christi à Hieronymo posita definitio, & illa spiritualis Christi vita à Ruperto descripta nobisque per sui corporis synaxin conferenda, etiam cæcus videret. Supremo restat explanandus modus animalis & spiritualis vitæ in Christi corpore à Ruperto sic supra expositus, vt lux solis absque calore eius in corpore Lunæ nobis representatur. Lux autem solis mysticè exposita fit vita spiritualis illius qui est verus sol iustitiæ nempe Christus. Lux verò solis in corpore Lunæ nobis representatur inò percipitur sensu oculorum, calor non item: Sed & ipse calor, quoniam magis terrestris nobis est ipsa luce, non incongruè signat animalem vitam. Quemadmodum ergo Lux solis in corpore Lunæ à nobis percipitur absque vilo caloris sensu Ita lucem veri solis Iesu Christi mente nostra percipit citra vllum caloris sensum, id est, per sacram corporis Christi communionem perfunditur interni Luminis splendore, quo vel summam Dei & creatoris erga se charitatem perpendit, ita vt semetipsum dederit in escam & potum, vel alia & infinita huius augustissimi sacramenti mirabilia sic mentis oculis perlustrat, vt illam tamen animalis vitæ, quæ in Christo est, sensus fugiat;*

C Si cui forsan prior hæc interpretatio minus placeat, alteram accipiat; nempe spiritalem corporis Christi vitam, (scilicet magnificam & locupletissimam omnium virtutum supellectilem, quæ eius sanctissimam exornat animam) posse à nobis separatim considerari intelligi, admirationi esse, & interno mentis intuitu conspici vt lumen solis in Luna præter vllam solaris caloris in eadem animaduersionem, & hanc quidem vitam esse Mortalibus extremè necessariam. Porro Anselmus fatetur se non mediocriter hæsitare quid Rupertus vocitaret corpus sacrificij: quanquam videatur rectissime dici posse illud, quod sacerdos offert in sacrificio Missæ, ita vt sacrificium hoc in loco propriè sit tota actio sacrificantis, corpus autem, sit verum & naturale corpus Christi quod sacerdos sacro conficit ore, sic enim loquitur Hieronym. epist. 1. ad Heliodorū. Sacrificium igitur est illa diuina sacerdotis operatio, quam Græci patres dixerunt *λεωρρυγία*: Corpus verò, id quod fit & offertur per sacerdotem in illo sacrosancto munere. Hic exoratum vellem lectorem ne me damnet nimietatis, nimio enim constat fama tam præclari scriptoris Ruperti.

Annotatio Tertia.

PANIS substantiam post Dominici corporis consecrationem in altari superesse semper abhorruit pietas Christiana, nuperque damnauit in Berengario Turonensi, eiusque sequacibus. Ea quidem est omnium librorum excusorum (quos viderim) lectio, scriptorum minimè. Nam in tribus Gratiani exemplaribus nostræ bibliothecæ legitur Berengarius: in duabus epistolis Lâgfranci, eiusdem Berengarij *ἀνταγωγιστῆς*, Beringerius. Ac in primis 3. epist. ad Alexandrum 2. Papam, sic: *Epistolam, quam Beringerio schismatico dum adhuc Cadomensi præessem coenobio) transfusi: paternitati vestrae sicut præcepisti, transmittere curauit.* Rursusque & in epist. ad Reinaldum Pictauiorum Abbatem: *Porro, inquit, quod schismaticus ille, (Beringerium dico,) sicut vestra epistola testatur &c.* Iterumque in Cron. Becc. MS: nec fortè expungenda fuisse hæc lectio, vt potè accedens ad sermonem vernaculum apud continuat. Sigeb. truncum Berenger. sic hodieque Berenger locamus quibus id est, cognominis. Quod autem Berengarius hic ab Anselmo vocitetur Turonensis, vel ad patriam referendum est, vt non obscurit indicat Theoduinus apud Garet. Classe. 1. Aut munus Camerarij à se in Ecclesia S. Martini gestum: non ad Archiepiscopi dignitatem vt fasciculus temporu & Matheus Paris scribunt in Historia maiore, fortassis legerant alicubi, Turonensis Archidiaconus, librorum notis scriptum, intellexere Archiepiscopum non Archidiaconum. Sed nec Archidiaconum appellaris vt recentiores aliquot; *quia in illa sua laudabili palinodia (quam vtinam ederent, quos hæcenus iuuit Berengarianum edere panem) relata à Lanfranco in libro suo aduersus Berengarianismum, Iuone Carnot. part. 1. suæ Pannoniæ, Algero lib. 1. de Sac. Euch. cap. 19. & Gratia de consecrat. dist. 2.* Ergo Berengarius, illic, inquam se nihil aliud profiteretur, quam Diaconum Sancti Mauritij Andegauensis; qua propter non ei amplius, quam quod sibi tribuit, tribuo. Interim (quia de Berengariana confessione incidit sermo) lectorem velim monitum erroris, qui irrepit in tom. 2. Conciliorum excusorum Colonia: Vbi retractatio sacramentaria à Berengario recitata Romæ audien-

A audiente Nicolao 2. & 113. Episcopis, refertur ad Nicolaum 1. qui utroque prior fuit duobus seculis. Porro, qui Berengarium impanationis damnat hos ab Anselmo comperi nempe Guitmundum Auerlanum & Hugonem Lingonensem Episcopum in sua Epistola his omnino verbis ipsum conuenientem, Berengarium. *Dicit enim nimis extensè loquens, in huiusmodi sacramento corpus Christi sic esse, ut panis & vinum & natura & essentia non mutentur.* Algerus, ut statim exponemus, non Berengario, sed Berengarij sequacibus tribuit in prologo lib. 1. & cap. 6. & 8. Sanè nec ipse Berengarius in sua retractatione exprimit: *Sed omnem hæresin inquit, præcipuè eam de qua hæcenus infamatus sum: que astruere conatur panem & vinum, que in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, &c. apud Gratian. supra.* Atque impanationem vocamus hæresim illam, quæ mordicus tenet in sacramento esse quidam corpus Christi, post consecrationem, sed cum panis sacramentalis substantia. Quem errorem hocæ infœlici seculo excitatum ab inferis, blasphemis Pighardorum Zvinglianorum Lutheranorumque vocibus, testatur Ioannes Cochleus, Anno 1534. Actorum Martini Lutheri.

Ex his videmus non vnicum fuisse Berengarij errorem, forsânque hunc postremum excogitasse, ut incautos facilius deciperet, nempe se quod Ecclesia sentiret, sentire de corporis Christi præsentia in sacramento: Dissentire tamen quantum ad modum præsentia. At ut magistri non vnum fuit dogma sic nec discipulorum. Quia hoc habet Proteanum hæreseos cerebrum ut vno capite minimè contentum, dum alienas quæritat ceruices suorum phantasmatum receptorices, mox & ipsæ somnient longissimè diuersa. Sic enim Logodædalus Berengarius, dum somnifero impia opinionis veneno sopit plurimos: Illi repente effecti *Καθ' ἑμ' ἑαυτὰ* noua eaque à se inuicem quàm maximè discrepantia somniorum dogmata. Nonnulli enim confinxerunt substantiam panis conuerti non in Christi, sed in cuiuslibet iusti filij hominis carnè, ut notat Alger. in prolog. 1. & cap. 10. Illi non tantum panem in Christi carnem, sed & in stercorea, putidè asseruerunt, teste Algero. in prolog. lib. 1. de veritate corporis & sanguinis Domini, & lib. 2. cap. 1. Hinc Stercoranitarum putidum nomen putidis Doctoribus Laureæ vice impostum est. Quos etiam Hugo noster ob fauces grandolèris Auerni procul ablegat lib. 2. de sacram. part. 9. cap. 12. & 13. Alij commenti sunt, vnam panis portunculam fieri Christi corpus, alteram minimè, Guitmundo auctore lib. 2. Quidam ineptè impieque docuerunt tantum probos sacerdotes facere corpus Christi: Cæteri, contra & à probis & ab improbis confici Christi corpus; sic tamen ut illud recederet improbis ad eius communionem accedentibus apud Algerum supra in prolog. lib. 1. cap. 1. Postremi tandem veniunt egregij illi panifices seu impanatores, fideiiores, ut liquet ex Anselmi verbis, Berengarij discipuli: de quibus tamen & vniuersa hæreticorum colluie meritò dixeris, quod patres Gangrensis Concilij in synodica epistola, iuxta versiones Ioannis Quintini de Eustathianis in hac sententiam: *Vnusquisq; istorum, posteaquam recessit ab Ecclesiastico canone, itaquam proprias atq; priuatas leges instituit. Nec enim communis ipsorum sententia, nec vnus animus postmodum fuit. Sed vnusquisq; quod intra se cogitasset, hoc addidit in Ecclesia calumniam,*

D. ANSELMI TOMVS III.

& ipsius iniuriam. Impanatorum tandem meminuit Algerus in prologo lib. 1. cap. 6. & 8. Guitmundus quoque lib. 3. Nec procul à scopo aberrauero, si hos Berengarij sequaces ab Anselmo memoratos, inter preter Scholasticos inopes & à Berengario diurna stupe conductos, ut suas nautias Hyberias in Galliarum Cuniculis citius exponerent: Habuisse enim huiusmodi literatorem mendicos & conductitios prodiderunt VVillielmus Malmesberienfis lib. 3. de gestis Regum Anglorum, Mathæus Paris in histo. maiore, & tabulæ Cantuariensium Archiepiscoporum relata à nobis ad epist. 1. lib. 1. Et ne quid inter excutiendam Berengarij *ματαιολογίαν* nobis excidat, obseruandum venit eum non fuisse hæreseos sacramentariae primum Doctorem, (ut vulgò dicitur & scriptatur) sed excitatorem. Roberto enim Francorum Rege Anno 1022. (quo fortassis adhuc puer erat Berengarius) primum emerfit Aureliæ, Stephani cuiusdam clerici & aliorum duodecim opera nefaria. Qui mox Roberti Regis Imperio comprehensi, diuque commoniti, cum ad se redire nollet igni traditi sunt: ne huiusmodi infœlix lolium sensim letam Gallicanæ Ecclesie depopularetur segetem; testibus Glabro Rodolpho Cluniacensi, & Ioanne Oliua Floriacensi Monacho apud Papium Massonum lib. 3. Annal. At Berengarius 30. post annos cœpit virus suæ hæreseos vomere, Sigiberto auctore ad Annum 1051. Vnde corrigitur lapsus Ioannis Gersonis scribentis in suo tractatu contra Ioannis Magdunensis ut vocant Romanum de Rosa, Berengarium fuisse Petri Abaelardi discipulum: Tantum enim abest ut Abaelardus tum doctorem ageret, cum eius esset circiter ætatis qua:

Pueris dant crustula blandi

Doctores, elementa velint ut discere prima.

Præterea Berengarius decessit Anno 1088. Abaelardus 1141. 13. Cal. Maias, hunc enim diem, Necrologium nostræ Ecclesie indicat. Sed qui Abaelardus potuisset docere Berengarium Anno 1050. cum Lutetiam venerit docendus Anno ferme 1108. ut ipsemet memoria dedit in historia suarum calamitatum, sic: *Peruenit tandem Parisios: vbi iam maximè disciplina hæc (Philosophicam præcipuèque Logicam intelligit) florere consueuerat, ad Guillelmum scilicet Campellensem præceptorem meum in hoc tum magisterio resamaq; præcipuum: Et paulò post. Nec tamen hic conuersionis suæ habitus, aut ab vrbe Parisiaca, aut à consueto Philosophia studio eum reuocauit: sed in ipso quoq; monasterio, ad quod se religionis causa contulerat statim more solito publicas exercuit scholas. Tunc extempto ad eum reuersus, ut ab ipso Rhetoricam audirem, &c.* Ex ipsius igitur Abaelardi ore habemus nõ fuisse Berengarij doctorem, sed potuisse esse discipulum, nempe hæretici, hæreticum Is autem Guillelmus Campellensis præceptor eius ex Archidiacono Parisiensi, inchoato Cœnobio nostro, primus vitam egit canonicam circa Annum 1100. vsque ad Annum 1113. quo factus est Cathalaunfis Episcopus. Hinc est quod Abaelardus dicat, fugilletq; eum: quod vitæ & loci mutatio non mutaret eius mentem Philosophicis deditam. Sed iniquior & præceptor ingratior illud effudit. Nam habitu mutato, animum quoq; mutauerat, & vniuersæ Philosophiæ repudij libellum miserat, Verum Hildeberti Cenomoniensis Literis (quas hic lubens adiunxissim, si à proposito longius non fuissim digressus) adactus & victus domi fecit & docuit, quod antea in vrbe. Et qualis Berengarij insti-

LL tutor

A tutor Abaelard. queso, cum ex postremo eius testimonio didascalu reuiferit, Rhetoricam auditurus? His accedit, quod Berengarius, (cum Abaelardus adhuc manu ferula subduceret,) Scholas exerceat, ex quibus viri non mediocriter Catholici & eruditi prodire, ac in primis Hildebertus Carnomanensis qui preceptorum gratissimus, namiam defuncto fecit, quam Villielmus Malmesberienfis Hildeberti aequalis descripsit libro 3. de gestis Reg. Angl. Ioanes Gerson igitur, (vt iugulum petam) nominis similitudine deceptus putauit Berengarium Turonensem fuisse Abaelardi auditorem: Qui legerat, non satis explanate, vel audierat Berengarium quempiam (sed Pictauiensem) edidisse pro Abaelardo preceptore apologeticum aduersus D. Bernardum Clareuallensem. Nunc ad solum reuertamur Berengarium Turonensem. In quo, vt in plerisque sanctissimis viris, non initia, aut media, sed finem alieno predicabimus ore, potissimumque Villielmi Malmesberienfis sic de eo scribentis loco citato: *Licet Berengarius primum calorem iuuentutis aliquarum hereseon defensione infamauerit auro austeriori ita resipuit: vt sine retractione a quibusdam habeatur sanctus: Innumerus bonis maxime autem humilitate & elemosynis approbatus, largarum possessionum dispertiendo Dominus, non abscondendo & adorando famulus feminea venustatis adeo parcus, vt nullam conspectui suo pateretur admitti, ne formam videretur delibasse oculo, quam non pruriret animo. Non aspernari pauperem, non adulari diuitem; secundum naturam viuere, habens victum & vestitum iuxta Apostolum his contentus esse.* Haec tenus de Berengario Malmesberienfis: a quo acceperunt, qui eiusdem obitum memorant, nempe Vincent. Bellouac. lib. 26. cap. 30. Memoriale histor. Ioannes Gerson loco superius producto, Ioannes Durantus lib. 2. de ritibus Ecclesiae cap. 39. Erasmus quoque tacite in epist. nuncupatoria librorum Algeri de sacram. Eucharist. vbi optat sacramentarios Berengarium sequi poenitentem, quem seculi sunt errantem. His addo Papirium Malfonum lib. 3. Annal. vbi pleraque scitu non indigna refer, ex Chronicis Ioannis Monachi maioris monasterij, Cuius quidem Ioannis, id meo iudicio fuerit emendandum, nempe Berengarium obiisse diem, Cal. Ian. cum ex eiusdem Berengarij iam iam moribundi verbis supremis a Malmesberienfi notatis, aliud colligatur, quando dixit: *Hodie, in die apparitionis sue apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus propter poenitentiam (vt spero) ad gloriam: vel propter alios, (vt timeo) ad poenam.* Lapsus est ergo Ioannes non in mensis, sed diei notatione, Elogium quoque Berengarij a se descriptum est particula illius quod ab Hildeberto fuisse positum preceptorum, modo diximus. Incogitanti nisi haec; commentanti vnam repentinam fecit mirationem, qui Berengarius potius fuerit traductus, quam Bruno Andium pontifex, cum Theoduinus Leodiensis Antistes scribens Henrico I. Gallorum regi statuat leum quasi huius Tartaræ nouæque antesignanum militiae: *fama inquit supremos Gallia fines praeter gressa rotam Germaniam peruasit: Iamque omnium nostrum repleuit aures, qualiter Bruno Andegauensis Episcopus, item Berengarius Turonensis antiquas hereses modernis temporibus introducendo astruant corpus Domini in Eucharistia non tam corpus esse, quam umbram & figuram corporis Domini.* Huic admirationi vix animo inducta subiit altera, quod Brunonis nomen in Catalago praesulum Andegauensium minime appareret, ita vt iam iam negaturus forem eum Ecclesiae Andegauensi praesulis-

C se, ni offendissem cap. 5. antiquitatum Vicinae Allobrogum, per Ioannem Boscium Caelestinum editarum: vbi per trasennam vidi grauem lapsum; quod scribat Anno 1037. Hildebrandum Victoris. Papae (qui tantum coepit sedere Anno 1055. autor. Sigeb. & Lamber. Scafnaburg. in Chron.) Vicarium laudasse redditionem vinearum S. Petri Viennensis factam ab Ermegarda quondam vxore Rudolphi Imperatoris coniuge. Sed nec hoc testimonium apud me tanti erat ponderis, vt excuteret omnem scrupulum de Episcopatu Brunonis, licet ibi vocaretur Andegauensis Episcopus: Vicit tandem scheda mihi per amicum missa Iuliomago Andium, quam vulgo dicimus Andegauum, in cuius calce tempus rei gesta illicque denarrata sic notabatur. Actum est autem hoc iudicium anno ab incarnatione Domini 1066. indict. quarta, 4. Non. August. Philippo Regni Francorum tenente Monarchiam, summoque fungente sacerdotio in praefata vrbe Eusebio, cognomento Brunone. In fundatione coenobij omnium sanctorum Andegauum Anno 1049. sic: *Signum Eusebij Brunonis Episcopi.* In alteris quoque literis Cartularij S. Nicolai Andegauensis, cui titulus, *de terra, qua dicitur sarcophagos,* Brunonem fuisse tantum cognomen liquet hac periodo: Tempore, quo Andegauensis comes erat fulco iunior, nepos Gotfridi Martelli, & sanctae matris Ecclesiae sacerdos & pontifex praerat Dominus Eusebius cognomento Bruno &c. Hisce authenticis testimonijs dictus ille amicus me commouit Historicos interdum solo cognomento, interdum solo nomine indicasse hunc Episcopum: Sic enim per saepe solitarium cognomen ponimus vice nominis, vt Cicero, Liuius, Iosephus, Iuuenalis, Tertullianus & caeteri huiusmodi. Qui igitur apud Demochare numeratur 40. Andegauensium nomine Eusebij, ille ipse est Bruno, vt demonstraui, patebitque rursum legenti Historiam Andegauensem & Paradini Genealogica foedera. Quemadmodum autem Bruno recenset apud Democharem, sic in Calendario Ecclesiae Andegauensis, his omnino verbis: VI. Cal. Septemb. anno Domini MLXXXI. obiit Dominus Eusebius Episcopus Andegauensis: Rexit Ecclesiam annis XXXV. III. Mens. minus. Huius autem Necrologicae commemorationis luce detegitur nonnullorum error scribentium, Berengarium coepisse diuulgare suam heresim Anno 1035. opitulante Brunone Episcopo Andegauensi: quando quidem hinc palam fit vinctum fuisse circiter Annum 1048. Theoduinum eodem Anno inaugurati, (vt scribit Sigebertus in Chron. vbi eum Deoduinum vocat, & quidem rectius vt fit vocabulum mere latinum) tempus suffragatur huic Chronologiae. Sed & Epistola Deodui quam inique fuerit Durando itidem Leodiensi Episcopo assignata tempus omnia reuelans indicabit Durandus enim, Sigiberto teste locupletissimo in Chron. Leodiensis Ecclesiae infulas suscepit Anno 1021. Deposuit 1025. Morte eum pontificio deponete folio. Quoniam igitur pacto destinasset Epistolam ad Henricum I. Gallorum Regem, qui Anno 1030. vel 1031. (vt placet Tilio Chronographo alioqui emunctissimo) coepit regni habenas moderari? Sanè Landfrancus in libello Epistolari ad Berengarium, repetens primordia tam scelesti dogmatis exorditur tantum a Leone 9. qui pontificium Romanum gerere coepit Anno 1048. Vnde Sigib. his consentaneè in Chron. dixit Franciam fuisse per Berengarium turbatam Anno 1051. Agitedum tempus huius tractatus effecti pollicitum demus

B**D****B**

A demus Anno 1079. Februario mense, in dictione secunda 1. Gregor. 7. Anno 7. accitis finitimis extimisq; diuersarum prouinciarum Archiepiscopis & alijs religiosis uiris coacta est Synodus in templo Saluatoris, & habitus sermo de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi. *Maxima uero pars* (ut Concilij uerbis utar) *panem & uinum per sacre orationis uerba, & sacerdotis consecrationem, Spiritu sancto inuisibiliter operante, conuerti substantialiter in corpus Dominicum de Virgine natum; quod & in cruce pependit: & in sanguinem, qui de eius latere militis effusus est lancea, afferebat: atq; auctoritatibus Orthodoxorum sanctorum patrum, tam Græcorum, quam Latinorum modis omnibus defendebant. quidam uero cæcitate nimia & longa percussi, figuram tantum, substantiale corpus illud in dextra patris sedens esse, seq; & alios decipientes quibusdã cauillationibus corabantur astruere. Et post modicum: Deniq; Berengarius huius erroris magister post longo tempore dogmatiz. atam impietatem errasse se coram concilio frequenter confessus, veniamq; postulans, & orans ex Apostolica clementia meruit: iurauitq; sicut in consequentibus continetur. Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & uinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacre orationis, & uerba Redemptoris nostri substantialiter conuerti in ueram & propriam, ac uiuificatricem carnem & sanguinem Iesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse uerum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit: Et quod sedet ad dexteram patris: Et uerum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum & uirtutem sacramenti, sed in proprietate nature, & ueritate substantiæ, sicut in hoc Breui continetur, & ego legi, & uos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Evangelia. Et hæc usque Berengarius locutus est: cuius abiurationem exscripsimus ex lib. 6. Registri Gregorij Papæ 7. post epistolam 17. tom. 3. epistolarum summorum pontificum pag. 775. 776. edit Romæ anno 1591. Nec in hoc Berengarij sacramento planissimè uero expressum, quod tam conceptis uerbis exponit noster Anselmus inquitens: *Panis substantiam post Domini corporis consecrationem in altari super esse semper abhorruit pietas Christiana: nuperq; damnauit in Berengario Turonensi, eiusque sequacibus. Nam si hoc admitteretur; iam uerbum non incarnatum tantum, sed etiam (si dici potest) impanatum diceretur; si sicut ille dicebat, panis sic in corpus Domini transiret, ut tamen panis esse non desineret. Sic Anselmus: cuius uerbis nihil uideo simile in ista Berengarij retractatione. Imò nihil amplius, quam cum iurauit Nicolao 2. Papæ, scilicet panem & uinum in altari posita, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam uerum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: & sensualiter, non solum sacramento, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri. Quamobrem si corpus Christi ex hoc Berengarij iureiurando non tantum sacramentaliter, sed & realiter ac uerè frangitur: uera & propria ac uiuificatrix Christi caro molaribus comminuitur, manibusq; atrectatur. Præter hæc, uidimus Concilium appellasse nimia & longa cæcitate percussos, qui impiè tuebantur in sacramento Eucharistiæ contineri solam figuram & umbram, non rem & ueritatem corporis Christi, quod iuxta mentem eorū mentem illud substantiale corpus Christi sederet in dextra patris: unde efficiebant non in esse Sacramento Eucharistiæ.**

D. ANSELMI TOMVS III.

C stia. Insuper, extrema illa eorum dementia, uocatur nimia & longa cæcitas; quasi Concilium nobis in semet esse antiquam illam à Berengario in Romano Concilio retractatã Leone 9. in Verceilensi, Victore 21. in Turonensi ab Hildebrando, (qui & postea Gregor. 7.) in Romano. 2. Nicolao 2. Fræcus notat nempe panem & uinum post consecrationem esse tantum umbram & figuram corporis Christi, ut in ipsa Concilio Berengariani profitebantur. Verum perlectis ijs, quæ subtilissimè satis differit Valden. to. 2. de sacramentis cap. 43. in hanc posteriorem Berengarij retractationem, eademq; cum priori componens, notauit uerba multò illustriora, planiora, expressiora impanationemq; omnem reiicientia, qualia sunt hæc, *panem & uinum substantialiter conuerti in ueram ac propriam & uiuificatricem carnem & sanguinem Christi: ac post consecrationem esse uerum Christi corpus natum de Virgine pro salute mundi oblatum & de cruce appensum, sedens ad dexteram patris: uerum quoq; sanguinem de latere eius effusum, (quæ particula deest in maiori Catechismo Canisij edit. Paris. 1579. Col. 498.) nec per signum tantum & uirtutem sacramenti, sed & in proprietate nature, ueritateq; substantiæ: His inquam nihil lego simile, tamq; lucidum, & ab omni sophismatum Dialecticorum furore purum, in priori delirio quo se Romæ deuinxerat Nicolao 2. & 13. Episcopis In hac igitur Synodo Romæ coacta in Basilica Constantiniana à Gregor. 7. impanatione tamdiu à Berengarianis mustatam, eorū caput Berengarius solemnè iuramento detestatus est: *Tuncq; (ut acta Synodi perhibet) Dominus Papa precepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ut de corpore & sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare, uel aliquem docere presumeret: excepta causa reducendi ad fidem hanc eos qui per eius doctrinam ab ea recesserant. Et quidem Berengariū obsecundasse Gregorio Duratus & Papius. Massonus aduerterunt, sed hic plures emendationis uitæ annos tribuit Berengario, quam cõuocate Synodi uelit Chronologia; Nam si uiuis excesserat Anno 1088. ut placet Ioanni Maioris monasterij cœnobitæ, Conciliū autem anno 1079. habitū sit, annis tantum octo superuixit. Sed nec intra hanc terminum cunctos à se peruersos conuerrere uoluit, addo, inquit, Williel. Malmesb. lib. 4. de Reg. Angl. de Berengarij loquens emendatione, *peffimum est alios exemplo, uel uerbo à bono infirmare; quia fortassis peccatum te grauabit alienum, cum delictum fuerit tuum. Nec, opinor, quisquam Malmesb. refragabitur cum Berengarium in sola sui ipsius correctione uehementer desudasse oportuerit, ut puta hominem flagitiosissimum, quia hæreticus superbissimus, & magus, quanquam hæretici nomen hæc duo complectatur, imò uniuersorū malorum panegyri. Gyganteam eius superbiam ostentant impia scommata quibus Leonem nonū papam, cum accepisset defunctum, uocabat non pontificem sed pompificem, pulpificem. Lanfranci infatuatione fuisse infatuatum & cõcilium uanitatis adunasse, sint hæc Guitmundi Auerfani uerba lib. 1. de ueritate corporis & sanguinis Domini. Magnum fuisse uidit Martinus Delrius in exquisitissimo sui operis Magicarum disquisitionum proloquio & lib. 2. tom. 1. quæst. 10. idque ex Guillelmi Nangiacci Chronico, cuius ad literam uerba subijcio ex MS. codice S. Germani Præfensis pag. 221. *Hinc plurimū necromanticum fuisse dicitur, & sub angustâ hora unius noctis Romā iussit. & Turonis lectionem vnam legisse. Porro nouissimi huius cõcilij****

LL 2 acta


A acta extant in fine tom. 1. Bibliothecæ patrū, to. 3. Epist. summorū pontificū, & to. 2. de sacrament. Thomæ Valdensis cap. 43. formulam iusiurandi separatim lib. 3. Regist. epist. Gregor. 7. post epist. 17. & apud Garenum classe octava. Eius quoque meminere Sabell Ennead. 9. lib. 3. & Blondus li. 3. decad. 2. qui reuera sui immemor, dixit hanc secundam Berengarij confessionem esse relatam in dist. 2. de consecrat. ergo Berengarius: unde apparet virū exquisitè multifariamq; doctam eam non legisse apud Gratian. forsang; sepiusculè viderat citari qui ergo Bereng. de consec. dist. 2. parū callidè credidit illam ipsam esse de qua in præfentiarum. Ex superioribus igitur cum teneamus tempus Concilij Bereng. reprobantis impanationem, scilicet Annum 1079. dicatq; Ansel. illud ab Ecclesia nuper habitum; necessario eodem anno, vel insequenti ad Rupertum has misit literas. Necessarium quoq; est Rupert. id operis de diuinis offic. Ansel. misisse imperfectum, cum li. 8. cap. 4. dicat anno Christi III supra 1000. fuisse notatum in cereo paschali mirabilem illum, quem ibidem narrat, eiusdem Christi resurgentis modum diuinitus cuiusdam commonacho, inter preces ante lucanos patefactum. Præterea in epistola dedicatoria eiusdem operis diuinis de officijs ad Cunonē, dicit eum ex Abbate Sigeber. factum Ratisponēsem Episcopum: at in altera ad eundem epist. nuncupatoria suorum commentariorum in Genesin notat esse annū Christi III 7. Cunonis Abbatis 12. Quas ob causas necessario & in proptulo est Rupertum. Longè antequam id operis in lucem daret, Anselmo transmissilem ac progressu temporis, quæ nos signauimus, adiecit. Nam & ex eadem epistola Berengarium suum Abbatem factum functum liquet meæ opinioni subscribere, videtur idem Rupertus in Limine Epistolæ horū librorum de diuin. offic. ita scribens: *Præsens opusculum, quod de diuinis officijs scripseram, diu expetitur mitto tibi. Et his quidem fatetur se iam antea scripsisse, eaque Cunonem crebrius eslagitasse. Sanè Reinerus in suo libro de viris illustribus S. Laurentij Leodiensis obseruauit Rupertum factum presbyterum mox se contulisse ad huiusmodi diuinorum officiorum lucubrationem, quod non obscuro est argumento, diutius inter schedas suas delituisse, priusquam solem viderint.*

ANNOTATIO QUARTA.

Qui inuisibilem panem sacrificij à corde suo, non credendo repellit, Christum occidit: quia vitam à viuificato se iungit, & dentibus suis mortuum laniat corpus sacrificij.

HAc sententia, & superiori in quam dicere aliquid tentauimus, Anselmus profitetur se suorumq; fratrum nonnullos fuisse offensos: quamuis nihil se fidei puritati contrarium dixisse afferat Rupert. in prologo lib. 3. de diuin. offic. in hūc modum: *Angustioribus atq; profundioribus enauigauit oratio; dum superius, sacramentum Domini corporis & sanguinis pertentans potius, quam perlustrans, nullum fidei passa est periculum; satisq; confidit in Deo iam adulta vel exercitata fide; quia quotiescunq; per hoc profundum fuerit. Nauigandum, nullum alicuius obice saxi incurrit naufragium.* Quibus insinuat Rupert. rem grauisimam, quamuis leuiter, veraciter tamen attingisse. Unde reor cum tanta mysteria breuiter perstringere voluit, illi, quod sibi Lyricus, contigisse ait: dum breuis esse labore, obscurus fio. Quod igitur lucis deest in hac (vr ita dicam) lampade, ex alia mutuemur, vt Rupertus à seipso

C obscuratus seipsum illustret & imprimis lib. 6. comment. in Ioannem hoc asserit: *Panis semel consecratus nunquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit; sed nō prodest quicquam indigno, cuius fides sine operibus mortua est: Proinde quicumq; carnem Christi comedit, non ex pane scimus, certi, quod de nostro sumpserit, quod de suo sit Dei filius. Quò ergo deuenit, quod indignus manducavit & bibit? Hoc plus habet dignus ab indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad iudicium.* Rursus lib. 7. eorundem commentariorum ad hæc verba Christi increpantis discipulos; *hoc vos scandalizat?* ait. *Nomulla admiratione dignum est, quod panis viuus & verus, & secundum se vitalis atque suauis, secundum illos lapis & petra sit: lapis vti que offensionis, & petra scandali: ita vt offendentes in illum conquassentur, & eodem de super veniente conterantur: & sic eodem, quo ad vitam pane nutriri debuerant, tenquam duro lapide offensionis vsq; ad mortem scandalizentur.* Hactenus Rupertus in eandem, de qua nunc lis est, quos sententiam paulò clarius videtur locutus. Cum enim dixit infidelem à corde suo repellentem inuisibilem panem, Christum occidere, affine est proximo loco vbi explicuit eundem vitæ panem Christū, aliquot Christi discipulis incredulis fuisse lapidem & petram offensionis: non quòd in illo pane viuo vero & secundum se vitali (vt Ruperti coniungam epitheta) quidpiam lateat mortiferum, sed quòd in anima iaculo incredulitatis per fossa nihil operetur vitale) quia vitæ principium fides deest. Incredulus ergo videtur Christum, & si immortalem morti tradere, quia Christus author vitæ in illo receptus, & ad vitam conferendam veniens, tamen ac si mortuus esset, nullum vitæ spiritum producere valet in anima mortis æternæ pertinacius & voluntariè addicta: *Nam iste spiritualis cibus si aliquem repperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura sed accipientis vitio,* inquit, Chrysost. in sermone de prodicione Iudæ. Eodem sensu sunt accipienda hæc: nempè quòd vitam à viuificato seiungat per fidus & dentibus laniet mortuum corpus sacrificij: Nam & si à viuificato & viuifico Christi corpore vita non separetur actus; tamen is per indignam sumptionem, vitalem cibum, sibi effecit lætiferum, sicut is diceretur à salutari pharmaco salutem & curationem separasse, qui illud non sumpisset iuxta præscriptum à medico tempus & modum. Cætera huius capituli membra iudicauit Anselmus esse eiusdem coloris; verum quia non produxit, nec ego iudicanda suscipiam, ne extra eorum saltare videar. Quanquam non minima sit à me pars examinata. Plusculà, quæ Valdensis adduxit in suo opere, neque meum est expendere. Garenius licet ex Valdensis mente Rupertum (quem & Valeranum Neunburgensem Episcopum appellat) colloceat in classe Schismaticorum & hereticorum, tamen ex hoc capite, cuius lectio commouerat Anselmum, collegit prolixiorum locum ad confirmandam nostræ fidei veritatem: sicque pene totum reperitur integrum & sanum, quod alijs malè sapiebat.



A *B. ANSEMI DE PRO-
cessione Spiritus Sancti, con-
tra Græcos Epistola.*

Negatur à Græcis, quòd Spiritus sanctus de Filio procedat, sicut nos Latini confitemur. Nec recipiunt Doctores nostros Latinos, quos in hoc sequimur. Qui, quoniam Euangelia nobiscum venerantur, & in alijs de trino vno Deo credunt, hoc ipsum per omnia quod nos, qui te eadem re certi sumus: spero per auxilium spiritus sancti, quia si malunt solidæ veritati acquiescere, quàm pro inani gloria contendere, per hoc quod absq; ambiguitate confitentur, ad hoc quod nõ recipiunt, rationabiliter duci possunt. Quamuis igitur multi sunt, qui hoc melius me possint efficere: ramen quoniam mihi à pluribus iniungitur, quorum petitioni, tum pro debito veritatis amore, tum pro eorum charitate & religiosa voluntate non audeo resistere, inuoco eundem spiritum sanctum, vt ad hoc me dignetur dirigere. Hac itaq; spē pro meæ scientiæ humilitate, scientioribus altiora relinquens, quod postulant aggrediar, & Græcorum fide, atq; his quæ credunt indubitanter & confidenter, pro certissimis ad reprobandum quod non credunt, vtar.

Credunt quidem vnum, & solum ac perfectum esse Deum: nec vllam eum habere partem, sed totum esse quicquid est. Hunc quoque confitentur esse patrem, & filium, & spiritum sanctum: ita vt si solus dicatur pater, aut filius, aut spiritus sanctus: siue duo simul, pater & filius, aut pater & spiritus sanctus, aut filius & spiritus sanctus: siue tres simul, pater, filius, spiritus sanctus, idem totus perfectus designetur Deus quamuis non idem significet nomen patris aut filij, quod nomen Dei. Non enim idem est esse Deum, quod est esse patrem, aut filium. Nomen autem spiritus sancti, ideo quia spiritus sanctus alicuius intelligitur spiritus, pro relatiuo nomine ponitur. Nam quamuis pater sit spiritus & sanctus: & filius sit spiritus, & sanctus: non tamen pater alicuius spiritus, nec filius alicuius spiritus, sicut spiritus sanctus alicuius est spiritus. Est enim spiritus Dei, & spiritus patris, & filij. Quamuis enim Græci negent de filio illum procedere: non tamen negant eum esse spiritum filij. Credunt quoque & confitentur Deum de Deo esse nascendo, & Deum de Deo esse procedendo quia filius Deus est de patre Deo, nascendo, & spiritus sanctus est de patre Deo, procedendo. Nec putant alium esse Deum qui nascitur, quam de quo nascitur: & qui procedit, quam de quo procedit: quamuis secundum nomina significantia, quia est de quo aliquis nascitur & est qui de aliquo nascitur, & est qui de aliquo procedit, pluralitatem admittat: secundum quam plures, & alij sunt ab inuicem pater, & filius, & spiritus sanctus. Nam cum dicitur Deus esse pater, significatur esse de quo aliquis nascitur: & cum nominatur filius, intelligitur esse qui de aliquo nascitur & quando spiritus sanctus nominatur, quia non absolute spiritum, sed spiritum Dei intelligimus monstratur esse qui de aliquo procedit. Sed cum dicitur, quia filius est de patre, & spiritus sanctus de patre: intelligitur, quia hoc quod est filius, aut spiritus sanctus, habet de patre. Sed alio modo intelligitur filius esse de patre, & aliter spiritus sanctus. Filius enim est

D. ANSEMI TOMVS III.

C de patre suo, id est, de Deo qui est pater eius. Spiritus sanctus verò non est de Deo patre suo: sed tantum de Deo, qui est pater. Ergo filius secundum quod est de Deo, dicitur filius eius: & ille de quo est pater eius, spiritus sanctus autem non secundum quod est de Deo dicitur filius eius: nec ille de quo est pater eius. Certum est etiam, quia Deus nõ est pater, aut filius, aut spiritus sanctus alicuius nisi Dei, nec vlla res est Deus, nisi idem pater & filius & spiritus sanctus. Et sicut vnus Deus est, sic vnus tantum pater, vnus filius, vnus spiritus sanctus est. Vnde fit, vt non sit in illa trinitate pater, nisi eiusdem filij: nec filius, nisi eiusdem patris, neque spiritus sanctus alicuius spiritus, nisi eiusdem patris & filij. Hac itaq; sola causa pluralitatis est in Deo, vt pater, & filius, & spiritus sanctus, dici non possint de inuicem: sed alij, sicut ab inuicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatiõ. Nam quomodo filius existit de Deo nascendo, & spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis & processionis referuntur ad inuicem: vt diuersi & alij ab inuicem. Et quando substantia habet esse de substantia, quæ fiunt ibi relationes insociabiles: si secundum illas nomina ponantur substantia. Cum enim homo est gignendo, de homine, dicitur homo de quo est homo, pater: & homo qui est de homine filius. Impossibile igitur est patrem esse illum filium, cuius pater est: & filium esse illum patrem cuius filius est: quamuis patrem esse filium & filium esse patrem nihil prohibeat, cum vnus homo pater est, & filius: quoniam ad alium est pater, ad alium filius. Nempe cum Isaac sit pater Iacob, & filius Abraham, pater est filius, & filius est pater sine repugnantia: quoniam ad alium pater dicitur, quam ad suum patrem: & filius ad alium, quam ad suum filium, patrem autem esse in eodem illius filium, cuius pater est: aut filium esse illius patrem, cuius est filius, non est possibile. Ita ergo in Deo, cum Deus sit pater & filius, & spiritus sanctus: nec sit pater, nisi eiusdem filij: nec filius, nisi eiusdem patris: nec spiritus alicuius, nisi eiusdem patris & filij: pater non est filius, aut spiritus sanctus: filius non est pater, aut spiritus sanctus: nec spiritus sanctus est pater aut filius. Quippe quoniam filius de patre, & spiritus sanctus de patre: nec ille de quo est aliquis, potest esse ille qui de se est, nec ille qui de aliquo est, valet esse is de quo est, sicut iam dictum est, idcirco nec pater est filius aut spiritus sanctus: nec filius siue spiritus sanctus est pater. Filius autem, vt interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat, quòd spiritus sanctus de illo sit & procedat: ideo non est spiritus sanctus, nec spiritus sanctus est filius: quia filius nascendo habet esse de patre, spiritus sanctus verò non nascendo sed procedendo, nec filius potest esse suus spiritus, nec spiritus sanctus valet esse ille cuius spiritus est.

His præmissis, quomodo in diuisibilis vnitas, & insociabilis pluralitas in Deo se ad inuicem habeant, inquiramus. Quoniam autem hæc quæ dicta sunt, pariter credimus indubitanter, & confitemur: & nos qui dicimus spiritum sanctum de filio procedere, & Græci qui nobiscum de hæc se non sentiunt, debemus absq; vlla ambiguitate, quæ ex his necessarie consequuntur vno consensu suscipere. Sequitur enim secundum vnitatis Dei, quæ nullas habet partes, proprietatem: vt quicquid de vno Deo, qui totus est, quicquid est, dicitur de toto Deo patre, dicatur & de filio, & de spiritu sancto: quia vnusquisque solus, & to-

LL 3

tus,

A tus, & perfectus Deus est. Supradicta verò relationis oppositio, quæ ex eo nascitur (quia supradictis duobus modis Deus de Deo est) prohibet patrem, & filium, & spiritum sanctum de inuicem dici: & propria singulorum alijs attribui. Sic ergo huius unitatis, & huius relationis consequentiæ se contemperant: ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem transeat ad ea in quibus prædicta simplicitas sonat unitatis: nec unitas cohibeat pluralitatem: ubi eadē relatio significatur: quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obuiat aliqua relationis oppositio: nec relatio perdat quod inuicem est, nisi ubi obstitit unitas inseparabilis. Quod si per exempla consideremus, clarius erit. Qualiter quidē unitatis simplicitas à se excludat pluralitatem, quæ est in relatiuorum nominū significatione, facile est cognoscere, confitemur enim, quia pater non est filius, aut spiritus sanctus, nec filius pater, aut spiritus sanctus, nec spiritus sanctus pater aut filius. Sequitur ergo alios ab inuicem & plures esse patrem, & filium & spiritum sanctum. At pater est Deus, filius est Deus, & spiritus sanctus est Deus. Quid itaq; consequentius, si prædictarum personarum pluralitas suam seruat proprietatem quàm patrem & filium & spiritum sanctum plures Deos & alios ab inuicem? Sed hoc nullatenus admittit inuolabilis simplicitas diuinitatis, quam vnum solum Deum esse credimus. Sic repellit unitas essentiæ Dei relationum consequentiam. Considerandū quoq; est, quomodo relationum pluralitas obuiet unitatis consequentiæ si prius posuerimus aliqua ex his, in quibus nulla obstitit oppositio. Dicimus vnum Deum esse patrem, & esse filium, & esse spiritum sanctum: & vnum eundem Deum esse, siue singuli, siue bini siue tres simul dicantur. Si ergo Deus est, æternus, propter unitatem Deitatis: ex necessitate sequitur, quia æternus est pater, æternus est filius æternus est spiritus sanctus. Et quoniam siue singuli, siue plures simul sunt vnus Deus, non est nisi vnus æternus. Similis est consequentia, si Deus dicitur creator, siue iustus, siue aliquid aliorum: in quibus nulla prædicta intelligitur relatio. Videamus nunc, quomodo hanc unitatis Dei consequentiam restringat relatio. Dicimus enim, quia Deus est pater. Quoniam ergo vnus est Deus pater, & filius, & spiritus sanctus: exigit unitas Dei ut filius sit pater, & spiritus sanctus sit pater: sed obuiet relatio, quæ prohibet filium aut spiritum sanctum esse patrem. Quippe nec natura permittit, nec intellectus capit existentem de aliquo esse de quo existit: aut de quo existit, esse existentem de se. Existit autem filius & spiritus sanctus de patre: quare non potest filius aut spiritus sanctus esse pater, quāuis Deus sit pater, & vnus idemq; Deus sit pater & filius & spiritus sanctus. Id ipsum & cognoscitur, si dicitur Deus esse filius, vult enim unitatis Dei consequentia, ut pater & spiritus sanctus sit filius. Sed pater de quo est filius, non potest esse qui de se est. Spiritus verò sanctus, qui existit de patre procedendo, non est ille qui est de patre nascendo. Item cum dicitur, Deus est spiritus sanctus: requirit unitas prædicta, patrem quoq; & filium esse spiritum sanctum: sed nec pater, de quo est spiritus sanctus potest ille esse qui de se est: nec filius qui existit de patre nascendo, est ille qui de eodem Patre est procedendo, id est, spiritus sanctus. Cum autem apparebit, quia spiritus sanctus est de filio: tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse filius spiritus sanctus, & spiritus sanctus filius. Consideremus adhuc, quomodo supradictæ oppositiones obstant consequentiæ prædictæ vni-

tatis, Deus est de Deo. Hoc ergo semel accepto, quoniam idem Deus est pater & filius & spiritus sanctus: sequitur secundum hanc identitatem, ut Deus pater sit Deus de Deo, & Deus de quo est Deus: & similiter filius Deus de Deo, & Deus de quo est Deus & eodem modo spiritus sanctus. Verum quærere vtrum quisquis sit Deus, de quo est Deus: non est aliud quàm considerare, vtrum singulus quisq; sit Deus de Deo. Non enim potest Deus de Deo Deus esse nisi pater aut filius aut spiritus sanctus: & nisi de patre aut de filio aut de spiritu sancto. Inspiciamus, vtrum vnusquisq; sit Deus de Deo: & patebit vtrum singulus quisq; Deus de quo est Deus. Sed pater non potest esse de Deo, propter prædictam oppositionem. Cum enim non sit Deus nisi aut pater aut filius aut spiritus sanctus, aut duo ex his, aut tres simul: non potest esse Deus pater de Deo, nisi aut de patre hoc est de filio, aut de spiritu sancto, aut de duobus, aut de tribus. De seipso non potest esse: quia existens de aliquo & de quo existit, non potest idem esse. De filio non est, quia filius est de ipso, & ideo non potest esse de filio. De spiritu sancto non est, quia de illo est spiritus sanctus, nec valet ille esse qui de se est. De duobus vel de tribus simul nequit esse pater, propter eandem oppositionis rationem. Filium verò Deum necesse est esse de patre Deo, quia pater non est de illo. De filio verò, hoc est, de seipso esse nequit: quia non est, idem, existens de aliquo, & de quo existit. Vtrum autem sit de spiritu sancto, aut spiritus sanctus de illo, post monstrabitur. Sed prius dicemus de spiritu sancto, si secundum consequentiam prædictam sit de patre & de seipso. De patre quidem necesse est eum esse, quia nulla obuiat oppositio, non enim est pater de illo. De seipso vero impossibile est eum esse: quia non potest existens de aliquo, & de quo est, idem esse. In his omnibus nihil obuiat consequentiæ vnius identitatis, nisi aliqua de supradictis oppositio. Quod vero in his cognoscitur, in omnibus quæ de Deo dicuntur immutabiliter euenire necesse est.

Nunc quærendum est per supradictas irrefragabiles rationes, vtrum filius sit de spiritu sancto, aut spiritus sanctus de filio. Dico, quia sicut per supradictam rationem, aut pater est de filio, aut filius de patre, aut de spiritu sancto pater, aut spiritus sanctus de patre: ita est aut filius de spiritu sancto, aut spiritus sanctus de filio. Quod qui negat, neget etiam necesse est vnum solum Deum esse, aut filium Deum esse, aut spiritum sanctum Deum esse, aut Deum esse de Deo: quia ex his sequitur quod dico. Amplius, non est alius aut spiritus sanctus de patre, nisi de patris essentia: quæ vna est illi cum filio & spiritu sancto. Cum ergo dicitur quia filius est de Deo patre, si idem Deus est, pater & spiritus sanctus, sequitur secundum unitatem Deitatis, ut sit etiā de spiritu sancto. Eodem modo, quando confitemur spiritum sanctum esse de Deo patre, si idem Deus est pater & filius, sequitur secundum eandem Deitatis unitatem, ut sit & de filio. Ex his igitur aperte cognoscitur, quia aut filius est de spiritu sancto, aut spiritus sanctus de filio, quoniam vtrumque nequit esse verum, aut falsum. Necesse est ergo spiritum sanctum esse de filio, si potest monstrari filium non esse de illo. Nam si quis dicit non sequi, filium esse de patre & spiritu sancto, quoniam vnus est Deus pater & spiritus sanctus, etiamsi non opponitur aliud aut spiritum sanctum esse de patre & filio, quoniam vnus est Deus pater & filius, quamuis non sit
Filius

A Filius de Spiritu sancto: confidetur, quia cum est Deus de Deo aut est totus de toto, aut pars de parte, aut pars de toto. Sed Deus nullam habet partem, impossibile igitur est, ut si Deus est de Deo, ut totus sit de parte, aut ut pars de toto, aut ut pars de parte. Necessesse est igitur, ut si est Deus de Deo, totus sit de toto. Cum ergo filius dicitur esse de Deo qui est pater, & spiritus sanctus aut alius totus erit pater, alius totus spiritus sanctus, ut de toto patre sit, & non de toto spiritu sancto: aut si idem totus Deus est pater & spiritus sanctus, ex necessitate cum est de Deo toto, quia est vnus totus, tam pater quam spiritus sanctus: est pariter de patre & spiritu sancto, si non repugnat aliud. Eodem modo cum dicitur spiritus sanctus esse de toto Deo, qui est pater & filius: aut alius totus erit pater, alius totus filius, ut sit de toto patre, & non de toto filio spiritus sanctus: aut cum est de Patre Spiritus sanctus non potest non esse de Filio, si non est Filius de Spiritu sancto. Nulla enim alia ratione potest negari Spiritus sanctus esse de filio. Dicit aliquis quoniam vnus Deus pater & spiritus, cum filius est de patre, sequitur eum esse de spiritu sancto: aut cum Spiritus sanctus est de patre, quia idem est Deus Pater & Filius, est etiam de Filio: cum pater gignit Filium, necesse est eum gignere quoque spiritum sanctum: quia vnus idemque Deus est filius & spiritus sanctus. Et cum spiritus sanctus procedit de patre, propter eandem vnitatem Deitatis filij & spiritus sancti, procedit & filius de patre ita sicut spiritus sanctus. Si verò vnitatis Deitatis in filio & spiritu sancto non illam habet vim consequentiæ, ut vterque similiter sit genitus & procedens: videtur, quod non ex eo quod vnus est Deus Pater & spiritus sanctus, sequitur filium esse de spiritu sancto, aut spiritum sanctum esse de filio: quoniam idem Deus est pater & filius, ut dicis. Ad quod ego: Habent utique à patre esse filius & spiritus sanctus, sed diuerso modo: quia alter nascendo, alter procedendo ut alij sint ab inuicem, per hoc quod dictum est. Et ideo cum nascitur vnus non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab eo quia non similiter nascitur, sed procedit. Et cum vnus procedit, nequit ille simul procedere qui per hoc est alius ab illo, quia non similiter procedit, sed nascitur. Et ideo non habet hic vnitatis illa vim consequentiæ: quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur, & processione. Nam & si per aliud non essent plures filius & spiritus sanctus: per hoc solum essent diuersi. Cum autem dico ex eo, quia pater vnus Deus est cum filio aut cum spiritu sancto, sequitur filium esse de spiritu sancto, aut spiritum sanctum esse de filio, nulla ibi pluralitas generatur, quæ vnitatis obuiet consequentiæ: quia non vtrunque dico esse, sed alterum tantum. Omnimoda igitur & inexpugnabili necessitate concluditur: quia si vera sunt quæ supra dixi: nos pariter cum Græcis credere, aut filius est de spiritu sancto, aut spiritus sanctus est de filio. Quod autem filius non sit de spiritu sancto, palam est ex catholica fide. Non enim est Deus de Deo, nisi aut nascendo ut filius, aut procedendo ut spiritus sanctus. Filius autem non nascitur de spiritu sancto. Si enim nasci de illo, est filius spiritus sanctus, & spiritus sanctus pater eius: sed alter alterius nec pater, nec filius. Non ergo nascitur de spiritu sancto filius, nec minus apertum est, quia non procedit de illo. Esset enim spiritus eiusdem spiritus sancti. Quod apertè negatur, cum spiritus sanctus dicitur & creditur spiritus filij. Non enim potest esse spiritus sui spiritus. Quare non procedit filius de spiritu sancto. Nullo ergo modo est

de spiritu sancto filius. Sequitur itaque; inexpugnabili ratione spiritum sanctum esse de filio, sicut est de patre.

Forsitan negabunt Græci spiritum sanctum esse Deum de Deo, sicut est Filius Deus de Deo: quoniam probamus per hoc illud esse & procedere de filio, nec est positum in illo symbolo, in quo reprehendimur ab illis addidisse processionem eius de filio. Sed qui hoc putat, negat aut patrem esse Deum, de quo est spiritus sanctus, aut spiritum sanctum esse Deum, qui est de patre: aut hoc ipsum: quod est spiritus sanctus, esse de patre. Ac patrem non esse Deum, aut spiritum sanctum, nullus suscipit Christianus. Videamus igitur, vtrum hoc ipsum, quod est essentialiter spiritus sit de patre, quod quendam Episcopum, Græcis forsitan fauentem, in Barenfi ciuitate sensi nolle sentire? Nam si non est ipsum de patre, quod est: cum sit vnus Deus idemque Deus qui pater, inueniri nequit vnde sit alius à patre. Non enim nisi alius est: quia pater habet filium, & spiritus sanctus non habet filium. Per hoc enim probari potest, quia alij sunt ab inuicem: non tamen hæc est causa, ut diuersæ sint personæ. Quippe si duo sint homines: quorum alter habeat filium, alter non: quamuis per hoc ostendi possint esse diuersi, non tamen ob hoc alij sunt ab inuicem: quia quoquo modo se habeant in habendo vel non habendo filium, diuersitatem tamen non amittunt. Ita in patre & spiritu sancto, non quia alius filium habet, alius non habet, idcirco sunt diuersi: sed quoniam diuersi sunt, idcirco nihil prohibet eos in habendo & non habendo filium, esse dissimiles. Similiter respondere potest, si ideo alius dicitur, quia non ab illo procedit spiritus sanctus, sicut ipse procedit à patre. Quippe ut secundum illos loquar, qui negat spiritum sanctum de filio procedere, sicut non est hæc causa: quia spiritum sanctum filius de se procedentem non habet sicut pater, ut alius sit à patre (sequeretur enim) ut si spiritus sanctus procederet de filio, filius non esset alius à patre, ita per hoc non est spiritus sanctus à patre alius, quia non habet filium aut spiritum de se procedentem sicut pater. Et quæ admodum filius, non ideo est alius à patre, quia patrem habet, & pater non habet patrem. Si enim pater haberet patrem, alius tamen esset à patre, ita spiritus sanctus, quia de aliquo procedit, & pater à nullo, non propter hoc est alius à patre: quia si pater ab aliquo procederet, non minus tamen esset alius à patre, de quo procedit. Palam igitur est, quia non ideo est spiritus sanctus alius à patre: quia non habet filium, aut spiritum sanctum de se procedentem sicut pater: nec quia de aliquo procedit, & pater de nullo. Sed neque per hoc intelligi potest esse à patre alius, quia spiritus patris, si de illo non habet esse. Potest enim intelligi aliquis alius ab aliquo, priusquam sit illius: quamuis alicuius nequeat esse, nisi sit alius: ut cum dicitur, homo dominus alicuius aut homo alterius hominis: prius enim intelligitur alius ab illo, cuius esse dicitur, quam sit eius Dominus vel homo. Sed itaque spiritus sanctus non est de patre, nihil prohibet eum intelligi prius alium ab illo, quam sit illius. Quare non facit illum alium esse à patre, hoc quid spiritus eius est, si per hoc non habet, ut sit alius ab illo; per quid est Spiritus illius. Sicut Filius per hoc est alius à patre, per quod est Filius eius, quod non est aliud, nisi quod de ipso existit nascendo. Videtur itaque, quod spiritus sanctus non sit per aliud à patre alius, nisi quia ab illo habet esse quod est: quamuis alio suo modo quam Filius. Inuestigemus tamen hoc diligentius, utique aut postquam fuerit

A Spiritus sanctus, hoc quod est, contigit illi aliam esse à Patre, aut in existendo habet unde alius est. Contigit enim aliquem esse quod est, prius quam sit alius: & contigit aliquem alium in existendo fieri, prius autem quemquam esse alium, quam sit hoc quod est, non est possibile. Namque prius homo, priusquam de illo esset homo aliquis, erat ipse homo, sed non alius erat: cum vero extitit de illo aliquis, & ille de quo extitit, postquam hic fuit factus, est alius: & qui de illo extitit, simul habuit esse, & alius factus est. Aut ergo Spiritus sanctus, sicut dixi, postquam fuit, factus est à Patre alius, aut habet in existendo propter quod alius dicitur. Sed si postquam fuit, contigit illi aliam esse à Patre: cum non sit alia persona, nisi quoniam alius est ab illo, non fuerunt illæ semper tres personæ: quia ista non semper fuit, si non semper fuit spiritus sanctus alius à Patre. Quomodo itaque falsa sunt hæc, patet quoniam in existendo, habet unde alius est. Esse autem nequit nisi aut ex aliquo, sicut filius: aut ex nullo, sicut Pater: Quod si ex nullo, quemadmodum Pater, existit: aut ita existit unusquisque per se, ut neuter ab altero quicquam habeat: sed sunt duo Dei, Pater, & Spiritus sanctus: aut quoniam unus Deus est. Si uterque de nullo est penitus: nihil inueniri valet in fide Christiana, unde sint ab inuicem alij: sed unus idemque pater, & spiritus sanctus, & vna persona, quæ vera fides abhorret. Non est ergo verum, Spiritum sanctum à nullo esse. Si autem est ab aliquo, non est nisi ex Deo qui est pater, & filius, & spiritus sanctus: sed à seipso nequit esse, quoniam nulla persona à seipsa potest existere: nisi sola Patris. Quare si quis etiam negat esse à filio, negare nequit illum à Patre esse. Si quis autem dicit, quia licet non habeat esse de Patre: tamen per processionem alius potest intelligi. Ad hoc quoque respondendum arbitror, ne possit aliquid in hac questione nostræ obijci assertioni, cui nostra responsio non obuiet: nec miretur aliquis me tantum in hoc commemorari, quoniam non parua auctoritatis erat ille inter suos, quem sensu non sentire spiritum sanctum, hoc quod est, habere ex patre: nec tunc habui opportunitatem respondendi.

B **Q**VI ergo spiritum sanctum dicere vult ex sola processione alium esse à Patre, licet non sit ex illo: intelligit, aut id ipsum esse procedere de Patre solummodo quid est mitti, vel dari à patre: ut cum mittit, vel dat eum Pater, tunc tantum procedit à Patre: aut hoc esse procedere, quod est de Patre esse: si idem est procedere, quod est dari vel mitti procedit pariter à filio, sicut à patre spiritus sanctus: quoniam ab illo similiter mittitur & datur. Item, si non est aliud spiritui sancto procedere quam mitti vel dari, non est alius à Patre, nec procedit à Patre, nisi cum datur vel mittitur, quod nemo puto, intelligit. Semper enim est alius à patre spiritus sanctus, etiam ante creaturam: non autem datur vel mittitur, nisi creaturæ: nec tamen dicendum est, quod accidat ei dari vel mitti. Nam cum ipse sit vbique & immutabilis, accipienti quidem accidit aliquid: quia circa illum fit, quod prius non erat & abesse potest: circa spiritum sanctum vero nihil fit quod non erat. Cum enim cæcus in luce non sentit lucem, nõ magis nec minus habet aliquid lux, & si depulsa cæcitate sentiat cæcus lucem, circa illum fit motus, non circa lucem. Pater itaque, non esse spiritum sanctum alium à patre per sic intellectam processionem, ut nõ sit aliud illi procedere, quam dari vel

C **A** mitti. Est quoque patens, eum per processionem habere esse de Patre, & per hoc alium esse à Patre: sicut filius non per aliud est à patre alius, quam per hoc quia de illo, existit. Est igitur Deus de Deo: & procedit de Deo: quia & ipse est Deus, & pater Deus, de quo est, & procedit. At si dicimus, duas spiritus sancti posse nominari processionem: vnam quando exstitit de patre: alteram, quando datur vel mittitur. Non puto hoc esse negandum si vnaquæque in suo sensu accipitur. De illa quippe processione, qua datur vel mittitur, non incongruè Dominum sic dixisse intelligimus. *spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat.* Sic enim hoc potuisse dici videtur: *Nescis, unde procedat, aut quo recedat.* Cum enim datur, quasi de occulto venit, & procedit: cum vero subtrahitur, velut ad occultum vadit, & recedit. De hac processione potest dici: quia idem illi est procedere quod mitti. Siue igitur non procedat, nisi existendo de Patre, siue non nisi cum datur aut mittitur ad sanctificandam creaturam, siue utroque modo procedat sequitur, ut procedat de filio. Si enim est de patre, Deus est de Deo: unde probatur, ut dictum est, esse quoque de filio, & procedere ab illo. Namque procedit de quo est, & de illo existit à quo procedit. Si vero tunc tantum procedit cum mittitur vel datur, procedit à filio à quo datur & mittitur. Quod si utroque modo procedit, pariter utroque modo procedere cognoscatur à filio. Ecce videmus spiritum sanctum esse de Deo, & procedere de Deo, quod non est positum in præfato symbolo: si ergo ideo negant eum esse & procedere de filio, quia ibi tacetur, negent esse similiter eum de Deo & procedere, quia ibidem non dicitur. Ant si hoc diffiteri nequeunt, non timeant confiteri nobiscum spiritum sanctum esse & procedere de filio: quoniam hæc in eodem symbolo non inueniuntur. Ac si dicant, satis ibi significatur, quia est & procedit de Deo, quia à Patre procedit, quia pater est Deus & nos similiter dicimus, quia aperte monstratur procedere de filio, cum dicitur procedere de Deo quia filius Deus. Interrogo enim, vtrum ideo intelligendus sit spiritus sanctus esse de patre, quia de Deo est: aut idcirco esse de Deo, quia est de patre: licet enim inuicem alterum altero probetur. Si enim est de patre, est de Deo: & si est de Deo, est de Patre: quoniam nulla supradicta obuiat relatio, non tamen similiter inuicem sunt, alter alterius causa. Nam si esset spiritum sanctum de Patre, est causa ut sit de Deo, cum dicitur esse de Patre, non est intelligendum quod sit de hoc, quod Pater est Deus, id est, de diuina essentia: sed de hoc quod Deus Pater est, id est, de hoc unde refertur ad filium. Erit igitur diuina essentia in spiritu sancto: non de Deitate Patris, sed de relatione, quod stultissimum est dicere. Quamuis & si hoc velit aliquis accipere, non minus sequitur spiritum sanctum de filio, quam de patre procedere. Nempe nulla relatio est patris, sine relatione filij: sicut nihil est filij relatio, sine patris relatione. Si ergo alia nihil est sine altera, non potest aliquid de relatione patris esse sine relatione filij. Quare sequitur, spiritum sanctum esse de vtraque, si est de vna. Itaque si est de Patre secundum relationem, erit simul & de filio secundum eundem sensum. Verum quia nemo tam insipiens est, qui hoc opinetur, credendum & confitendum est, ideo de patre spiritum sanctum esse, quia est de Deo. Non autem magis est Pater Deus quam Filius, sed vnus solus verus Deus, pater & filius. Quapropter si spiri-

A si Spiritus sanctus est de patre, quia est de Deo qui pater est, negari nequit esse quoque de filio, cum sit de Deo qui est filius.

Consideremus etiam, quid Dominus dicit in Evangelio. Ait enim: *Hac est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Aut ergo ita intelligendus est iste solus verus Deus, ut eum nominamus solum Patrem, non significetur ille solus verus Deus, neque quando nominamus solum Filium: sed tunc solummodo intelligatur iste solus verus Deus, quando simul dicimus Patrem & Filium. Aut solus verus Deus intelligitur, cum nominamus aut solum Patrem, aut solum Filium: aut si solo Patre nominato, aut solo Filio, non intelligitur solus verus Deus sine adiectione nominis alterius: non est Pater perfectus neque Filius perfectus Deus, sed est Deus compositus ex Patre & Filio. Sed credimus Patrem esse perfectum & solum verum Deum, & Filium similiter perfectum, & solum verum Deum. Cum ergo nominamus Patrem solum, aut Filium, non aliud intelligimus, excepta relatione, qua referantur ad invicem, quam solum verum Deum & eundem: quem in utriusque prolatione cognoscimus. Itaque cum dixit Dominus: *Hac est autem vita aeterna: ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Si addidisset dicens, & de hoc solo vero Deo procedit Spiritus sanctus: quis auferret separare Filium ab illa processione, cum ille solus verus Deus non magis aut minus sit Pater quam Filius? Quapropter si idem solus verus Deus intelligitur, cum solus Pater dicitur, aut Filius, & cum ambo simul nominantur: quid apertius, quam quia de solo vero Deo, qui Pater est & Filius, procedit Spiritus sanctus, cum dicitur a patre procedere? Quare sicut intelligeretur de Filio procedere, si idem Filius dixisset de solo vero Deo illum procedere, quando dixit se & Patrem solum verum Deum esse: ita cum dicit eum de Patre procedere, absque dubio eum de se significat procedere. Dicit etiam Dominus: *Paracletus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo.* Et, cum autem venerit ille Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre. Quid ergo intelligendum est, cum dicit: *Quem mittet Pater in nomine meo*: an quia Spiritus sanctus habebit nomen eius, & cum mittet Pater Spiritum sanctum idem sit, quod mittere Filium? Sed quod ait: *Quem ego mittam vobis a Patre*, non recipit hunc sensum: quia eundem ipsum Spiritum sanctum, quem mittit Pater, mittit Filius, neque mittit Filius Filium. Denique nusquam legimus & omnino negamus, Spiritum sanctum esse Filium. Quid itaque est? *Quem mittet Pater in nomine meo*, nisi quem Pater mittet, Filius quoque mittet? Sicut cum dicit, *quem ego mittam a Patre*, non est aliud, quam ego mittam & Pater. Filius namque est nomen illius, quid dicebat: *mittet Pater in nomine meo.* Non est ergo aliud: *mittet Pater in nomine meo*, nisi *mittet Pater in nomine Filij*, nisi *mittet Pater*, tanquam si mittat Filius: ut in missione Patris, missio intelligatur Filij? Quod verò ait, *quem ego mittam vobis a patre*, quomodo intelligendum est? Utique, a quo eum mittit Filius, ab eo mittitur. Mittit autem eum a Patre. Ergo a Patre mittitur. Sed ille mittit a quo mittitur. Pater itaque mittere intelligitur, cum Filius dicit: *Ego mittam a Patre.* Quid est ergo: *Ego mittam a Patre*, nisi ego mittam tanquam si Pater mittat, ut una & eadem sit missio mea & Patris? Cum utique Filius tanta diligentia ostendat unam esse missionem Patris & suam: ut nec Pater mittat,

nisi cum Filius mittit: nec Filius mittat, nisi cum mittit Pater. Quid vult significari, aut quid vult intelligi, nisi quia non aliter se habeat ad Patrem Spiritus sanctus: & aliter ad Filium: nec magis est unius, quam alterius. Quamobrem nimis difficile, immò impossibile est ostendere, quomodo non procedat ab utroque. Vnde enim Filio cum Patre dare simul vel mitte: e Spiritum sanctum, & hunc esse utriusque, si simul non est de utroque? Cur enim magis dat filius spiritum sanctum, quam Spiritus sanctus filium? Aut cur magis Spiritus sanctus est filij, quam filius Spiritus sanctus: nisi quia filius non est ita de Patre simul & de Spiritu sancto, sicut Spiritus sanctus est de Patre, simul & de filio? Si ergo Spiritus sanctus non de Filio, non datur a filio, nec dicitur esse filij: sicut filius non datur a Spiritu sancto, nec dicitur esse Spiritus sancti: quoniam non est de Spiritu sancto. Si autem dicunt, quia Spiritus sanctus mittit etiam filium, sicut idem ipse dicit per Prophetam: *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius*: hoc secundum hominem, quem gerebat, intelligendum est, qui Patris & Spiritus sancti una voluntate & dispositione mundum redempturus in mundo apparuit. Quæro tamen ab his, qui negant Spiritum sanctum esse & procedere de filio: quomodo intelligunt eum sic esse Spiritum filij, ut filius tanquam suum Spiritum illum mittat. An putant, quia pater dedit filio spiritum suum tanquam a se non habenti, aut enim habet a se, aut ab alio. Sed ab alio non potest habere, nisi a Patre. Accepit igitur a Patre, a quo habet, & dedit ei pater spiritum sanctum, ut a se non habenti. Hic ostendant, cum æquales sint Pater & Filius & Spiritus sanctus, & unusquisque sibi sufficiens, quæ fuit causa, vel quæ indigentia filij, ut pater daret ei spiritum suum, magis quàm Spiritu sancto filium suum. Non negamus hoc modo habere filium spiritum sanctum a Patre: quia a quo habet esse, ab eo habet, ut de se Spiritum sanctum existentem habeat sicut pater, quoniam idem esse est patris & filij. Non est enim idem accipere a Patre essentiam, de qua procedit Spiritus sanctus, & accipere a Patre Spiritum sanctum. Cui enim dicitur habere a Patre essentiam, de quo Spiritus sanctus procedit nulla monstratur indigentia filij. Cui verò dicitur, quia filius accepit a patre spiritum sanctum, quem de se non habet sicut pater, videtur significari filium quasi minus aliquid habere, quam habeat pater, & velut ad supplementum ei dare spiritum sanctum. Sed non apparet, cur magis egeat filius spiritu sancto, quam spiritus filio. Si enim responderetur ad hoc datum esse spiritum sanctum filio, ut eum ipse cum patre quoque eundem spiritum sanctum, par illi cum patre gratia imputaretur. Terrena est hæc opinio, & longè ab intellectu divinitatis extranea, ut tanquam homo homini, Deus Deo indigenti subueniat. Namque si dat Pater Spiritum sanctum Filio, dat Deus Deo Deo: pater enim Deus, & filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & unus idemque Deus. Non enim legimus Deum a Deo Deum accipere: nisi hoc dicatur, cum Deus est de Deo, ut Filius & Spiritus sanctus. Dicitur ergo Spiritus sanctus filij spiritus, non ob aliud nisi quia ex ipso est.

Post resurrectionem legimus, quia *insufflavit* Dominus discipulos suos, & ait illis: *accipite Spiritum sanctum.* Quid sibi vult ista insufflatio? Scimus enim quia flatus ille, qui de ore eius tunc processit, non erat Spiritus sanctus. Non ergo credimus illam insufflationem sine aliquo mysterio factam esse. Quid igitur rectius hic intelligi potest, aut apertius,

A us, quàm hoc ideo illum fecisse, ut intelligeremus Spiritum sanctum de illo procedere. Ac si diceret: Sicut videtis hunc flatum, per quem vobis Spiritum sanctum, sicut sensibilis insensibilia significari queunt, significo de intimo corporis mei, & de persona mea procedere: ita scitote Spiritum sanctum, què vobis per hunc flatum significo, de secreto Deitatis meæ, & de mea persona procedere. Vnam enim personam verbi & hominis, & in ea duas naturas, diuinam, scilicet & humanam credimus & confitemur. Sed dicent forsitan: Status utique ille non erat de substantia humana, & tamè quasi suam illum emittebat. Quapropter dicitur per huiusmodi Spiritus sancti dationem: quia cum dat Filius Spiritum sanctum, dat & mittit suum spiritum: sed non de suæ diuinitatis essentia. Dicant igitur, si qui hoc opinantur: quia sicut flatus non est humana natura cum emittitur ab homine: ita Spiritus sanctus non est diuina substantia, cum datur vel mittitur à Deo filio, quod nullus confiteretur Christianus. Dicant etiam cum audiunt: *Verbo Domini celi firmati sunt, & spiritus oris eius omnis virtus eorum.* Si ibi non negant intelligendum per spiritum oris Domini, Spiritum sanctum, non illum esse de essentia Domini, cuius oris spiritus dicitur: quia spiritus qui ex ore solet hominum procedere, nõ est de substantia illius de cuius ore procedit. Quod si non audent dicere spiritum scilicet Dei, non esse de essentia Dei: & per verba rerum sensibilium, id est, per spiritum oris intelligunt Spiritum sanctum de secreto eius essentiæ, procedere, cuius oris spiritus dicitur. fateantur etiam eundem Spiritum sanctum de illius essentia procedere: cuius labiorum spiritus dicitur. Legimus enim in Propheeta de Christo: *Quia spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Aut ergo ostendant diuersitatem inter spiritum, labiorum, quod fieri nequit, aut pariter concedant Spiritum sanctum procedere de illo, cuius oris, & de illo cuius labiorum spiritus designatur. At si dicunt, nequaquam per spiritum labiorum ibi intelligi spiritum sanctum debere: sed verba predicationis eius, quæ ex isto aërio spiritu humano in ore formantur: quia verbis suis interficiet impium, eum docendo, ab homine auertit impietatem. Non utique hoc faciunt verba sensibilia & iste spiritus sensibilis: sed Spiritus sanctus, de quo dicit Deus per Prophetam: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri.* Spiritus ergo sanctus interficiet impium, cum cor eius conuertitur ab impietate ad pietatem. Quod si intelligimus in illo impio Antichristum quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: non puto, quod aliquis attribuat virtutem illam spiritui vocis humanæ tantum, quantum spiritui diuino. Si ergo Spiritus sanctus intelligitur in his dictis, cum pariter dicatur spiritus oris Domini, cuius verbo celi firmati sunt, id est, Patris: & spiritus oris Domini Iesu, & Spiritus labiorum eius non apparet, cur magis intelligi debeat procedere de ore Patris, quàm de ore Filij. Et si per os Patris intelligimus essentiam Patris. Non enim est aliud os eius quàm essentia eius: ut sicut verbum Domini, est de essentia eius: ita spiritus oris eius, non sit nisi de essentia eius: quid apertius, quàm sicut spiritus oris patris est de essentia Patris & procedit: ita Spiritus oris & labiorum filij, de filij essentia fit & procedat. Puto enim, quia nemo intelliget simpliciter, vbi dictum est: *Verbo Domini celi firmati sunt, & spiritus oris eius omnis virtus eorum.* verba transitoria, & Spiritum, qui de hoc aëre assumptus per loquentis os emittitur.

Psal. 32.

Esa. 2.

Ezech. 2.

Psal. 32.

Ioan. 16.

Sed quomodo cunque hoc aliquis exponere conetur, sufficit quod in illa insufflatione Domini in discipulos, cuius feci mentionem, factum est ad significandum, quia de eiusdem personæ secreto procedebat ille spiritus, quem dabat: de cuius occulto Spiritus ille procedebat, quem insufflabat, Denique cum scriptura diuina significat aliquod secretum per sensibilia similitudines, non per omnia quæ significant, & significantur, similia possunt esse. Non enim hoc esset similitudo, sed identitas: nisi fortè quis dicere voluerit illam insufflationem ita simpliciter esse factam à sapientia Dei sine omni spirituali significatione. Sed neminem puto ita insensatum ut hoc non sentiat. Item Filius dicit de Spiritu sancto: *Non enim loquetur à semetipso, sed quacumque audiet, loquetur.* Quid est, nõ loquetur à semetipso: nisi ab alio habet quod loquetur? Et quid est, ab alio habebit quod loquetur, nisi ab alio habebit scientiam eorum, quæ loquetur. Vnde postquam dixit: *Non loquetur à semetipso, addidit: sed quacumque audiet, loquetur.* Quid est audire Spiritum sanctum, nisi quasi discere: Et quid est discere, nisi scientiam accipere? Si ergo scientia eius non est aliud nisi essentia eius: ab illo habet essentiam, à quo audit ea, quæ loquetur, & quæ docet: quoniam idem est illi loqui quod docere. Non audit autem, neque habet essentiam ab alio nisi à Patre & Filio. Verum si habet esse à Patre secundum supradictam rationem, habet & à Filio. Vnde & idem Filius dicit: *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quippe quid est aliud hoc dicere, quàm à me audiet, hoc est, à me sciet quod annuntiabit vobis? Cum dixit: *Quacumque audiet loquetur,* non determinauit à quo audiet. Cui verò ait: *De meo accipiet,* ne quis soli Patri attribuat quod ab alio audit, aperte se esse: à quo sicut à Patre scientiam siue essentiam accipiat, demonstrat. Sicut enim cum dicitur: *Non loquetur à semetipso: sed quacumque audiet loquetur,* significatur ab eo esse & procedere, à quo audit. Ita cum profert Filius: *De meo accipiet,* palam ostendit eum de suo: hoc est, de essentia sua essentiam habere & procedere. Quod enim diuina essentia non est, sub spiritu sancto est, nec ipse accipit aliquid de hoc, quod sub se est. Quare cum Filius dicit: *De meo accipiet,* non aliud ibi suum significat, quàm suam essentiam. Illud forsitan quod dixit Filius: *De meo accipiet,* aliter conabuntur intelligere quàm ego exposuerim. Sed quid dicent, vbi ait: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem qui nouit nisi Filius, aut cui voluerit Filius reuelare?* Audiuius, quia nemo nouit Patrem aut Filium nisi Pater, aut Filius, aut cui reuelat Filius. Non dicit autem nemo: quasi nullus homo: sed ac si diceret, nullus omnino. Quippe si hoc intelligeret, non adderet, nisi Pater, quia Pater non est homo. Et cum ait: *neque Patrem qui nouit.* In hac monosyllaba dictione videlicet quis non magis intelligitur humana, quàm quilibet persona. Omnino igitur nullus habet hanc notitiam nisi Pater & Filius, & cui Filius idem reuelat. Aut itaque Spiritus sanctus non cognoscit Patrem & Filium, quod impium est opinari: aut Filius reuelat ei sui & Patris scientiam, quæ non est aliud, quàm eisdem Spiritus sancti essentia. Quod si dicunt, quia licet Filius quantum ad pronuntiationem attinet: nullum ad hanc admittit notitiam, nisi se & Patrem; & cui ipse reuelat, non tamen Spiritum sanctum, aut ab illa separatam, aut illum à Filio accipere fatendum est: quoniam Pater & Filius non se cognoscunt, nisi per hoc quod vnum sunt eum Spiritu sancto.

C
Ibidem.

Matth. 11.

D

Et

A Et ideo cum ait: Patrem & Filium inuicem se nosse, intelligendus est simul Spiritus sanctus. Et cum reuelat Filius non Spiritui sancto, sed creature reuelat. Si, inquam, hoc dicitur, non statim constanter inferemus. Ergo si ubi aperte veritas secundum quod verba oris eius pronuntiant, negat Spiritum sanctum nosse, nisi reuelante Filio Patrem & Filium, dicunt nos non tantum verba attendere debere, quantum veritatem essentiae, quae una tribus & inseparabilis est: multo magis debemus huius unitatis seruare consequentiam, de qua supra loquutus sum, cum eam nullo, aut scripto aut sensu negat auctoritas: nec profert aliquid quod contrarium sit, aut aliquo modo repugnet. Eligant itaque Graeci unum de duobus si aperte volunt veritati resistere: aut scilicet Spiritum sanctum non nosse Patrem aut Filium nisi reuelante Filio: aut propterea quia in hoc quod per se cognoscunt Pater & Filius unum sunt cum Spiritu sancto: quoniam ipsi dicuntur se nosse consequi ex necessitate: ut in eadem noticia intelligatur Spiritus sanctus. Nempe nihil est medium si volunt hanc noticiam à Spiritu sancto, aut veritatem à verbis penitus abdicare. Quae utraq; execratur vera confessio. Sicut enim ait veritas: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neg, Patrem quis nouit nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare.* Si quidem eligunt Spiritum sanctum nosse Patrem & Filium per reuelationem filij, habet à filio nosse quod non est aliud illi quam esse. Est igitur & procedit à Filio: quoniam ab illo procedit à quo est. Si autem dicunt, cum Pater & Filius dicuntur nosse se quia essentia per quam se noscunt eadem est Spiritui sancto, consequi Spiritum sanctum eiusdem esse consortem noticiæ: cum legitur illum à Patre procedere, de quo ait Filius: *Ego & Pater unum sumus*, confiteantur nobiscum, propter essentialem identitatem Patris & Filij, illum à Filio proculdubio procedere.

Si uero obijcitur cum dicitur: Filium à Patre nasci, & Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere: quia quosdam gradus & quaedam interualla constituimus quasi Spiritus sanctus esse non possit, nisi Filius prius nascatur à patre, ut posterior filio sit Spiritus sanctus: & ideo rectius dici quod pariter sint à Patre Filius nascendo & Spiritus sanctus procedendo: ita ut nec Filius à Spiritu sancto sit, nec Spiritus sanctus à Filio, sicut splendor & calor pariter sunt de vno sole, nec splendor à calore est, nec calor à splendore. Si, inquam, hoc aliquis nostrae obijcit assertioni. Respondemus. Nos nec gradus dignitatis ponimus in Deo, qui unus est: nec in existendo Filium de Patre, aut Spiritum sanctum de Patre & Filio interualla in aeternitate, quae est extra omne tempus statuimus. Similiter enim omnes Christiani fidem tenentes confitemur, nec minorem nec posteriorem Filium esse Patre: quamuis non nisi de illo sit. Ita quoque nos qui dicimus Spiritum sanctum de Filio esse si ue procedere: nec minorem, nec posteriorem cum Filio fatemur. Nempe quamuis splendor & calor de Sole procedant nec possint esse nisi sit ille de quo sunt, nihil tamen prius aut posterius in tribus, in Sole & splendore & calore intelligimus: multo itaque minus cum hæc in rebus temporalibus ita sint, in aeternitate quae tempore non clauditur predictæ tres personæ in existendo susceptibiles interualli possint intelligi. Quod autem dicitur, quia Filius & Spiritus sanctus sic possunt esse de solo Patre, ut nec Filius sit de Spiritu sancto: nec Spiritus sanctus de Filio, sicut splendor & calor simul procedunt de vno Sole: uel alter non sit de altero,

non rectè hoc nobis opponitur. Cum enim dicimus Filium de Patre, & Spiritum sanctum de Patre esse, Filium fatemur Deum & Spiritum sanctum esse de Patre Deo, & has tres personas unum solum Deum esse, & id ipsum esse de eodem ipso. In Sole uero non dicimus solem esse de sole, cum splendor aut calor est de sole, nec id ipsum esse solem, & quid est de sole, nec illa tria unum esse solem. Nam si sol & splendor unus esset sol, aut si sol est calor similiter unus sol esset: necesse esset aut splendor esse de calore cum esset de toto sole: qui id ipsum esset quod calor, aut calorem de splendore esse qui de sole haberet esse qui non à splendoris differret essentia. Ponamus tamen Filium & Spiritum sanctum ita pariter esse de solo Patre: sicut calor & splendor sunt de vno sole. Sed si ita est: uideat qui hoc dicunt, quod Spiritum sanctum confitentur esse Filij: & Filium negant esse Spiritum sanctum. Nam sicut nulla ratio admittit, ut calor sit splendoris, aut splendor caloris: ita non patitur ueritas, ut Spiritus sanctus magis sit Filij: quam Filius Spiritus sancti. Quapropter si negare non audent Spiritum sanctum esse Filij, negant Filium & Spiritum sanctum, ita esse pariter de solo Patre: sicut sunt splendor & calor de vno sole. Quare si hoc nobis obijciunt, quod dixi de splendore & calore solis, nec cum illis, nec contra nos est.

Sicut nobis dicitur ne omnino separent filium à patris communionem in hac Spiritus sancti processione, asserunt eum de Patre per Filium procedere. Sed hoc quomodo intelligi possit, non uidetur, præsertim cum nusquam legant unde hoc aperte probare queant. Nam si hoc sibi suffragari existimant, quod legimus de Deo: *Quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, ut ex quo sunt omnia sit Pater, & per quem Filius, & in quo Spiritus sanctus: & inter omnia, quæ sunt per Filium Spiritus sanctus accipitur. Hoc quidem quod ex Patre sint omnia, & per Filium, & in Spiritu sancto: sine scrupulo accipimus: illud uero quod Spiritus sanctus sit inter omnia, quæ sic esse dicit Apostolus, nimis est scrupulosum asserere. Impossibile namque est unam quamlibet de illis tribus personis inter illa omnia claudere, & duas alias excludere. Quod si Pater & Filius sunt inter omnia, quæ sunt ex Patre, & per Filium, & in Spiritu sancto: uideat mens rationalis quanta sequatur confusio. Cum ergo dicat Apostolus: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: intelligere debemus sine dubio omnia creata à Deo, quæ ita sunt *ex ipso, & per ipsum, & in ipso*: sicut aliud ex alio, & per aliud, & in alio. Quicquid enim factum est, non est idem Deo, sed ab illo aliud. Spiritus autem sanctus non est aliud, sed idem ipsum quod Pater & Filius, utique nihil aliud intelligi potest, quo ostendi possit Spiritum sanctum per filium de patre (sicut aiunt) procedere. Cum enim Pater & Filius non differant in unitate Deitatis: nec Spiritus sanctus procedat de Patre nisi de Deitate: si eadem Deitas est Filij: nequit intelligi quomodo procedat de Deitate Patris per Deitatem Filij, & non de eiusdem Filij Deitate nisi forte quis dicat Spiritum sanctum non procedere de Deitate Patris: sed de paternitate. nec per Deitatem Filij, sed per filiationem: quæ opinio sua se parenti fatuitate suffocat. Quod si dicit: quia cum dico illum procedere de Deitate Patris & Filij: non possumus Deitatem Spiritus sancti ab hac Patris & Filij deitate separare: quoniam una & eadem est deitas trium: & ideo sequi: si de deitate Patris & Filij procedit de sua

C
Ibidem.

Matth. 11.

D

C

D

A de sua quoque eum procedere : & ob hoc Spiritum sanctum de seipso procedere. Ad hoc iam supra me sufficienter memini respondisse: quia nulla persona ex seipsa esse potest: nam sicut Filius cum est de Patris essentia quamuis non sit alia, sed eadem filij essentia quæ est patris, non tamen est de seipso, sed de Patre solo. ita Spiritus sanctus cum est de essentia Patris & Filij, quæ est eadem illi, non tamen est de seipso, sed tantummodo de Patre & Filio. Dicent: Cur non similiter dicere possimus Spiritum sanctum de Patre per filium procedere, sicut dicimus à Patre omnia per verbum facta quod est Filius. Sicut enim cum Pater facit, per verbum suum, non facit per aliud quam per hoc quod ipse est, hoc est per essentialem potestatem: quæ est eadem verbi : & non dicitur tamen facere nisi per verbum. Cur non similiter dicimus Spiritum sanctum à Patre procedere per verbum, cum non procedat de patre nisi de hoc quod idem est illi cum filio, quamuis non ut creatura, sed ut id ipsum de eodem ipso? Videamus quid sequatur si hoc dicimus. Et pax sit inter nos. Nempe quæ facta sunt à Patre per verbum, facta sunt ab ipso verbo. Ipsam namque verbum dicit: *Quacumque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Dicamus igitur quia Spiritus sanctus cum procedit à Patre per Filium, procedit & à Filio similiter: sicut quæ facta sunt à Patre per verbum, facta sunt similiter ab ipso verbo: Nisi forte intelligunt Spiritum sanctum procedere de Patre per Filium: quemadmodum cum fons fluit in riuum, & riuus colligitur in lacum: dicitur lacus esse de fonte per riuum. Sed ibi non est riuus in fonte sed extra fontem: sicut est filius in patre & non extra patrem. Quare sic non est Spiritus sanctus de Patre per Filium, sicut est lacus de fonte per riuum. Si tamen sic est, negari nequit esse de filio: quamuis sit de Patre per Filium: sicut fatendum est lacum esse de riuo, quamuis sit de fonte per riuum. Qui enim negat lacum esse de riuo: quoniam prius est de fonte riuus: dicat se non esse de Patre suo, sed de Adam, quoniam per Patrem suum est de Adam. Dicat etiam Filium Virginis non esse de Maria, nec de Dauid, nec de Abraham: quoniam isti prius fuerunt de Adam, & dicat falsum esse quod dictum est Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ad Dauid: *De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam:* Et ad Mariam: *Benedictus fructus ventris tui.* Dicatque Christum non esse semen horum vel fructum, sed Adæ: quoniam isti ab illo descenderunt. Sed neque de Adam est Filius Virginis secundum hunc sensum: sed de limo, de quo factus est Adam. At inferent: Bene dicimus Spiritum sanctum non procedere de Filio: sed de Patre per Filium, quamuis sit de patre & de filio: sicut dicit lacum esse de fonte & de riuo. De processione namque verbo quæstio est inter nos, quam vos asseritis esse de Filio, nos negamus. Ecce enim videtis riuum de fonte procedere, quasi de originali principio. Lacus autem non procedit, sed colligitur de riuo: quamuis habeat esse de illo. Ita igitur & si Spiritus sanctus habeat esse de filio, non tamen procedere proprie dicitur de filio, sed de patre quasi de principio. Hoc forsitan diceretur rectè si Filius nascens de Patre procederet extra Patrem, & medio quodam spatio interueniente prius intelligeretur esse Spiritus sanctus de Patre quam de Filio, sicut riuus de fonte fluens extra fontem procedit, & quodam intervallo in lacum colligitur, & prius est lacus de fonte quam de riuo: & ideo est de fonte per riuum, non de riuo per fontem

C Verum cum Filius nascens de Patre non exeat extra Patrem, sed in ipso manens: nec loco, nec tempore, nec essentia diuersus sit à Patre; & cum vnum sit idemque Patri & Filio id unde procedit Spiritus sanctus, nec intelligi potest, nec dici debet Spiritum sanctum procedere de Patre & non de Filio. Non ergo videtur qua ratione dicatur Spiritus sanctus non procedere de Filio, sed de Patre per Filium: cum etiam si per Filium nequeat non de Filio. Si quis tamen vult dicere filium de patre procedere magis proprie quam Spiritum sanctum de Filio: quamuis Spiritus sanctus de illo sit sicut riuus: magis illi videtur procedere de fonte quam lacus de riuo, non concedat Spiritum sanctum procedere de Filio, de quo habet esse sicut lacus de riuo. Nos non negamus nascentem aliquo modo procedere de illo de quo nascitur: & Spiritum sanctum asserimus suo modo non quasi de duobus fontibus, sed verè de vno fonte procedere: ita tamen ut nomen natiuitatis, nec processio filij amittat, nec Spiritus sancti processio recipiat. Non est igitur cur magis dici debeat filius procedere de patre quam Spiritus sanctus de filio.

D Illigentius consideremus quomodo lacus sit de fonte, pariter & de riuo: ut per hoc sicut per temporale & locale aliquid potest intelligi quod æternum est, cognoscamus Spiritum sanctum esse de Patre & Filio. Multa enim in horum consideratione, sicut in Epistola ad venerabilis memoriam Urbanum de incarnatione verbi scripti, inueniuntur, quæ vni Deo & tribus personis per quandam similitudinem aptantur. Constat enim quod vna eademque aqua est quæ & fons & riuus & lacus dicitur: non tres aquæ, quamuis tres sint, fons, riuus, & lacus. Discernamus itaque inter fontem, riuum, & lacum, & videamus quomodo singulari hæc cum tria sint in vna intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abyso ascendens ebullit: in riuo de fonte descendens fluit, in lacum colligitur & manet. Per fontem ergo intelligitur aqua de abyso ebulliens per riuum: quia de fonte fluit in lacum: quia simul ibi coadunatur. Videmus autem quia riuus non est de hoc unde aqua fons dicitur: sed de hoc quod est, id est, de aqua, nec lacus est de hoc unde aqua dicitur fons aut riuus: sed de ipsa aqua quæ vna & eadem est in fonte & riuo. Non ergo de hoc unde differunt fons & riuus, sed de hoc in quo vnum sunt lacus existit. Si ergo non magis fons est hoc unde lacus est quam riuus: nequit intelligi lacus magis esse de fonte quam de riuo. Si itaque cum dicitur: Deus Pater aut Filius aut Spiritus sanctus vna in tribus intelligitur essentia & vnus Deus: quod nomen est ipsius significatum essentia: sed in Patre intelligitur gignens: in Filio genitus: & in Spiritu sancto singulari quodam & ineffabili modo procedens. Quemadmodum igitur lacus non est de hoc unde dicitur fons & riuus: sed de aqua in vnum sunt: ita Spiritus sanctus non est de hoc unde alij sunt ab inuicem Pater & Filius, sed de diuina essentia in qua vnum sunt. Si ergo non magis est Pater hoc unde Spiritus sanctus est quam Filius, intelligi nequit cur magis sit de Patre quam de Filio. Quod si dicunt non eum esse posse de duabus causis siue ex duobus principijs. Respondemus: quoniam sicut non credimus Spiritum sanctum esse de hoc unde duo sunt Pater & Filius: sed de hoc in quo vnum sunt: ita non dicimus duo eius principia sed vnum principium: Quippe cum dicimus, Deum principium creaturæ, intelligi-

Ioan. 15.

Matth. 10.

Matth. 10.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

A intelligitur Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum principium non tria principia, sicut unum Creatorem non tres Creatores, quamuis tres sint Pater & Filius & Spiritus sanctus, quoniam per hoc in quo unum sunt: non per hoc in quo tres sunt, est Pater aut Filius aut Spiritus sanctus principium siue Creator. Sicut igitur quamuis Pater sit principium & Filius sit principium: & Spiritus sanctus sit principium: non tamen sunt tria principia sed unum, ita cum Spiritus sanctus dicitur esse de Patre & de Filio, non est de duobus principiis, sed de vno quod est Pater & Filius, si tamen dici debet Deus habere principium aut causam. Principium namque videtur non nisi rei incipientis esse, & causa non nisi effectus alicuius, & Spiritus sanctus nunquam incipit esse nec est effectus alicuius. Quod enim incipit esse: proficit de non esse ad esse. Et nomen effectus rei quae sit aptari videtur proprie. Quomodo tamen verum est filium esse de Patre: & Spiritum sanctum de Patre & Filio, si suo quodam & ineffabili modo intelligitur? quoniam aliter proferri nequit, dici non incongrue potest Pater quodammodo principium Filij: & Pater & Filius principium Spiritus sancti. Nec tamen duo contemur principia, unum Patrem ad Filium, alterum Patrem & Filium ad Spiritum sanctum. Sicut non credimus alium Deum Patrem de quo est Filius, & alium Deum Patrem & Filium de quo est Spiritus sanctus: quamuis de eodem Deo siue de eodem principio suo quisque modo sit: alter scilicet nascendo, alter procedendo: sed quodam singulari & ineffabili modo intelligitur ista processio. Processio namque multis modis dicitur, de quibus iste solitarius intelligitur: sicut natiuitas filij singularis cognoscitur. Id ipsum intelligitur si dicimus esse causam filij, & Patrem & Filium causam Spiritus sancti. Non enim duas possumus dicere causas: aliam videlicet filij: aliam Spiritus sancti, sed vnam, quemadmodum non duo Dii sunt sed vnus Deus, de quo est Filius & Spiritus sanctus.

B

Sicut autem quaeritur, cum Dominus dixit: *Cum venerit paracletus Spiritus veritatis, qui a Patre procedit: cur non addidit, & a Filio, vel a me, si sic voluit intelligi? Non est hoc inusitatum in dictis illius, ut cum attribuit aliquid Patri quasi soli, vel sibi vel Spiritui sancto, vel in alijs intelligi quod de vno loquitur. Nam cum dicit: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelavit tibi: sed Pater meus, qui in caelis est. Nonne ipse Filius & Spiritus Sanctus intelligendus est reuelasse cum Patre. Quoniam enim Pater non reuelat per hoc, quia Pater est, sed per hoc, quia Deus est, & idem Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Sequitur: *Vt quod reuelat Pater, reuelat Filius, & Spiritus sanctus. Item cum dicit: *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi Filius: & cui voluerit Filius reuelare: quasi solus Filius cognoscit & reuelat Patrem, & solus Pater cognoscit Filium, intelligendum est ibi reuelare & nosse tribus personis esse commune: quoniam non per hoc quod alij sunt ab inuicem, sed per hoc, quod unum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus cognoscunt & reuelant. Cum enim dicit Patrem nosse Filium, & Filium nosse Patrem, & reuelare se & Patrem, aperte vult intelligi: quia Pater cognoscit Spiritum sanctum, & Filius noscit & reuelat Spiritum sanctum, quoniam id ipsum quod est Pater & Filius est & Spiritus sanctus. Similiter cum dicit: *Qui me videt, videt & Patrem, non est separandus Spiritus sanctus: quoniam qui videt hoc*****

Ioan. 15.

Matth. 10.

Matth. 10.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

unde unum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, non potest videre unum de his tribus sine alijs duobus. De Spiritu sancto quoque dicit ad Apostolos: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, quasi solus Spiritus sanctus doceat omnem veritatem: cum nec sine Patre, nec sine Filio doceat omnem veritatem. Non enim per hoc, quia est Spiritus alicuius scilicet Patris & Filij & Spiritus, sed per hoc, quod unum est cum Patre & Filio, id est, per hoc quod Deus est, docet omnem veritatem. Videtis igitur quomodo in his quae posui vni quasi soli attribui, ab alijs non possit personis separari. Multa huiusmodi in sacra scriptura legimus: ut quod de vna persona singulariter dicitur indifferenter de tribus intelligatur. Quicquid enim de vna persona pronuntiat: de alijs pariter oportet intelligi: nisi cum de hoc vnde alia sunt: ut dixi, ab inuicem obuiare cognoscitur. Quapropter cum credimus Spiritum sanctum de Patre procedere: quoniam Deus de Deo, id est, essentia Spiritus sancti de essentia Patris quae vna est, tribus esse intelligitur, necesse est ut de Filio eum similiter esse contemur si filius non est de illo, de hoc enim est Spiritus S. quod est Filius & quod est Pater.*

Sed dicit aliquis: ideo intelligimus Filium & Spiritum sanctum reuelare quod solus Pater reuelare dicitur: & Patrem & Spiritum sanctum reuelare & nosse quod solus Filius facere dicitur: & Patrem & Filium docere quod solus Spiritus sanctus doctum ire promittitur: quia quod de vno solo in vno loco legitur, de alijs alibi aperte significatur. Cum vero dicit Spiritum sanctum de Patre procedere, non legimus alicubi eum de Filio procedere. Per quod monemur, non nostro sensu quod nusquam dictum est asserere. Ad quod respondemus, quia potius docemur per haec quae sic dicta sunt, ea quae in similibus dictis tacentur, similiter intelligere, praesertim cum ex his quae dicuntur nulla ratione contradicente, ea quae non dicuntur rationabili necessitate consequi apertissime videmus. Cum enim dicit Dominus ad Patrem: *Hac est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. An ideo debemus separare ab hac salubri & vitali cognitione Spiritum sanctum, quia nusquam legitur? *Hac est autem vita aeterna, ut cognoscant Patrem solum verum Deum, & Spiritum sanctum? Aut, *hac est vita aeterna, ut cognoscant Filium solum verum Deum & Spiritum sanctum? Aut cum legimus: *Quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, dicemus Spiritum sanctum non habere a Patre, a quo est ut habeat in semetipso vitam, sicut habet Pater & Filius, quoniam hoc nusquam dicit Filius de Spiritu sancto, sicut de seipso. Item cum dicit: *Pater in me est, & ego in Patre: & qui videt me, videt & Patrem, an negabimus Spiritum sanctum esse in Patre, & Filio, & Patrem & Filium esse in Spiritu sancto? Aut eum qui videt Filium videre Spiritum sanctum sicut videt Patrem, si haec non eadem pronuntiatione leguntur: quae de Patre & Filio proferuntur: immo quoniam vnus idemque Deus est Pater & Filius & Spiritus sanctus. Cum dicitur cognoscere solum verum Deum Patrem & Filium esse vitam aeternam, inseparabiliter intelligendus est in illa cognitione Spiritus sancti. Et cum legimus: *Quia sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit Filio habere vitam in semetipso non debemus vitam eandem existimare alienam a Spiritu sancto, aut quod illam non a se-******

Ioan. 17.

Ioan. 14.

MM

metipso

A metipso habeat. Et cum audimus: *Pater in me est, & ego in Patre, & qui me videt, videt & Patrem*: cognoscere debemus per hæc, quæ ita dicuntur: quia Spiritus sanctus non est extra Patrem & Filium, aut Pater & Filius extra Spiritum sanctum: quia per visionem filij videtur Spiritus sanctus sicut & Pater. Sicut enim non est alius Deus Pater alius Deus Filius, alius Deus Spiritus sanctus. sic non habet Deus in seipso aliud quam Deum. non est Deus extra Deum: nec Deus dissimilis Deo. Denique non legimus in Propheta aut Evangelista aut Apostolo his verbis. Deum unum esse tres personas, aut unum Deum esse Trinitatem. aut Deum de Deo. Sed neque illo Symbolo in quo non est prolata processio Spiritus sancti de Filio inuenimus nomen Trinitatis. Quomodo autem ex his quæ legimus hæc apertissime sequuntur: constanter ea & corde credimus & ore confitemur. Quare non tantum suscipere cum certitudine debemus quæ in sacra scriptura leguntur: sed etiam ea quæ ex his nulla alia contradicente ratione rationabili necessitate sequuntur.

Quamuis quæ supra iam dicta sunt sufficere possint, adhuc tamen aliquid addam: vnde Spiritus sanctus cognoscatur esse de Filio. Confitentur Græci nobiscum Spiritum sanctum esse Spiritum Dei. & Spiritum Patris. & Spiritum Filij. Quæro itaque si eodem modo intelligitur esse illum Spiritum Dei, & Spiritum Patris, & Spiritum Filij, aut dissimiliter? Certum est autem: quia non dicitur Spiritus Dei sicut possessio, ut cum dicitur, æquus alicuius vel domus. Maior enim est qui possidet quam quod possidetur. Deus autem non est maior Spiritu sancto: quia Spiritus sanctus est Deus, nec Deus est maior Deo.

B Neque dicitur Spiritus Dei ut membrum Dei, sicut manus vel pes hominis. non enim Deus habet membrum aut partem ullam. Quomodo ergo intelligendus est Spiritus esse Dei: nisi hoc quod est ex Deo est? Non autem significat aliud nomen Patris quam Deum quod est Pater, aut relationem eius ad Filium ex qua nomen Patris habet: Similiter dicendum est de Filio. Quid namque intelligitur in nomine Filij, nisi Deus qui Filius est: aut relatio quæ refertur ad Patrem per quam Filius appellatur. Sed nullus sensus capit Spiritum sanctum, esse Spiritum Patris: aut Filij secundum quod alter est Pater: alter Filius, sed secundum quod uterque vnus idemque Deus est. Quare idem est intellectus cum dicitur: Spiritus sanctus Spiritus Dei: & Spiritus Patris: & Spiritus Filij, sed Spiritus Dei & Spiritus Patris dicitur: quia est & procedit de Deo & de Patre. Itaque est & procedit de Filio: quia eodem sensu Spiritus Filij dicitur. Nam cum dicitur Spiritus sanctus Spiritus Dei & Spiritus Domini: si non intelligimus ibi Spiritum Filij eo sensu quo Spiritum Patris: aut separabimus Filium à nomine Dei vel Domini: aut bifariam intelligetur Spiritus Dei: siue Spiritus Domini. Sed vnde hæc habent sensum: aut vbi legitur in sacra scriptura, quod similiter non intelligatur de Patre & de Filio: cum legimus Spiritum Dei & Spiritum Domini, aut quid inuenitur: vnde hoc non sequatur? Nam si dicunt cum dicitur: Spiritus Patris duobus modis intelligitur. Est enim Spiritus Patris quia est de Patre: & quia datur à Patre. Filius vero Patris non est nisi quia datur à Filio. Hoc est quod quæro vnde habeant. Et si dicunt quod in nulla autentica dictum est pagina: nec sequitur ex eo quod scriptum sit. Cur nos reprehendant:

cum dicimus Spiritum sanctum procedere de Filio? ideo quia hæc verba non legunt: cum ex his quæ legunt & credunt hoc ex necessitate sequi intelligimus. Iudicent quoque ipsi quid potius suscipiendum, sit quamuis in sacra pagina vtrumque taceatur, an hoc quod nos dicimus Spiritum sanctum procedere de Filio: quod ostendimus ex his consequi quæ veraciter credimus: an quod ipsi dicunt Spiritum sanctum aliter esse Patris: aliter esse Filij quod nec auctoritate nec ratione, nec ex his quæ certa sunt possunt ostendere: utique aut debent cessare ab hac sua sententia, si tamen hoc dicunt, ut audio quod Spiritus sanctus aliter est filij Spiritus quam Spiritus Patris, cum nusquam hoc legant: vel vnde hoc probent: aut saltem nos reprehendere non debent quod dicimus Spiritum sanctum procedere de Filio: quamuis his verbis non legamus, quoniam ex his quæ pariter credimus: hoc consequi monstramus. Sed si cessant ab hac sua assertione: credant pariter nobiscum Spiritum sanctum similiter esse Patris & Filij Spiritum & intelligent eum à Filio sicut à Patre procedere. Et si nos reprehendere desinunt: fateantur nobiscum hoc inde cognoscunt nos reprehendi nun debere.

Ad hoc autem quod nos reprehendunt in Symbolo illo quod pariter nos & illi suscipimus & tenemus addidisse Spiritum sanctum à Filio procedere: & quærent cur hoc factum sit, & quare hoc prius eorum Ecclesiæ monstratum non est: ut communiter consideraretur & communi consensu adderetur quod addendum erat. Ad hoc, inquam, responsum sufficiens habemus. Nam si quæritur cur factum sit: dicimus, quia necesse erat propter quosdam minus intelligentes qui non animaduertebant in illis quæ vnuerfa credit Ecclesia contineri, & ex his sequi Spiritum sanctum de Filio procedere: ne forte hoc credere dubitarent. Quod quam necessarium fuerit per illos qui hoc negant: quia in illo Symbolo positum non est cognoscimus. Quoniam igitur & necessitas cogebat & nulla ratio prohibebat: & vera fides hoc admittebat: fiducialiter asseruit latinitas quod credendum & confitendum esse cognoscebat. Scimus enim quod non omnia quæ credere & confiteri debemus ibi dicta sunt, nec illi qui Symbolum illud dictauerunt: voluerunt fidem Christianam esse contentam ea tantummodo credere & confiteri quæ ibi posuerunt. ut alia taceam: non ibi dicitur Dominus ad infernum descendisse, quod tamen pariter & nos & Græci credimus. Si autem dicunt nullo modo debuisse corrupti Symbolum tanta auctoritate firmatum: nos non iudicamus esse corruptionem vbi nihil addidimus quod his quæ ibi dicta sunt aduersetur. Et quamuis defendere possemus hæc adiectionem non esse corruptionem, si quis tamen hoc contentiosè voluerit asserere: respondemus nos illud non corrumpisse sed aliud nouum edidisse: illud secundum proprietatem Græci dictaminis translatum cum illis integrum seruamus & veneramur. Illud autem quo frequentius in populi audientia vtimur: Latino more dictatum cum additamento supra dicto edidimus. Quod autem quæritur quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu factum non est. Respondemus quia & nimis erat difficile Latinis eorum Episcopos ad consulendum de hac re colligere, nec erat necesse. Vnde non dubitabant in hoc quæstionem adducere. Quæ est enim Ecclesia quæ vel per amplitudinem vnus regni dilatatur, cui non liceat aliquid secundum rectam fidem

A fidem constituere quod in conuentu populi vtiliter legatur aut cantetur? Quotò ergo magis licuit Latinis hoc constanter proferre in quo omnes gentes & omnia regna quæ latinis vtuntur literis pariter concordant.

Colligamus breuiter quod supra pluribus rationibus effectum est. Constat inexpugnabili ratione Spiritum sanctum esse de Filio: sicuti est de Patre, nec tamen esse de duobus diuersis sed de vno. Ex eo enim quod Pater & Filius vnum sunt, id est, ex Deo, & est Spiritus sanctus non ex eo vnde alij sunt ab inuicem, sed quoniam Deus de quo est Spiritus sanctus est Pater & Filius: idcirco verè dicitur esse de Patre & Filio qui duo sunt. Et quoniam Pater non est prior aut posterior Filio: aut maior aut minor, nec alter magis aut minus est Deus quàm alter: non est Spiritus sanctus prius de Patre quàm de Filio, nec de Filio quàm de Patre, nec maior nec minor est existens de Patre quàm existens de Filio, nec magis nec minus est de vno quàm de altero. Nam de altero si prior aut posterior, vel maior vel minor: aut magis, aut minus de vno esset quàm de altero: ex necessitate sequeretur, vt aut Spiritus sanctus non esset de hoc in quo vnum sunt Pater & Filius, aut ipsum vnum non esset perfectè & simpliciter vnum: sed esset ibi aliqua diuersitas de qua illa quam dixi in existendo de eodem vno Spiritu sancto esset varietas. Sed dici non potest quod Spiritus sanctus non sit de hoc in quo vnum sunt Pater & Filius, alioquin non esset de Deo. Nec credi debet quod in ipso vno sit secundum quod est aliqua diuersitas. Quare nec prius nec post, nec maior aut minor, nec magis aut minus est Spiritus sanctus de Patre quàm de Filio, aut de Filio quàm de Patre. Non enim vnus idemque Spiritus sanctus qui simul est totus de Deo toto: magis aut minus potest esse de vno & summo simplici Deo. Quod si dicitur: quia Spiritus sanctus principaliter est de Patre: quasi magis sit de Patre quàm de Filio. Non ita dicendum est vt intelligatur vlla prædictarum varietatum inesse, sed quoniam Filius hoc quod est de Patre habet: idcirco hoc ipsum quod Spiritus sanctus est de Filio habere de Patre: de quo habet esse non inconuenienter asseritur. Quoniam tamen sic habet esse de Patre & omnino id ipsum sit quod Pater: & vnus idemque Deus. Sicut solus & simplex Deus non potest esse maior vel minor seipso, nec prior nec posterior, nec aliquid in se habet diuersum, sic Filius nec prior nec posterior, nec maior nec minor est Patre, nec habet aliquid in se diuersum ab eo: sed sicut habet ab illo perfectè esse: ita habet per omnia ab eodem æquale illi & simile, immo id ipsum esse. Quapropter sicut Pater non est magis Deus quàm Filius: quamuis Filius habebat esse de Patre: ita non est magis Spiritus sanctus de Patre quàm de Filio: licet Filius à Patre habeat: vt de illo sit Spiritus sanctus. In eo enim in quo est vnus idemque cum Patre, id est, in eo quod Deus est, nec est alius ille & alius Pater, neque dissimiliter sunt id quod sunt, sed in eo quod ille est Pater, iste Filius, alius est ille, & alius est iste. Et sicut Filius non est alius Deus quàm Pater: ita secundum quod Deus est non habet aliquid ab alio quàm à seipso. Nam cum dicimus Deum de Deo: Filium de Patre non alium intelligimus Deum de Deo alio, sed eundem ipsum Deum de eodem ipso Deo quamuis dicamus alium de alio, Filium scilicet de Patre. Sicut enim supra dictum est: quemadmodum

D. ANSELMI TOMVS III.

C Deus secundum nomen significans vnitatem, nullam recipit diuersitatem, ita secundum nomina significantia Deum esse de Deo, necessariò admittit pluralitatem. Si ergo dicitur quod Spiritus sanctus principaliter à Patre sit, non aliud significatur quàm quia ipse Filius de quo est Spiritus sanctus à Patre habet hoc ipsum vt Spiritus sanctus sit de illo: quoniam id quod est habet à Patre. Non quemadmodum in rebus creatis cum aliquid asserimus esse: principaliter volumus significare quod magis sit hoc quod dicitur esse principaliter, quàm illud ad quod refertur.

VT cum dispensator alicuius Domini eius præcepto pascit familiam domus, Dominus principaliter & magis eam pascere rectè dicitur quàm dispensator. Nam omnia quæ sunt Domini sunt dispensatoris æqualiter: sicut ea quæ sunt Patris Filij quoque sunt non inæqualiter. Quæret forsitan aliquis & mirabitur dicens: Quomodo potest intelligi vt habeat aliquid esse de aliquo & non sit aliquo modo id de quo est principaliter & dignius: & hoc quod ex eo est quodammodo minus & quasi secundarium: præsertim cum id quod est de aliquo videatur indigere vt sit ex eo de quo est: illud verò de quo est nequaquam egeat eo, quod de se est. Ad quod respondendum, quia sicut essentia Dei valde diuersa & aliena est à creata essentia: ita cum dicimus Deum de Deo existere nascendo vel procedendo: longè aliter intelligenda est ista natiuitas siue processio: quàm cum dicimus in alijs rebus aliquid nasci vel procedere. Ibi enim nihil est: aut natura aut tempore: aut in aliquo prius aut posterior, magis aut minus, aut aliqua ratione aliquo indigens: sed totum quod est: non tamen æquale vel simile sibi & coeternum quàm idem sibi ipsi & per se sibi ipsi omnino sufficiens, nec nascitur vel procedit ibi aliquid quasi de nò esse proficiens ad esse. Sicut igitur intellectus noster nò potest transire vltra æternitatem, vt quasi de principio eius iudicet: sic non potest de hac natiuitate vel processione, nec debet ad similitudinem creature sentire vel iudicare. Sed quoniam & quod nascitur & quod procedit: non est aliud nisi id de quo est nascens vel procedens, quod est solus & vnus Deus, sicut idem Deus non est seipso maior vel minor: ita in tribus: hoc est in Patri & Filio & Spiritu sancto non est aliquid maius vel minus, nec est alius alio hoc quod est maius vel minus: quamuis verum sit quid Deus est de Deo nascendo & procedendo. Ecce videmus quanta veritate & quanta necessitate sequatur Spiritum sanctum de Filio procedere. Quod si verum non est, aut aliquid eorum ex quibus hoc diximus consequi: falsum est quod contra Christianam fidem quam cum Græcis tenemus aut non consequenter conclusimus quod ostendi nequit. Quare si verum non est, fides Christiana destruitur. Palam etiam est intelligenti si falsum esse ponitur: quia nulla inde veritas nascitur. Consideremus quoque quid eueniat cum pro verò asseritur. Vtique si verum est Spiritum sanctum procedere à Filio sicut à Patre: sequitur quia Filij Spiritus est sicut Patris: & mittitur & datur à Filio sicut à Patre, quod diuina docet auctoritas: & nulla penitus sequitur falsitas. Cum autem processio Spiritus sancti à Filio negata tantam inducat falsitatem vt illa ex quibus eam consequi monstrauimus destruat contra fidem Christianam: nec vllam generet veritatem: & asserta tantam probet veritatem: sicut ostendimus,

MM a nec

A nec ullam vllatenus secum trahat falsitatem: cogitet cor rationale qua ratione illam excludat à fide Christiana. Denique si error est hanc credere de filio spiritus sancti processionem: ipsa diuina auctoritas nos in errorem inducit: cum & illa ex quibus hæc sequitur processio: & quæ illam sequitur nos docet, nec alicubi, aut illam negat, aut quod illi repugnet aliquo modo pronuntiat auctoritas: Si ergo opponitur: quia nusquam eam profert diuina auctoritas: ideo non esse dicenda. Dicatur similiter: quia nusquam illam negat, nec aliquid dicit, quod repugnet non esse negandam. Dicimus etiam: quia satis illam affirmat cum illa asserit vnde probatur: & nullo modo aliquid significet vnde negetur.

Patet ergo sicut supra premisi præter hoc: quia Filius existit nascendo & spiritus sanctus procedendo. Hac quoque causa: quia scilicet spiritus sanctus est de filio. eos de inuicem non posse dici: & propter hoc solum filium non posse esse de spiritu sancto. Nam quoniam vt dictum est: aut Filius est de spiritu sancto: aut spiritus sanctus de filio. Si non esset spiritus sanctus de filio: sequeretur de spiritu sancto filium esse. Apparet itaque per supradictas rationes: quia Pater est Deus de quo Deus est, & non est Deus de Deo, & Filius est Deus de Deo, & Deus de quo est Deus, & spiritus sanctus Deus de Deo: nec est Deus, de quo est Deus. Et quamuis de Patre sint duo, id est, Filius & spiritus sanctus, non tamen duo Dijs sunt de Patre, sed vnus est Deus qui est Filius & spiritus sanctus. Et licet duo sint de quo est Filius, & qui est de filio, id est, Pater & spiritus sanctus, non tamen sint duo Dijs: sed vnus Deus, qui est Pater & spiritus sanctus: quamquam spiritus sanctus sit de duobus, id est, de Patre & filio, non tamen de duobus est Dijs, sed de vno Deo, qui est Pater & Filius. Si autem Pater & Filius & spiritus sanctus bini considerentur liquet ex his quæ dicta sunt, quia necesse est alterum ex altero: aut esse quia ille non ex se est, aut non esse, quia ille est ex se. Nam si conferamus patrem & filium, videmus filium esse de Patre: quia Pater non est de illo, & Patrem non esse de filio, quia Filius est de Patre. Et similiter si consideremus conferendo Patrem & spiritum sanctum inuenimus spiritum sanctum esse de Patre, quia non est de illo Pater: & Patrem non esse de spiritu sancto: quia spiritus sanctus de illo est. Ita quoque si filius & spiritus sanctus quomodo sunt ad inuicem speculemur: intelligimus spiritum sanctum esse de filio, quia filius non est de illo: & filium non esse de spiritu sancto: quia spiritus sanctus est de filio. Apparet igitur quod supra dixi: quia relationes prædictæ licet sint in vno: non possunt vnitati immittere pluralitatem suam: nec vnitatis relationibus singularitatem suam. Porro sex sunt differentiæ Patris & Filij & spiritus sancti ex his nascentes nominibus, id est, habere Patrem & non habere Patrem, habere Filium & non habere Filium: habere spiritum sanctum de se procedentem, & non habere spiritum sanctum de se procedentem. Harum differentiarum singulus quisque habet vnam propriam qua differt ab alijs duobus: & duas ita communes & proprias, vt qua communicat vni, ea differat ab altero. Pater namque habet filium solus quo differt ab alijs duobus: habet spiritum sanctum procedentem de se quod commune est illi cum filio, & quo differt à spiritu sancto. Patrem autem non habet sicut nec spiritus sanctus, & in hoc differt à

G Filio. Filius solus habet Patrem: in quo differt à Patre & spiritu sancto. Et illi commune cum Patre sicut dictum est: quia procedit de illo spiritus sanctus vnde ab eodem spiritu sancto diuisus est: caret autem filio sicut spiritus sanctus: vnde discrepat à Patre. Spiritus sanctus solus est de quo alius non procedit. Commune est illi cum Patre vt dixi, non habere Patrem in quo dissimilis est filio. Cum filio quoque est illi commune vt iam monstratum est non habere filium: vnde patri non concordat. Solus itaque pater est qui est de nullo, & de quo sunt alij duo. Solus contra spiritus sanctus est qui de duobus: & de quo nullus. Solus filius qui de vno, & de quo vnus. Est autem tribus commune ad duos habere relationem, pater enim ad filium & spiritum sanctum refertur: sicut ad illos qui de se sunt, filius ad patrem & ad spiritum sanctum quia est de patre, & spiritus sanctus de illo. Spiritus sanctus ad Patrem & filium: quia est de vtroque. Possidet ergo vnusquisque suas proprietates: quarum collectio in alio non est eadem ad similitudinem diuersarum hominum personarum. Per hoc enim hominum personæ diuersæ sunt ab inuicem: quia vnusquisque proprietatum collectio non est in alio eadem. Interest tamen aliquid. Nam in personis hominum si vna est persona: vnus est homo, & si vnus est homo: vna est persona. Item si plures sunt personæ: plures quoque sunt homines. Et si iste plures sunt: illæ & pluralitatem non effugiunt. In Deo verò quamuis tres personæ sint: vnus tamen est Deus: & licet sit vnus Deus, nequaquam tamen personæ pluralitatem amittunt. In hoc itaque quod relatiuè Deus ad Deum dicitur, sicut plures homines: personarum admittit pluralitatem & diuersitatem. In hoc verò quod per se, id est, in Deo: inseparabilem ad similitudinem vnus hominis seruat singularitatem; pluralitas namque humanarum personarum non est nisi in pluribus hominibus, nec vnus homo pluralitatem accipit personarum. Deus verò vnus est, tres personæ, & personæ tres vnus Deus. Hoc itaque modo: nec vnus nec diuersarum integrè seruat aliarum personarum proprietatem.

Cur autem ita sit: quamuis in præfata Epistola de incarnatione verbi, de hoc aliquantulum diximus breuiter tamen hic repetam. Sæpe fit vt plura conueniunt in vnum sub eodem nomine & eadem qualitate quam habebant singula antequam vnum fierent. Quippe si puncto punctum addimus sine interuallo, aut æqualem lineam inæquali lineæ, aut superficiem æqualem inæquali superficiem collocamus: non fit nisi vnus punctus, vna linea, vna superficies. In multis si quis voluerit querere, inueniet simile. Hoc itaque modo, quamuis non sint plures æternitates: si tamen dicitur æternitas in æternitate: non est nisi vna æternitas, & lumen in lumine vnum tantum lumen est. Eodem modo quæcunque de Dei dicuntur essentia: si in se replicentur: nec quantitatem augent, nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem Deus est æternitas: sicut extra æternitatem nihil est omnino: ita extra Deum penitus non est aliquid. Atque sicut æternitas non est nisi vna æternitas in æternitate: sic Deus in Deo vnus est solus Deus. Habemus autem ex vera fide Deum esse de Deo nascendo: & Deum de Deo procedendo. Sed quoniam non est aliquid extra Deum cum nascitur, Deus de Deo: vel cum procedit Deus de Deo, non erit nascens vel procedens extra Deum sed manet in Deo.

Quo

A Quoniam ergo Deus in Deo non est nisi vnus Deus cum nascitur Deus de Deo vnus solus est Deus gignens & genitus : cum procedit Deus de Deo : vnus tantummodo Deus est & procedens : & de Deo quo procedit. Vnde inuitabiliter sequitur: quoniam Deus nullas habet partes: sed totus est quicquid est: vnum eundemque & non aliud & aliud Deum totum esse patrem: totum esse filium, totum esse Spiritum sanctum. Quare Pater & filius & Spiritus sanctus per hoc: quia cum est Deus, in Deo non est nisi vnus Deus: seruant in Deitate ad similitudinem vnus hominis singularitatem. Per hoc verò: quia cum Deus est de Deo aut nascendo aut procedendo: non potest vnus, idemque esse qui est de aliquo, & de quo est secundum nomina has relationes significantia: tenent sicut diuersæ hominum personæ pluralitatem. Notandum tamen quia nec Deus est sine persona: nec persona sine Deo: & quia singulis personis attribuius aliquando propria singularum: aliquando vni quasi proprium, quod commune est alijs. Nam cum dicimus: solus pater est in tribus personis qui à nullo est. solus filius qui est de vno & de quo vnus: solus Spiritus sanctus de quo nullus est, singulas personas nominantes: singulis propria attribuius. Cum verò legimus: *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neq; Patrem quis nouit, nisi Filius. Et, Quæ sunt Dei nemo cognouit nisi Spiritus Dei*, quamuis videatur Scriptura quod de vna dicit persona negare de alijs: commune tamen est omnibus, quod singulis quasi proprium attribuit. Non enim ignorat Pater aut Filius seipsum, & quæ Dei sunt: neque Spiritus sanctus Patrem aut Filium. Cur autem & quando quod de vno quasi de solo dicitur: de alijs intelligatur, satis supradictum est.

B Hæc de processione Spiritus sancti alijs cogentibus: non de me sed de eodem Spiritu sancto confidens, pro latinis contra Græcos scribere: & ea occasione de vnitatis Deitatis, & de Trinitate personarum aliquid addere presumpsit: quamuis innumerabiles sint inter illos qui Latinis vtuntur literis qui hoc melius quam ego facere possint. Quicquid ergo dixi quod suscipiendum sit non mihi attribuatur: sed spiritui veritatis. Si autem aliquid protuli quod aliquatenus corrigendum sit: mihi imputetur: non sensui latinis.

Beati Anselmi de processione Spiritus sancti Epistola explicat.

B. ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS Liber,

DE SIMILITVDINIBVS.

De diuisione voluntatis.

Caput I.

Tripliciter intelligitur voluntas. Etenim dicitur illud anime instrumentum, quo vult. Et affectio eiusdem instrumenti: affectio verò, est affectio eiusdem instrumenti volendi. Hæc voluntas, quæ est affectio, est ad tempus quasi sopita, quia est eorum, quæ mens non memorat: sed mox, vt ea recolat, etiam instrumentum volendi appetit. Item voluntas dicitur velle, vel vsus ipsius instrumenti.

D. ANSELMI TOMVS III.

Similitudo inter mulierem & voluntatem.

Caput II.

Voluntas itaque, quæ est instrumentum volendi, sic est inter Deum & diabolum, quemodo mulier inter suum legitimum virum, & alium adulterum. Vir enim ei præcipit, vt sibi soli coniungatur, adulter verò persuadet, vt sibi copuletur. Si itaque se soli legitimo viro coniungat, legitima est, ipsaque filios legitimos generat: Si autem adultero se iunxerit, adultera est, & ipsa filios adulterinos parit. Similiter ergo Deus imperat voluntati, vt societur sibi soli: diabolus verò ex alia parte suggerit, vt coniungatur & sibi. Si itaque se soli Deo coniunxerit: id est, Spiritus sancti suggestionem, velut semen bonum receperit, fit eius coniunx legitima, filiosque legitimos generat, id est, virtutes & opera bona: Mox enim ad imperium eius omnes aperiuntur anime & corporis sensus ad implendum, quod præcepit Deus.

De sensibus anime.

Caput III.

Ipsa namque & aperitur ad virtutum affectionem, & ad volendum optanda: memoria verò, ad memorandum memoranda: cogitatio, ad cogitandum cogitanda: intellectus ad discernendum, quid sit volendum, vel memorandum, vel cogitandum. Animus quoque ad charitatem dirigitur, ad humilitatem disponitur, ad patientiam roboratur, & ad alias virtutes generandas aperitur.

De sensibus corporis.

Cap. IV.

Similiter & corporis sensus aperiuntur ad imperium eius: videlicet, Visus ad rectè videndum; Auditus, ad audiendum Dei verba, Gustus, ad gustanda: Oloratus, ad odoranda: Tactus, ad tangenda: Olfactus, ad olfacienda: Oculi quoque, ad vigilandum, & plorandum: Os ad bene loquendum: Manus, ad rectè operandum: Pedes, ad ambulandum, quo debent. Sicque vna sola voluntas, postquam Dei voluntati est iuncta, tot virtutes generat, & opera bona.

De obedientia. Cap. V.

Huius autem voluntatis affectio, siue vsus, obediens voluntas, vel obedientia dicitur: quia Dei voluntati obediens, eam habet aduocatum, si queratur, cur hoc vel illud velit. Quod si hæc voluntas, quæ dicitur instrumentum volendi, diabolo se iunxerit, eius recipiendo suggestionem, velut inordinatum semen, adultera mater effecta, filios adulterinos, id est, vitia & opera mala generat. Vniuersos enim hominis sensus claudens ad ea, quæ præcepit Deus, pandit ad ea, quæ iubet diabolus. Ipsa namque prius aperitur ad affectionem vitiorum, & ad ea volendum. ac deinde hominis sensus aperit, ad ipsa perpetranda.

De inobedientia, & propria voluntate.

Caput VI.

Huius verò affectio siue vsus, inobediens voluntas, vel inobedientia, vel propria voluntas dicitur. Propria quippe voluntas est, quæ Dei voluntatem sibi aduocatum habere non potest. Vt si queratur, cur hoc vel illud velit, respondere veraciter non valet, quia & Deus vult, vt hoc velit. Affectio autem siue vsus ille, ex diabolica nascens suggestionem, Dei voluntatem sibi aduocatum habere non potest: vtraque igitur voluntas indubitanter est propria. Vnde propria voluntas, quæ quia à

MM 3

Dei

A Dei voluntate porro priuatur, ob hæc rectè propria voluntas nominatur. *Hæc autem voluntas propria, superbia est illa, quam initium omnis peccati scriptura nuntiat.*

De superbia. Caput VII.

Superbia ideo vocatur, quia supra quam debeat graditur. Superbia namq; supergressio dicitur. Propria itaq; voluntas, quia Dei voluntati non subijcitur, sed supra eam extollitur, ob hoc rectè superbia dicitur. Ipsa quoq; omnis peccati est initiu, quia ex ea nascitur omne peccatum. Et quoniam homo illam habet à se, neq; voluntatem Dei: quam sequatur, vult habere super se, ipsi Deo aufert, quod propriè & singulariter debet habere.

Quod propria voluntas soli Deo conueniat.

Caput VIII.

Solus enim Deus, quicquid vult, debet velle propria voluntate, ita vt aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cū igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam. Sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Et sicut Regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei auferret sic homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriæ voluntatis priuilegium, habendo quod ille debet habere solum. Sed sicut propria voluntas Dei, fons est & origo totius boni; ita propria voluntas hominis, totius est exordium mali.

Similitudo inter propriam voluntatem, & fontem.

Caput IX.

Hæc est enim velut fons quidam, qui in tria capita diuiditur, è quibus riuus diuersi & innumerabiles deriuantur, qui in locis quibusdam ab inuicem separantur, à quibus verò duo & duo, vel plures pluribus coniunguntur. Ita quoque propria voluntas in genera tria diuiditur: è quibus vitia diuersa & sine numero nascuntur: quæ aliquando in homine sunt disiuicta, quandoq; verò duo vel plura coniuncta.

De tribus generibus propria voluntatis.

Caput X.

Propria namque voluntas, aut est in delectatione, aut in exaltatione, aut in curiositate.

De delectatione. Caput XI.

Delectationum genera, sunt duo principalia, vnum exterius, in sensibus quinque corporis, aliud interius, in animæ affectionibus.

De quinque corporis sensibus. Cap. XII.

Sunt autem corporis sensus quinque visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Qui ideo sensus dicuntur, quia per eos exteriora sentiuntur. Per visum enim formæ & colores: per auditum, soni; per gustum, sapores: per olfactum, odores; per tactum, dura vel mollia, calida vel frigida, aspera vel leua, gratia vel leuia sentiuntur. Horum autem sensuum delectatio rarò est bona, sepius verò mala. Bona etenim est, cū Dei voluntatem sibi aduocatam habet, mala verò, cū eam sibi aduocatam habere non potest.

De generibus delectationis malæ.

Caput XIII.

Huius autem delectationis malæ genera, sunt triginta & vnum: è quibus quinque sunt simplicia, decem duplicia, decem triplicia, alia, quinque quadruplicia, vnum verò ex quinque partibus constat.

De quinque simplicibus generibus. Caput IX.

Quinque itaq; sunt simplicia, quia pleriq; delectatur per se vnusquisq; quinque sensu. Aliquando enim, solus visus vanè delectatur: vt in conspiciendo & contemplando equos certatim concurrere: aut accipitres volantes, alias aues capere. Aliquando, solus auditus, vt cū hominem delectat, ad aurem suam diu nolam percutere, quia eam audit dulciter sonare. Aliquando, solus gustus: vt in comedendo mel immoderatè, non tamen visu delectabile. Aliquando, solus olfactus: vt cū aliquis defert feniculum naribus suis suspensum, vt sibi suauiter redoleat. Aliquando, solus tactus: vt cū aliquem immoderatè refectum contrectare oblectet ventrem suum.

De decem duplicibus. Caput XV.

Decem verò sunt duplicia; quia plerumque delectantur simul duo & duo iisdem sensus. Aliquando enim condelectantur visus & auditus: vt cū nimis delectando canes bestias insequi videntur, & clamare post ipsas audiuntur. Aliquando, visus & gustus: vt cum magna delectatione vinum limpidissimum conspicitur in saphyrino cypho, & bibitur. Aliquando, visus & olfactus, vt in videndo, simul & olfaciendo nimis rubentes rosas. Aliquando, visus & tactus, vt in conspiciendo & complanando aliquem murcipem album. Aliquando, auditus & gustus: vt cū aliquem sic bibere delectat, vt inter labia sua sonitum quendam pitissando faciat. Aliquando, auditus & olfactus, vt cū aliquem bibendi auiditate delectat atq; scultare mustum ebulliens applicata aure, & eius odore naribus attrahere. Aliquando, auditus & tactus: vt cū aliquem nimis delectat citharam resonantem audire, & eandem percutiendo tangere. Aliquando, gustus & olfactus, vt cū immoderatè eduntur galinæ, pipere & cymino diligenter conditæ. Aliquando, gustus & tactus, vt cum gulositate manduntur ficus maturæ, dulces ad edendum, & lenes & molles ad tangendum. Aliquando, olfactus & tactus: vt cum vnguento bene olenti quis vngitur.

De decem triplicibus. Cap. XVI.

Decem quoq; sūt triplicia: quia sepe terni, & terni delectatur corporis sensus supradicti. Aliquando enim condelectatur visus, auditus & gustus: vt cū nimis atidè collyridè eduntur, quæ quasi nix cæcidè videtur: spòteq; manibus vel detibus sic atteruntur, vt resonare audiatur. Aliquando visus, auditus & olfactus: vt cū aliquis in horto sic residet, vt virides herbas aspiciat, fabulas audiat, flores olfaciat. Aliquando visus, auditus & tactus: vt cū mulier speciosa delectationis causa conspicitur, luxuriosa loqui auditur, sed & intereat agitur. Aliquando visus, gustus, & olfactus: vt cū aliquis delectat inspicere vinu herbis cõfectu scintillare, bibere, & olfacere. Aliquando visus, gustus & tactus, vt cū aliquis est saturatus racemis: vinea tamè deabulata, vt quæ pulchrè racemi in ea depedeat, videat, & hos atque illos cõtractas degustat. Aliquando visus, olfactus, & tactus: vt cū quis diu nimis lilia conspiciat, olfaciat, & tangit. Aliquando auditus, gustus & olfactus: vt cū diuites delectat ceruos in syluis clamantes audire, & quorundam iã captorū carnes pipere conditas, interim edere. Aliquando auditus, gustus, & tactus: vt cū aliquis in balneo residet fabulas audit, edit, & bibit, atque tempore aque circū quaq; tangit. Aliquando auditus, olfactus, & tactus: vt cū aliquis cætilenas audit, dū in lecto mollibus strato quiescit, vbi & herbas vndiq; sparsas olfaciat. Aliquando gustus, olfactus, & tactus, vt cū nocte manduntur immoderatè poma sapidæ, odorifera, & mollia.

De

murcipem albam fellem intellige.

D

Κολυρίδες collyride torta panis dicuntur.

A

*De quinque quadruplicibus.**Cap. XVII.*

Quinq; verò quadruplicia sunt, quia plerumque quaterni delectantur simul, & quaterni. Aliquando enim delectantur simul, visus, gustus, auditus, & olfactus, vt cum in nuptijs ludi videntur, cantilenæ audiuntur, cibus & potus deliciofi sumuntur, eorumque odor sentitur. Aliquando auditus, gustus, olfactus, & tactus: vt cum in nocte nihil ibi videtur, quo delectatur visus, sed cum auditu, gustu, & olfactu delectatur tactus: vt cum sponsus sponsam amplectatur, aut alius ab alio libidinosè tangitur. Aliquando gustus, olfactus, tactus, & visus, vt cum ibi nihil delectabile auditui auditur; sed adsunt alia, quibus cæteri sensus, quisque suo modo delectatur. Aliquando olfactus, tactus, visus, & auditus; vt cum ibi nihil gustatur, sed flores illic asperfos delectat conuiuas olfacere, tangere; inspicere, diuersos musicorum sonos auscultare. Aliquando tactus, visus, auditus, & gustus: vt cum nihil habetur, quo delectetur olfactus; sed talia, quibus cæteri quatuor sensus delectentur.

*De ultimo genere delectationis mala.**Cap. XVIII.*

Vnum autem ex quinque partibus constat, quia quandoque delectantur simul hi omnes corporum sensus. Aliquando enim delectat hominem, domum interius ornatam conspiceret, ebriosos in ea decantantes audire; ibidem & vinum de cornibus deauratis potare; & flores per domum desperfos olfacere, ipsosque, vel cornua aurea, vel alia tactu, delectabilia contrectare. Tringinta itaque, & vnum genera sunt delectationis, ad quinque corporis sensus pertinentia: qui his tringinta & vno delectantur modis, ex quibus duplicia simplicibus sunt peiora, duplicibus triplicia, triplicibus quadruplicia, quadruplicibus illud quod ex quinque partibus constat. Quanto enim plures sensus in delectatione sociantur, tanto ipsa delectatio peioratur. Attamen aliquando peior est vnus, quam omnium simul delectatio.

Recapitulatio. Caput XIX.

Grauius est enim detractorem libenter audire, quam flores pulchros aspiceret, tangere, olfacere: interea bibere semel aut bis, plus quam est necesse, aliquodque verbum otiosum audire. Sed in eodem paribus peccatis, peius est plures quam pauciores sensus delectari. Peius est enim delectari visu & auditu inhonesti ioci, quam visu tantum, aut auditu tantum. Item peius est immoderatè delectari gustu & olfactu potus confecti, quam tantum gustu, aut tantum olfactu alicuius deliciofi cibi. Itaque, ex istis tringinta & vno generibus delectationis, alia sunt mala, alia peiora. Mala, in quibus pauciores delectantur sensus; aut si fuerint plures, oblectantur in leuioribus. Peiora, in quibus delectantur plures; aut si fuerint pauciores, in grauioribus delectantur. Tot igitur, & talia sunt genera delectationis, qua delectantur quinque sensus corporis.

De anime delectatione. Caput XX.

Ilius verò delectationis, qua delectatur anima, genera sunt multo plura. Quicquid enim exterioribus sensibus sentiunt, sentiendo animæ inuunt, quale sit illud, quod sentiunt. Vt cum qualitate rei representauerint sibi, & quod sentiebant sentire omiserint, delectat animam idem cogitare: & totidem modis, quot sibi sensus representauerunt.

Sicut enim sensus singulos, aut binos, aut ternos, aut quaternos, aut simul omnes delectat istud vel illud sentire, & animæ representare, ita & animæ delectat cogitare, quia sensus eisdem modis illud vel illud senserunt, sentiendoque sibi representauerunt. Illud quoque, quod sibi sensus nunquam representauerunt, quia nunquam senserunt; sed si sensissent, representare possent. Tot modis delectat animam cogitare, quot sibi sensus valent representare. Nunquam enim visus representauit ei domum auream totam, quia non vidit. Nec auditus sonum toto mundo diffusum, quia non audiuit: Nec gustus panem melle dulciorem, quia non gustauit. Nec olfactus vinum balsamo fragrantius, quia non olfacit. Nec tactus indumenta lanea lineis leniora, quia non tetigit. Nec alia multa ei representauerunt sensus, quia non senserunt; sed si sensissent, representare possent. Et tamen, aut hæc, aut alia huiusmodi inania, eam imaginari delectat, ac si sensus sensissent, eiq; singuli, aut bini, aut terni, aut quaterni, aut simul omnes representassent. Sunt & alia delectationis animæ genera, quæ nec sensus valent illi representare: nec ipsa potest per imaginationem cogitare, vt cum superbia delectatur, ne omni imaginatione. Hanc etenim sensus non valent illi representare: quia nec visus potest discernere, vtrum sit alba vel nigra; nec auditus, an sit sonora vel rauca, nec gustus an sit dulcis vel amara; nec olfactus, an sit redolens aut fetida; nec tactus, an sit mollis vel dura; lenis vel aspera, calida, vel frigida. Ipsa quoque anima non valet imaginari, vtrum superbia illa sit talis aut talis, quia est in exaltatione solius cogitationis. Multo igitur plura genera sunt delectationis, qua anima delectatur, quam illius, qua quinque corporis sensus delectantur. Quia & eadem delectat illam memorare, quæ illos sentire, & totidem modis, quot sibi representauerunt. Et alia imaginari, quæ sibi non representauerunt, quia nunquam senserunt; sed si sensissent, representare possent: Et quædam cogitare, quæ neque illi possunt sentire, neque ipsa per imaginationem cogitare, sed simpliciter sine omni imaginatione.

De generibus exaltationis. Cap. XXI.

Exaltationis autem genera sunt quindecim, & quibus quatuor sunt simplicia, sex duplicia, quatuor triplicia, vnum verò quadruplex.

De quatuor simplicibus. Cap. XXII.

Quatuor itaque sunt simplicia. Quia est exaltatio aliquando in sola opinione; vt si quis opinetur se esse dignum episcopatu, nec tamen velit fieri Episcopus. Aliquando, in sola voluntate; vt si velit fieri Episcopus, nec tamen opinetur se esse dignum Episcopatu. Aliquando in sola locutione; vt si iactet se esse dignum, nec tamen velit fieri sciens se esse indignum. Aliquando, in solo opere; vt si quis infimus, per ignorantiam affideat iuxta Regem.

De sex duplicibus. Cap. XXIII.

Sex sunt duplicia. Quia aliquando extollitur homo, in opinione simul & voluntate, vt cum prioratu aliquo se esse dignum æstimat; & hoc vult, vt Prior fiat. Aliquando, in opinione & locutione, & non in voluntate; vt cum aliquis aliquam non vult prælationem, quæ sibi offertur, & ex hoc ipse se extollens, meliorem se alijs arbitrat; & inde se iactat, ita tamen vt non auertatur. Aliquando, in opinione & opere: vt si aliquis se æstimat dignum sedere iuxta Episcopum, & alicubi

A per ignorantiam affideat ei. Aliquando, in voluntate & locutione; ut cum aliquis volens Episcopari, iactat se esse non indignum, licet sciat se esse indignum. Aliquando, in voluntate & opere; ut cum aliquis in conuiuio vult residere in superiori loco, & ibi se ingerit inuitante nullo, quamuis indignum se aestimet loco tam alto. Aliquando, in locutione & opere; ut cum praelatus aliquis aliquam in se fragilitatem videt, ob quam si honeste posset, ipsam praelationem desereret: & tamen in verbis & actibus suis, quandam extollentiam ostendit, aut ipsam eius fragilitatem quis animaduertat.

De quatuor triplicibus.

Cap. XXIV.

Quatuor autem sunt triplicia: Quia aliquando delectatur homo in opinione, & voluntate, & locutione: ut cum dignum se praelatione aestimat, & eam vult, & inde se iactat. Aliquando, in voluntate, locutione, & opere: ut cum ideo quia vult praelationem habere, fingit verbo, & opere, & actu, dignum se esse, quamuis sciat se indignum. Aliquando, in locutione, opere, & opinione; ut cum aliquis, licet iactet dignum se esse praelatione, & ea libentius agat, quibus dignus videatur esse, & hoc idem arbitretur de se, non vult tamen praelationem habere, ut sanctior iudicetur esse. Aliquando autem, in opere, opinione, & voluntate; ut cum praelatus subditos opprimit immoderate, ut suam praelationem, qua dignum se aestimat esse, quamdiu vult possidere, sine vlllo obstaculo habere possit.

De vno quadruplici.

Cap. XXV.

Vnum est quadruplex. Quia plerunque se homo attollit in opinione, voluntate, locutione, & opere: ut cum laude dignum se aestimat, & eam appetit: & ipse se laudat, & quaedam magna operatur, ut laudem acquirat. Quindecim itaque sunt extollentiae genera; quatuor simplicia, quae sunt mala: sed duplicia, quae sunt peiora; quatuor triplicia, quae sunt pessima: Vnum verò quadruplex, quod ceteris omnibus peius est: quanto enim in pluribus homo extollitur, tanto excellentia ipsa peioratur. Item sciendum, quia solius operis excellentia, quae semper est per ignorantiam, est mala: solius autem locutionis, peior: solius verò opinionis, pessima: solius autem voluntatis, omnibus alijs peior. Stultum est enim cum aliqua vilis persona per ignorantiam affidet iuxta dignam: sed stultius est, cum inde se iactat dignam: stultissimum verò, cum hac se aestimat dignam: multo autem stultius est, cum vult residere iuxta eam, cum sciat se inde esse indignam ea. Contra eam extollentiam, quae est in opere, ipse Dominus ait: *Luc. 24. Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco.* Contra eam verò, quae est in locutione, Salomon dicit: *Laudet te alienus, & non os tuum.* Contra eam, quae est in opinione, Apostolus ait: *Noli altum sapere, sed time.* Contra eam verò, quae est in voluntate, Dominus iterum dicit discipulis suis: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Contra omnia verò extollentiae genera. Item ipse dicit: *Luc. 14. & 18. Omnis, qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.*

De curiositate, & sedecim eius generibus.

Caput XXXVI.

Curiositas, est studium perscrutandi ea, quae scire nulla est utilitas. Huius autem sedecim

sunt genera: quibus quinque sunt simplicia, sex duplicia, quatuor triplicia, vnum verò quadruplex.

De quinque simplicibus.

Cap. XXVII.

Quinque itaque sunt simplicia. Quia aliquando, in sola cogitatione curiositas est: ut cum aliquis studiosè cogitat, quomodo alterius secretum scire valeat. Aliquando, in verbo; ut cum illud curiosè interrogat. Aliquando, in actu; ut cum circa illum deambulat, quasi aliud aliquid quaerat, si fortè quòd quaerit, in dicio aliquo cognoscere valeat. Aliquando, in visu; ut cum sollicitè considerat, quò ille intendat, quid agat; quomodo sedendo, stando, ambulando, vel aliquo alio modo se habeat. Aliquando, in auditu, ut cum attentè auscultat, quid ille de alio, vel alius de illo dicat.

De sex duplicibus.

Caput XXVIII.

Sex verò sunt duplicia. Quia aliquando, in verbo & actu; ut cum ei amicaliter loquitur, & interim ei aliquid operatur, ut cum sermonibus blandis, cum seruitio, quod ei facit, extorqueat ab eo, quod quaerit. Aliquando, in verbo & visu: ut cum alium rogat, ut eum secum aspiciat dicens: Putasne, iste ita vel ita ageret, nisi talis vel talis esset? Aliquando, in verbo & auditu: ut cum prope illum residet, & ad alium loquitur, qui ex alia sui parte sedet; & tamen attentè auscultat, quid ille posterius dicat. Aliquando, in actu & visu, ut cum aliquid agit, ne aduertatur, dum eum aspicit; sed credatur semper intendere operi, quod facit. Aliquando, in actu & auditu; ut cum ante eum vadit, & venit, auscultando ea, quae dicis. Aliquando, in visu & auditu; ut cum curiosè ea, quae agit, considerat: & studiosè, quae dicit, auscultat, ut per hoc secreta, quae quaerit, agnoscat.

De quatuor triplicibus. Caput XXIX.

Quatuor autem sunt triplicia. Quia aliquando est in verbo, actu, & visu, ut cum aliquis enumerat, & mensurat, & considerat, quantum sol & luna distent à terra, vel quam magna sint ipsa luminaria. Aliquando, in actu, visu, & auditu: ut cum aliquis se occultat causa videndi & audiendi aliquorum secreta. Aliquando, in visu, auditu, & verbo; ut cum aliquis iuxta vias sedet, ut videat transeuntes, audiat, & interroget rumoret. Aliquando, in auditu, verbo, & actu; ut cum causa audiendi & interrogandi futura, demonibus sacrificat.

De vno quadruplici. Caput XXX.

Vnum verò, est quadruplex. Quia aliquando est in visu, auditu, verbo, & actu; ut cum aliquis intuetur & auscultat quosdam, quos consiliari conspicit, & de quibus suspicatur aliquid mali; ut & consilium eorum quoquo modo agnoscere possit, accedens ad eos quaerit, an viderint aliquid, quod se circa eos perdidisse fingit, & interea inspiciendo & auscultando, circa eos quaerit, quod nusquam perdidit.

De octo & viginti generibus curiositatis.

Caput XXXI.

Item curiositatis genera sunt viginti & octo; quibus tria sunt simplicia, nouè duplicia, decem triplicia, quinque quadruplicia; vnum verò ex quinque partibus constat.

De tribus simplicibus.

Cap. XXXII.

TRia sunt simplicia. Quia aliquando curiositas est in solo gustu; vt cum defertur piscis alicui pisa comedenti, & priusquam ipsa consumpserit degustat, cuius saporis sit piscis. Aliquando, in olfactu; vt cum eum naso suo apponit, vt sciat cuius odoris sit. Aliquando, in tactu; vt cum aliquis pannum nouum videns, contrectat, solummodo vt sciat, vtrum sit asper vel leuis, grossus, an subtilis.

De nouem duplicibus.

Cap. XXXIII.

NOuem verò sunt duplicia. Quia aliquando est in gustu, & visu; vt cum quis degustat ferculum sibi appositum, antequam consumpserit primum: & interim considerat, si is, qui refidet iuxta eum, melius habeat ferculum. Aliquando, in gustu, & verbo, vt cum illud degustat, & an pipere conditum sit, interrogat. Aliquando, in gustu & olfactu; vt cum degustat, & olfacit. Aliquando, in gustu & tactu; vt cum gustu scire querit, an sit sapidum: & tactu, an sit calidum, frigidum, vel tepidum. Aliquando, in olfactu, & visu: vt cum aliquis, dum legit, herbam apud se incognitam inuenit, & à legendo cessans, eamque naso suo apponens, olfacit; deinde intuens, eam studet agnoscere, quæ sit. Aliquando, in olfactu & verbo: vt cum eam olfaciens, querit ab alio, quæ sit. Aliquando, in olfactu, & tactu; vt cum eam olfacit, & contrectat, vt sciat, vtrum sit mollis an dura, leuis vel aspera; quod totum non ideo facit, vt sibi necessaria sit: sed tantum, vt sciat, quæ vel qualis sit. Aliquando, in visu, & tactu; vt cum aliquis veniens ante mensam, vbi pransurus est, mox subleuata mappa, qua panis est coopertus, intuetur, an sit calidus; & eum contingit, vt sciat, an sit calidus. Aliquando, in verbo & tactu: vt cum eum non discooperit, sed interrogat, an calidus, vel ex quo tempore, coctus sit; & eum coopertum contingit, & premit, vt sciat, an sit calidus.

De decem triplicibus. Cap. XXXIV.

Decem vero sunt triplicia. Quia aliquando est in visu, & in verbo, & in gustu; vt cum alicubi quis residens, & ante se potum cypho deferri videns, statim affurgit; & intuens cuius coloris sit, querit etiam, quis potus sit; & degustat, an bonus sit. Aliquando, in visu, verbo, & olfactu; vt cum eum non degustat, sed olfacit; & interrogans considerat, qualis sit. Aliquando, in visu, verbo, & tactu; vt cum alicui comedenti defertur cibus inter duas scutellas; & antequam finierit, quod prius comedebat, scutellis apertis qualis ille sit cibus, considerat; & an bene sit coctus, inuestigat; & vt, cum contingit, an calidus, seu frigidus sit, agnoscit. Aliquando, in visu, & gustu, & olfactu; vt cum de eo nihil interrogat, nec eum contrectat; sed est curiosus eum videre, & eum degustat, & olfacit. Aliquando, in visu, & gustu, & tactu; vt cum de eo nihil inquirat, nec eum olfacit; sed curiositate videndi eum degustat, & contrectat causa, quam dixi. Aliquando, in visu, & olfactu, & tactu; vt cum de eo nihil inquirat, nec eum degustat, sed tantum intuetur, olfacit, atque contrectat. Aliquando, in verbo, & gustu, & olfactu; vt cum aliquis conuiuantibus superuenit, & an cibi & potus, quos habent, sint boni, requirit; & quosdam degustans, alios olfacit. Aliquando, in verbo, gustu, & tactu; vt cum non olfacit eos, sed panem contrectat; aut alios cibos: & gustando quoidam, querit

de alijs. Aliquando, in verbo, olfactu, & tactu; vt cum eos non degustat, sed olfacit, querit, & tractat. E contra aliquando, in gustu, olfactu, & tactu; vt cum de eis nihil interrogat, sed tamen degustat, olfacit, & contrectat.

De quinque quadruplicibus.

Caput XXXV.

Quinque verò sunt quadruplicia. Quia aliquando est in visu, & verbo, & gustu, & olfactu; vt cum aliquis deambulans in nundinis, has vel illas merces considerat, cuius hæc vel illæ precij sint, inuestigat uas, vel poma, vel alios fructus degustat, olfacit piper, vel cyminum, vel alia benevolentia; hoc totum ea tantum faciens de causa, vt sciat, quæ vel qualia sint ista vel illa. Aliquando, in visu, & verbo, & gustu, & tactu; vt cum supra dicta facit, excepto quod nihil ibi olfacit, sed merces contrectans, voluit & reuoluit. Aliquando, in visu, & verbo, & olfactu, & tactu: vt cum ibi nihil degustat, sed alia facit supradicta. Aliquando, in visu, & gustu, & olfactu, & tactu; vt cum non inquirat, cuius hæc vel illa sint precij, sed cætera, quæ diximus, facit. Aliquando, in verbo, & gustu, & olfactu, & tactu; vt cum non est curiosus videre ea, quia sæpius vidit talia, sed cætera facit supradicta.

De ultimo genere curiositatis.

Caput XXXVI.

Vnum verò ex partibus consistit quinque. Quia aliquando est in visu, & verbo, & gustu & olfactu, & tactu; vt cum curiosè, ad hæc vel ad illa, oculos conuertit; & cætera omnia, quæ supra diximus, facit. Quadraginta itaque; & quatuor curiositatis sunt genera; è quibus octo sunt simplicia, quindecim duplicia, quatuordecim triplicia, sex quadruplicia; vnum verò ex quinque partibus constat. Hæc autem tam multiplex curiositas, quam & exaltatio & delectatio (de quibus superius diximus) omnes ex propria voluntate nascuntur. Nisi enim homo prius haberit voluntatem delectandi, vel exaltandi, vel inuestigandi curiosè, quæ nulla sibi est utilitas scire, nunquam delectabitur, vel extolletur, vel curiosè inutilia scrutabitur; sed tamè horum vitiorum mala præcedit voluntas, sequuntur & ipsa, ita nascuntur ex ea, ex his verò alia omnia. Ex delectatione namque nascitur luxuria, adulterium, fornicatio, immunditia, ventris ingluuies, ebrietas, & alia huiusmodi vitia. De exaltatione verò, inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, & auaritia, & alia similia. De curiositate autem, inquietudo, susurratio, detractio, & cætera alia. Omnia verò in familia propriae voluntatis existant, & ex sese quædam exercitium magnum faciunt; illi voluntati, velut cuidam dominæ, obediunt.

Similitudo inter propriam voluntatem, & adulteram Reginam. Cap. XXXVII.

Propriam namque voluntas, est velut quædam adultera Regina, quæ se cuidam Regi adultero coniunxit, ex quo etiam tres filios habuit. In his verò tribus, tot alij filij & nepotes sunt geniti; itaque quoque multiplicati, vt numerari non possint: Omnes autem in familia illius Regis & Reginae consistunt, eorumque iussa quisque suo modo perficiunt. Rex autem cum Regina ista, cuidam alij Regi aduersatur, collectoque filiorum & nepotum exercitu, regnum illius aggressum prædatur. Hic autem exercitus, sic seruos illius Regis inuadit, vt aut plures, plures; aut vnus, vnum; aut plures

A plures, vnum; aut vnus, plures aggrediatur. Quosunque verò deuincere possunt, victos & abductos in carcerem trudent; exigentes ab eis, quātum nunquam persoluere possunt; sed omnibus affecti miseris, in carcere illo deficient. Hæc autem Regina, propria est voluntas omnium inobedientium Domina. Quæ ideo vocatur adultera, quia separatur à Deo, cui esse deberet coniuncta; & diabolo coniungitur, à quo deberet esse distincta. Ipse verò diabolus, idcirco Rex dicitur, & adulter, quia in hominibus regnans per voluntatem propriam, animabus eorum, Dei videlicet sponis, abutitur. Cui se postquam propria voluntas iunxerit, ex illius semine, id est, peruersa suggestione, tria principalia vitia, scilicet delectationem, extollentiam, curiositatem concipit; & per quinque corporis sensus, velut ea pariens, emittit. Ex his verò tribus, tot alia vitia nascuntur; sicque multiplicantur, vt absque numero habeantur. Omnia verò ex familia diaboli, propriæque voluntatis existunt; & ex seipsis, quandam admirandam multitudinem reddunt. Diabolus itaque propriæque voluntas, Deo Regi Regum aduersatur; & congregata vitiorum militia, regnum illius (scilicet hunc mundum) aggredientes, prædantur. Hæc autem familia, sic humanum genus inuadit; vt aut plura vitia, plures homines: aut vnum, vnum: aut plura, vnum; aut vnum plures, diuersis modis accipiant. Quemcunque verò superare possunt, mala consuetudine ligatum, in infernum detrudent. Vbi ab eo vnumquodque vitium exigit, quicquid vnquam per illud commisit. Quod quia nunquam persoluere poterit, nec ei miseria vnquam deerit.

B *Similitudo inter propriam voluntatem, & venenosam herbam. Cap. XXXVIII.*

Rursus propria voluntas, cuidam herbæ venosæ atque mortiferæ assimilatur, & comparatur: quam medicus quidam peritissimus progeniei cuiusdam, primis scilicet parentibus interdixit, comminatis eis, quia si ex ea comederent, leprosi effecti procul dubio interirent. At illi præceptis eius obedire noluerunt, sed ex eadem herba comederunt: vnde & leprosi effecti, leprosos quoque filios genuerunt; atque vt medicus eis comminatus fuerat, mortui sunt. Quorum filij, licet patres suos agnouerint herba illa infirmatos fuisse & mortuos, seque ipsos lepra percussos & mortuos: eandem tamen herbam super omnes alias diligunt, indeque cibos vniuersos suos condiunt. Mane surgentes ex eadem quasi pro medicamento accipiunt; sed & somnium sero capturi, similiter faciunt. Hi igitur quam sint dementes, omnis, qui audit, aduertere potest. Sed nec minus dementantur, qui propria voluntate vtuntur. Ipsa est etenim herba diaboli, venenosa suggestionem venenata, & omnibus ea vtentibus pestifera. Hanc Deus, qui nostris pie medetur peccatis, primis humani generis parentibus interdixit; cum eos comedere pomum, sub mortis comminatione, prohibuit. Qui, quia præceptum eius transgressi, ex eo comederunt, mox peccatores effecti, & in anima mortui, postquam alios peccatores genuerunt, & ipsi carne mortui sunt: Homines tamen eandem voluntatem præ cæteris diligunt, & eam immiscent omnibus pene, quæ agunt. Nihil itaque istis dementius, qui nihil vtuntur sua morte libentius.

Ostentio, quomodo propria voluntati omnia vitia militent seu deseruiant.

Caput XXXIX.

Hvic denique propriæ voluntati, postquam suam in homine sedem constituerit, alia vitiorum genera seruiunt, quasi milites terras tenentes; alia velut pro solidatis militantes. Ille etenim vitia, quasi terras tenentes, ei obediunt, quæ pro seipsis, in hominibus consistunt, vt adulterium. Qui enim adulteratur, hoc ea solùm facit de causa, quia eum vitium ipsum delectat. Illa verò seruiunt ei, velut militantes pro solidatis, quæ sunt in homine præ alijs vitijs: vt cupiditas pretiosarum vestium, pro gloria inani. Nemo enim pretiosas vestes, nisi ad inanem gloriam, quærit. Item vitium aliquando huic, aliquando illi vitio seruit; vt auaritia, aliquando ventris ingluuiei; aliquando exaltationi. Rursus, aliquando alterum alteri cedit, vt luxuria gloriæ inani. Aliquando enim luxuria repellitur, ne laus concupita perdatur. Omnia verò, siue hoc, siue illo modo, propriæ voluntati, diabolo quæ famulantur, è quibus in homine tribus modis pro creata nascuntur. Diaboli enim suggestionem, & carnis delectationem, spiritusque consensu, vnumquodque vitium consummatur.

Similitudo inter suggestionem, delectationem, consensum, & canem. Caput XL.

EX his igitur tribus (suggestionem videlicet, delectationem, & consensu) suggestio est velut canis ponderosus: delectatio, vt leuis & acer catulus: consensus autem, quasi canis fortis & immensus. Ponderosus etenim canis, cum quempiam iuxta se transeuntem audierit, semel vel bis post eum latrans, statim quiescit, si tamen ille viam suam in directum tenuerit. Si verò respiciens instigauerit eum, canis quoque latrans, licet non mordeat, insequitur eum. Catulus leuis & acer, instat acriter: & nisi citò percussus fuerit, acrius mordet. Fortis verò canis & immensus, & fortiter instat: & nisi magna vi obruatur, hominem strangulat. Quare ponderosus canis, non est respiciendus: catulus verò, mox reperiendus: canis verò immensus, viriliter obruendus. Similiter autem, si peccati suggestio animum pulsat, qui ab amore presentium tendit ad æterna, mox eum deserit, si intentionem suam tenuerit firmiter. Si autem ad eam attendens in se receperit, & cogitando quasi eam incitando reuoluerit, & ipsa sæpius eum infestat, quamuis non vulneret, dum est suggestio sola. Sed si diutius eam replicauerit, ponderosus canis, in catulum transit, id est, suggestio in delectationem, quæ acriter instat, & nisi citò reijciatur, animam vulnerat. Quare mox, vt venire cæperit, debet eam repellere anima sponsa Christi; cogitans, quia magna est ignominia illi, vt in eius conspectu appareat facta delectatione tam turpi. Nisi eum repulerit delectationem, catulus transit in immensum canem, id est, delectatio in consensum transit; qui arripens animam, eam, nisi magna vi obruatur, occidit. Sed mox, vt cæperit aduentare, debet cum anima magna vi obruere, id est, immenso terrore mortis æternæ in se destruere. Suggestioni ergo ne attendamus, delectationem mox reprimamus, consensum fortiter obruamus. Sicque cor nostrum studeamus custodire, vt neque vna superflua cogitatione, diabolus illud valeat violare.

Similitudo inter cor humanum, & molendinum.

Caput XLI.

COR etenim nostrum simile est molendino semper molenti, quod Dominus quidam, cuidam

A cūdam seruo suo custodiendum dedit: præcipiens ei, vt suam tantum annonam, videlicet frumentum, vel hordeum, vel etiam auenam, in ea molat, vt ex eodem, quod moluerit, ipse viuat. Verum illi seruo quidam inimicatur, qui huic molendino semper insidiatur; qui si quando illud vacuum intulerit, aut auenam ibi statim projicit, quæ illud dissipat; aut picem, quæ conglutinatur; aut aliquid, quod fædat: aut paleam, quæ tantum illud occupat. Seruus autem ille, si molendinum suum bene custodierit, Domini que sui tantum annonam in eo moluerit, munda ex eo farina egreditur, iuxta genus annonæ, quæ intus molitur. Ex eodem autem, quod moluerit, & Domino suo seruit, sibi que ipsi victum acquirit. Si verò inimicum suum violare molendinum suum permiserit, mala ex eo farina procedit: quia mala est annona, quam molit. Hæc autem farina, & vehementer displicet Domino illi, nec seruus ex ea sibi victum, sed famem conquirat. Hoc itaque molendinum, semper aliquid molens, cor est humanum, assidue aliquid cogitans. Hoc Deus vnique hominū seruandum tradidit; iubens vt in eo molat illos tantum cogitans, quos ipse suggerit. Quorum cogitatum, alij vt frumentum, alij vt hordeum, alij vt auena sunt. Puri quippe, vt frumentum sunt, quos anima replicat, cum in contemplatione posita, parè de Deo cogitat. Hi autem hordeo abundant, qui de virtute in virtutem, quasi per quosdam labores, ascendere meditantur. Hi etenim, licet sint boni, minus tamen superioribus sunt perfecti. Illi verò sunt vt auena, quibus homo intendit sua deserere vitia: boni namque sunt & isti, sed tamen imperfectiores prædictis. Hos itaque omnes vult Deus, vt homo toto corde reuoluat, & ex eisdem sibi victum æternum acquirat. Sed quia homini semper aduersatur diabolus, & semper insidiatur cordi illius, quod si aliquando vacuum bonis cogitationibus inuenerit, statim replet, si potest, malis. Harum autem malarum, aliæ cor dissipant, vt ira, & inuidiæ. Aliæ conglutinant, & coinquinant; vt gastrimargiæ, & luxuriæ. Aliæ tantum occupant; vt vanæ gloriæ non nimis nociuæ. Hic igitur homo, si cor suum bene custodierit, sanctosque cogitatus in eo reuoluerit; munda per os verba, velut per foramen molendini, emittuntur; mundus per oculos visus; mundus per aures auditus, mundus per os gustus; mundus per nares odoratus; mundus, per totum corpus tactus; secundum genera cogitationum mundarum, quæ intus voluntur. Ex his autem cogitationibus mundis, & Deo eas cogitando deseruit, & æternam sibi vitam acquirat: si verò diabolus cor suum corrumpere permiserit, mox vitia per sensus progrediuntur, iuxta genera cogitationum malarum, quæ intus voluntur. Hæc autem & Deo vehementer displicent: nec homo ex eis victum sibi acquirat, sed mortem. Cum enim ad finem quisque peruenit, quantum boni vel mali nunc moluerit, tantum ad vitam vel mortem sibi præparatum intenet. Verum sciendum, quia horum molentium, id est, in hac vita laborantium, tria genera sunt.

Similitudo inter molentes, & laborantes.

Caput XLII.

HÆc autem tria genera, velut tres sunt homines, de mane vique ad vespèram manu molentes. Horum itaque primus quicquid molit, in sacrum suscipit & abscondit. Alter verò par-

tem capit; partim in flumen negligentia cadere permittit, partem verò ventus rapit. Tertius autem quicquid molit, imperus fluminis secum tollit, vel ventus dissoluit. Veniente vespèra, quando à labore cessatur, & fructus laboris inquiritur, quid putas singulos habituros? Qui farinam totam reseruauit, totum laborem suum bene recognouit. Qui verò partem collegit, inde lætatus est, quod habuit; inde autem mæstus est, quod vento aut in flumine amisit. Qui verò totum amisit, eo tristior est. Flumen, pro seculi decursu accipitur: vento verò, gloria designatur inanis: molendinum, quod tota die molit, præsens labor huius seculi, qui à mane vsque ad vespèram nunquam finis. Mane nobis erat, quando nati fuimus; vespèra verò erit, quando per mortis debitum hinc transibimus. Tempus itaque præsens, diès est quo laborare debemus, vnde in vespèra viuamus. Et sicut mola circum circa ducta, ad eundem semper locum reuertitur, sic labor iste singulis annis more solito reuertitur. Modo namque aratur, seminatur, metitur, panificatur, comeditur, quod iterum ad idem reuertitur. In vespèra ergo, quando dicitur: *Voca operarios, & redde illis mercedem suam*, lætabuntur iusti, tota farina seruata, id est, vita sua. Alij verò, qui non eam totam seruauerunt, in hoc mæsti erunt, læti tamen, quod ex parte laboris sui Deum recognouerunt. Verum alij, qui omne tempus suum in vanitate ponunt; & quod faciunt, non ab humana laude abscondunt, quasi omne studium vite suæ in decursum fluminis projiciunt, farinamque suam vento committunt; vnde & in fine, pane vite æternæ carebunt: Væ illis.

Quod bonitas cuiusque fidelis, Deo & hominibus bonis sit utilis. *Cap. XLIII.*

EO diligentior ad studium bonitatis quilibet efficitur, quo fructus vberior inde prouenire probatur. Sciendum itaque est, quod bonitas cuiusque omni creaturæ est utilis & bona, exceptis demonibus & damnatis hominibus. Deo etiam, qui nullius est indigens, quadam ratione prodesse videtur. Hominibus est utilis: quando enim ex vite merito quis ad æternam beatitudinem peruenit, numerus electorum incrementum accipit. Qui quanto amplius creuerit, tanto minus æterna retributio expectanda erit. Nam cum numerus ille scilicet Sanctorum completus fuerit, retributio iustorum mox accipienda erit, tunc quidem in corporibus, quam iam habent in animabus. Si autem vnusquisque fidelis, mox vt hanc vitam deserit, corpore simul & anima æternam beatitudinem consequeretur, omnis, qui hoc videret, eius sequi sanctitatem compelleretur; itaque meritum fidei quodammodo videretur euacuari. Bonis itaque utilis est: his, qui cum Deo sunt, quia eorum meritum sua presentia auget; & illis, qui in presenti vita sunt, & adhuc futuri sunt, prodest; quia locum in illo cætu beatorum implet, qui nullo modo in fine vacuus esse potest. Facit etiam aliud; militiam peruersorum siquidem, exemplo suæ bonitatis refringit. Soli ac Lunæ bonus homo, ceterisque creaturis est utilis; quia in consummatione iustorum commutabitur in melius, quicquid est omnium creaturarum. Sol quippe, licet Propheta ait: *Septempleriter lucebit, vt lux septem dierum; & Luna erit, sicut Sol.* Aliæ creaturæ, licet pulchræ sint, mutabuntur in melius, cum illas Deus mutabit in statum exinde non

Matth. 20.

D

Esai. 30.

eqm-

A commutandum, Angelis quoque bonus homo utilis est, quia se omnibus illis amicum facit. Qui enim mihi amicum acquireret, qui me tanquam seipsum diligeret, & quem ego tanquam meipsum amarem, magnas ei gratias deberem. Quisquis ergo bonus studuerit esse, in bonorum amicitiam transibit, ita ut unumquemque tanquam seipsum amabit: & omnes eum eodem modo charum habebunt. Tantis enim amor, tantaque concordia inerat omnibus; ut omnes amici unius, sint amici & alterius. Qualiter autem bonus etiam Deo sit utilis, videamus. Omnipotens Deus, civitatem quandam magnam, & admodum spatiosam ad suam gloriam edificavit, quam speciosa civium multitudine replevit. Quorum nonnulli, cum propriam voluntatem potius elegerunt facere, quam sub voluntate & ordinatione Dei remanere, miserabiliter corruerunt; & domus & aedificia magna & spatiosa, ex parte vacua remanserunt. Ut igitur aliquis, qui urbem magnam fieri ordinasset, qui multa in ea palatia construxisset, multasque mansiones ad urbis aedificationem fecisset; sed habitatores non haberet, & omnes quoscunque potuisset, ad se inuitasset: Sic facit Dominus Deus: Omnes enim, ut ad se veniant, & ut sibi ad suae civitatis aedificationem subvenient, precatur, admonet, inuitat; bonas leges pollicens, pacem & securitatem promittens.

Commendatio superna Hierusalem.

Cap. XLIII.

Ibi namque Iura legum immobilia, optimae consuetudines; ibi ciues non ex timore alicuius suas occultant opes, imò gaudent, dum palam omnibus apparent. Nullus siquidem ibi incursus malorum, pestis nulla, violentia omnisque rapina procul inde remota. Praeterea locus amoenus, & magna dulcedine refectus; domus parata, si aedificia ampla, diversi generis mansiones. Unde & ipse Dominus: *In domo (ait) Patris mei mansiones multae sunt.* Et Propheta Baruch: *O Israel: quam magna est domus Dei, & quam ingens locus possessionis eius.* Magnus, & non habet consummatione, n. excelsus, & immensus. Tenebrae ibi nullae, luce indeficiente circumlucente: infirmitas nulla, sanitas indefessa, nihil incommodi, omnia ad votum. Ad hanc itaque aedificationem inuitat nos Dominus, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Qui ergo venire voluerit, Dei procul dubio quodammodo adiutor erit. Unde Apostolus: *Dei adiutores sumus, Dei aedificatio estis.* In bonitate ergo quicumque steterit, non solum sibi & omni creaturae utilis erit, sed etiam ipsi suo & omnium conditori (ut diximus) beneficium praestabit. Haec enim civitas sancta, cui sponte associavit. Si vel vnus homo defuerit bonus, nunquam perficietur.

Quod bonitas hominis, damnatis & demonibus sit inutilis.

Caput XLV.

Notandum etiam, quod sicut bonitas hominis boni, omnibus est ad laetitiam incrementum: sic demonibus & hominibus damnatis est ad detrimentum. Daemonibus namque & hominibus damnatis, sanctorum consummatio erit interminabilis luctus, & aeterna damnatio. Nam cum isti obtinebunt corporis & animae gaudium sempiternum, tunc similiter, & illi ibunt in supplicium aeternum. Quod quia daemones non

latet, modis omnibus laborant sanctorum incrementum impedire. Quoniam quidem, donec ultimus illorum eis associetur, non includuntur, sed habent potestatem tentandi electos Dei, quatenus, qui probati inueniuntur, digna remuneratione coronentur; victi vero atque reprobi, perenniter puniantur. Vigilemus ergo, ut Saluator admonet, quia aduersarius noster circuit, quaerens quem deuoret. Illum autem deuorat, quem sua suggestionem in malis actibus indurat. Notandum etiam, quod qui bonis alterius arridet, sanctis consentit: qui vero inuidet, diabolis. Siquidem, magis puto eius saluationem sperandam, qui parum boni facit, & benefactis aliorum fauet: quam illius, qui multa facit, & inuidet. Is etenim, cui benefacta aliorum placent, si damnatus etiam esset, iuste taliter conqueri posset: O vos sancti, semper de vestra iustitia iuste letatus fui: itaque si beatitudinis vestrae particeps non fuero, inde damnationem non accipiam, unde semper gaudebam.

De similitudine inter Deum & aliquem Regem, suos iudicatuos.

Caput XLVI.

Inter saluandos siquidem & damnandos, sic Deus discernit, quomodo Rex quidam inter fideles & infideles imperij sui. Hic itaque Rex, praeparato ex vna parte quodam conuiuio magno; & ex alia parte, quodam carcere tenebroso, disposuit, quod quoscunque sibi fideles poteris comprobare, postquam omnes congregati fuerint, faciet simul discumbere: Quoscunque autem sibi infideles esse conuincere poterit, postquam & ipsi fuerint congregati, in tenebrosam illum carcerem simul faciet detrudi. Omnes itaque ad inuitat, ut quis sit fidelis, quisue infidelis, agnoscat. Horum autem fidelium & infidelium, qui omnes inuitantur, alij praecedunt, alij subsequuntur. Fidelium igitur cuiuscunque, ut venerit, postquam verè esse fidelis comprobatus fuerit, datur mixtum interea cibi, donec conueniant omnes, qui cum ipso sunt cenaturi, ut simul incipiant omnes epulari. Infidelium ut venerit quisque, postquam conuictus fuerit infidelis esse, flagellatur interim, usquequo congregentur & alij, qui cum eo carcerem sunt detrudendi, ut simul in eo incipiant omnes cruciari. Mox ergo, ut fuerint omnes congregati, & fideles vel infideles esse fuerint comprobati, Hi (scilicet fideles) simul omnes in conuiuio collati, satiantur: illi vero (scilicet infideles) in carcerem trusi, fame & siti moriuntur. Hic igitur Rex, ipse Deus est, qui sic discernit inter bonos & malos mundi istius. Ipse etenim, praeparato hinc paradiso, & hinc inferno, constituit, quia quoscunque sibi fideliter obsequentes inuenire poterit, postquam omnes ad eum, ex hoc saeculo transeuntes, fuerint congregati, simul omnes in paradysum, in corpore & anima, collocabit. Quoscunque vero reperire poterit praecipis suis resistentes, postquam & ipsi conuenerint, omnes simul infernum horribiliter cum diabolo detrudet. Omnes itaque per praedicatores suos ad se inuitat, ut quomodo sibi quisque velit obedire, agnoscat: Verum eius praecipis alij obediunt, alij vero resistunt. Vtrorumque autem, alij prius, alij moriuntur posterius, eius examini representantur. Quicumque itaque ei obediens fuisse comprobatur, requies ei (sed in anima sola) interim datur. Quicumque vero de inobedientia conuincitur, & ipse in anima sola cruciatur. Postquam autem omnes mortui, & (ut dictum est)

A est) sigillatim examinati fuerint, finitoque sæculo, cunctisq; resuscitatis, illud etiam generale iudicium peractum fuerit, boni omnes in cælum translati, in anima simul & corpore latabuntur; mali verò in infernum detrusi, & ipsi in anima simul & corpore torquebuntur.

De quatuordecim beatitudinibus corporis & animæ.

Caput XLVII.

Multi homines (quibus nonnunquam boni mores, & iusta opera proponuntur, vt se in eis, seculi postposita vanitate, exercent, admoventur) inquirere solent, quamobrem, quo præmio, qua retributione? Respondetur itaque illis, quod scriptum est: *Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum.* Quod cū illi non clare, quid sit aduertere possunt, reperitur hoc ipsum alijs verbis, & dicitur eis. Præmium, quod his, qui in hac vita Deo seruiunt, in futura vita recompensatur, est vita æterna, beatitudo æterna, æterna iucunditas, sufficientia simul omnium commodorum secundum voluntatem, & sine omni indigentia. Hæc ergo, cum illis hoc modo dicuntur, bonâ quidem & magna, vt sunt, videntur; Sed quia non intelligunt, quid in hac vita habituri sint, nec subitò, quid sit omnium commodorum secundum voluntatem sufficientia, & sine omni indigentia, percipere possunt, hærent animo, nec multum affectu sapore, ad audita, & à seculi vanitate trahuntur. Quid igitur est agendum, vt hæc illis aliquatenus iapiant, & sic ad bona opera euigilent? Puerorum more cibandos æstimo eos, qui si aliquando grossum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dentium teneritudinem, & oris angustiam, absorbere nequeunt, nisi pro illorum capacitate, prius fuerit particulatim diuisum. Itaq; diuidamus in partes, magna quæ diximus; vt inde possint ad vitam nutriri, de quibus agimus. Quæ vt melius eluceant, consideremus, quæ in hac vita mens auidius amet humana; & ex his, pro vt possumus coniectemus illa eos habituros in vita æterna multo excellentius. Siquidem inter multimoda mundi pericula constituti, si Domini fuerint præcepta secuti, atq; cū ipsa illic adepti fuerint, plenitudine desiderij sui se nequaquã fraudatos percipient. Hæc igitur, vt prætaxauimus, faciamus, & à minimis paulatim progrediamur. Quatuordecim igitur sunt beatitudinis partes, quas finito generali examine, perfectius omnes electi habebunt: totidemque miseriarum genera, quæ mali tunc sustinebunt. Hæc autem beatitudinis partes atque miseriarum, sic sibi inuicem sunt omnino contrariæ, quomodo & ipsi, qui eas accipiunt in remuneratione.

Hæc sunt quatuordecim partes beatitudinis.

Caput XLVIII.

Partes verò beatitudinis sunt; Pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longæuitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, gaudium. Ista (vt æstimo) sunt, quæ propter se, & propter quæ alia quæque ab hominibus appetuntur. Si autem in his aliqua sunt, quæ aliquando serui Dei non modo non appetunt, sed etiam magnopere, in hac vita curare subterfugiunt: vt sunt (verbi gratia) pulchritudo corporis, atque voluptas, utique non idcirco ea fugiunt, quod hæc naturaliter nolint; sed ne Deum in his, quoquo modo possint offendere.

D: ANSELMI TOMVS III.

Nam si per ea nihil offensionis in Deum contrahi posse certè sentirent; vel se ab æternorum amore bonorum, impediri nõ pertimescerent; profectò iucundiùs in ipsis, quam in eorum contrarijs se deducerent.

Hæc sunt quatuordecim partes miseriarum.

Caput XLIX.

Partes verò miseriarum quatuordecim, prælibatis beatitudinibus contrariæ, hæc sunt: Turpitudine ponderositas, imbecillitas, seruitus, infirmitas, anxietas, vitæ breuitas, insipientia, inimicitia, discordia; dedecus, impotentia, timor, tristitia. Notandum, quod sicut septem priores illius beatitudinis partes, ad corporis beatitudinem; septem posteriores, ad animæ pertinent beatitudinem; Sic quoque septem priores huius miseriarum partes corporis, septemque vltimæ, miseriam perficiunt mentis. Quicumque ergo illas omnes beatitudinis partes habere poterit, perfectam corporis & animæ beatitudinem possidebit. Quemcunque verò has omnes miseriarum partes tollerare contigerit, summæ corporis & animæ miseriarum subiacebit. Verum in hac vita, nec vnâ illius beatitudinis, & huius miseriarum partem, quisquam potest habere; nec rursus ex toto ea carere. In alia verò vita, aut perfectam habens beatitudinem, miseriarum nullatenus subiacebit: aut summæ subiaccens miseriarum, omnino beatitudine carebit. Quod totum vt comprobare possimus, per singulas beatitudinis atque miseriarum partes curramus.

De pulchritudine & turpitudine.

Caput L.

Pars igitur prima beatitudinis, est pulchritudo; & miseriarum, per contrarium, turpitudine. Illam omnes habere, hæc verò concupiscunt carere. Verum hæc neutram habere perfectam, vel neutra possunt carere. Quænam enim est illa speciositas hominis, quæ non sit multo minor pulchritudine flosculi? Quis enim vt lilium candet? Quisue, vt rosa, rubet? Quia tamen quantumcumque pulchritudinem habet, nec summæ turpitudini subiacet. Non ergo vel illam, vel istam perfectè habere, nec eis in hac vita potest omnino carere. In alia verò vita, perfectè alteram habebit, alteraque omnino carebit. Pulchritudo etenim bonum quoddam est, & quod naturaliter à cunctis haberi amatur. In illa siquidem vita, pulchritudo iustorum solis pulchritudini, qui septemplex, quàm modò sit, splendidior erit, adæquabitur. Vnde scriptum est: *Fulgebunt iusti sicut sol, in conspectu Dei.* Amplius: Corpus Christi claritati solis prælucere, nescio quemquam posse ambigere. Huic autem similes, teste Apostolo, erimus, qui ait: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Hæc autem auctoritate comprobata, si quis etiam velit sibi ratione comprobari, credo nulli debere incredibile videri, iustos pulchritudinem solis in illa vita, vbi mortale hoc absorbetur, tantummodo fortiri, cū verè dicantur, & sint templum & sedes Dei; quod nusquam in diuina pagina de sole isto visibili inuenimus legi. Hæc igitur tali & tanta pulchritudine iustus rutilabit. Si verò iniustus fuerit, cæno & omni cadauere fatidior erit, omni que fuligine turpior. Ibi ergo pulchritudinem perfectam, aut summam habebit turpitudinem.

NN

De

1. Cor. 2.

B

D

Matth. 13.

Philip. 3.

1. Cor. 3.

A

De agilitate & ponderositate.

Caput LI.

Secunda pars beatitudinis, est agilitas, miseriam verò, è contrà, ponderositas. Has verò nec omnino habere, nec rursus his homo potest penitus hic carere. Nam quanta est hominis agilitas, quam minimus passerum superat? Qui tamen quoquo modo mouere se potest, nec summæ ponderositati subiaceret. In futuro autem, aut perfectè agilis erit; aut sic ponderosus, vt se omnino mouere non possit. Sed in illa beata vita velocitas, quæ pulchritudine non minus amatur, tanta nos comitabitur, vt ipsis Angelis Dei æquè celeres simus futuri; qui à cælo ad terram, & è conuerso, dicto citius dilabuntur. Quæ celeritas, vtrum sit in Angelis, si probari necesse esset (exempli gratia) dici posset, hominem mortali adhuc carne grauatum, mox à Iudæa in Chaldæam per Angelum delatum; in dequæ tradito prandio, quod deferebat, sine mora relatum. Ergo cum istis omnino par velocitas nobis erit, quibus, sicut promissa est, eorum æqualitas inerit. Apostolus etiam, qui corpora nostra, quantacumq; locorum intercapedine separata membratim fuerint, sine dispersa, in ictu oculi asserit resurrectura; satis inuit, quam velocitatem eadem corpora incorruptibilia sint habitura. *Corruptibile quippe hoc, sicut ipse testatur, induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem.* Huius quoque velocitatis exemplum, in radio solis licet intueri, qui statim orto sole in plaga Orientali, pertingit vsque ad vltimam plagam Occidentalem, vt in eo perpendamus non esse impossibile, quod de nostra dicimus futura velocitate; præsertim, cum rebus animatis soleat inesse maior velocitas, quam inanimatis. Huic etiam radio solis, simile exemplum velocitatis habemus in nobis. Radius quippe oculorum, nostrorum, in subleuatione palpepratum, vsque ad cælum pertingit, & ictu earum, totus in semet ac integer redit. Amplius, Constat quidem animas sanctorum, quæ iam cælestia tenent, necdum plena felicitate frui, donec incorruptibilitate corporum suorum potiantur; quam cum adeptæ fuerint, non erit, quod amplius velint. Hæc itaque corpora, si eas à sua velocitate aliquatenus tardiores aut grauiorès efficere deberent, nimirum eorum potius consortium abhorrerent, quam appeterent. Igitur ea, quam diximus velocitatè dotabitur homo sanctus, cum ad veram vitam fuerit translatus. Malus verò tanto pænarum pondere præmetur, vt nec pedem quidem, vel manus, vel aliquid sui corporis, possit mouere. Vnde & illud in Euangelio: *Ligatis manibus & pedibus eius, mitte eum in tenebras exteriores.*

Matth. 22.

1. Cor. 15.

Ibidem

Matth. 22.

De fortitudine, & imbecillitate.

Caput LII.

Tertia pars beatitudinis, fortitudo dicitur; miseriam verò, imbecillitas, quæ ei opponitur. Sed quæ est hominum fortitudo in hac vita, quorum plenam nauim Echinus in mari retentat? Quia tamen homo imbecillia quædam superare valet, nec omnino imbecillitati subiaceret. Itaque, nec fortitudinem perfectam, nec summam hic habet imbecillitatem. Verùm præstabit viribus, quicumque supernis meruerint ciuibus associari; intantum, vt nullatenus illis quicquam obistere valeat, vel si mouendo quid, aut euertendo voluerint à suo statu, quin illicò cedat. Nec in eo, quod dicimus, maiori laborabunt conatu, quam

nos modò in oculorum nostrorum motu. Ne (quæso) similitudo illa angelorum, nostro excidat ab animo, quam habituri sumus in futuro: quatenus si in hac fortitudine, aut in his, quæ dicturi sumus exemplum non occurrit; vel ipsa, per quam Angelis adæquabimur, ad ea comprobanda proficit. Si igitur, in quibus Angelos valere constat, nostra nihilominus fortitudo valebit neminem, qui dubitet, puto existere, Angelos ea, quæ volunt, fungi fortitudine. Cum igitur similes eis fuerimus, nunquam imbecilliores illis erimus. Sed fortassis quæret aliquis; Quid nobis tunc illa fortitudo præstabit, cum singulis tam conuenienter, vt conuenientius nequeant, vbiq; dispositis, nihil immutandum, nihil euertendum, nihil statuendum sit, in quo vires suas quis exercere possit? Qui hæc dicit, paucis nobiscum, quid in huiusmodi habeat vsus humanus, attendat: & videbit, quia non semper omnibus, quæ habemus, & quæ nos habere non parum gaudemus, actu vtimur. Sicut (verbi gratia) ipso visu potestate aliqua nonnullarum scientia rerum, & multis in hunc modum; sic & tunc de qua agitur fortitudine erit. Sola namque possessio eius nobis grata erit, & exultatio grandis; licet in actu nequaquam sit necessaria nobis, cunctis, vt dictum est, in suo statu conuenienter locatis. Hæc eadem quæstio, si aut de velocitate, aut de aliqua partium beatitudinis mouetur, hac solutione, si non aptiorem lector inuenierit, soluetur. In futuro igitur, (vt iam prælibauimus, sic iustus fortis erit, vt etiam si velit terram commouere, possit: & sic è conuerso iniustus imbecillis, vt nec etiam vermes amouere queat ab oculis suis.

De libertate, & seruitute.

D

Caput LIII.

Quarta pars beatitudinis, libertas dicitur; miseriam verò, seruitus. Liber est, qui cogi non potest ad ea, quæ nolit, nec prohiberi ab eo, quod velit. Sed quis in hac vita valeat esse, qui hanc possit libertatem habere? Quis non quotidie patitur, quod nollet? Quis valeat assequi omne, quod vellet? Cum tamen non ad omnia homo, quæ non vult, cogitur; nec ab omnibus, quæ vult, prohibetur, nec omnino libertate priuatur, nec omnino seruituti subiicitur. In futuro autem, aut perfectam homo habebit libertatem, aut omnimodam inibit seruitutem. Sed (vt prædiximus) auctoritate Apostolica id ipsum confirmauimus, Angelis enim consimiles erimus. Quicumque Angelis assimilabuntur, eorum quoque libertatem necessariò assequentur. Itaque sicut Angelis nihil obstitit, nec aliquid eos impedire potest, nec constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent libertimè; ita non erit aliquid obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis vllatenus obster; non elementum, quod nobis ad velle nostrum paruum omnino non extet. Amplius: Certè Dominicum corpus, cui corpora nostra configuranda Paulus testatur (vt iam supra meminimus) clauso sepulchro à mortuis surrexit; ac demum ad discipulos obseratis ianuis palpandus introiuit: nobisque in hoc futuræ libertatis grande documentum reliquit. In illa etenim vita, si bonus fuerit, nihil patietur, quod nolit; sed agere permittetur, quæcunque voluerit. Si verò fuerit malus, ad omnia, quæ noluerit cogetur; & ab omnibus, quæ voluerit, prohibebitur.

1. Cor. 15.

Ioan. 20.

De

2/al. 30.

Apost. 21.

De sanitate, & infirmitate.

De voluptate, & anxietate.

Caput LIV.

Caput LV.

Quinta pars beatitudinis, est sanitas, miserie verò, infirmitas. Illa autem homo ab ortu suo carere, hanc autem incipit tollerare. Ex quo enim nascitur, prima vox eius, indicat, quod patiat. Mox denique incipit esurire, sitire, lacessere, suis in pannis sordescere. Hinc cæcus vel surdus, mutus vel claudus, cardiacus vel scabiosus, leprosus, paralyticus, aliove morbo afficitur infirmus. Quia tamen eius infirmitas leniri quibusdam medicamentis potest, nec summæ infirmitati subiacet. Verum in futuro, sic sanus erit, quod nullatenus infirmabitur, sed summa sanitate, perfructur. De hac sanitate, quid melius dici poterit, quam quod Psalmista canit? *Salus inquitens iustorum à Domino.* Quibus autem fuerit à Domino data vera sanitas, quæ surripere valebit infirmitas? Verum de ista sanitate, quam in seculo futuro habebimus, quod exemplum afferre queam, ut quæ sit, intelligatur, non video. Quia nihil sanitatis, quod ei comparare possem; aut ego in me, aut aliquis sub mortali degens carne sensit in se. Hic etenim tunc nobis sani videmur, cum in nobis nihil, quod doleat, sentimus. Fallimur tamen nonnunquam in hoc. Nam frequenter in aliqua parte corporis infirmamur: nec tamen hoc ipsum, nisi aut motu corporis, aut tactu aliquo, vilo pacto experimur. Ac de his, qui nec ita infirmantur, sed ex omni parte sibi sani esse videntur, quid dicemus, ut verum sint sani, aut non sint, probemus? Pone tibi quemlibet sanissimum corpore, & de sanitate illius sciscitare, sanus est suo iudicio. Hic talis paulo durius tangatur, aut in aliqua sui corporis parte arctius confringatur, & statim videbis, quia clamabit, sine, lædis me, vexas me. Quid est hoc? Nonne prius se esse sanum dicebat, & nunc modicè tactus, ita dolenter succlamat? Istene tibi sanus videretur? Non puto. Nequaquam salus huiusmodi nobis dabitur, quorum salus à Domino futura esse promittitur. Nam *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor, quoniam priora transferunt; & non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus aestus, dextera enim sua Deus teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.* Quid itaque eis nocere valebit, quibus dextera Dei tegumentum erit? Qualis autem sit illa sanitas, certè scio me, nec meo, nec alicuius sensu vel experimento accepisse. Februm verò, & diuersarum infirmitatum qualitates, si cuiusmodi sint, quis interrogaret, facile eas à me expositas forsitan intelligeret; tum quia illas in me, tum quia ab eis accepi, qui sciunt, qui eas experimento didicerunt in se. At quod nec sensu percepit, nec ab vilo qui percepit, ut dixi, accepi, non eodem modo. Credere tamen, & incunctanter (ut mea quidem fert opinio) astruere licet, sanitatem vitæ futuræ ita iugem & immutabilem ac iniuolatam fore; ut ineffabili quadam dulcedine suauitatis, totum hominem repleat; & omne, quod alicuius in se vicissitudinis, immutabilitatis, aut læsionis suspicionem præterdere queat, procul arceat atque repellat. Sic igitur iustus erit sanus. At verò quemlibet iniustum tanta ibi infirmitate scias infirmari, ut nullo postmodum medicamine queat medicari.

D. ANSEMI TOMVS III.

Sexta pars beatitudinis, est voluptas; miserie verò, anxietas. Illam homines appetunt, hanc verò refugunt. Verum, cum eam in hac vita quærunt, non nisi per anxietatem inuenire possunt. Cumque ad id peruenerint, quod voluptatem putant, non nisi laborando eodem perfrui valent. Quo si etiam vsi fuerint immoderatus, rursus eis in anxietatem vertitur. Quia tamen in eo qualitercunque delectantur, nec omnimodam anxietatem patiuntur. Post hanc verò vitam, aut in omnimoda voluptate erunt, aut omnino replebuntur anxietate.

Similitudo ferri igniti.

Cap. LVI.

Sicut enim ferrum ignitum, quacunque sui parte continet ignem; sic in se boni voluptatem, mali verò sentient anxietatem. Hanc verò voluptatem, neminem in hac mortalitate viuentem esse puto, vel fuisse, qui eum, ut est, senserit, vel gustauerit, ut illius saporem vel habitudinem alijs declarare possit.

De duabus beatitudinibus, totidemque miserijs.

Caput LVII.

Dicamus tamen aliquid, ad hanc declarandam. Dicamus duas beatitudines, & item miseras esse duas, maiorem videlicet atque minorem. Maiorem, regnum Dei; minorem verò, in qua Adam fuerat primò positus, paradisi gaudium dicimus. Item maiorem miseriam, æternum ignem gehennæ, minorem autem, ærumnas fatemur vitæ præsentis; quas, dum viuimus, incessanter patimur. Beatitudinem quippe neutram, aliquando experti sumus. Quod si saltem illam parvam beatitudinem, quam Adam in paradiso positus habuit, experti essemus: fortè per hanc illam maiorem, aliquo modo coniectando videre possemus. Sicut nunc in minori miseria nati, nutriti, & adulti, multa de maiori miseria, quotiens volumus, edicere, & explanere valemus. Itaque cum voluptas, de qua agimus, constet esse vna portio summæ beatitudinis, quo illam modo explicemus, ut capiatur, non video. Nisi fortè agamus aliqua contraria similitudine magnæ miserie, quam ex minori coniectamus. Sic igitur ante oculos cordis positus (exempli causa) homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quam & in singulis membris ferrum ignitum, & candens infixum habeat: ita ut nec medullæ, nec intestina, nec omnino quicquam in toto ipso sit, quod illius cruciatus immanitate careat, vel eam leuius quam in oculis aliquatenus sentiat. Quid dicam, angustiatur? Quis hunc æstimet esse sanæ mentis inter ista? Eodem modo; sed penitus contraria consideratione, in illa futura vita, delectatio quædam ineffabilis bouos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili exundantia satiabit. Quid dixi totos? Oculi, aures, nares, os, manus, pedes, guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullæ, extra etiam ipsa, & cuncta sigillatim singulaque membra eorum; in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, ut verè totus homo de torrente voluptatis Dei poterit, & ab vbertate domus eius inebrietur. Verum è contrario, ut dictum est, credimus de iniusto.

NN 2

De

Psal. 38.

Apo. 21.

1. Cor. 15.

Ioan. 20.

A De longevitate, & vite brevitare.

Capitulum LVIII.

SEptima pars beatitudinis, est longævitas; miseriarum verò, vite brevitatis. Illa beatitudinem corporis, hæc autem miseriam perficit. Tunc enim primum prædictas beatitudinis partes corpus habere potest, cum eas diu retinere valet. Nam si eas omnes haberet, & statim moriendo amitteret, quid eas sibi habuisse prodesset? At longævitatem habere perfectam non potest, qui aliquando moriturus est. Quantumlibet enim vivat diutius, somnium sibi esse videtur, quod vixit, cum moritur. Non ergo longævitatem homo hic habet, ubi quandoque moriturus est. Qui tamen, quia mori citius possit, nec vitam omnino brevem hic habet: In futuro autem, aut longissimam, aut vitam habebit brevissimam. Si enim bene vixerit nunc, tunc vivet, quantum & Deus. Unde scriptum est: *Iusti autem in perpetuum vivunt.* Si verò malè vixerit, non nisi moriendo vivere tunc poterit. Nihil brevius illa vita, cui mors fuerit semper iuncta. Nunc autem notandum, quia septem prædictæ beatitudinis miseriarumque partes, ad corpus pertinent; ceteræ verò, quæ sequuntur ad animam.

De sapientia & insipientia. Cap. LIX.

Octava itaque pars beatitudinis, ad animam pertinens, est sapientia; miseriarum verò, insipientia. Illam habere, hæcque carere se homo æstimat, si quid agnouerit, quod alius nesciat. Sed quæ est eius sapientia, qui seipsum ignorat? **Q**uis enim perfectè agnoscere valeat, cuiusmodi res sit anima sua? Quisve nouit, quale sit corpus eius interius, vel quale posterius, vel etiam exterius? **Q**uia tamen, & se, & alia, quo quomodo cognoscere potest, non omnino insipiens est. Verum in futuro, aut perfectè sapiens aut omnino erit insipiens. Sapientia igitur, quam omnes in hac vita non inutiliter amant, tanta in futura vita bonis erit: ut eorum, quæ scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Bonus enim perfectè (quæ Deus est) sapientia replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur. Quam dum ita perspexerit, creaturæ totius naturam videbit; quæ in Deo melius, quam in seipsa consistit. Tunc enim iusti cuncta scient, quæ Deus fecit scienda: tam ea quæ præterita sunt, quam ea quæ postmodum sunt futura. Ibi à singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscuntur. Nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe, quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.

Quod peccata singulorum singulis pateant.

Capitulum LX.

Hic fortassis aliquis ait: Quid est hoc? Peccata, quæ fecit, scient omnes? Ad hoc ea confessus sum, ut delerentur, & obliuiscerentur, ut nulli amplius panderentur. Bene. Sed cum tu in illa gloria, ab omni criminum sordibus purgatus, vultui Dei præsens astiteris, ingratus ne ei poteris esse pro tanta misericordia, quam tibi fecit, remissis illis & illis delictis? Non, inquires. Et unde (inquam) gratias agens, si nihil eorum, unde iure gratias illas debeas, in tua memoria habeas? Ut igitur in laudibus illius æternaliter iocunderis, semper de quanta miseria sis erutus, ut puto eorum habebis. Cum ergo singulorum conscientiarum singulis pateant, fateri audeo eo quoque pec-

cata cunctis electorum patere, pro quorum curatione, tu Deo gratiosus existes assidue; non ad tuam confusionem, sed ad magnam Dei misericordiam, eiusque glorificationem, tuamque congratulationem. Non enim tunc pro peccatis tuis, te maior angustia cordis premet, scelerumque magis pudebit; quam aliquem olim magnis vulneribus sauciatum, iamque ex omni parte sanatum, aboliti languoris molestia præmit. Vel nunquid eorum, quæ in cunis positus infans egerat, nunc gradæuum pudeat? Tunc quippe, cum integra sanitas, perfectæ munditia, plena remissio, secunda omnium offensionum impunitas tibi recto arriserit; recognitio vel recordatio peccatorum tuorum, in nullo tibi magis horrore esse vel confusioni valebit, quam est modò beato Petro Apostolorum Principi, qui Christum negavit, abnegatio sua; beatæ Mariæ Magdalene peccata sua; & multis alijs multa, quæ sequuntur, iam donata crimina sua. Verum, super hoc agnitis delictis tuis, velut in enormi ac fæda infirmitate tua; pietas, virtus sapientia medici, qui te sanavit, sublimis à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificentabitur. Laus autem & magnificentia gloriæ Dei, tua; si bene aduertis, gloria est. Sed dices: Et quidem consentio, laudem Dei gloriam esse meam. Verum, cum hinc inde tot & tanti, ad meam comparationem, innocentes prodeant, qui consideratis vitæ meæ obscenitatibus, me omnino, sicut æquum erit, horrore habendum iudicent. **Q**uid dicam? Iustitia nempe suum, & suum iniustitia præmium exigit. In his (frater) nolo timeas, aliter enim erit, quam existimas. Illum quidem quem tu tibi comparatum iudicas innocentem, penitus non ibi reperies de te, quemadmodum putas sentientem. Namque videas ille, de quo agis, planè intelligit te, nequaquam se, sed Deum, quando peccasti; offendisse. Cum ergo viderit Deum tibi debita funditus dimisisse, nec in cor ascendet, ut te inde aliquatenus iudicet. In hoc enim ipso Deum offendere se cognosceret, si te Deo per omnia reconciliatum pro his, quæ olim feceras, vllatenus contemnendum cogitaret. Magis autem gratiosus, ineffabilem Dei clementiam admirabitur, nec solum in te, sed etiam in se. In te, quia te de tam profundo iniquitatis eripuit: In se, quia sola gratia eius, ne in idem profundum rueret, tenuit se. Laudando igitur, magnificentabit in te, post gratiam Dei, vim, atque constantiam, quibus enitens voraginem tanti mali viriliter euasisti; iuxta quam, & ipse considerabit, nisi à Deo adiutus fuisset, non ita forsitan iter iustitiæ tenuisset. Vides igitur quam nihil habet improprietatis vulgata cognitio peccati tui, immo quam multum laudis & gratiarum, cognita remissio sui, generabit.

Altercatio inter hominem iustum, & Angelum.

Capitulum LXI.

Ipsi etiam Angeli, si te societate sui, propter peccata tua, indignum vellent iudicare, haberes qualiter contra eos iure te posses defendere. Quoniam inquis modo? Audi. Propone Angelum aliquem, quasi talia tibi improprietatem. Tu homo de pulvere factus; Tu puluis aliquando futurus, contra Deum te extulisti; contra præceptum eius, te in cænum omnis peccati & immunditiæ tumidus deiecasti; & nunc nostris similis esse quæris, quos nunquam in aliquo contra voluntatem Dei contrahere cernis? Ad hæc ita respondeas: Si ego, ut dicis, de pulvere factus sum, certe

A certe non est mirum, si vento tentationis impulsus in sordes sum ego criminum lapsus. Verum agnita & credita misericordia Christi, spreto omnibus quæ illum nollescire potui, in cunctis, quæ illum velle intellexi, memetipsum exercui. Unde tribulationes & angustias, in fame, & siti, vigilijs verberibus, coatum elijs alijsque modis innumeris, ad honorem eius sustinere non renui, & quæque mundana pro viribus meis nihili pendens, ipsius tantummodo solius gratiæ, per singula reconciliari studui. Vos autem, quid horum vnam sui causa sustinuitis? Semper vos gloria semper iocunditas est comitata; semper vos tenuis dextera Dei, atque defendit ab impugnatione omnis peccati, ita vt nulla vobis surriperet macula eius. Itaque, si à voluntate ipsius non recessistis, illius donum est, à quo iugiter tentiestis. Sed quia hæc ratio cinatio illos tantummodo respicit, qui saluationi suæ vim fecerunt, & regnum cælorum violenter raptuerunt: Ideo alij, qui in illo sunt, sed alio modo intraturi, alia ratione puritatem Angelorum sibi sunt vendicaturi. Sed queris: Quo? forsitan ista. Dicent ergo illis: Quod in regno Dei vestra querimus æqualitate beati, dono & gratiæ Iesu Christi Domini nostri id ascribimus. Qui ad hoc dignatus est homo fieri, pati, mori, vt nos ab omni delicto, in sanguine suo iustificatos, ipsius regni consortes efficeret. Vos igitur considerate, an sanguis Christi, qui pro nobis est effusus, queat nobis non esse perfecta causa salutis? Quid ad hæc Angeli, qui libenter, eo quod boni sunt, rationi veri acquiescere volunt, dicerent, nisi, quæ dicta sunt, ratione moti & huiusmodi homines iure suam æqualitatem debere sortiri? Cum itaque Angeli atque homines, quos magis iudicaueras te innocentes, tibi consentiant, cum in cunctis pro veritate rationis honorem deserant, perpende, si vales, quam grata sit sapientia ista, qua tu, sicut ab hominibus, sic omnes à te cognoscentur in vita illa. Si autem fueris malus, verum etiam omnino sapientia priuatus, rantes vrgeberis doloribus, vt non solum insipiens, verum omnino fias & amens.

De amicitia, & inimicitia. Caput LXII.

Nona pars beatitudinis, est amicitia; misericordie vero, inimicitia. Perfecta autem amicitia est, quæ in inimicitiam conuertere non potest. Sed quis habet amicitiam tantam etiam filius erga patrem? Quia tamen nullus habet hic amicitiam tantam, quæ conuertere non possit in inimicitiam; nec vllus omnino habet hic inimicitiam summam, aut amicitiam in futuro autem perfectam, aut inimicitiam quisque inueniet summam. Bonum etenim quemque sic Deus, omnesque alij diligunt boni, vt eum habere odio vltra non possint. Quantum namque quisquis se ipsum, tantum & tam diu diligit alterum. Nec enim video, quomodo aliter esse possit, presertim, cum omnes vnum corpus Christi sint, & Christus, qui est ipsa pax, sit omnium caput. Nec minori sese affectu complectantur, quam membra vnius corporis sibi inuicem copulantur. Quantum putas abundans eris in dilectione, quando hoc tibi fuerit in possessione? Attamen ista transi, & contemplare ipsum, per quem hæc bona tibi pertinere: & percipies, quia ille plusquam tu te ipsum, & quam omnes alij se, incomparabiliter amet te. Et tu super te ipsum, & super omnes alios, ineffabili qua iam suauitate illum amabis. Malum autem quemque sic Deus, omnesque boni

D. ANSELMI TOMVS III.

habebunt odio, vt nec filius quidem pietatem habeat, de patre in pœnis conspecto.

De concordia, & discordia. Caput LXIII.

Decima pars beatitudinis, est concordia; misericordie vero, discordia. Concordiam hominibus tam raram hic habet, vt nec sibi ipsi semper concordet. Sic enim corpus & animæ diffident sibi, vt quod vnum appetit alterum nolit. Verum quia non semper hæc faciunt, sed aliquando idem volunt, non in discordia, summa persistunt. In alia vero vita, vel in concordia, vel in summa persistent discordia. Corpus etenim & animæ cuiusque sancti, imò concordie tantæ erunt omnes iusti, quantæ in presenti sunt oculi nostri. Sicut enim oculus vnus verti non potest, quæ non vertatur & alius, sed in eandem partem semper voluntur: sic etiam corpus & animæ, vel societas illa iustorum, nihil poterunt velle diuersum, sed eandem semper voluntatem habebunt. Corpus enim vnum erimus. Ecclesia vna erimus, sponsa Christi erimus, quicumque ibi erimus. Ipsa Dei voluntas non erit à tua diuersa, sed sicut tu, quod ille: ita & ille volet in cunctis, quod tu. Caput namque à suo corpore, quomodo discreparet?

Quod omnes iusti idem velint.

Caput LXIV.

Hic forsitan dices: Eia, si Deus & omnis ille beatorum cætus volent, quod ego: tunc & augmentum mei boni mecum volent, quod ego ibi non velle non poterò. Ero itaque pro velle meo, de maioribus in cælo. Huic tuæ imbecillitati respondeo. Quia si etiam beato Petro, in gloria par esse volueris, eris. In gloria dico: quia vt Petrus sis in persona, velle non poteris. Namque si hoc velles, te ipsum nihil esse velles, quod velle nequibus. Sed nec in gloria illi æquari, si meritis eius impar fueris, velle poteris; quia pulcherrimam illius corporis compositionem, quam in hoc conspiceres violari, plus omni commodo amabis. Nec etiam in humano corpore, vel pes loco aut officio manus; vel manus, pedes fungi exoptat; aut os vel nasus, vbi oculi sunt; aut oculi vbi os; aut nasus, relictis sedibus suis, cupiunt transferri; aut si transferrentur, conuenienter & sine iniuria non id paterentur. Eodem modo, in illa admirabili & glorificata dispositione, & æque disposita glorificatione beata: Ciuitatis Dei, ita quisque, quod adeptus fuerit, amabit, vt statum suum, potiori gradu immutari non velit. Quare? Quia cuique satis erit sua felicitas & beatitudo, sibi pro meritis suis misericorditer impertita. Amplius. Si hi, qui iam tunc in ipsius corporis vnitatem locati fuerint, maiora, quàm sint adepti, desiderarent, eo ipso miseri essent, quod nondum haberet, quod vellent. In quo enim alicui, quod cupit, deest, in eo miser sit, necesse est. Sed adfit ab illo regno omnis miseria. Aderit itaque omnibus omnis sufficientia, quam perficiet in singulis vnanimis & plena concordia. Mali vero in discordia tanta persistent, vt eorum corpus & anima semper diffideant. Nam & corpus animam odio habebit, eo quod malè vnquam cogitauerit; & anima corpus eo quod malè cogitata opere compleuerit pro quibus omnibus torquentur in pœnis.

De honore & dedecore

Caput LXV.

Vndecima pars beatitudinis, honor dicitur: misericordie vero, dedecus. Honorari homo ab

NN 3

omni-

A omnibus appetit, aut eorum verbis, aut factis. Verbis quidem, ut eum collaudent; factis autem, ut sibi eum præponant. Sed cum honorem huiusmodi appetit, tale est, ac si vnus vermis quærat ab alijs laudari, eisque in regimine præponi. Hunc tamen honorem, licet nullus sit penè, nemo potest hic ad plenum habere. Nullus enim vel Imperator laudatur à cunctis, vel omnibus alijs præponitur. Quia tamen nec vnus à cunctis hic blasphematur, vel alijs omnibus substernitur, nec omnino inhonoratur. In futuro autem, aut honorabitur, aut è contra omnino inhonorabitur; qui honor cuiusmodi sit, breui sub exemplo consideremus.

De paupere in regnum adoptato.

Caput. LXVI.

Ecce sit ante oculos nostros positus aliquis pauper, omni solatio destitutus, vlcèrum, & aliarum infirmitatum sæditate corruptus, & omni, quo vel à frigoris asperitate defendatur, tegmine nudus. Hunc igitur talem, tali modo iacentem, & in nullo semet iuuare valentem; si Rex aliquis potentissimus transiens illum videret, & miseratus eius vlcèribus mederi iuberet, curatumque suis regalibus ornamentis indutum, sibi præsentari præciperet & adductum in filium adoptaret; ac deinde præciperet, ut in regno suo filius suus à cunctis haberetur, atque in nullo, quod imperaret, à quoquam contradiceretur: hæredem suum, filijque sui proprii hæredem constitueret, & eum suo nomine vocari vellet, nonne dices hunc magnificè & inopinatè honoratum? Et certè Deus nobis hæc omnia faciet. Nati enim de

B putredine carnis replemur multis miserijs, in quibus miserijs constitutos, & omni solatio destitutos, omniumque infirmitatum passionibus obnoxios, ac peccatorum & corruptibilitatis vlcèribus plenos; sola misericordia ductus accipiet, & curabit nos, & sanitati restitutos, ornamentis perfectæ iustitiæ & incorruptibilitatis ornabit; adductosque in filios suos sibi adoptabit, regni sui consortes efficiet, & hæredes; filioque suo vnigenito, sibi per omnia æquali & cõomnipotenti, con corporales statuet, & cohæredes, omni que creature iubebit, ut in omni, quod volumus, nobis obediat: vocatosque nos nomine suo, Deos faciet. Ipse enim dicit: *Ego dixi dñj estis, & filij excelsi omnes*: Sed ipse Deus deificans est, tu verò

Psalm. 138. Deus deificatus. At fortasse ais: Hæc ratio tua, in illis quidem magnis Apostolis, seu martyribus potest existere rata, in me autem (qui vtrum inter illos vel minimus esse merear) non intelligo quoniam pacto constare queat. Ad hoc intende (quæso) & intellige quia nullum iustorum ab ista deitate excepit Deus, vbi ait: *Dij estis, & filij excelsi omnes.*

Ibidem.

Similitudo inter Deum, & ignem.

Caput. LXVII.

Verum, ut dicta melius eluceant considera sub exemplo naturam ignis, & naturam eorum ignitarum: si fortè ibi aliquatenus queas imaginari, qualiter illi summæ maiestati, pro modulo tuo, possis participando deificari. Ecce ignis vnus est, & in sua natura calidus. In hunc ignem pone lignum, plumbum, & ferrum, simul. Itaque, cum lignum fuerit in carbonem conuersum, & plumbum liquefactum: ita ut in carbonibus nihil nisi ignis appareat, & plumbo nihil caloris addi queat; necdum tamen poterunt ferro in calore coæquari, quod nondum forsitan penitus incanduit

igni. Licet igitur aliud aliò magis in calore profecerit, singulum tamen seruata natura sua, vsitato loquutionis modo; quia quod ignitum est, per se dicitur ignis. Sic erit in illa beata supernorum ciuium societate, de qua loquitur. Nam quemadmodum hi qui summæ deitati sunt propinquiore, & ob hoc alijs præstantiores. Dij dicentur; ita & qui illis sunt inferiores, (quoniam vna & eadem, quia & ipsi, summæ deitati pro sua capacitate participiant) simili nomine Deos dicendos necesse est. Talis honor, ut prælibauimus, iustis pro modo meritorum exhibebitur. Quisquis verò malus sit, è contra sic exhonorabitur; ut in omnifetore deiectus, vermium etiam dominio subijciatur.

De potentia, & impotentia.

Caput. LXVIII.

Dodecimam partem beatitudinis, est potentia, miseriæ verò, impotentia. Veram ille potentiam obtinet, qui, quæcunque voluerit, facere potest. Quod quia nullus hic valet facere, nec veram hic potentiam potest habere. Quia tamen quandoque, quod vult, facere potest, nec omnino impotentia subiaceret. Verum in futuro, aut verè præpotens, aut omnino semperque impotens erit. Bonus autem quicquid voluerit, facere poterit, quoniam ipsum omnipotentem, in omnibus suæ voluntati concordantem habebit. Malus verò nihil, quod velit, agere quibit. Quando ergo, cum tanto honore, & cum cæteris prætaxatis, hanc adeptus fueris omnipotentiam, non video, qua ratione possis cupere ampliorem. Igitur, dum possessione harum beatitudinum, quas digessimus, felix fueris, nonne sufficiens tibi videberis? Et maximè inquis. Age igitur, si in omnibus istis vel vna die, sicut exposita sunt, securus viueres, gauderes sine dubio. Si autem in mense, vel vno anno lætificaueris, si toto tempore vitæ tuæ, quid faceres? Nec dici quidem potest, ut autumo, lætitiæ modus. Da rem præcium vti que libens quicquid haberem; & memetipsum in super, si sic, & non aliter, ea adipisci valerem. Si verò adhuc omnino securus existeres, quod ea, dum viueres, nullo euentu amitteres, omitto dicere, vtrum cogitare possis an non, quid exultationis tibi deesset.

De securitate, & timore.

Caput. LXIX.

Tertiam decimam partem beatitudinis partem, accipe securitatem: miseriæ verò, timorem. Hæc alias siquidem omnes beatitudinis partes confirmat; nec haberi possunt firmiter atque perfectè, sine illa. Verum in hac vita, nihil quis potest habere, vnde securus valeat esse. Sub eodem enim momento, pauper ex diuite, mortuus ex viuo, potest existerè. Ergo nec alias beatitudinis partes, nec securitatem perfectam hic habet. Quia tamen non semper patitur, quod timet: sed quandoque effugere potest, nec summum timorem hic habet. In futuro autem, aut securitatem perfectam, aut è contra summum habebit timorem. Bonus autem quicquid voluerit, habebit, & nihil ex eo, se amissurum timebit,

Quod nullus amittat bona, semel adepta.

Caput. LXX.

Dico enim, quod si ea perditurus est, aut ipse volet ea perdere sua sponte aut Deus volet ei volenti illa auferre, aut aliquis alius Deo fortior superueniens, ea tollet ab illo, Deo & ipso non volente. Sed certè nec ipse abiecto tanto bono in miserias, quas se euasisse gratiosus exultabit, recidere vo-

let;

Alet. Nec Deus, qui illud tam larga & clementi bonitate donauit, id ea aliquando auferre uolet. Nec ullus etiam fortior Deo superueniet, qui, Deo iustum protegente, hoc illi inuito, aliquatenus tolleret. Malus uero, & semper tormenta, quæ patietur, patietur, & nunquam ex eis euadere poterit.

De gaudio & tristitia. Caput LXXI.

Quartadecima beatitudinis pars, gaudium, miseriam uero, tristitia est. Gaudium perfectum solus ille potest habere, qui prædictas omnes beatitudinis partes potest obtinere. Quarum quia nullam nemo hic habere potest, patet, quia nec gaudium summum hic retinere ualet. Sic & ille solus uerè tristitiam patitur summam, quem prædictæ omnes miseriam partes omnino coarctant. Verum, quia nullus ex toto hic eas patitur, liquet: quia nec etiam summa tristitia hic habetur. In seculo autem futuro, aut letitia, aut tristitia quisque replebitur summa. Bonus enim quisque, omnino tunc poterit gaudere, quia prædictas omnes beatitudinis partes obtinebit perfectè. Quid ergo beatius isto? Quo tunc replebitur iustus gaudio? Adhuc tamè ad cunctum beatitudinis suæ aliud habebit, unde magis possit gaudere; quia enim quisque, sicut se, alterum amabit. Patet: quia sic de illius felicitate, ut de sua gaudebit. O quot igitur, & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot & tantis beatitudinibus, sanctorum inuolabit? Quod si tantum de alijs, quos ut se diligit, gaudebit, quantum de Deo, quem supra se diligit, exultabit? Gaudium enim erit ei intus & extra; gaudium sursum atque deorsum: gaudium circum circa; ubique; gaudium plenum. Malus uero è contra tristitia replebitur summa; quia omnes miseriam partes quibus nihilominus se circumseptum sentiet, mentaliter sine fine patitur, & indefinenter.

De cupiditate mundani honoris. Caput LXXII.

Sic agunt illi, qui mundi huius honores appetunt, quomodo pueri, qui sequuntur papilionem. Papilio enim cum uolat, tramitem rectum nunquam tenet, sed huc illucque se agit, cumque alicubi residere uideatur, nec ibi diu moratur. Hos autem cum pueri capere uolunt, citò post eos currere fatigant; & quia non ad suos pedes, sed ad papilionem intendunt, aliquando in foueam cadunt, sequè immaniter lædunt. Plerumque uero, cum eos uident alicubi insedisse, incedunt suauiter & cautè, ut eos ualeant comprehendere. Quod dum faciunt, manibus quoque plaudunt, & ad inuicem leui uoce dicunt: Ecce iam eos habebimus. Sed cum propius accedentes, eos apprehendere tentant, papilioes auolant. Si quando uero eos apprehenderint: exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti. Similiter autem faciunt, qui mundi huius honores appetunt. Honores enim huius mundi, nunquam certam tenent uiam: sed incertis diuerticulis, de uno ad aliud transuolant. Cumque sub alicuius subititerint potestate, non ibi diu possunt remanere. Hos ergo dum stulti homines assequi cupiunt, festinant post eos, quibuscumque modis possunt. Et quia non considerant, quo eos modo assequantur, sed ut quoquo modo adipiscantur, sepius in graui crimina decidunt, quibus suas animas uehementer lædunt. Aliquando uero, cum uiderint eos alicubi quasi paratos sibi esse accedunt, illuc latèter, & multum callidè, ut quasi nullo sciète ualeant eos obtinere: quo dum appropiunt, uehementer gaudent, & exultant. Sed cum propius accesserint, eosque se posse iam apprehendere putauerint, honores de manibus eorum se excutiunt, & aliqua de causa ad alios aliquos se transferunt. Quos si quandoque adepti fuerint, gratulantur, quasi aliquem uerum honorem fuerint assequuti, cum ad uerum honoris culmè peruenire non

possint, si non hos, cum suorum satisfactione commissorum, reliquerint.

Similitudo inter Deum, & aliquem Dominum.

Caput LXXIII.

Ita inter Deum & homines agitur, quomodo inter Dominum aliquem & seruos illius, qui uulgo naturales uocantur. Si enim Dominus naturali seruo aliquid iusserit, & seruus Domino libèter obedierit, agit seruus, quod debet, & quod Domino placet. Si autem Domini sui sui præceptis resistit gratiam ipsius statim amittit. Quam si uoluerit recuperare, ac deinceps Domino suo fideliter seruire, sicut prius debuerat naturaliter fecisse: si ei Dominus tunc iusserit, iurat, quod eius obediet præceptis, eique fideliter seruiet, quoad uixerit. Quo facto, Dominus ei condonat, quod deliquit, & si ita Domino placuerit, aliquid proprietatis, unde uiuat, habere concedit. Verum aliquando temporis transacto, seruis paulatim incipit, quæ iurauerat, obliuisci, & ab amore Domini sui tepescit. Et quia ea, quæ Dominus iubet, sibi dura uidentur, prius quædam, postmodum plura transgreditur, donec in omnibus penè periurus habeatur. Sicque rursus Domini sui gratiam perdit, quam prius recuperauerat sponcione correctionis. Quid ergo amplius faciet? Quid aliud promittere potest? Naturale ius corrumpit, iusiurandum uoluit. Est tamen aliud quod adhuc faciendum inuenit seruus. Licet enim Domini sui, aliquid detinuerat proprietatis, unde se potest, ut antea, reconciliare. Postquam ergo se errasse cognoscit, ad Dominum suum redit, eum orans huiusmodi uerbis. Domine (inquit) confiteor meam iniquitatem, quia quod tibi naturaliter debueram, quodque postmodum iureiurando promiseram totum ad meam transgressus sum miseriam. Sed adhuc indulge, si placet, quicquid deliqui: & ego tibi reddam, quicquid proprietatis per tuam licentiam hæcenus detinui. Me autem ipsum ita in tuo seruito asstringam, quod meam ex toto uoluntatem dimittam, tuam uero, in quantum potero, faciam. Et ut eam semper ualeam implere, ponam me in illorum subiectione, qui me illam sciant & uelint docere: & admonendo, corripiendo, castigando, faciant custodire. De quibus omnibus faciam tibi iusiurandum, si mihi indulseris quicquid hæcenus deliqui. Tunc Dominus: Et ego adhuc (inquit) indulgeo tibi omnia, quæ petis, si tu omnia feceris, quæ promittis. Sed hoc scias, quia nisi hæc conventionem custodieris, uel si eam in casu aliquo uolaueris, nisi ad eandem penitentiam redieris, per aliam conventionem me placare non poteris. Eodem itaque modo inter Deum & homines agitur. Deus enim primo homini quiddam præcepit, cui si ille obedisset, profecto fecisset, quod facere debuisset, & quod Deo placuisset. Sed quia illius præceptum præterijt, gratiam eius statim perdidit. Hanc ergo si uoluerit homo recuperare, sicut Deus iubet, iurat in baptisinate, quod audiuius illum seruum iurasse. Sed quia & hoc ipsum sepius transgreditur, relictis omnibus cum propria uoluntate, monachus efficitur. Aut ergo monachus saluabitur aut aliter damnabitur.

Similitudo inter diabolum, & improbum placitorem.

Caput LXXIV.

Verum sciendum est, quia sic placitat diabolus contra hominem, quomodo improbus placitator contra alium aliquem. Improbus enim placitator, licet non habeat iustum, tamen propter improbitatem suam ueniens ad placitum, hoc quod est iniustum, iustum, & quod est iustum, uult ostendere iniustum. Sed cum eum aliquis iuris peritus audiat, & quia non rectam habeat causam, agnoscit; iudicat esse iniustum, quod ille dicebat iustum, & esse iustum, quod ille assererat iniustum. Sicque ille con-

A uictus à placito discedit dolens, quod aliquid face-
re non poterit. Sed aliquanto tempore transacto,
postquam hoc iudicium putat obliuioni esse tra-
ditum, rursus suam incipit causam, dicens sibi fie-
ri iniuriam, Quod si aliquis sibi dixerit, hoc iam
esse definitum, dicit non rectè esse iudicatum. Sed
ille, qui semel iam vicit, non attendit ad ea, quæ di-
cit, sed tantum dicit Quod semel est bene definitum,
non esse iterum incipiendum. Sic enim sine labore
ab inimico suo se liberare poterit. Semper autem
diabolus placitat contra hominem: locus autem pla-
citi huius est cor hominis alicuius. Ad hunc itaque
locum diabolus venit ad placitum. Et licet sciat
quod rectum non habeat, tamen ibi asserit verum
esse, quod falsum est, & è contra. Ibi namque dicit
cogitationem, quam immittit, veram esse, scilicet,
quod homo debeat mundum diligere, diuitias &
honores appetere, desideria carnis adimplere, hæc
& his similia facere: quod quidem falsum est. Ex al-
lia verò parte dicit esse falsum, quod homo debeat
mundum relinquere, diuitias & honores contem-
nere, desideria carnis abicendere, elemosynis pec-
cata sua redimere, monachatum demum accipere,
hæc & alia multa facere: quod totum verum pro-
batur esse. Sed cum aliquis, qui inter rectos & non
rectos cogitatus scit discernere, audit diabolum in
corde suo hæc dicere, iudicat iniustum esse cogita-
tum, quem ille esse iustum dicebat, & esse iustum,
quem ille iniustum esse affirmabat. Et hoc iudicio
facto, abiicit iniustum & sequitur iustum: contem-
nensque mundum, accipit monachatum. Sicque dia-
bolus conuictus, à cordis placito recedit: contris-
taturque, quia vincere non potuit. Sed postquam sperat
diabolum, quia homo oblitus fuerit, quod antea sic
iudicauerat, putans eum in aliqua parte posse in-
uenire immunitum, ad eundem locum cordis reuer-
titur, renouatoque placito, quasi non rectè definito,
conqueritur. Quod si ille pro certo cognouerit,
quia rectum iudicauit in eo, quod sæculum relin-
quendum esse censuit, diabolus statim non esse re-
ctum respondet, ut eum tam citò vel ita omnino de-
fereret: adhuc posse sibi ipsi, remanendo in seculo, in-
dulgere; pauperibus, vel suis ad eum respicientibus,
subuenire. Sed ille, qui semel mundum, ipsumque
diabolum rectè superauit, non curat ea, quæ frau-
dulenter ei dicit, sed firmum tenet. Quia quod se-
mel iuste est stabilitum, non esse denique destruendum.
Et quod denique rectè definitum relinquendum, non
esse iterum appetendum. Sic enim facile, Deo sub-
ueniente, diabolum poterit superare.

Similitudo inter Deum, & aliquem Regem.

Caput LXXV.

Deus ipse sic inimicitias exercet aduersus di-
abolum, quomodo Rex quidam contra prin-
cipem quendam inimicum suum. Hic autem Rex,
habet in regno suo villam admodum amplam.

De regno, & villa, & castello, & Dongeone.

Caput LXXVI.

*Dongeone
vocat arcem
Est enim
gallica di-
ctio (donge-
ou) arcem
significans:
ad quam, ve-
luti ad locum
tiorè, aut
cines aut
militès sese
recipiunt.*

In villa verò Rex habet castellum quoddam, su-
pra castellum autem vnum dongeonem. In vil-
la, quædam domus sunt validæ, plures inualidæ. In
castello autem firmitas est tanta, vt si quis illuc cõ-
fugerit, nisi inde redierit, ab aliquo lædi non pos-
sit. Tanta verò securitas est in dongeone, vt si quis
illuc semel poterit ascendere, nunquam eum inde
libeat redire. Hæc autem omnia, ille Rex habet in po-
testate sua. Inimicus verò eius est ita fortis, vt quic-
quid extra villam inuenit, sine villo obstaculo cõpre-
hensum abducit. In ipsam quoque villam sæpius intrat,

& domos, quas inuenit inualidas, violat, eosque, qui
inhabitant, captiuos cum suis asportat. Illas verò,
quas firmas inuenit, postquam eas irrumperè ne-
quit, ad extremum inuitus dimittit. In castellum
quoque non potest ascendere; nec illuc confugienti-
bus quicquam mali facere, nisi redierint ad prælium
villæ. Sed si amore suorum parètum redierint, quia
eos audiunt occidi, & malè tractari, & per foramè
vel fenestram curiosè respexerint, tunc eos facile oc-
cidere, aut vulnerare poterit. Quapropter necesse
est eis, vt nunquam ad clamorem parentum atten-
dant, nec ad bellum reuertantur, aut respiciant: sed
semper, vt ceperunt, fugiant, donec ad summitatè
dongionis peruenierint. Postquam enim illuc per-
uenerint, erunt omnino securi. Itaque Rex ille Deus
est, qui cum diabolo bellum habet. Hic in suo reg-
no habet Christianismum, in Christianismo verò
monachatum; supra monachatum; conuersionem
tantummodo Angelorum. In Christianismo, qui-
dam in virtutibus sunt validi, plures verò inualidi.
In monachatu autem firmitas est tanta, vt si quis il-
luc confugiens, monachus effectus fuerit, nisi inde
penitendo redierit, à diabolo lædi non possit. In
Angelorum verò conuersione, gaudium est se-
curitatis tantæ, vt quisquis illuc ascenderit, nolit
inde vnquam redire. Hæc autem omnia, Rex idem
Deus habet in potestate sua. Inimicus verò eius, id
est, diabolus, tantæ potestatis est, quod omnes Inde-
os atque paganos, quos extra Christianismum repe-
rit, nullo obstaculo rapit, & in infernum, demergit.
In ipsum quoque Christianismum sæpius intrat, &
eos, quos debiles inuenit, tentando violat, animas
quoque corporibus inhabitantes, captiuas asportat.
Illos verò, qui fortes sunt, & bene muniti, postquam
eos superare nequit, tandem, licet tristis, dimittit.
In monachatum quoque non valet irrumperè; nec
his, qui monachi effecti sunt, quicquam facere ma-
li, nisi ad seculum redierint corpore, vel aliqua pa-
rentum affectione.

*Similitudo inter monachum, & potionem, &
Abbatem, & medicum.*

Cap. LXXVII.

Atendant nouitij, quia sic agit, qui monacha-
tus accipit difficultatem, quomodo infir-
mus, qui grauem accipit potionem. Plerumque è-
tenim contingit vt qui aliquam patitur infirmita-
tem corporis, potionem quærat, qua ab illa infir-
mitate curari valeat. Cum enim medicus ei dicit, vt
illam vel illam potionem accipiat, & sic sanari po-
terit, emit eam, vel gratis accipit datam. Sed cum
potio fortis, eius viscera rimatur, membra omnia
percurrit, malos humores contrahit; vires tollit,
corpus dissoluit, terræ infirmum prosternit, desi-
derium maximum bibendi in eo accedit, vel dor-
miendi, vel foras ad ventum exeundi: eique medi-
cus interdicit, comminans quia morietur, si hæc fe-
cerit. Heu me infirmus, inquit, cur potionem hanc
accepi? Malè mihi prius erat, & modo est peius.
Heu quanto meo malo illos vidi, qui hoc consili-
um mihi dederunt, nec mihi, quia hoc & hoc me
opoteret pati, prædixerunt. Si enim hoc sciuissem
nunquam potionem accepissem. Sic & sic iste con-
queritur, dum potione coarctatur. Cum verò mali
humores defluere ceperint, totumque corpus pati-
latim leuiari, gaudet & exultat, quia talem potionem
accepit, per quam ad præstinam sanitatem redire se
sentit, & homines qui hoc consilium ei dederunt
benedicit. Similiter verò multotiens accidit,
vt aliquis, qui animæ suæ infirmitatem con-
siderat, medicinam inde spiritualem quæ-
rat. Quia ab illa vitiorum suorum infirmitate

A tate mundari valeat. Cùmque ei aliquis spiritua-
lis homo dicit, quod per monachatum posset sal-
uari, dat quicquid habet, vt in monasterio aliquo
suscipitur, vel ei gratis aliquando conceditur, &
suscipitur. Sed cùm ordinis difficultas cogit eum
vigilare, dum vellet dormire, esurire, dum vellet e-
dere: sitire, dum vellet bibere; tacere, dū vellet lo-
qui; legere vel cātare, dum vellet quiescere, sedere,
cū vellet stare vel ambulare: aut stare velambu-
lare, cū vellet sedere: iniurias sustinere multas,
propriam voluntatem ex toto deserere: Me mise-
rum, inquit, hunc habitum quare suscepi? Antea
malè agebam, sed modo peius ago; quia tot & tan-
ta, quæ mihi iubentur, adimplere non valeo; & vix
nisi inuitus, aliquid boni perficere valeo. Quid igi-
tur? Væ mihi, væ mihi. Vt quid his credidi, qui
mihi hoc consuluerunt? Putabam, quod omnes isti
homines essent sancti. Hæc & his similia nouiti-
us dicit, dum ordo illi in principio videtur grauis.
Sed postquam sentit, & secum considerat, quia hæc
vnanimiter patiēdo, sic omnia sua posse aboleri
peccata, sicq; sanitatem animæ citius recuperare;
totum, quod antea graue videbatur, paulatim leue
efficitur, & quasi iam nihil malè habens, lætari in-
cipit, Deo gratias agit, quia monachatum suscepi-
t & meruerit; & omnes, qui tale consilium sibi dede-
runt, benedicit.

Contentio inter conuersos monachos, & nutritos.

Caput LXXVIII.

Verum, quia de conuersis & nutritis congre-
gatur ordo monachorum, dicendū est, quod
solet esse contentio quædam inter nutritos mona-
chos & cōuersos. Attendunt enim nutriti se nulla
crimina commississe, nec se in seculi sordibus coin-
quinaſse, sed quia mundā ab infantia vitam duxe-
runt, & in Dei seruitio semper laborauerunt: Illos
verò è contrario vixisse cōsiderant, & ideo merito
inferiores esse iudicant. At contra, cōuersi, quia sci-
entiam exteriorum habent, & res monasterij sapiē-
ter tractant, nutritis ipsis necessaria inueniunt, or-
dinem quoq; suū feruentius plerumq; custodiūt:
Illos verò parum in his valere considerant, ideo se
meliores illis æſtutant, sicq; alijs alij se præferant,
dum non suam, sed aliorum infirmitatē attendūt.
Sed si verè monachi essent, sic esset inter eos, quo-
modo inter Angelos in cœlis, & homines sanctos.
Angeli enim sunt quasi nutriti, sancti verò homi-
nes quasi cōuersi. Sed nec Angeli sanctos despici-
unt, quia tentationib. aliquando victi sunt, nec san-
cti Angelos, quia nullā, quam vincerent, passi sunt
tentationē. Si enim Michael diceret Petro: Tu Do-
minū negasti; posset Petrus respondere. Verū qui-
dem est, quod dicis, sed tu pro Domino nunquam
vel vnum colaphū sustinuisti. Quod omnino non
faciunt, sed ita existunt cōcordes, ac si omnes essēt
Angeli, vel homines. Sic ergo sunt isti, ac si nutriti
sint omnes, aut conuersi.

Similitudo inter monachos, & Angelos & Deum.

Caput LXXIX.

Sic est inter monachorum congregationē in ter-
ris, & congregationē Angelorum in cœlis, quo-
modo inter eos, qui sunt adhuc exterius in cella
nouitiorum: & illos qui iam sunt interius in con-
gregatione monachorum, qui vt præualeant, in om-
nibus se perfectè custodiunt. Hos enim Abbas
per semetipsum iam omnia docuit, quæ vult eos
obseruare, illis verò magistros ex istis preponit, qui
eos doceant, quæ debeant custodire. Isti iam probati
sunt in omni humilitate, & obedientia, & pa-
tientia, & obseruatione omnium, quæ ordo expos-

C cit. Illi verò adhuc probandi sunt, vtrum velint esse
humiles, obediētes, patientes, & obseruare omnia,
quæ ordo requirit. Vnumquemque ergo illo-
rum is qui eis magister deputatus est, probat, & ar-
guendo, & increpando. Plerumque etiam flagellā-
do tentat, an aptus ad recipiendum in congregati-
one aliorum existat. Quem si viderit cuncta patiē-
ter sustinere, & aliorum consortio per omnia di-
gnum esse, venit ad Abbatem nuntians ei coram
omni congregatione: Domine, (inquit) nouitius
ille, quem mihi commisisti, ita perfectè se habet om-
nibus modis, quod iam est dignus inter nos esse,
si iubetis. Quibus auditis, Abbas, aut eum recipit,
communi consilio fratrum, aut adhuc dimittit, ad
exemplum aliorum nouitiorum. Sicq; de isto no-
uitio condignè agitur, qui seruorum Dei confor-
tio iam dignus habetur. Illum autem nouitium,
quem magister suus viderit inobediētem, inpati-
entem, superbum, susceptione indignum; postquā
eum diu tollerauerit, multisq; modis emendare
tentauerit: tandem si nihil proficere potest, venit
ad Abbatem, & talia ei refert: Domine, inquit, no-
uitius ille, quem habui, in custodia, vt eū docerem,
quomodo posset esse dignus conuersatione nostra,
ita peruersè se habet in omnibus, quæ agit, vt nec
inter reliquos nouitios dignus sit conuersari. Pro-
uidere itaq; vobis conuenit, quid potius de eo faci-
endū sit. Ad hoc ille respondens, magistrus hortat-
ur, vt eum adhuc omnibus modis emendare con-
etur, dicens melius esse illū inter reliquos tollerare,
quā dimittere ad seculū reuerti. Sicq; nouitius iste,
nec in congregatione recipitur, nec à cella no-
uitiorū expellitur. Similiter ergo est considerandū
per omnia inter Deum, & Angelos, & monachos,
quomodo inter illum Abbatem, & magistrum, at-
que nouitios monachos.

Similitudo inter Deum, & aliquem Imperatorem

Caput LXXX.

Videndum est, sic esse inter Deum, & homines
& Angelos, quomodo inter Imperatorem ter-
renum, & sibi obsequentes. Tria quippe sunt ge-
nera hominum, quæ terreno Imperatori seruiunt.
Alij enim seruiūt ei pro terris, quas habent, nihil aliud
quærentes, nisi quod tenent. Alij, qui terras re-
cuperare volunt, quas eorum parentes aliqua sua
culpa perdididerunt. Alij verò pro soliditatis cātum.
Illos itaq; Dominus honestius tractat, qui nihil vn-
quam deliquerunt, nec aliud, quā quod habent,
quærit. Hi radicati sunt, & fundati, nec euelli for-
midāt, dum se in voluntate Domini sui conseruāt.
Illos verò, quorū parentes sibi peccauerūt, qui que
pro illorum hereditate sibi seruiūt, aliquādo vilius
tractat, modisq; diuersis tētat, videlicet cōuiti-
ando, comminando, quædā graua iubendo, quan-
doque etiam flagellando. Qui si hæc omnia hu-
militer sustinuerint, & Domini sui misericordi-
am patienter expectauerint, tandem eis Dominus
hæreditatem patrum suorum reddit. Si verò nolue-
rint hæc tollerare, nec suam valent hæreditatē re-
cuperare, nec aliud vult eis Dominus dare. Illi au-
tem, qui nihil aliud quærent, quā soliditas, & vt
bene pascantur; tam diu Imperatori obsequuntur,
quam diu hæc eis largitur: Quæ si eis abundanter
donauerit, laudant eū, & dicunt: Verè Domino ta-
li seruiendū est, quia talia seruiētib. sibi confert. Si
verò hæc illis dare desiterit, statim recedūt ipso vi-
tuperato, & incipiūt seruire ipsius inimico. Tria igi-
tur hæc sunt genera hominum, alicui terreno Im-
peratori militantium. Similiter autem tria sunt
genera eorum, qui superno regi deseruiūt. Primū
genus sunt Angeli, qui æterna beatitudine stabiles,
sibi

A sibi sine omni intermissione sunt seruietes. Aliud verò homines boni sunt, qui in quantum, possunt, suæ voluntati obediunt: sicque ad regnum cœlorum patris sui Adæ culpa perditum, hæreditario iure peruenire contendunt. Tertium autem hi, qui tantum pro terrenis seruiunt commodis, quasi milites stipendiarij. Sic ergo per omnia est, considerandum inter hæc tria genera & Deum, quomodo inter alia tria supradicta, & Imperator è suum.

Quod monacho proficit, si aliquod bonum inuitus faciat.

Caput LXXXI.

Contingit aliquando quempiam sicut abundanter humoribus malis, ut nisi secetur, aliter sanari non possit. Ut ergo ab eis possit ex toto mundari, sponte sua prius se facit ligari: rogans etiam eos, qui eum secturi sunt, ut non eum dimittant, quicquid ipse dicat, donec eum perfecte secuerint. Cum ergo putredinem pungere ceperint, & refecare, clamat, & dicit, se prius nihil mali habere, comminaturque eos, nisi eum dimiserint, occidere. Sed illi, qui eum hoc dicere propter dolorem sciunt, non verba illius attendunt, sed ut ceperant, putredinem perfecte abscindunt. Cum autem ad plenum mundatus melius habuerit, eisdem, quos antea minabatur occidere, gratias agit, quod non eum ad voluntatem suam dimiserint. Quid ergo? Nunquid non ideo prodest ei sectio, quia eam tollerant inuitus, cum ad eam tollerandam se fecit ligari voluntarius: Prodest reuera, quia per eam abscissa est infirmitas, & reparata est sanitas. Similiter autem plerumque contingit, ut aliquis fedundet vitis, & intelligat, quod aliter saluari non valeat, nisi a se ferro districtioris penitentia fuerint refecata. Ut ergo inde purgari perfecte queat, alicui in monasterio sponte sua se alligat. Professionem etenim faciens, ibi stabilitatem, morumque suorum conuersionem promittit; seque intra monasterij claustra eo tenore recludit, ut medici spirituales, videlicet sui pastores, qui eum corrigere debent, quicquid ipse postea dicat, non eum dimittant: sed eius vitia refecent & emendent. At plerumque cum eum ceperint ad meliora stimulare, & eius vitia corripiendo refecare, recalcitrant atque irascuntur: dicens se non esse culpabilem, unde reprehenditur: ipsosque, qui eum arguunt, aliquando etiam perimere minatur. Hi verò, qui hoc eum proferre propter ordinis districtiorem cognoscunt, non eum ideo dimittunt, sed ab eo districtè stultitiam, ut preualent, nunc hoc nunc illo modo abscindunt, cum itaque fuerit emendatus a vitis, & mitior factus, ad se reuertus eisdem gratias reddit, quibus irascebatur, quod eum reprehendendo correxerint. Quid igitur? Nunquid non ideo sibi prodest illa tanta districtio, quia eam infirmitatem carnis inuitus sustinuit, cum ad eam sufferendam sponte sua in monasterio se alligauerit? Proderit utique: quia & per eam liberatur ab omni infirmitate vitiorum, & redit ad veram sanitatem virtutum. Sed dicit aliquis: Melius esset, ut Deo sine professione seruiret spontaneus, quam in monasterio professione se alligans, seruire cogere inuitus.

B

Quod magna sit spes monachi profici.

Caput LXXXII.

Hic autem est respondendum: quia tanta distantia est inter illum, qui non vult facere Deo promissionem ad seruiendum sibi, & eum, qui libenter eam facit: quanta inter homines duos, qui ambo ex debito debent seruire Domino vni. Sed vnus eorum accedit ad Dominum, & dicit: Domine, ex toto corde tibi seruire volo, sed me esse tibi

C fidelem promittere nolo. Quia si hoc tibi promitto, & postea tibi peccarem, grauius delinques, grauiori vindicta dignus existerem. Quanto tamen melius potero seruiam tibi: sed si quando peccauero tibi, iudica me, ut illum, qui se tibi esse fidelem minime promissit. Alter verò venit, & dicit: Domine, ex toto corde meo te diligo, tibi que fidelitatem & subiectionem promitto: ut si aliquando fecero contra præceptum tuum, non me iudices ut alienum, sed emendes ut proprium seruum. His itaque dictis, euenit, ut ambo idem peccatum postea faciant: ac deinde penitentes, ad misericordiam Domini sui veniant. Dicit itaque Dominus illi, qui sibi fidelitatem promittere noluit. Quare hoc fecisti? At ille: Domine (inquit) confiteor, quia deliqui, sed tamen me tibi non esse delicturum non promisi. Sed ille: Ideone, inquit, noluisti mihi fidelitatem promittere, ut posses contra me liberius peccare? Ergo & ego contra te, non ut erga meum, sed ut aduersus alienum agam, tortumque, quod erit mei iuris, vsque ad vltimum quadrantem exigam. Hoc itaque iudicato, conuersus ad alium, dicit: Et tu serue, qui mihi fidelitatem promiseras & ideo tibi magis cauere debueras, quare hoc fecisti? At ille: Domine, ait, confiteor reuera me deliquisse, tibi que fidelitatem promississe. Sed postquam me penitet, quia deliqui, debeo ego peius pati, quia tibi fidelitatem antequam deliquissem promisi, quam ille, qui hanc tibi non vult promittere, etiam postquam peccauit? Ideo quippe volui me esse tuum, ut si quando peccarem, non me iudicares ut alienum, sed emendes ut proprium. At Dominus: Ita est, inquit, ut dicis. Cum ergo voluero de te vindictam accipiam, ut de meo. Sic autem & Deus, inter professum monachum & nolentem profiteri, iudicat, si eos contra eum peccasse peniteat. Non solum autem professum minus iudicat non professum, sed etiam quolibet laico, adhuc in seculo constituto. Licet enim vterque idem peccatum committat, cum ex corde monacho peniteat deliquisse, cumque ordinem, cui se subdidit, feruenti amore custodiat, maiorem quam laicus misericordiam consequetur, quantumlibet ille peniteat secularibus adhuc detentus. Si verò penitere noluerit, maiori quam laicus damnationi subiacebit.

Similitudo inter monachum peccantem, & laicum.

Caput LXXXIII.

Quod ut apertius à simili videamus, homines duos vnus Domini seruos intueamur. Ambo itaque à Domino illo possessiones proprias obtineant sibi, sub iureiurando promisso, quod ei fideles existant. Vnus tamen illorum conditione tali hoc faciat, ut si quid in eum quandoque delinquat, de proprio suo, pro ut fuerit iustum, sibi emendet. Alter verò Dominum suum adeo diligit, ut nihil proprium retinere: sed omnibus ei dimissis, familiarius sibi malit seruire. Hoc etiam pactum cum eo faciat, ut si aliquando quid contra eum committat, de seipso, non ut de re aliena, sed ut de proprio, quam voluerit vindictam assumat. His igitur actis, si culpam eandem committit vterque, ac deinde penitentia ducti velint emendare, sed ille de proprio, quod nec adhuc totum vult dare, pro illius culpæ satisfactione: Iste verò de seipso, quoniam etiam totum iam prius Domini sui micipauerat potestati: videaturque Dominus, quod ille tantum facere noluerit: etiam postquam sibi peccauit, quantum istæ, priusquam in illum delinqueret, fecit. De quo, inquam, maiore velle videtur habere misericordiam, an cum illo videtur velle mitius agere, quam cum illo quæ operibus comprobatur se minus diligere?

Quod

A Quod si hūc velit altero durius arguere: Serue (inquitens) male, quanto mihi eras familiarior, tātō es culpabilior. Potest iste sibi sic respondere; Domine (inquitens) verū est, quod dicis. Sed quādiu pœnitere nolui: ac postquam totō corde pœniteo, meq; ipsum in emendationem trado, nūquid nam peius illo debeo pati, qui nec illud, quod habet, tibi totum vult dare pro satisfactione sui cōmissi? Iustum ne tibi videtur, vt quia te magis dilexi, minorem debeā misericordiam consequi? Immo eo maiorem mihi facere deberes misericordiā, quo nullā maiorem tibi facere possum satisfactionem? Quid aliud Dominus diceret, quā quod veritas habet? Hunc ergo mitius iudicat, vt ex toto propriū: Illum verō seuerius, vt minus sibi priuatū. Sic enim Deus celerius indulget monacho, qui se ei totum committit: quā laico dare nolenti, se vel sua, pro his quæ commisit,

Similitudo inter monachum, & arborem.

Caput LXXXIII.

E Tenim rursus à simili potest videri, acceptabilius esse Deo bonū opus monachi, quā hominis cuiusquam secularis. Solet quippe accidere, duos esse homines sub Domino vno, singulas habentes arbores in proprio solo. Arborea autem ille fructum ferunt bonum vtręq;. Verū quia illi Dominum inequaliter diligunt, etiam ei de fructu earum impariter seruiunt. Vnus enim eorū, quia minus eum diligit, cū arboris suæ fructus fuerit maturus, colligit, fertq; inde Domino suo, quantum sibi fuerit visum. Alter autē ad eō Dominum amat, vt ad eum veniens, arborem ipsam ei offerat. Domine (inquit) arborem habeo quādam, bonū valde fructum ferentem; quæ si vestræ congruit dignitati, malo eam vestri esse iuris, quā mei. Eā igitur offero vobis, vt amodō vobis fructificet soli. Ipsam quoque vestro assignabo præposito, vt ex ea fructum colligat, indeq; vobis, prout velle vos noverit, diligenter deseruiat. Sed & ego, quanta diligentia potero, eandem vestrę voluntati custodire curabo. Cuius igitur obsequium, Domino magis videtur esse acceptum? An illius, qui quantumcumque voluerit, dat ei de fructu propriæ arboris? Vel illius, qui arborem & fructum totaliter offert? Immo magis illius, qui arborem totam dat ei cū fructu. Sic ergo & seruitium monachi, Deo est magis acceptum, quā hominis secularis. Ipsi enim sunt homines duo, qui sub Deo, velut arbores quasdam habent seipsos, ipsi quoque vtrique, sunt apti ad ferendum fructum operis boni. At quia nō eodem modo diligunt Deum, nec ei pariter bene operando deseruiunt. Secularis enim, quia eum minus diligit, tunc tantum, cū bene operādi animum habuerit, boni operis offert Deo, quantum voluerit. Monachus verō eum diligit in tantum, vt ad eum accedens, totum ei offerat seipsum, factis ac verbis eum sic alloquens: Domine (inquit) meæ hæcenus potestatis eram: quod quæ mihi libebat bonū malumq;, faciebam. Verū, quia tuus omnino debeo esse, tibi quæ soli tantum bona opera fructificare, me totum tuę trado potestati, vt amodō tibi fructificem soli. Quod vt melius facere valeam, me vni ex Ecclesiæ prælatis subdam, qui me custodiens, ea tantum opera doceat facere, quæ tibi noverit magis placere. Sed & ego, pro modulo meo, me ipsum custodire studebo. Cuius ergo munus magis Deo est acceptabilis? An illius, qui sibi offert quædam ex operibus suis, plurima verō subtrahit? Immo illius magis, qui dat ei seipsum cum operibus suis cunctis. Nec ideo propria priuatur merce-

de, quia sepe bonū opus cogitur agere. Sicut enim is qui arborem totam commisit præposito Domino sui, vt ex ea fructum colligeret, ex quo & Domino suo, prout eum velle nosset, deseruiret. Vt (inquam) propriam non perdit meritum, si ille colligit fructum, priusquam maturescat, aut in arbore dimittat e contra, donec putrescat. Sic monachus, qui se totum commisit prælato, vt eum custodiret ea opera tantum ab eo agenda exiget, quæ Deo placere potius nosset. Sic (inquam) propriam non perdit mercedem, si quid operis boni agere cogatur, antequam velit: vel e contra prohibeatur, cū agere velit, donec & ipsam amittat voluntatē agendi. Nō ergo omittere debet, quicquid boni prælati ei præcipiat, vel præsumere vt agat, à quibuscuq; eum prohibeat. Est enim iustus præuidere, quid præcipiat, quid prohibeat, huius verō, sequi eum in bono per omnia.

Similitudo inter matronam, & diuinam voluntatem.

Caput LXXXV.

Accidit quandoq; matronā aliquā, filiam cum ancillis magistrę commendare, vt eas opera mulieribus congrua doceat. Illis verō præcepit, vt ei cunctę obediunt: quodq; sibi faciendum iniunxerit, expedite adimpleant. Hoc itaque disposito, magistrā eas in vnum congregat, & iniungit cuiq; quid agere debeat, & ne foras egrediatur, obseruat.

De filiabus matronæ. Caput LXXXVI

Quibus ita sub magistrę astrictis, bonæ quidem filiæ per omnia sibi obtemperant, sed nec abeundi foras licentiam quærere curant.

De Ancillis eius bonis.

Caput LXXXVII.

Ancilla verō similiter faciunt excepto quod instabiles existunt. Quia enim tædet eas in custodia diutius esse, licentiā foras exeundi quærunt quandoque. Quam si fortē obtinere non valent, non inde tristantur, vel murmurant; tantū dicunt, quia datam libenter acciperent. Quod si eis concessum fuerit, egrediuntur, quo eis visum fuerit, cessantq; interim ab operibus suis.

De ancilla latrone.

Caput XXXXIII

Inter eas autem quandoque est latro quædam, præceptis magistrę vix obedire volens. Hæc igitur, quia custodia tædio semper ei existit, licentiam exeundi sæpius quærunt, & causas, quæ rationabiles videantur, aduenit. Quam si obtinere non potest, contristatur vehementer, & dolet: suęq; magistrę, si audet, durius respondet. Si verō aperta causa ei non fuerit, ei occultè detrahit, quod quæciebat opus, interimit. Quod si operari iussa fuerit, præterdit protinus, quod sit infirma. Ac si quādo se solam viderit, protinus exilit, ostium petit, huc illucque circumspicit, mandat illi vel illi licentiam quærere secum loquendi. Quod si in hoc repta fuerit, atque correpta, profilit statim in huiusmodi verba: Quid (inquit) feci, quod sic debeam corripiri? Quæ mira visa sum agere, quia inferuntur mihi contumeliæ? Sed iam satis apertum videtur, quā iniuste contra me agant. Itaque refidet mæsta, dolens, quod ita sit reprehensa. At postquam ad modicum ille dolere recedit, maturitatem quandam præterdit. Cū quæ æstimat, quod ab alijs reputetur matura, licentiam rursus quærere tentat: Quā si habere nequiverit, protinus subdit. Stultus est, inquit, qui bene agit: cū æquè boni tractentur

vt ma-

A vt mali. Quod si licentiam habere poterit, foras confestim egreditur, huc illucq; vagatur, iuuenum confortia experit, multa non agenda committit. Vt ergo hac similitudine potest colligi, tria sunt genera voluntatis in subditis.

De obedientia, licentia, & inobedientia.

Caput LXXXIX.

Horum autem primum obedientia, secundum licentia, tertium inobedientia dici potest. Hæc verò genera omnia inueniri possunt in monachis quos matrona quædam magistræ cuidam commendauit, id est, voluntas diuina voluntati Abbatis eorum supposuit. Licentia quippe multos decipit. Obedientia verò & inobedientia, contraria sunt: harum media, licentia est. Is ergo, quem obedientia constringit claustra non egredi, vult tamen exire, regulæque restrictionem libenter declinare, quamuis nolit sine licentia id præsumere, & idcirco actum suum licentia qua præualet, conatur defendere, peccatum profecto habet ex illa illicita voluntate. Nō enim postquam mortuus est mundo, claustrum subiit ad mundi negotia, vel voluntate, vllatenus redire debuit, velle tamen suum non nisi permissus, facto implere vult. Obedientia ergo, quam in hoc amplexus est, ipsum factum excusabit: sed velle, quod contra obedientiam habuit, periculosum (nisi penituerit) illi erit. Quod nonnulli minus attendentes, licentia, quā pro implenda voluntate sua experunt, sepe falluntur. Vt igitur breuiter loquat & succinet, sub ipsa obedientia viuentes, sunt matronæ regalis filie. Ancillarum verò nomine, licentiæ adherentes accipe. Inobedientia verò quæ dicitur & ipsa latro, rebelles designantur in ordine monastico.

B *Similitudo inter monachum, & denarium.*

Caput XC.

Rursus à simili possumus videre, quæ in perfecto monacho debeant esse. Tria cuiq; bono insunt denario, quæ cuiq; bono & perfecto debet inesse monacho. Denarius quippe bonus puro ex ære, recto pondere, monetæque legitima, debet consistere. Si enim vnus ex his defuerit, venalis esse nō poterit. Vt ergo venalis valeat esse, hæc tria pariter debet habere. Hæc quoque debet habere & monachus, vt verè monachus esse reputetur. Eius quippe metalli puritas, pura est eius obedientia, nulla enim inobedientiæ impuritas, sed sola in eo debet esse obedientia. Rectum verò illius pondus, stabilitas est propositi eius. Non enim leuiter exufflari debet ab eo quod ceperit, sed vsq; in finem perseverare stabilis. Illius autem moneta, habitus est monachalis, atq; tonsura, ante & retro, & his consimilia. Sicut enim denarius à moneta dignoscitur, cuius sit regionis: sic ab istis monachus cuius sit ordinis. Is autem monachus, qui a deo est senex, vt ante & retro iam nequeat inclinare, denario illi est similis, cuius monetam temporis antiquitas iam deleuit. Iste verò, qui habitum monachalem non adhuc, sed vitam suscepit (& ideo nomen non habet monachi) assimilatur nummo ponderoso, monetam tamen non habenti, & ideo non æque venali. Verum sicut qui thesaurum congregare desiderat, huiusmodi nummum, ita vt habentem monetam, amat sic Deus, qui thesauro cælesti nos omnes reponere cupit, huiusmodi hominem, æque vt habitum monachi habentem, ibi reponit. Quem autem viderit habitum quidem monachalem habere, sed ex ære impuro, id est, inobedientem esse, huc thesauro cælesti nunquam reponit, sicut nullus de-

C narium falsum, licet aptè monetatum, suo thesauro reponere quærit. Quem verò viderit obedientem esse, etsi aliquando fragilitate peccet humana, non hunc tamen repellit, si verè peniteat. Vt enim a valido denario, denarius falsus, sic a perfecto, differt monachus imperfectus. Inualidus enim denarius minus habet pondus, quam debeat habere, sed illud, quod habet, puro ex ære constat. Falsus verò eandem, quam bonus, monetam præterdit, sed interius latet falsitas æris. Sic falsus monachus eundem quem perfectus, habitum habet: sed inobedientiæ falsitas, interius latet. Debilis verò, sed obediens, licet non tantam, quin aliquando cadat, habeat stabilitatem, obedientiæ tamen retinet puritatem. Mox etenim penitet eum, quia deliquit: quodque ei præcipitur, pura obedientia facit. Ille ergo, vt denarius falsus, a cælesti thesauro repellitur, hic verò, pro sui modulo vigoris, ibi reponitur. Nihil igitur cuiquam prodest habitum monachi exteriorē habere, si non studuerit & interiorem retinere. Duo quippe sunt ordinis genera, viro religioso conuenientia. Vnum exterius, quo religiosus videtur, aliud verò interius, quo religiosus habetur. Et illud quidem exterius, facticij; hoc verò interius, naturalis est ordinis. Facticius quippe ordo facticiæ sunt consuetudines, vt in ordine monachorum inueniuntur plures. Has etenim homines adinueniunt, quibusdam de causis rationabilibus seruandas instituerunt. Naturalis verò ordinis, naturales sunt virtutes, vt humilitas, charitas, & aliæ plures. Has enim Deus, ipsi naturaliter indidit homini, suæque causæ salutis seruandas mandauit. Ille itaque facticius ordo sine isto, nihil homini prodest, iste verò sine illo, etiam saluare hominem potest, vt tamen seruari valeat iste, valde necesse est sibi est & ille.

D *De similitudine inter corrigiam, & sotularem: & inter ordinem facticium, & naturalem.*

Caput XCI.

SIC enim est inter ordinem facticium & naturalem, quomodo inter corrigiam & sotularem. Corrigia namq; sola colligata pedi, nullo est munimento pedi; imò magis inconueniens videtur esse, si ibi sola circumligetur. Sotularis verò, etiam solis pedem munit, satisque decenter conuenit ei: ne tamen cadat, vel tortus fiat, necessaria sibi est corrigia, vt ligetur ex ea. Sic licet facticius ordo nihil solus profit, sed magis dedecet, naturalis verò sine illo, & profit & deceat; vt tamen iste firmiter teneatur, necessarius ille sibi habetur. Hinc quippe est, quod qui religionem interius seruare desiderat, habitum monachali exteriori se alligat, qui quod exterius demonstrat, semper eum esse arguat. Quia si postea noluerit hoc esse, magis enim dedecet habitus iste. Si enim (verbi gratia) monachus superbis fuerit, qui habitu exteriori humilitatem præterdit, multo inconuenientius esse videtur, quam si careret humilitatis habitu. Decet igitur vt quod ostendit exterius, studeat & habere interius. Nihil enim penè exterius habet in habitu, vel possessione sitæ consuetudine, quod non eum commoneat aliquid interius habere.

De vestibus monachi. Cap. XCII.

Quod enim viles nigraeque sunt vestes, vt se vilem reputet peccatorem commonet. Quod verò eisdem, à capite vsq; ad pedes tegitur, hoc cum facere, à principio vitæ vsq; ad finem, hortatur. Hæc enim est talaris tunica & polymita, quam filio suo Ioseph fecisse legitur Iacob patriarcha. Quod autem eisdem in modum sunt crucis, eum semper habe-

A habere commonet memoriam Dominicæ passionis.

De corona & tonsura monachi.

Caput XCIII.

Corona denique capillorumque tonsura, eum esse sacerdotem & regem demonstrat. Sacerdotes quippe in lege, mitra tegebat caput, ad similitudinem cuius, & huic caput raditur. Reges autem coronis utuntur, ad cuius similitudinem, huius capilli tondentur. Hæc itaque coarctant eum, ut Sacerdotis & Regis gerat officium.

De spiritali sacrificio monachorum.

Caput XCIII.

Officium similiter sacerdotis erat in lege, generis diuersi pecora mactare: huius ergo similiter officium debet esse, leonem iræ & crudelitatis interficere, lupum rapacitatis, taurum ferocitatis, vulpem astutiæ, hircum immunditiæ, glirem somnolentiæ, equum & mulum luxuriæ, asinum pigritiæ, aliaque bestialia vitia occidere. Regis autem officium proprium est regere regnum; hostes inde propellere: ne iusto iniustus iniuriam faciat providere; malis depressis, bonos exaltare. Hoc itaque officium debet esse monachi, ut suæ mentis regnum regat, & corporis. Hinc enim omnia expellere debet vitia; providere, ne malus bono appetitus resistat, sed ut bonus malum sibi semper subijciat. Quicquid postremo exterius ostendit in habitu, vel in consuetudine, vel & in ipsa professione, studeat etiam interius habere. Alioquin, nihil sibi corona siue tonsura proderit, vllusue habitus monachalis. At sunt plerique, qui facticio ordini impurant, quod naturalem non seruant. Dicunt enim bono animo se pati non posse, quod eis imponantur consuetudines tantæ. Queruntur etiam, quod in seculo meliores fuerint, eosque monachatus deteriores effecerit. Verum quisquis hoc dicit, denario falso est similis.

Similitudo inter monachatum & ignem.

Caput XCV.

Falsus quippe denarius, bonus plerumque esse videtur, at si in ignem fuerit missus, protinus falsus esse probatur. Sic plerumque male morigeratus homo, bonis esse moribus videtur in seculo; verum si rigorem arripuerit aliquo instinctu monachatus, culpisque postmodum exigentibus regulariter fuerit increpatus, protinus probatur non esse quod videbatur. Qui enim humilis videbatur esse & patiens, mox superbus inuenitur & impatiens. Quod si hoc imputaerit ordini, tale est ac si denarius dicat igni, tu me falsum fecisti. Non autem falsum eum fecit, sed quod erat, ostendit. Sic denique istum non ordo, male morigeratum effecit, sed quia hoc iam esset, declarauit. Non igitur ordinem sed seipsum accuset, moresque peruersos in bonos commutet. Nisi enim esse bonis moribus videatur, bona, si qua exterius agit, paruipenduntur.

De interiori virtute, & exteriori.

Caput XCVI.

Duo quippe virtutis sunt genera, quæ inter se sic differunt, ut corpus & anima. Vnum enim interius, & inuisibile: Aliud verò exterius est, atque visibile. Interius namque est charitas, humilitas, patientia, benignitas, cæteraque similia: Exterius verò, ieiunare, elemosynas dare, in orationibus vigilare, lachrymari, aliaque huiusmodi. At sicut corpus sine anima non diu subsistere valet, anima verò sine corpore esse potest: sic exterius genus sine interiori non

diu subsistit, cum hoc interius faciat sine exteriori. Diu enim charitatem habere quis potest, etiam si non ieiunet; cum diu pro Deo ieiunare non possit, si eum non amet. Ut tamen plerumque spiritus malignus corpus assumit, illudque, vegetando subsistere facit: sic inanis gloria cor hominis intrat, illudque virtutis genus exterius simulat. Sicut enim charitas ieiunare, sic & inanis gloria facit. At sicut corpus exanimatum cito foetet, & contemnitur, sic exterius genus sine interiori Deo & Angelis displicet. Cum enim quispiam ieiunio quidem intentus, sed irasci facile videtur: si de ieiunio laudetur ab aliquo, confestim respondetur ab altero. Quis, inquit, de illius curet ieiunio, qui sic inflatur pro nihilo? Si autem frequentius manducaret, sed humilis & patiens esset, recte videretur. Sed si, qui non ieiunat, ab aliquo reprehendatur, ilico ab altero respondetur: Bene utique, ut manducet, promeretur; qui adeo patiens est, & benignus.

Similitudo inter monachum & hortulanum

Caput XCVII.

Sciendum est ad virtutes tendenti, quod agere debeat more boni hortulani. Hortulanus quippe, qui plantare appetit herbas, prius terræ naturam considerat, ubi eas plantet. Nisi enim terræ earum natura conuenerit, crescere vel fructificare nullatenus poterunt. Sic qui virtutum facere vult plantarium, quo in loco plantet eas, sibi est præuidendum. Si enim locus fuerit vitiosus, & ipsa virtutes in vitia redigentur.

De edificante domum: & quod superbia sit vallis maxima, bestijs vitiorum plena.

Cap. XCVIII.

Rursus sic eum agere decet, velut qui domum ædificare debet. Qui enim ædificium facere vult stabile, soliditatem prius considerat terræ: quo scilicet fundamentum firmum supponere, parietes erigere, tectum superimponere, tutusque intus possit inhabitare. Sic qui virtutum vult facere ædificium, quo securus inhabitet ab insidijs demonum; quo in loco sui construat illud, sibi est præuidendum. Si enim locus eius non fuerit firmus, nec ædificium diu subsistere poterit. Hoc itaque, solum vel terra bona, est humilitas, cuius cunctis virtutibus congruit natura, easque velut firmum fundamentum sustentat.

De monte humilitatis, & septem gradibus eius.

Caput XCIX.

Non est in altum eleuata superbia, sicut quidam putant, sed demissa est, & vallis maxima, bestijs vitiorum plena, & caligine tenebrarum densissima. Nam quanto amplius quis superbia inuoluitur, tanto lucem veritatis minus intuetur. Nec clare iustum ab iniusto, quamdiu in tenebris, id est, in cæcitate cordis sui iacet, discernere superbus potest, sed quæ sunt distorta, æque sectatur, ut recta. Unde fit, ut in valle ista tenebrosa vitiorum, sit copia quasi bestiarum crudelium multitudo magna. Nam leones crudelitatis, vulpes calliditatis, serpentes quoque venenose inuidiæ, ranæ garrulitatis & iracundiæ, cætera etiam vitiorum animalia solent ibi abundare. Quæ quæto plus cuique familiares habentur, tanto minus, quam sint crudeles, videntur. Consuetudo enim vitij est, ut non facile videatur ab illo, qui eo premitur: Sed mox ut cessauerit, & ab eo se alienauerit, tunc demum considerat, in quantâ feditate & miseria iacuerit, & quæ graues morsus malarum bestiarum tollerauerit. Humilitas autem mons magnus est, in cuius summitate lux est non modica, & honestarum personarum, id est, sanctarum

A vt mali. Quod si licentiam habere poterit, foras confestim egreditur, huc illucq; vagatur, iuuenum consortia experit, multa non agenda committit. Vt ergo hac similitudine potest colligi, tria sunt genera voluntatis in subditis.

De obedientia, licentia, & inobedientia.

Caput LXXXIX.

Horum autem primum obedientia, secundum licentia, tertium inobedientia dici potest. Hæc verò genera omnia inueniri possunt in monachis quos matrona quædam magistræ cuidam commendauit, id est, voluntas diuina voluntati Abbatis eorum supposuit. Licentia quippe multos decipit. Obedientia verò & inobedientia, contraria sunt: harum media, licentia est. Is ergo, quem obedientia constringit claustra non egredi, vult tamen exire, regulæ quoque restrictionem libenter declinare, quamuis nolit sine licentia id præsumere, & idcirco actum suum licentia qua præualet, conatur defendere, peccatum profecto habet ex illa illicita voluntate. Nō enim postquam mortuus est mundo, claustrum subijt ad mundi negotia, vel voluntate, vllatenus redire debuit, velle tamen suum non nisi permissus, facto implere vult. Obedientia ergo, quam in hoc amplexus est, ipsum factum excusabit: sed velle, quod contra obedientiam habuit, periculosum (nisi penituerit) illi erit. Quod nonnulli minus attendentes, licentia, quæ pro implenda voluntate sua experunt, sepe falluntur. Vt igitur breuiter loquat & succincte, sub ipsa obedientia viuentes, sunt matronæ regalis filie. Ancillarum verò nomine, licentiæ adherentes accipe. Inobedientia verò quæ dicitur & ipsa latro, rebelles designantur in ordine monastico.

B *Similitudo inter monachum, & denarium.*

Caput XC.

Rursus à simili possumus videre, quæ in perfecto monacho debeant esse. Tria cuiq; bono insunt denario, quæ cuiq; bono & perfecto debent inesse monacho. Denarius quippe bonus puro ex ære, recto pondere, monetæque legitima, debet consistere. Si enim vnus ex his defuerit, venalis esse nō poterit. Vt ergo venalis valeat esse, hæc tria pariter debet habere. Hæc quoque debet habere & monachus, vt verè monachus esse reputetur. Eius quippe metalli puritas, pura est eius obedientia, nulla enim inobedientiæ impuritas, sed sola in eo debet esse obedientia. Rectum verò illius pondus, stabilitas est propositi eius. Non enim leuiter extusflari debet ab eo quod cepit, sed vsq; in finem perseverare stabilis. Illius autem moneta, habitus est monachalis, atq; tonsura, ante & retro, & his consimilia. Sicut enim denarius à moneta dignoscitur, cuius sit regionis: sic ab istis monachis cuius sit ordinis. Is autem monachus, qui a deo est senex, vt ante & retro iam nequeat inclinare, denario illi est similis, cuius monetam temporis antiquitas iam deleuit. Iste verò, qui habitum monachalem non adhuc, sed vitam suscepit (& ideo nomen non habet monachi) assimilatur nummo ponderoso, monetam tamen non habenti, & ideo non æque venali. Verum sicut qui thesaurum congregare desiderat, huiusmodi nummum, ita vt habentem monetam, amat: sic Deus, qui thesauro cælesti nos omnes reponere cupit, huiusmodi hominem, æque vt habitum monachi habentem, ibi reponit. Quem autem viderit habitum quidem monachalem habere, sed ex ære impuro, id est, inobedientem esse, huc thesauro cælesti nunquam reponit, sicut nullus de-

narium falsum, licet aptè monetatum, suo thesauro reponere quærit. Quem verò viderit obedientem esse, etsi aliquando fragilitate peccet humana, non hunc tamen repellit, si verè peniteat. Vt enim a valido denario, denarius falsus, sic a perfecto, difert monachus imperfectus. Inualidus enim denarius minus habet pondus, quam debeat habere, sed illud, quod habet, puro ex ære constat. Falsus verò eandem, quam bonus, monetam præterdit, sed interius latet falsitas æris. Sic falsus monachus eundem quem perfectus, habitum habet: sed inobedientiæ falsitas, interius latet. Debilis verò, sed obediens, licet non tantam, quin aliquando cadat, habeat stabilitatem, obedientiæ tamen retinet puritatem. Mox etenim penitet eum, quia deliquit: quodque ei præcipitur, pura obedientia facit. Ille ergo, vt denarius falsus, a cælesti thesauro repellitur, hic verò, pro sui modulo vigoris, ibi reponitur. Nihil igitur cuiquam prodest habitum monachi exteriorē habere, si non studuerit & interiorē retinere. Duo quippe sunt ordinis genera, viro religioso conuenientia. Vnum exterius, quo religiosus videtur, aliud verò interius, quo religiosus habetur. Et illud quidem exterius, facticij; hoc verò interius, naturalis est ordinis. Facticius quippe ordo facticiæ sunt consuetudines, vt in ordine monachorum inueniuntur plures. Has etenim homines adiuuenerunt, quibusdam de causis rationabilibus seruandas instituerunt. Naturalis verò ordinis, naturales sunt virtutes, vt humilitas, charitas, & aliæ plures. Has enim Deus, ipsi naturaliter indidit homini, suæque causæ salutis seruandas mandauit. Ille itaque facticius ordo sine isto, nihil homini prodest, iste verò sine illo, etiam saluare hominem potest, vt tamen seruari valeat iste, valde necesse est sibi est & ille.

D *De similitudine inter corrigiam, & sotularem: & inter ordinem facticium, & naturalem.*

Caput XCI.

SIC enim est inter ordinem facticium & naturalem, quomodo inter corrigiam & sotularem. Corrigia namq; sola colligata pedi, nullo est munimento pedi; imò magis inconueniens videtur esse, si ibi sola circumligetur. Sotularis verò, etiam solis pedem munit, satisque decenter conuenit ei: ne tamen cadat, vel tortus fiat, necessaria sibi est corrigia, vt ligetur ex ea. Sic licet facticius ordo nihil solus profit, sed magis dedecet, naturalis verò sine illo, & profit & deceat; vt tamen iste firmiter teneatur, necessarius ille sibi habetur. Hinc quippe est, quod qui religionem interius seruare desiderat, habitu monachali exteriori se alligat; qui quod exterius demonstrat, semper eum esse arguat. Quia si postea noluerit hoc esse, magis enim dedecet habitus iste. Si enim (verbi gratia) monachus superbus fuerit, qui habitu exteriori humilitatem præterdit, multo inconuenientius esse videtur, quam si careret humilitatis habitu. Decet igitur vt quod ostendit exterius, studeat & habere interius. Nihil enim penè exterius habet in habitu, vel possessione sitæ consuetudine, quod non eum commoneat aliquid interius habere.

De vestibus monachi. Cap. XCII.

Quod enim viles nigraeque sunt vestes, vt se vilem reputet peccatorem commonet. Quod verò eiusdem, à capite vsq; ad pedes tegitur, hoc cum facere, à principio vitæ vsq; ad finem, hortatur. Hæc enim est talaris tunica & polymita, quam filio suo Ioseph fecisse legitur Iacob patriarcha. Quod autem eadem in modum sunt crucis, eum semper habe-

A habere commonet memoriam Dominicæ passionis.

De corona & tonsura monachi.

Caput XCIII.

Corona denique capillorumque tonsura, eum esse sacerdotem & regem demonstrat. Sacerdotes quippe in lege, mitra tegebat caput, ad similitudinem cuius, & huic caput raditur. Reges autem coronis utuntur, ad cuius similitudinem, huius capilli tondentur. Hæc itaque coarctant eum, ut Sacerdotis & Regis gerat officium.

De spiritali sacrificio monachorum.

Caput XCIII.

Officium similiter sacerdotis erat in lege, generis diuersi pecora mactare: huius ergo similiter officium debet esse, leonem iræ & crudelitatis interficere, lupum rapacitatis, taurum ferocitatis, vulpem astutiae, hircum immunditiæ, glirem somnolentiæ, equum & mulum luxuriæ, asinum pigritiæ, aliaque bestialia vitia occidere. Regis autem officium proprium est regere regnum, hostes inde propellere: ne iusto iniustus iniuriam faciat providere, malis depressis, bonos exaltare. Hoc itaque officium debet esse monachi, ut suæ mentis regnum regat, & corporis. Hinc enim omnia expellere debet vitia; providere, ne malus bono appetitus resistat, sed ut bonus malum sibi semper subijciat. Quicquid postremo exterius ostendit in habitu, vel in consuetudine, vel & in ipsa professione, studeat etiam interius habere. Alioquin, nihil sibi corona siue tonsura proderit, vllusue habitus monachalis. At sunt plerique, qui facticio ordini imputant, quod naturalem non seruant. Dicunt enim bono animo se pati non posse, quod eis imponantur consuetudines tantæ. Queruntur etiam, quod in seculo meliores fuerint, eosque monachatus deteriores effecerit. Verum quisquis hoc dicit, denario falso est similis.

Similitudo inter monachatum & ignem.

Caput XCV.

Falsus quippe denarius, bonus plerumque esse videtur, at si in ignem fuerit missus, protinus falsus esse probatur. Sic plerumque male morigeratus homo, bonis esse moribus videtur in seculo; verum si rigorem arripuerit aliquo instinctu monachatus, culpisque postmodum exigentibus regulariter fuerit increpatas, protinus probatur non esse quod videbatur. Qui enim humilis videbatur esse & patiens, mox superbus inuenitur & impatiens. Quod si hoc imputauerit ordini, tale est ac si denarius dicat igni, tu me falsum fecisti. Non autem falsum eum fecit, sed quod erat, ostendit. Sic denique istum non ordo, male morigeratum effecit, sed quia hoc iam esset, declarauit. Non igitur ordinem sed seipsum accuset, moresque peruersos in bonos commutet. Nisi enim esse bonis moribus videatur, bona, si qua exterius agit, parvipenduntur.

De interiori virtute, & exteriori.

Caput XCVI.

Duo quippe virtutis sunt genera, quæ inter se sic differunt, ut corpus & anima. Vnum enim interius, & inuisibile: Aliud verò exterius est, atque visibile. Interius namque est charitas, humilitas, patientia, benignitas, cæteraque similia: Exterius verò, ieiunare, elemosynas dare, in orationibus vigilare, lachrymari, aliaque huiusmodi. At sicut corpus sine anima non diu subsistere valet, anima verò sine corpore esse potest: sic exterius genus sine interiori non

diu subsistit, cum hoc interius faciat sine exteriori. Diu enim charitatem habere quis potest, etiam si non ieiunet; cum diu pro Deo ieiunare non possit, si eum non amet. Ut tamen plerumque spiritus malignus corpus assumit, illudque, vegetando subsistere facit: sic inanis gloria cor hominis intrat, illudque virtutis genus exterius simulat. Sicut enim charitas ieiunare, sic & inanis gloria facit. At sicut corpus exanimatum cito foetet, & contemnitur, sic exterius genus sine interiori Deo & Angelis displicet. Cum enim quispiam ieiunio quidem intentus, sed irasci facile videtur: si de ieiunio laudetur ab aliquo, confestim respondetur ab altero. Quis, inquit, de illius curet ieiunio, qui sic inflatur pro nihilo? Si autem frequentius manducaret, sed humilis & patiens esset, recte videretur. Sed si, qui non ieiunat, ab aliquo reprehendatur, ilico ab altero respondetur: Bene utique, ut manducet, promeretur; qui adeo patiens est, & benignus.

Similitudo inter monachum & hortulanum

Caput XCVII.

Sciendum est ad virtutes tendenti, quod agere debeat more boni hortulani. Hortulanus quippe, qui plantare appetit herbas, prius terræ naturam considerat, ubi eas plantet. Nisi enim terræ earum natura conuenerit, crescere vel fructificari nullatenus poterunt. Sic qui virtutum facere vult plantarium, quo in loco plantet eas, sibi est præuidendum. Si enim locus fuerit vitiosus, & ipsa virtutes in vitia redigentur.

De edificante domum: & quod superbia sit vallis maxima, bestiarum vitiorum plena.

Cap. XCVIII.

Rursus sic eum agere decet, velut qui domum ædificare debet. Qui enim ædificium facere vult stabile, soliditatem prius considerat terræ; quo scilicet fundamentum firmum supponere, parietes erigere, tectum superimponere, tutusque intus possit inhabitare. Sic qui virtutum vult facere ædificium, quo securus inhabitet ab insidijs demonum; quo in loco sui construat illud, sibi est præuidendum. Si enim locus eius non fuerit firmus, nec ædificium diu subsistere poterit. Hoc itaque, solum vel terra bona, est humilitas, cuius cunctis virtutibus congruit natura, easque velut firmum fundamentum sustentat.

De monte humilitatis, & septem gradibus eius.

Caput XCIX.

Non est in altum eleuata superbia, sicut quidam putant, sed demissa est, & vallis maxima, bestiarum vitiorum plena, & caligine tenebrarum densissima. Nam quanto amplius quis superbia inuoluitur, tanto lucem veritatis minus intuetur. Nec clare iustum ab iniusto, quamdiu in tenebris, id est, in tæcitate cordis sui iacet, discernere superbus potest, sed quæ sunt distorta, æque sectatur, ut recta. Unde fit, ut in valle ista tenebrosa vitiorum, sit copia quasi bestiarum crudelium multitudo magna. Nam leones crudelitatis, vulpes calliditatis, serpentes quoque venenose inuidiæ, ranæ garrulitatis & iracundiæ, cætera etiam vitiorum animalia solent ibi abundare. Quæ quæto plus cuique familiares habentur, tanto minus quam sint crudeles, videntur. Consuetudo enim vitij est, ut non facile videatur ab illo, qui eo premitur: Sed mox ut cessauerit, & ab eo se alienauerit, tunc demum considerat, in quantâ feditate & miseria iacuerit, & quæ graues morsus malorum bestiarum tollerauerit. Humilitas autem mons magnus est, in cuius summitate lux est non modica, & honestarum personarum, id est, sancta-

Arum virtutum pulcherrima turba. Sed quicumque ad hunc peruenire desiderat, necesse est, ut per gradus quosdam ascendat, si hunc montem agnosce-
re & in habitare affectat.

Primus gradus humilitatis. Caput C.

1. Cor. 2.

Luc. 3.

Primus itaque gradus in monte humilitatis, est cognitio sui. Hunc unusquisque sic debet habere, ut se inferiorem omnibus iudicet; imitans Apostolum, qui se omnium suorum coepistolorum dixit esse minimum. Nam si esset aliquis homo, qui ita peccasset, ut Dominus eius sibi iusto iudicio pedes & manus amputare, oculos eruere, & totum corpus dilaniare posset, nec tamen faceret, sed ex sua misericordia illum tolleraret, vehementer se Domini sui debitorem cognoscere deberet; & eo magis humiliari, quo se minus perpenderet meruisse à Domino sic tollerari. Nos igitur Dominum nostrum in multis offendimus omnes: & in tantum, ut nos ex vindicta iustitiæ suæ, membratim posset dilaniare, aut iugi languore, in presentiffigere: aut poenis postmodum æternis tradere.

Quod qui in Deum peccat, omnem creaturam contra se excitat. Caput CI.

Ex qua offensione, non solum iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam aduersum nos excitauimus. Etenim si seruus alicuius à Domino suo recederet, & inimico Domini sui adhereret, non solum ipsum Dominum exacerbarer, sed & totam eius familiam iustissime irritaret. Cui igitur Dominum creatorem cunctorum offenderimus aduersum nos omnem creaturam, quantum spectat ad meritum nostrum, in iram commouimus. Potest ergo nobis iusta consideratione terra dicere, Non debeo vos sustinere, sed potius absorbere, quoniam à creatore meo, non timuistis peccando recedere, & inimico eius, diabolo seruire & adherere. Potest etiam cibus dicere, & potus; Non meruistis, ut vos pascere debeamus; immo potius, ut confusionem & necem vobis præparemus. Ab illo enim peccando recessistis, per quem ne ales esurit. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis & fons luminis, penitus coercere. Sic & singule quæque creaturæ, contra nos possunt surgere irrefragabili ratione. Proinde expedit nobis humiliari ne diu dilata vindicta, tanto acrius adueniēdo mala nostra puniat, quanto diutius tollerauit, quod punire poterat. Ut ergo humiliemur, quid simus, quid vel quales nati fuerimus, vel quid fecerimus, mente pertractemus, & nos viles peccatores, multoque supplicio dignissimos fore cognoscemus. Qui se ergo talem iudicat, iam in primo gradu humilitatis stat.

Secundus gradus humilitatis. Caput CII.

Secundus gradus, est dolor. Nam sunt nonnulli qui se peccatores esse cognoscunt & fatentur, sed nullum inde dolorem habere dignoscuntur; quibus necesse est, ut doleant, si veniam mereri desiderant; Quia non valet ad salutem, ut se cognoscat quis peccatorem, nisi inde habeat & dolorem. Nam si Domino suo aliquis peccaret, & inde dolorem non haberet, quid putas Dominus eius de eo diceret? Quomodo ei offensam posset dimittere, quandiu eum pro offensione sua, nequaquam sciret dolorem habere? Ridiculum potius quam aliud, videretur, si veniam peteret de hoc, vnde se non dolere fateretur. Necesse est enim ut dolorem habeat, quisquis de perpetratis culpis veniam consequi desiderat.

Tertius gradus humilitatis. Caput CIII.

Deinde sequitur confessio: ut scilicet, qualiter se peccator cognoscat, & doleat, confiteri studeat. Multi enim sunt, qui se peccasse cognoscunt; & dolent, & tamen celant, quoniam quidem hoc confiteri, erubescere non audent. Et quia sciunt confessionem necessariam ad salutem fore, in cordibus suis coram Deo penitent, & illi confiteri proponunt, multoque maiorem penitentiam agunt quam si confiterentur, eisque iniungeret aliquis sacerdotum. Verum in hac re penitus decipiuntur, quia nullus Deo quicquam confiteri potest, quod ipse ignoret. *Omnia enim ei nuda sunt & aperta.* Vult itaque Deus, ut quicumque ei peccauerit, ac si ipse nesciret, ita suo loco alij nescienti confiteri ne dissimulet: quatenus hoc iudicio manifestè comprobet, quod si Deus hoc ignoraret, ipse veraciter ei manifestaret. Ad hoc: si is, qui maiorem penitentiam, ex proprio arbitrio non confessus vult agere, quam aliquis, si confiteretur, vellet ei imponere: putat maius quid se fecisse ex propria voluntate, quam si confiteretur: penset apud se, quid sibi plus confiteri, an confiteri, & paruam penitentiam agere, an sine confessione spontanea voluntate longo tempore penitere. Cumque magis elegit penitentiam protelare, quam reatum suum per confessionem manifestare; agnoscat pro certo, quia nondum vere confessioni illam suam spontaneam penitentiam, quantumcunque grauis fuerit, adæquauit. Quoniam quidem, necdum sibi tantum confititur: greuiter clam penituisse, quantum confessionem, cui eam facere debuit, fecisse. Quare, minus est semper quemlibet grauius sine confessione penitere, quam puro ex corde confessionem facere.

Quartus gradus humilitatis. Caput CIV.

Cum itaque tres gradus in monte humilitatis habeamus, sequitur persuasio, quæ unicuique habenda est, quartus videlicet iam prælibatæ virtutis gradus. Cum enim necessarium sit ut confiteamur, sciendum est, quod ita confiteri debemus, ut hoc ipsum quod confitemur, ita esse persuadeamus. Tunc etenim pura est confessio, si eam sequitur voluntaria persuasio.

Quintus gradus humilitatis. Caput CV.

Quinto igitur gradui confessio apponatur, ut scilicet, qualem se quis cognoscit dolet, confitetur & suadet, talem quoque se ab alijs concedat iudicari. Sunt enim plerique satis semetipsos iudicantes; sed nequaquam possunt ab alijs pati iudicari, vituperari. Qui enim ut ad motem vere humilitatis ascendat, ijs necesse est, ut sicut semetipsos despiciendos iudicant; sic etiam alios, si se iudicando despexerint, tolerare sciant. Quare opus est patientia, quæ sexto loco est exponenda, & apponenda.

Sextus gradus humilitatis. Caput CVI.

Hæc itaque unicuique familiaris sic esse debet, ut quando cumque ei aliqua iniuria fit: ita eam suscipiat patienter, quasi commodum sibi magnum fieret. Profecto, si aliquis seruorum alicuius discreti hominis peccasset, & dum sibi exinde fierent multæ molestiæ, non reclamaret, sed potius iuste talia pati se diceret, citius apud Dominum misericordiam inueniret. Nos itaque, qui multa contra creatorem nostrum commisimus, tanto studiosius humiliari debemus, quanto magis indulgentia eius nos indigere videmus.

Septimus gradus humilitatis. Caput CVII.

Neg

De confes.

1. Cognitio
sui. 2. dolor.
3. Confessio.
4. persuasio.
5. Cōfessio.
6. Patientia.
7. Amor.

A Nec solum absque murmuratione pati debemus molestias, sed vt etiam grauiter puniamur ad vindictam Dei amemus. Amor enim supremus montis humilitatis gradus esse videtur. Quoniam tunc quidem est Deo grata satisfactio; cum in eius mente, qui satisfacit, nulla manet murmuratio, sed pia iugiter feruet dilectio.

Recapitulatio graduum humilitatis.

Caput CVIII.

Quod autem superius dilate per partes ostendimus, nunc eadem breuiter & summam sub exemplo colligamus. Si enim Dominus quispiam seruum haberet, quem pro culpa sua tradere morti deberet: positaque ratione cum eo, suam seruus culpam occultare, velut in tenebris, vellet: Aut si cognosceret (quod est primus humilitatis gradus) non inde doleret: Aut si doleret (quod est secundus) coram alijs, Domino licet iubente, confiteri nollet: Aut si confiteretur (quod est tertius) persuadere nollet, vt hoc ita crederetur: Aut si vellet inde culpabilis credi (quod est quartus) pati tamen nollet, vt diceretur culpabilis: Aut si hoc sibi dici pateretur (quod est quintus) non tamen pati vellet, vt sicut culpabilis tractaretur: Aut si hoc pateretur (quod est sextus) non ita tamen tractari amaret (aut amare non posset (quod est septimus) licet hoc velle Dominum suum sciret, non ei profecto culpam illam Dominus dimitteret, immo magis vt iniquum seruum eum puniret. Sic nec nostras nobis culpas Dominus dimittet, si non nos gradibus ijsdem humilitauerimus, sicut ipse iubet.

1. Cognitio
sui. 2. Dolor.
3. Confessio.
4. Persuasio.
5. Coactio.
6. Patientia.
7. Amor.

B Quomodo vnusquisque se vniorem omnibus putet.

Caput CIX.

Verum, quia nonnunquam ideo extollimur, quia nos alijs non recte comparamus, videndum est nobis, quo id modo facere debeamus. Si enim nos alijs volumus comparare, ea tantum debemus considerare, quae a nobis sunt in nobis, non a Deo quasi praestita nobis. Sic namque agit, qui de bonis a Deo sibi collatis & praestitis, super alium extollitur, velut qui vestibus alienis indutus gloriatur. Non ergo haec, aliorum bonis comparare debemus, sed mala tantum nostra, quae a nobis sunt, in nobis habemus. Quod si fecerimus, mala videlicet nostra bonis aliorum vt conferamus, nos inferiores esse ceteris omnibus nobis ipsis videbimur. Quod contra; quia superbi faciunt, etiam si sint omnibus deteriores, cum tamen se iudicant esse meliores. Sua enim bona tantum attendentes, aliorum malis comparant, quorum mala nullatenus considerare deberent.

Quod obsit consideratio alterius peccati.

Caput CX.

Consideratio namque, vel cognitio alieni peccati, mala multa in diuersis parit. Si enim peccator est, qui alterius culpam considerat, malo illius exemplo, in suo peccato perseverat. Si vero poenitens a peccato, a poenitentia frigescit, eodem exemplo. Quod si eodem peccato, vel etiam alieno tentabatur, facilius illius exemplo superatur. Si autem tentatione carebat, eo ipso tentatur, quod vitium illius considerat. Si vero iustus praeferebat se illi, in superbiam extollitur, quem si diligebat, nunc eum incipit habere odio. Non ergo facile consideranda est alterius culpa, cuius consideratio tot generat mala. Virtus vero illius semper debet attendi, quia eius consideratio per contrarium vadit. Ipsa

D. ANSELMI TOMVS III.

namque peccatorem conuerti, poenitentem poenitere, magis tentatum tentationi resistere, non tentatum sic permanere, iustum humiliari, diligenter vero magis diligere facit. Alterius igitur virtutem non vitium, suumque vitium non virtutem attendere debet, quisquis ad culmen humilitatis ascendere studet.

De duabus sororibus hunc montem custodientibus.

Caput CXI.

Huius autem humilitatis pulcherrimi montis, duae sorores sunt custodes: verecundia scilicet, quae est apud Deum, & verecundia, quae est apud homines. Nam cum tentatur aliquis, si ante mentis suae oculos, has duas sorores firmiter reduxerit, hanc facile superare poterit. Sic enim sibi ipsi loqui debet.

De verecundia, quae est apud Deum.

Caput CXII.

Siego hoc peccatum vel illud fecero, quomodo Sante Deum & sanctos eius Angelos, qui me vident, oculos meos leuare poterō? Quid dicam, cum peccatum meum in die iudicij omnis creatura videbit, Boni, & mali Angeli, id est, diaboli, me accusabunt. Nequaquam peccabo: imo propter te Domine morte afficiar tota die, custodiamque vias meas, vt in anima non delinquam. Sic igitur sibi vnus quisque proponat: sic semetipsum consideret sic se ab irruentibus bestijs eruat. Sed considerandum, quia verecundia, quae est ante Deum, semper est libera, & custos fidelis.

De verecundia, quae est apud homines.

Caput CXIII.

Veruntamen illa, quae est apud homines verecundia nonnunquam fallax & latro pessima est. Solet enim contingere, vt aliquando mentem alicuius, vbi iam saepe dictus mons humilitatis est constitutus, hircus luxuriae, lupus rapacitatis, vel alia quaelibet vitiorum bestia, tentet irrupere; quae cum verecundia, quae apud homines est, ne intraret prohibere deberet, sic sibi metipsum interdum male consulendo loquitur. Magna erit (inquit) confusio si huic tentationi luxuriae, vt postmodum sciatur, aditum dederō. Sed nullus hominum hoc videbit, & ego bene celabo me ipsum, nec amplius erit cognitum. Modice nunc voluptati consentiam, & cum voluero, memetipsum corrigam. Ac deinde poenitendo satis melior, quam modo sum, ero. Multi enim post ruinam surrexerunt, & postmodum meliores fuerunt. Sic nimirum verecundia, quae est apud homines, malo suo consilio nonnunquam fallitur & fallit, & malam vitij bestiam in montem, quae tueri deberet, subintrare permittit, quae cum intrare permessa fuerit, non facile expelli poterit. Nam is, qui scelus commisit, confiteri aliquando voluerit, ea cogitatio, quae prius promittebat ei, quod se emendaret, mox vt voluisset, post perpetratam culpam dicit: Quomodo confitebor? Qua fronte reatum meum aperiam? Non amplius honorem habebō, si me manifestauerō: sed qui modo apprecior, omni tempore vilis ero. Quid igitur faciam? Satiabor voluptuose viuendo, nondum viam iustitiae tenere valeo. Ecce quomodo miser homo in his decipitur, quae callide vincitur, quam astute superatur. Ipse namque humilitatis motem paulatim proficiendo statuit: ipse custodes eiusdem motis constituit, ipse custodes eisdem a propugnaculis motis expulit, ipse postmodum semetipsum male custodiendo mancipium hostibus suis tradidit. In me siquidem est, vnde cum Dei

OO 2

gratia

A gratia proficio, in me etiam, unde deficio. Nō mihi proficiendi aliquis vim facit. Non ad defectum aliquis me venire cogit. Suggesterit Deus, suggerit ratio, suggerit virtus, ut recte viuā; & est in me materia arbitrij, scilicet libertas, quod & hoc facere possum si volo. Verūm ē contra suggerit diabolus, suggerit appetitus & vitium, ut voluptuosē viuam, & habeo potestatem hoc faciendi, sed contradicere nolo.

Confabulatio duxrum pradiatarum sororum.

Caput CXIV.

Sciendum est, quod verecundia, quæ est apud homines, interdum fallat, multisq; modis per eam, aditus nobis vitiorum fiat. Verecundia, quæ apud Deum, nec fallit, nec fallitur. Hæc etenim quādo ad montem reuocatur postea, & locum suū videlicet humilitatis, quem tueri deberet, fallente sorore sua vitijs subuersum, quasi porcorum rostris defectum inuenit, vehementer turbatur, dolet, ingemit, sæpe etiam lachrymas fundit, misera miserabiliter secum quærit, qualiter bestia intrauit fuisse, quæ fuerit causa, quod exordiu, quæ aditus. Et dum illam vehementer execratur, ecce fallax soror, fallaciter eam plerumq; sic consolatur. Eia, quare tantū doles? Cur tot tantisq; lachrymis te ipsam affligis? Grauius ille vel ille te peccauit, & veniam obtinuit. Humanum est peccare, nec tanti ponderis est peccatum, quanti facis illud. Taliter malè consulendo, dolorem tentat lenire. Sed fidelis custos, quæ se coram Deo formidat accusari, sicut fallere nescit, sic malum consilium admittere contemnit. Nam commissā, & dolendo plangit, & plangendo indefinenter sui conditoris indulgentiam quærit, atq; locum suū curiosius deinceps custodit.

Quod tentationis tempore non semper misericordia Dei debeat cogitari.

Cap. CXV.

B Notandum est igitur, quod tempore tentationis, ante perpetrationem culpæ, nunquam misericordia Dei debet cogitari; sed iustitia & iudicium eius, furor & indignatio illius. Hæc pensari; hæc ante mentis oculos reduci; hæc sæpenumero cum magno horrore retractari debent. Quando quis tentatur, non debet dicere. Misericordia Domini magna est, sed hoc potius: *Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis.* Quādo appetitus luxuriæ quemcumq; pulsat, non cogitet tunc. *Quacūq; die peccator ingemuerit, omnia peccata eius obliuioni tradentur.* Sed potius sepe recogitādo tractet, quod maledictus omnis, qui peccat in spe. Et illud Esaiæ primo: *Va genti peccatrici populo graui iniquitate filijs sceleritatis, semini nequam.* Si autē per iniuriam fuerit peccati admissio, tunc deum Dei misericordia propensius est cogitanda, ne desperatio veniæ superueniat. Tempore itaq; tentationis, modis omnibus vnusquisque debet vehementer conari, ne superetur. Quia licet Deus veniā promiserit penitenti, non tamen sponndit delinquenti, ut ei daret voluntatem penitendi. Cū autē certum sit quod Dei gratiā promeretur, quisquis declinat a malo, & facit bonum, & iram & indignationem incurrit omnis, qui operatur peccatum. Magnopere curandum est, ut & vitia vitemus, & virtutibus adheramus.

Qua comparatio sit inter ascendentes.

Caput CXVI.

Tria sunt necessaria ascendenti, innocētia, beneficiū, prælatio. Innocētia talis esse debet, ut nulli noceat; beneficiū, ut omnibus profit; prælatio, ut se inferiorem omnibus iudicet. Vnde Apo-

C stolus: *Superiores inuicem arbitrantes.* Hæc tria debet vnusquisq; alijs impendere, & nihil horū sibi fieri, ex debito exigere. Nam si seruus alicuius, Domino suo in multis peccasset, non solum iram Domini pronocaret, sed etiam omnium conseruorum suorum indignationē incurreret: Et si aliqua iniuria ei interim fieret, non iustè conqueri deberet. Dicit aliquis: Innocentiam & beneficiū alijs libenter impendo, sed me omnibus inferiorem credere nequeo, sunt etenim homicidæ, adulteri, latrones, & huiusmodi. Ad hoc: Quicūq; cōparationem facis inter te & alium, noli ponere in medio, seu trutinā, quod tuū non est; immo quod tuum est, videlicet mala tua, & postmodum bona sua. Talis comparatio, vel talis consideratio, semper fit inter ascendentes. Si quid verò boni in te videas, non tibi, sed Deo imputes. Vnde Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Similitudo inter cœnouexiam, & charitatem.

Caput CXVII.

Sic igitur debemus innocētia, beneficio, & prælatione uti in faciendo & recipiendo, sicuti vsualiter portatur cœnouexia. Quippe illam, qui subuehunt, faciē habent ad locū, quo tendunt: ad locū autem, unde veniunt, dorsa vertūt. Tribus autē alijs modis potest, sed non conuenienter, portari; videlicet, ut facies sint contra facies, vel dorsum contra dorsum, vel facies ad locū unde procedunt, terga verò, quo ire debeant, conuertantur. Et notandum, quod non minus, quā a duobus, cœnouexia in operando portatur; nec charitas (quā per cœnouexiam volumus significari) minus, quā inter duos haberi potest. Si ergo in monte aliquo ædificarent sibi homines plures domū, & de valle oportet lapides, cementū, & alia, quæ ad ædificationem domus pertinerent: cœnouexias sursum in montem portari. Si, inquam, illi portitores instrumentū illud ita acciperent, ut uterq; sibi dorsum, aut faciē: vel dorsa, quo tenderēt, faciēs verò verterēt, unde procedere vellent, & dum sic ire cōpetenter nequirerēt, verbis litigare inciperent, de litigio, ad pugnos & capillos venirent, deinde ad arma: Rogo, quid diceret aliquis præteriens, si sic hos hac de causa pugnantes inueniret. Vtiq; quod insanirent. In nobis igitur hæc omnia cōsideremus, quia talem habitudinem in fraterna charitate tenere debemus: ut sic quasi quandā cœnouexiā spirituale portemus. Nos enim in excelsō monte, in celesti scilicet patria, domum nobis ædificare satagere debemus, quæ sola virtutū operatione construitur: ad quam humilitatis gradibus ascenditur. Qui gradus necesse est, ut fiant per innocentiā, beneficiū, & prælationē, scilicet, ut nulli noceā, omnibus seruiā, & ut quemlibet mihi ipsi præferā. Cū hæc alijs frequēter exhibeo, & si mihi exhibita nō fuerint, paciēter tollero. Gradus pergendi in montem virtutū, ad domū celestis patriæ, mihi congruos facio, & cœnouexiam bene porto. Si autē alijs hæc impendere detrecto, quasi dorsum contra dorsum verto: dū illū pergentē, & quasi antecedentē, subsequi deberē, faciē illi vertendo. At si mihi hæc, quasi per debitū, fieri quero: & ille, quod postulo, facit, quāuis non libenter, sed quoniā exigo, quasi faciē contra faciē in subuectionē cœnouexiæ verto: Cū ergo exigo, & ille, quod exigitur, denegat: quoniā illum per exactiōnem irritō, terga vertimus ad locū, ad quē ire debemus; & facies, unde procedimus. Sic istis tribus modis, quæ cœnouexiā portare satagit, plerūq; lites & discordias sustinebit. Faciē ergo, hoc est intentionē semper habeamus super innocentiā, beneficiū, & prælationē, ut illa omnibus impendamus, & a nullo e-

*Cœnouexia vox nifal-
ler, barba-
ra est com-
posita à
xovds Gra-
ca dictione
& veho
Latina. Ve-
hiculum
aut seru fer-
culum signi-
ficare vide-
tur, quod
duo homi-
nes cōmu-
niter ferunt:
quomodo a-
licuius San-
cti imago in
processione
deserri cō-
suevit.*

Hebr. 10.

Ezech. 18.

Isa. 1.

Philip. 2.

A eadem requiramus. Hoc enim est ad illa terga vertere; videlicet ad præsentia, & ad labentia; facies verò, ad futura, & ipsa perpetua.

Similitudo inter qualitates corporis, & animæ.

Caput CXXIII.

Sicut qualitates corporis, sic etiam genera sunt duo qualitatis animæ. Qualitas quippe corporis aliquando subitanea, aliquando verò est continua. Subitanea est; ut cum repente repentina infirmitate nigrescit, vel verecundia erubescit, sed mox hac & illac transeunte, ad colorem pristinum homo redit. Continua, ut cum assiduam quis patitur infirmitatem, quæ sibi cõtinuum parit pallorem. Sic animæ qualitas, aliquando subitanea, aliquando verò continua est. Subitanea, ut cum irruente subita tentatione, subito in peccato nigrescit, sed statim per confessionem & pœnitentiam, ad priorem pulchritudinem redit. Continua, ut cum assidue in peccato iacet, per quod & assidue ante Deum deformis apparet. Hęc autem genera duo qualitatis animæ, genera sunt duo indignitatis suæ. Qui indignus est secundum subitaneam qualitatem, non ideo tamen ad iudiciũ sibi assumit Christi corpus & sanguinem. Qui verò secundum continuam, indignus existit, ille ad iudicium ea sibi assumit.

De cordis immunditijs.

Caput CXXIX.

Nouerit quoque, qui suam discutere intendit infirmitatem, tria esse genera immunditiæ cordis. Primum namque genus est, amor nõ amandorum, veluti luxuriæ & similia. Secundum verò est, odium eorum, quæ odio non debent haberi; sicut est odium alienæ prosperitatis. Tertium autem, nec amor, nec odium, sed quædam cogitationis vanitas; ut cum cogitamus, vnde iste veniat, vel quo ille vadat.

Similitudo inter corporis & animæ infirmitates.

Caput CXX.

Rursus attendendum duo esse genera infirmitatis animæ: quemadmodum sunt infirmitatis corporis. Corporis namque infirmitas aliquando est, quasi infirmitas naturalis: aliquando verò est casualis. Quasi naturalis namque est, ut ficus ab ipsa hominis infantia sibi continuus. Quasi verò casualis est, ut febris, quæ si igitur repentino vel alio casu accidit homini. Hęc itaque, quia occasione accidit extrinseca, facilis curari potest vna medicina. Illa verò, quia quasi naturaliter adhæret homini, nõ vna repentina curari, sed cum frequenti medicina potest minui & alleviari, donec facilius valeat portari. Ita quoque vitiorum (quæ sunt animæ infirmitates) alia quasi naturalia, alia verò sunt quasi casualia. Quasi naturalia quippe sunt, ut ingluviæ & luxuria, quæ ex ipsa carne concresecunt ab infantia homini. Casualia verò, ut mendaciũ, quod aliqua extrinseca accedente causa sæpe profertur, etiam non præmeditatũ. Hęc ergo, quia causis exterioribus accidunt, leuiori custodia evitari possunt. Illa verò quia intus nature coherent, licet non vna abstinencia omnino deleri, continua tamen infatigabiliter eo usque possunt minui, quod satis facile valeat tolerari. His ergo delendis semper instare debemus, licet non omnino ea delere possimus. Sicut enim naturalem corporis infirmitatẽ patiens stultè agit, si sibi medicinã adhibere neglexerit; quia semel vel bis adhibita; non statim curatus fuerit. Sic naturali vitiorum infirmitate detentus, insipienter agit, si sibi custodiam adhibere destiterit, quia aliquoties adhibita; statim à tentatione liberatus non fuerit.

De appetitu, & quid intersit, inter appetitũ & voluntatẽ.

D. ANSELMI TOMVS III.

Caput CXXI.

Nullus namque appetitu vitiorum profus carere potest, sed eum vice appetitus verè commoditatis, quasi naturaliter retinet. Postquam enim humana natura perfectam beatitudinẽ amisit, perfectam quoque sui cõmoditatem perdidit. Semper tamen naturalem affectionem eiusdem cõmoditatis habet. Et quia perfectã commoditatem habere non potest, nec perfectæ commoditatis appetitum amittere valet. Habet itaque appetitus ingluviæ, & luxuriæ, aliarumque falsarum commoditatum; & per hos incedit quærendo illam perfectam commoditatem, cuius appetitum retinet naturalem. Hos autem diabolus accendit aliquando per falsas cõmoditates, & per eas voluntati aliquod peccatũ suggerit, aliquando verò per semetipsum ipsi voluntati persuadet; ut eosdẽ appetitus ad peccandũ incitet. Ut cum ebrioso, qui amplius bibere nequit, aliquid ad suũ velle comedere suggerit, ut habeat appetitũ amplius bibendi. Sic enim diabolus incitat voluntatem ad peccandũ, aut per hos appetitus, aut per semetipsum. Velut si quis latro aliquẽ ad se spoliandũ incitaret: aut artificio aliquo, aut carnem suã calefaceret: aut dicendo ei simplici verbo, ut se exueret. Ad quẽ verò cum ille nihil suspicans fallaciæ, appropinquat, subito capitur, vapulat, versa vice despoliatur, quandoque demũ occiditur. Appetitus verò isti non aliud sunt, quàm quædam cõmoditatis necessitates. Nõ enim idem est appetitus, quod voluntas. Appetitus namque mali non est mala, sed voluntas mali est mala. Hos igitur appetitus, quia diabolus semper accendit, studio magno & custodia sunt restringendi.

Similitudo inter aquam, & humanam naturam.

Caput CXXXI.

Humana namque natura tam facile per vitia, quàm per plantam profunditur aqua. Sic ergo agere debet, qui eam restringere appetit, velut qui aquam currentem retinere cõtendit. Sicut enim ille, qui aquam cõcludit in stagnũ atque coercet: sic iste natura humanam vagam, infra regulã aliquam cohibere debet. Utque ille procurat, ne qua parte dirupatur stagnum, qua effluat aqua; ita & iustũ previdere condecet, ne suam in quoquam violet regulã, quoad peccatum proruat. Sic enim restringi carnis appetitus possunt: quod est quandã facere pacẽ inter ipsam carnem & spiritũ; quam quidem pacem nemo melius habere poterit, quàm qui districtiõni ordinis monastici semetipsum subiugare studuerit. Ipsa etenim est quasi quaedã clausura, vel stagnũ viuarij. Quoniam quidẽ, sicut pisces decurrente aqua viuarij moriuntur, si clausurã ipsius minutatim ac sepe crepãt, nec reficiuntur; ita omnis religio monastici ordinis funditus perit, si custodia eius per modicarum contemptũ culparum, paulatim à seruo suũ tepescit, attestante scriptura, quæ dicit: *Quimodica spernit, paulatim decidet.*

Quod quatuor modis pax agatur.

Caput CXXXIII.

Quatuor quippe modis pax agitur; quibus homo ad verã quietem perducitur. Aut enim fit ab aliquo inter aliquos duos; aut inter semetipsum & alterum; aut inter carnem & spiritũ, aut inter corruptibilitatem nostram & incorruptibilitatem, quã Deo donante expectamus. Si tres superiores modos nõ habuerimus, tunc demũ ad illã pacem perueniemus, de qua dicit Apostolus: *Habete pacem cum Deo.* Duo itaque primi modi sũt per concordia. Est enim pax carnalis est & spiritualis. Concordia etiam est carnalis & spiritualis. Pax & concordia carnalis est, quã habent infideles, vel etiam

OO 3 falsi

Canouexia
vox nisfal-
ler, barba-
ra est com-
posita à
xondis Gra-
ca dictione
& verbo
Latina. Ve-
hiculum
aut seufer-
culum signi-
ficare vide-
tur, quod
duo homi-
nes comu-
niter ferunt:
quomodo a-
licuius San-
cti imago in
processione
deserri cõ-
suevit.

Eccli. 19.

Rom. 6.

A falsi Christiani, cum in peccato concordant, & inde quandam pacem obtinent. Hanc autem pacem Christus non commendavit, ubi dixit: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Per terram terrenam, per gladium separationem, qua separatur a carnalitate, potes intelligere. Tertius vero modus per spiritus fit victoriam, sibi subiugantis carnem. De hoc etiam idem Dominus ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et Propheta: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et: *In pace factus est locus eius.* Et: *Inquire pacem; & persequere eam.* Quartus vero modus erit per remunerationem, corruptione nostra transmutata, ut iam diximus, in incorruptionem.

Matth. 11.
Joan. 14.
Psal. 118.
Psal. 1.
Psal. 33.

De quadripartito statu humana natura.

Caput CXXIII.

Notandum siquidem, quod humana natura quatuor sunt status, quibus pro diversis meritis, beata vita vel misera redditur. Duo namque primi beati, duo postremi miseri. Beatorum autem alius minus beatus, alius vero beatissimus. Ita quoque miserotum, alius minus miser, alius vero miserimus est. Status utique minus beatus fuit ille, quo ante peccatum Adam in paradiso stetit. Beatissimus vero est ille, quo nunc in caelo sanctorum animae sunt. Minus autem miser status noster est, quo dum vivimus, in hoc seculo sumus. Miserimus vero ille erit, quo reprobi permanent in poenis inferni. Ut ergo in beatissimo statu eternaliter quiescamus, in Dei servitio temporaliter laboremus.

Similitudo inter hominis obsequium, & premium.

Caput CXXV.

Homo, quia aeternum habere non possit premium, si Deus laborando aeternum exigeret obsequium. Sed Deus suae praemii vitae (quae est aeterna) vitae hominis (quae est temporalis) servitium comparat. Si homo enim quamdiu vixerit, Deo servierit; & Deus eum coadiuvet, & ipse recompensabit. Qui vero non a principio quidem vitae suae, Deo deservire ceperit; sed ex quo tamen ceperit, si usque ad finem perseveraverit; Deus ab eo vitae praecedentis servitium non exigit; sicut nec ipse a Deo vitae illius praecedentis exigit premium. Si autem homo e contra, quoad vixerit Deo male servierit, & Deus illi malum repondet meritum, quamdiu & ipse vixerit. Quod si non a principio vitae suae, male Deo ceperit servire, sed ex quo tamen ceperit, usque ad finem vitae suae voluerit perseverare, non ei Deus vitae praecedentis servitium bonum recompensabit in malum. Sicut nec ipse vitae illius praecedentis praemium habere voluerit malum. Nam & suae vitae praecedentis bono, & Dei praecedentis vitae malo, non carebit premio. Deo ergo serviat semper omnis homo, quisque eo ordine, quo constitutus ab ipso est.

De tribus hominum generibus, seu ordinibus.

Caput CXXVI.

Tres quippe sunt ordines hominum: videlicet orantes, agricultores, & defensores. Hos autem ordines sic ad diversa officia Deus in hoc mundo disposuit, quemadmodum quidam pater familias oves, & boues, & canes maximos in domo sua distribuit.

Exemplum ovium, bouum, & canum.

Caput CXXVII.

Oves namque ad hoc habet, ut lac sibi & lanam afferant; boues vero, ut terram exerceant; canes autem, ut tam oves quam boues a lupis defendant. Si igitur horum quodque animalium, suum gerat officium, illud ad vitam Dominus servat, quia eius sibi utilis est vita. Si vero officium, quod est suum, non egerit, morte sola iudicatur dignum, quia eius vita

nullum fert fructum. Si enim ovis lac, & lanam non attulerit: bos autem terram non exercuerit, quem alium fructum ferre poterunt? Rursus: si canis, custodiae pecudum deputatus, eas lupos permiserit laniare, aut easdem ipse, vel alios canes ceperit stragulare; quid aliud Dominus agere de eis, quam eum obruere? Sic & Deus de illis ordinibus agit, quos ad officia diversa in hoc mundo disposuit. Quosdam namque, ut clericos, monachosque, ad hoc ipsum disposuit, ut pro alijs orent, mitelque, ut oves, lacte praedicationis eos imbuant: lanaeque sui boni exempli, ferventes in Dei amore faciant. Alios vero, ut agricultores, ad hoc disposuit, ut de suo, velut bouum labore, ipsi vivant, & alij. Quosdam etiam, ut milites, ad hoc instituit, ut asperitatem, prout necesse fuerit, ostendant: tamque orantes quam agricultores, ab adversis gentibus, velut a lupis, defendant. Si ergo sui quisque ordinis officium impleat, longam promeretur vitam, quia ceterorum vivit ad utilitatem. Si vero istud agere noluerit, vita ipsa indignus existit: quia fructum non adfert, propter quem vivit. Si enim clerici monachique, orationem vel praedicationem alijs impendere, & etiam bonum exemplum praetendere: aut terram agricolae noluerint excolere, quod aliud poterunt officium explere? Rursus: si milites alios defendere noluerint; aut etiam more rabidorum canum; eosdem aut seipsos occiderint vel oppresserint, quid de illis, nisi quod de rabidis canibus debet fieri? Unusquisque sui ordinis gerat officium, ne & totum quod vivit, deputetur mendacium.

De mendacio.

Caput CXXVIII.

Si enim, quod ordinis sui est, non egerit, omnis scius exterior habitus mentitur, qui eum ordinis illius esse testatur. Actus quoque illius, & verba, ipsaque mentitur cogitatio, quia mendacium testatur pro vero. Cum enim quispiam quid agit, vel dicit, vel cogitat, sic esse agendum, dicendum, cogitandumque alijs iudicat. Plus etenim loquitur plerumque homo actu quam verbo, sicut hoc potest videri exemplo.

Exemplum de medico. Caput CXXIX.

Medicus namque herbam aliquam si diceret aegroto salutiferam esse, ac ut ex ea comederet, aliam vero mortiferam, ipse tamen ex ea gustaret, plus ei actu quam verbo diceret: quia plus ei hanc actu, quam eam verbo comedendam suaderet. Cum igitur quippiam quis agit, vel dicit, vel cogitat, sic esse agendum, dicendum, cogitandumque alijs manifestat. Quod si ita est, verum actu, & verbo, & mente loquitur. Si vero non est, eisdem omnibus e contra mentitur. In quantum igitur verum dicitur, bene, in quantum vero mendacium profertur, male vivitur, quia omne peccatum mendacium esse probatur. Siquidem non nisi cogitatione, locutione, & opere peccatur, quibus, quotiens peccamus, Deo & hominibus mentimur. His itaque tribus, Dei timorem ponamus custodem, quia testante Scriptura: *Timor Domini, expellit peccatum.* Timor denique Spiritus sancti est donum, aliorumque omnium primum.

De septem donis spiritus sancti.

Caput CXXX.

Septem quippe sunt dona Spiritus sancti; videlicet, timor, pietas, scientia, fortitudo, consilium, intellectus, sapientia. Horum autem donorum, ut dictum est, timor est primum, aliorumque, veluti quoddam fundamentum. Hunc namque Spiritus sanctus mentis in capite supponit, aliaque dona sua in ordine, veluti in aedificio, superimponit.

Prus

Timor.
Pietas.
Scientia.
Fortitudo.
Consilium.

Intellectus.
B.

Sapientia.

Eccl. 1.

Eccl. 3.
Ibid.

Ibid.

A Prius enim mentem metueret facit, ne pro peccatis suis separetur à Deo: & in pœnis inferni, cum diabolo torquatur. Huic denique timori superimponit pietatem, cum menti sic metuenti sui ipsius aspirat compassiōem: pietate recolere facit, quam misera erit, si à Deo separata, & in inferno cum diabolo fuerit torta. Dehinc vero scientiam superimponit pietati, cum mens, quæ sic timet, sibi que compatitur, quo valeat modo saluari scrutatur, eiq; Spiritus sanctus huius rei cognitionem largitur. Exinde autem fortitudinem superimponit scientiæ, cum mens pauida, sibi que compatiens, iamque quid agere debeat sciens, sit fortis Spiritus sancti dono ad operandum, quæ didicit, quibusque saluari se posse confidit. Post hæc vero consilium fortitudini super ædificat, cum mens iam fortis ad operandum, quæ pie timendo scit esse faciendâ, suo experimento didicit Spiritus sancti gratia quid de his omnibus alijs consulere debeat.

De donis Spiritus sancti, quinque ad actiuam, duo vero ad contemplatiuam vitæ pertinent.

Caput. CXXXI.

Hæc autem quinque Spiritus sancti dona ad actiuam, duo vero quæ sequuntur, id est, intellectus & sapientia, ad contemplatiuam pertinent vitam. Ipsa tamen Spiritus sanctus primus quinque superimponit, ut suorum ædificium donorum possit omnino compleri. Postquam enim Spiritus sanctus mentem facit pauidentem, sibi que compatiens, & ea quæ scit esse faciendâ, fortiter operantem, & de ipsis suis exemplis alijs consulentem, accendit, eandemque ad intelligendum cur hæc vel illa Deus præcipiat; cur homo, licet alteri homini benefaciat; nullam tamen ab eo remunerationem exigere debeat. Quorum ut intellectum Spiritus sanctus menti aspiret ad postremum etiam sapientiam super accumulât, ut quod videlicet ratione intelligit, sit sibi sapidum atque dulcissimum, soloque rectitudinis amore sequitur, quod intelligit esse sequendum. Ab hac tamen sapientia, quam extremam posuimus. Spiritus sanctus dona sua dinumerare per Prophetam incipit, & vsque ad timorem, à quo cœpimus ascendere, dinumerando descendit. Vnde notandum, quod nobis innuit descendendo, quomodo ex istis donis construat in nobis ædificium ascendendo. Hoc igitur ædificio ita composito Spiritus sanctus in eo residet; totamque familiam domus interioris, id est, omnes animæ sensus regit, & ad obsequium sui disponit.

De qualitatibus animæ, & moribus. Cap. CXXXII.

Hinc animæ qualitates, quæ prius erant instabiles, iam in bonos redigit mores. Mores quippe, qualitates sunt animæ in habitum iam redactæ. Non enim tunc mores dicuntur, cum citò adueniunt, citoque recedunt, sed cum in anima stabiles existunt.

Mores alij boni, & mali alij sunt. Cap. CXXXIII.

Horum autem morum alij boni, alij vero sunt mali. Boni igitur virtutes, mali autem vitia dicuntur.

De virtute & vitio. Caput CXXXIV.

Virtutes autem, bona exterius opera: vitia vero, pariunt mala. Non tamen quotiens agitur opus virtutis vel vitij virtus ipsa vel vitium

propriè dicitur haberi. Tunc enim tantum propriè habentur, cum ex consuetudine possidentur; vnde & homines iusti, vel vitiosi dicuntur. Cum autem perfectè habentur, licet ipsa omnino sint dissimilia, haud tamen dissimilia semper habent opera.

De sapientia & stultitia, quandoque in eodem conuenientia.

Caput. CXXXV.

Quædam enim ex ipsis, ut sapientia perfecta, aut stultitia, eadem faciunt plerumque fieri opera. Sicut enim perfectè sapiens dimittere non vult, quin agat, quod sibi bonum videtur; sic & ille, qui perfectè stultus est. Verum hoc ideo ille facit, quia scit bonum non esse, ut illud dimittat; stultus vero, quia sic putat. Est autem alius medius nec ita sapiens, quin metuat falli; nec ita stultus, ut in malo, quod cœperit, perseverare velit. Hic ergo, quod sibi bonum videtur, sæpe dimittit, quia magis quam sibi, alterius credit consilio.

De odio & amore peccati.

Caput. CXXXVI.

Item perfectum peccatum odium perfectusque amor eiusdem, idem plerumque opus exhibet exterius. Sicut enim qui perfectè odit in se peccatum, non curat quis illud cognouerit; sic & qui idem delictum in se perfectè diligit. Verum hoc ille facit, ut sibi Deus indulgeat; iste vero, pro sua hoc facit impudentia. Alius vero medius est, qui nec ita peccatum odit, ut hoc omnes velit scire; nec rursum sic amat, ut & omnes velit nescire. Hic igitur, & pluribus illud abscondit, & vni tamen per confessionem patefacit.

De humilitate & superbia. Cap. CXXXVII.

Rursus: perfecta humilitas perfecta que superbia, opera quædam habent similia. Sicut enim perfectè humilis cum peccat, vult, ut eius prælatus suam districtè puniat culpam, sic & valde superbus. Verum hoc ille vult, pro eiusdem culpæ remissione; iste vero, vult pati, pro indignatione. Dignatur namque, ut prælatus ipsius sui miseretur, vel ad modicum sibi parcat, immo magis, ut suam immoderate puniat culpam, desiderat. Est autem alius medius, qui nec omnino districtè puniri, nec suam sibi culpam vult ex toto donari. Hic itaque cum aliquando peccat partim puniri, partimque dimitti suam sibi culpam desiderat.

De tribus verecundia generibus.

Cap. CXXXVIII.

Tria etenim sunt verecundia genera, quæ & ipsam operantur exterius diuersa. Alia namque est coram Deo tantum, alia vero tantum coram hominibus; alia autem partim coram Deo, & partim coram hominibus. Verecundia namque coram Deo tantum est: cum, quia tales sumus, quales non esse decet, erubescimus, nostraque peccata, si non alijs obessent, coram hominibus fateremur. Verecundia vero coram hominibus tantum est, cum, quia agnoscimus, quales esse debemus, verecundamur, nostraque delicta etiam vni detegere per confessionem erubescimus. Verecundia autem partim coram Deo, partimque coram hominibus est, ut cum nec ita de nostris peccatis coram Deo erubescimus, ut ea etiam coram hominibus fateri velimus:

A velimus: nec ita rursus coram hominibus, ut ea vel vni per confessionem detegere erubescamus. Quæ itaq; verecundia est tantum coram hominibus, est bona; quæ verò partim coram Deo est, partim coram hominibus, est melior; quæ autem coram Deo tantum est, optima est. Hæc enim postrema, ut dictum est, si non obesset alijs, suam homines confiteri culpam coram omnibus faceret. Media verò, nec ita est perfecta, ut coram omnibus velit, nec ita est perfecta, ut saltem coram vno per confessionem suam erubescat culpam fateri. Prima autem, etiam coram vno erubescit culpam fateri, bona tamen est & ipsa: quia licet sub rubore, culpam tamen confitetur vel vni quandoque.

De tribus generibus quæ notantur in iuvene.

Caput. CXXXIX.

In iuvene quoque tria genera notantur, quibus ad probitatem venturus prænoscutur. Hæc autem sunt: taciturnitas, corporis continentia, verecundia. Taciturnitas videlicet, ut prius taceat, postea dicat. Corporis autem continentia, ut non leuiter oculos huc illucque reducat, manus pedesque ne moueat, sed omnia corporis sui membra decenter contineat. Verecundia verò, ut erubescat coram hominibus, cum quid veritum agat, totusque rubore suffusus ostendat, quod erubescit. Ad hæc itaque tria, iuuenis quisque nitatur, quia vnoquoque eorum, ad altiora prouehitur. Siquidem tacendo & audiendo sapientium doctrinam, paulatim concipit scientiam; quibusdamque incrementis, ad spiritualem vitam, per eorum verba pertingit.

Similitudo inter diuersa alimenta, & præcepta.

Caput. CXL.

B Sicut enim alimentis diuersis, ad perfectam corporis ætatem, sic præceptis dissimilibus, ad spiritualem perducitur vitam. Ut enim educatur prius simplici lacte matris; dehinc, aliquo alio; deinde, farina commixto, postea, micis panis; postmodum, etiam crustis, donec quolibet solido cibo valeat uti. Sic enim primum iubetur in Deum credere, dehinc eum diligere, deinde, timere; postea, bene operari, postmodum, etiam diuersa pati, quousque sibi præceptum quodlibet secure possit iungi.

Exemplum noui vasis semel imbuti.

Cap. CXLI.

Quia spiritali doctrina semel ad plenum imbutus, nouo vasi similis esse videtur. Ut enim vas nouum, potu bono semel affectum, vix eius saporem amittit, etiam si alio postmodum repleatur diuersi saporis; sic iuuenile cor spiritali doctrina semel imbutum, vix eius dulcedinem perdit, etiam cum seculari occupatur postea negotio, ratione officij, cui intendit. Si autem tacendo, sapientium verba contemnit audire, nec ad vitam ascendet scientiam spiritualis vitæ.

Exemplum cultri.

Caput. CXLII.

Vtque, qui proprio caret cultro, merito esuriet, si alieno scindere nolit; sic & iste propria carens scientia, iure spiritali fame deperit, cum aliena nolit tacendo scientia uti. Tacendo igitur sapientium verbis attendat, ut ad scientiam spiritualis vitæ, doctrina eorum pertingat. Continen-

in melius proficit: quia mentem hoc modo, stabilior & placitam reddit. Mens vero stabilis & placida, placida exterius verba reddit & ipsa.

Exemplum de aqua quieta, & solis radijs.

Caput. CXLIII.

Vt enim aqua quieta, cum ex vna parte solis suscipit radium, ex altera quietum & ipsum aliquo in pariete reddit: sic mens pacata suscipiens aure cuiuspiam verbum, ore remittit & ipsum pacatum. Ut verò aqua commota, radium commotum; sic & mens turbata, verbum reddit turbatum, sed & omnem exterius actum. Ut ergo ad quietem mentis, & oris, & operis, sibi proficiat iuuenis, quæque membra decenter contineat. Erubescendo autem, sicut & dictum est, in melius proficit: quia verecundia penitentiam parit, cuius alia quidem sicca, alia verò humida est.

De penitentia sicca & humida.

Caput. CXLIV.

Sicca namque penitentia est, cum aliquem quidem sui peccati penitet; sed humore pietatis, sui que ipsius compunctione caret. Humida verò est, cum habet vtrumque, suumque luget peccatum magna cordis contritione. Ut adhuc ergo proficiat, penitentiam, non iuuenis tantum, verum etiam omnis homo erubescat, cum quid agit illicitum.

Exemplum arborem magnam succidere volentis.

Caput. CXLV.

Est autem sciendum, quem magni alicuius penitet criminis, sibi esse agendum, more arborem magnam succidere volentis. Sicut enim ille minora in circuitu arbuta prius curat succidere, ne sibi arborem ipsam succidenti possint obesse; sic & huic vitia minora, illi crimini vicina prius sunt extirpanda, ne qua sibi crimen ipsum destruenti, ferant impedimenta.

De Detractione.

Caput. CXLVI.

Detractionis vitium, quod maximè ex otiositate solet nasci, multum est cauendum: quia perniciosum est malum. Vnde beatus Clemens inter cætera, quæ ab ore beati Petri se didicisse fatetur, hoc modo scribit.

Clemens.
Rom. epist.
ad S. Iaco.
fratrem D.
Lorgius à
sine.

1. Ioan. 3.

Rom. 13.

De tribus homicidij generibus.

Cap. CXLVII.

Gal. 2.

Tria sunt genera homicidij, quæ pari pæna plectuntur: Interfectio fratrum, detractio, odium. De qua etiam Paulus dicit: *si comeditis, & inuicem mordetis, videte ne ab inuicem consumamini.* Comedit namque alter alterum, & quasi morsum in eo facit, quotiescunque aliquis aliquem male loquendo, viliorum efficit. Vnde necesse est, ut ab inuicem consumantur, pænis videlicet gehennalibus detruisi, miserimè puniantur. Sic igitur is, qui alterum detrahendo comedit consumitur ab eo, quem morsibus detractiois consumere gessit. Nam cum eius vitam per detractioem lacerat, semetipsum ante iustum iudicem Deum condemnat. Sicque plerumque contingit, ut is, qui alteri derogat, nisi resipiscat, coram Deo in damnationem cadat; quamuis ille, cui detrahitur, nihil læsionis ex ipsa detractioe sentiat. Quid autem detractio operetur, vel quid sit inquiramus & in-

A & inquirendo, quod Dominus dederit, breuiter dicamus; non ideo quod nesciatur, sed idcirco, ut quod scitur, melius teneatur.

Exemplum ignis, & venti, & humana mentis.

Caput CXLVIII.

Solet enim contingere, ut ignis in aliqua materia aliquando paululum ardeat; & si vento impellitur, ad maiorem ardorem crescat. Taliter etiam est mens humana salubri admonitione pulsata ad opus agendum; post suggestionem citius surgit ad quod prius surgere neglexerat. Sicque ut ignis vento mouetur, sic mens a torporis desidia, admonitione excitatur.

Detractionis descriptio.

Cap. CXLIX.

Detractio itaque est, quotiescunque quis aliquid ea intentione de aliquo dicit; unde ipse vel minus amari, siue minus appreciari possit. Detractio vero malis dicitur, penitentibus refrigerium, tentatis exemplum peccandi, quasi fomenta malitiae praestat. Naturale siquidem est, ut sicut id, quod a nullis fieri audio, facere formido: sic illud, quod a pluribus vel etiam a paucis fieri percipio, facilius praesumo: & quo plures eandem rem fecisse cognouero, eo minus eam facere dubito. Bonus quoque, si nec penitens de aliquo criminali fuerit: nec tentationem aliquam inde habuerit: & alium illa vel illa criminalia perpetrare per detractionem audierit: nisi sibi vigilantiae oculo prouiderit, materiam superbiendi accipit. Proprium namque est superbiae, singularitate semper gaudere. Quapropter summopere cauendum est peccatum detractionis, quia fomes est tantae perditionis.

Commendatio charitatis. Cap. CL.

1. IOAN. 3.

Tollit enim charitatem, sine qua impossibile est quemquam Deo placere. Qui enim non diligit, manet in morte. Plus namque peccat, qui amorem proximi a corde alterius minuit, quam qui victum ab ore pauperis rapit. Nam sicut anima preciosior est, quam corpus; sic grauius est animae victum auferre, quam corporis. Victus vero animae, est amor Dei & proximi. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Qui igitur dilectionem, qua debet anima sustentari, tollit: quantum in se est, animam occidit. Propterea cauendum est, ne quisquam aliquid finistrum de aliquo loqui praesumat, nisi propter emendationem eius hoc faciat. Nam praelato, aut illi, quem puto posse confutere peccanti, & vitiorum vulnera mederi, debeo alterius malefacta propter emendationem detegere, quae per me ipsum nequeo emendare. Et ne alius corrumpatur ipsius offensione, compendiose etiam possum eum monere, ne tali iungatur singulari aliqua familiaritate; aliter vero, nullo modo de aliquo quicquam aduersi loqui debeo.

Quid noceat detractio, & quid profit bonum audire.

Caput CLI.

CAeterum vero, sicut nocet multis, de quolibet malum dicere, sic pluribus solet prodesse, de alijs bona audire. Nam cum bona de aliquo referuntur, hi, qui boni sunt, eius facta amulantur: eoque propensus in sua bonitate perseverare nituntur, quo alij eiusdem bonitatis sectatores laudantur. Si autem penitentes fuerint, tanto studiosius suam penitentiam, ut boni efficiantur,

peragunt, quanto gloriosiores bonos esse malis sedula relatione percipiunt. Porro, si mali fuerint, erubescunt, cum de alijs bona referri audiant, a quibus semetipsos vacuos esse considerant; tantoque facilius ad penitentiam reuocantur, quanto plures, & forte debiliores se, bona operari eis referuntur. Sit igitur omni Christiano in sedula consuetudine, semper bona de alijs aestimare, bona loqui; nihil mali credere, nihilque proferre.

De scientia, voluntate, & vsu.

Caput CLII.

Cum omnibus actionibus nostris summopere quaerendum sit, ut boni simus, alioquin beati esse non poterimus: quaerendum est, quibus potius utendum sit, ut boni efficiamur. Tria itaque mihi esse videntur, quae necessaria sunt volenti effici bonus, scilicet scientia voluntas, & vsus. Nam nisi quis habeat scientiam bonum faciendi, nequaquam bonum, unde salutem consequatur, operari poterit. Et si habet scientiam, sed voluntatem operandi non habuerit, bonus nullo modo est. Quod si boni agnitionem, & voluntatem operandi obtinuerit, nec tamen eius vsus opere compleuerit, cum possit, bonus nequaquam erit.

Exemplum citharista. Cap. CLIII.

Vt si is, qui citharista esse debuit citharam non cognouerit, qualiter citharcedus erit? Si etiam instrumentum illud non agnouerit, & si agnouerit, sed tangere illud noluerit, qualiter citharcedus erit? Si autem illud agnouerit, & tetigerit, sed eius vsus habere contempserit, nunquam propter cognitionem & voluntatem, sine vsu huius artis, peritus erit. Taliter namque, licet quis habeat scientiam bene viuendi, & voluntatem, nequaquam bonus erit, nisi etiam boni operis vsus tenuerit iuxta suam possibilitatem.

Similitudo inter desides, & peccantos.

Caput CLIV.

Sunt autem quinam sanctarum scripturarum signari, & dum aliquid de eis, quod possent ad aedificationem sui retinere, audiunt, contemnendo etiam dicunt: Ad quid istud tantillum tenebo? Non ex re tam parua sapiens ero: cur ergo mihi laborem imponam? Dicunt iam quiescam, viuum, ut potero, quia frustra sapientiae amplius studebo, non enim omnes petibunt, qui sapientes non sunt. Haec & his similia, piger & insipiens sibi proponit; nec percipit, quia antiquus hostis, ad interitum eis talia sibi suggerit: quatenus in omni vita sua, nulli intendat utilitati, sed in negligentia & torpore semper uiuat, & pereat. Amplius quoque dicunt: Satis (inquit) sunt sapientes in mundo, satis scriptores, satis qui habent peritiam artium: non est opus, ut ego me discendo fatigem. Praeterea pueritiam iam exiui, iam senectuti appropinquo: nec iam possem ad magnum scientiae fructum venire, si modo inciperem laborare. Sic secum piger tractat, & in sui torporis desidia perseverat. Simili etiam modo nonnunquam peccator irriteritur, ne ad bonae operationis exercitium aliquando exurgat. Solet enim contingere, ut is, qui luxuriae inquinamento sedatur, interdum semetipsum cognoscat, & facti sui peniteat; sed cum iterum tentatio aduenerit, & locus peccandi affuerit, dicit: Quare istam voluptatem perderem?

Satis

Clemens.
Rom. epist.
ad S. Iaco.
fratrem D.
Longius a
sine.

Gal. 2.

Rom. 13.

A Satis etiam hanc admittere potero, sicut & multas alias feci: & in futuro cum satiatus fuero, omnia in simul confitebor, & sic bonus efficiar. Satiabor igitur, donec Deo de omnibus satisfaciam; & tunc tantum ieiunabo, tunc tot afflictionibus, tot verberibus corpus meum castigabo, tantum elemosynis & parsimonijs studebo, ut in me nihil remaneat dignum supplicio. Cum enim adhuc illa & illa in me restant sine confessione, cur me ab hac sola compescerem delectatione? Talia nonnulli interdum sibimetipsis prave consulunt; nec miseri attendunt, quanta erroris caligine interius obtenebrentur. Nam quanto sunt peccatis obligati maioribus, ac bonitate pauperiores; tanto deberent esse ad omne delectamentum diabolicæ suggestionis excutiendum ardentiores. Sicut enim virtus virtuti accumulata prodest, sic vitium appositum vitio obest. Quisquis ergo hodie quicquam boni operis operari potest, nullatenus hoc procrastinare debet. Vnde Salomon: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos.*

Eccles. 9.

Similitudo inter pauperes, stultos, & negligentes.

Caput CLV.

VERUM huiusmodi homines, ita in peccando negligentes, imitantur etiam pauperes insipientes. Siquidem pauper insipiens, cum obolum acquirit, aut aliud quid patui munusculi, dicit: Ad quid istud tantillum seruarem? Non propter hoc diues ero. Expendam itaque hoc in pomis, aut nucibus, aut qualibet alia re mihi delectabili. Non enim istud custodiendo, sollicitus volo haberi. Sic stolidus, dum parvipendit modica, nunquam proficit ad maiora. Sapiens autem pauper parua, quæ nanciscitur, custodit; & quo minus se habere considerat, eo magis nacta retinere desiderat: quatenus ex paruulorum congerie, ad maiora quærat quandoque pertingere. Sic nimirum is, qui se pauperem scientiæ ac bonitatis sentit, debet facere, si ad aliquem effectum scientiæ ac bonitatis velit peruenire. Nam sicut plura grana massam, & guttæ flumen, & multi nummi diuitem faciunt; sic multæ scientiarum sententiæ, sapientem; & plures bonitatis actiones, bonum quemlibet efficiunt.

De scientia, & tribus partibus eius.

Caput CLVI.

CUM igitur scientia sit necessaria ad hoc, ut bonus quis efficiatur, & manifestum sit nullum eam posse comprehendere, qui minimas eius partes negligit colligere (nisi forte quis subito illuminetur, sicut Apostoli & Prophetæ) querendum est, quomodo per gratiam Dei, illam valeamus acquirere? Tribus itaque causis, videtur mihi illam posse adipisci, doctrina scilicet, experimento, & ratione.

De doctrina. Cap. CLVII.

PER doctrinam quippe, quæ capitur lectione, & sermocinatione, scientia acquiritur. Quisquis enim legit aut legentem siue loquentem audit, ad hoc, ut eorum, quæ leguntur siue referuntur, scientiam habeat, intendit.

De experimento, & ratione.

Caput CLVIII.

EXperimento verò acquiritur scientia, cum rei, quam aliquis probauit, certam habet no-

titiam. Et ratione quoque percipitur, cum per naturalem mentis discretionem, in illis quæ facienda siue omittenda sunt, quis solidatur. Scientia igitur his tribus rebus acquiritur. Sed quia inflat, nisi eam charitas ædificet, nihil prorsus proficit absque voluntate bonitatis. Voluntas itaque bona est, quæ Dei voluntati subiecta est; quæ tunc voluntati Dei subiecta est, quando id vult, quod Deus vult eam velle debere: & tunc iusta siue recta dicitur, quando id, quod Deus vult eam velle debere, amplectitur.

Quòd non semper debemus velle, quòd Deus vult.

Caput CLIX.

NON enim semper velle debemus, quod Deus vult: sed hoc velle debemus, quod Deus vult nos velle debere. Voluit enim Deus beatum Martinum ab hac vita tollere; sed si eius discipuli hoc tunc voluissent, crudeles utique extitissent. At nouerunt, quod Deus voluit; sed voluerunt, quod Deus voluit eos velle debere, & viam iustitiæ tenuere. Qui ergo cum scientia, voluntatem bene operandi portat, maxima ex parte bonitati appropinquat. Vnde sciendum est, quia quicumque bonam voluntatem habere desiderat, necesse est, ut à vanitate sese alienare studeat. Nam sicut vna operatio, aliam à se diuersam operationem, excludit; sic cogitatio cogitationem expellit, & voluntas nihilominus voluntatem repellit. Cum enim manu scribo, non agrum semino: deinde etiam cum seminauero, scriptionem excludo. Sic itaque cum & ipse inane quid cogito, non interim vtilitatem penso: & cum postea vtile quid pensauero, vanitatem expello. His igitur, quæ diximus de scientia & voluntate transcursum, videamus etiam, quàm sit necessarius vsus bonæ operationis.

De vsu.

Cap. CLX.

QUIPPE sicut corpus humanum, sine frequenti ciborum vsu, nequit subsistere; sic anima, absque virtutum frequentatione, non potest viuere. Qui ergo ad effectum bonitatis venire desiderat, necesse est, ut cum scientia & voluntate, etiam ipsum vsum habeat.

Quòd bonus homo, de omnibus sibi bonum faciat.

Caput CLXI.

BONUS homo, de omnibus hominibus & bonis & malis, vtilitatem sibi acquirit. Siquidem cum aliquid boni, de homine bono vel malo, audit, gaudet, & Deo inde gratias agit. Quod dum facit, mercedem à Deo bonæ voluntatis accipit, ac si cooperatores fuisset eiusdem operis. Malum autem si audierit, dolet; quod sibi in mercedem deputatur, quasi eiusdem mali destructor fuisset, vel diminutor. Sed dicit aliquis: De bono & prosperitate inimici mei, nequeo gratulari; neque de damno eius contristari: quod si ore confiteor, me condemno, corde etenim mentior.

Ratio quomodo inimici diligere possint.

Caput LXII.

AD hoc considerandum est, qualiter is, qui in bono proficere desiderat, sibi ipsi vim inferre debet, ut proficere valeat. Licet carnalis seu naturalis appetitus meus, damnū inimici mei appetat, nō tamen hoc ore cōfiteri debeo; sed potius damnū eius plangere, & contra appetitum carnis meæ, illius prosperitati fauere: illiusq; damnū solidum

Matth. 5.
Luc. 6.

Rom. 7.

Ibidem

Joan. 3.

1. Cor. 13.

A soluta verbis, si corde simul nequeo, demonstrare mihi displicere. Nam si rationem consideramus, rectius agimus, quando Deo obedimus, quam faciamus, quando carnali voluptati consentimus. Præceptum etenim Domini est, *ut inimicos diligamus*. Si ergo eos affectuose diligere nequeo, quoniam carnalitatem meam ad amorem eorum adhuc flectere non valeo: tamen velle debeo eos me posse amare: & donec valeam hoc agere, verbum, quod potestati meæ subiacet, bonum & non malum de illis promulgare. Cumque hoc ago, non mentior, quando dico me illos diligere; quoniam *velle adiacet mihi, perficere autem non habeo*. Condelector tamen Dominico præcepto, secundum rationem spiritus mei, ut eos diligam, quamuis corruptibilitas carnis meæ repugnet. *Iam enim non operor ego illud, sed quod regnat in me peccatum*. Aliud enim est sentire, aliud consentire. Malus verò homo è contrario, sibi de bonis & malis, peccatum accumulatur: cum bonis omnibus inuideat, malis verò fauorem exhibeat. Huius finis interitus, mors, & tribulatio: iusti autem finis est Christus, vita & exultatio.

De intellectu, amore, & vsu. Cap. CLXIII.

Tribus modis sentitur Deus videlicet intellectu, amore, & vsu. Per intellectum sapiamus, per amorem iustificamur, per vsu beatificamur. In quantum quis Deum intelligit, sapiens est; in quantum verò amat, iustus; verum in quantum vitur, beatus. Sed quando, quod rectum est, videmus, Deum per intellectum mentis sentimus, quando quidem, quæcunque rectitudo est, ab illo est.

Similitudo inter Deum & Solem.

Caput CLXIV.

Sicut enim ex splendore solis, ipsum solem sentimus, antequam illum perspicue videamus; sic ex mentis nostræ speculatione Deum sentimus, quando verum quid ex ipsa veritatis luce perspicimus; sicque illum intelligendo & amando, per fidem & spem ad præsens sentimus. In futuro autem, non iam per spem sentiemus, *quia videbimus eum, sicuti est*; non tamen eum omnes æqualiter videbunt, nec eius amore omnes æqualiter calebunt.

Similitudo inter ignem, & Dei amorem.

Caput CLXV.

Sicut enim diuerso modo lignum & ferrum, signis ardore calent, sic cælestes spiritus, & beatorum animæ, inæqualiter Dei amore feruent.

Quomodo Sancti Deum videbunt. Cap. CLXVI.

Nunc autem videmus eum in enigmate, & quasi in pictura, ea quæ dicimus, veluti pictum solem aut mare videremus. Solem quippe aut mare cum depicta videmus, non sicut est in ipsa re, ea habemus. Cum verò solem clarè lucentem perspicimus, aut mare turbulentum vel tranquillum cernimus, rem, sicuti est, veraciter intuemur; quævis tantam, quanta in se est, intueri nequeamus. Sic Sancti Dei in gloria sua Deum videbunt, sed magnitudinem diuinitatis eius, siue immensitatem potentiæ illius comprehendere nequibunt. Non enim immensus esset si ille intellectu alicuius comprehendi potuisset.

De quatuor modis præcipiendi, & totidem obediendi.

Caput CLXVII.

Aliquando bene præcipitur, & bene obeditur, & è contra, interdum malè præcipitur,

& malè obtemperatur; aliquando bene præcipitur, & malè obeditur; aliquando malè præcipitur, & bene obeditur. Bona est præceptio, & bona est obeditio, cum præcipitur, ne castitatem quis violet, & seruatur. Mala est iussio, & mala obeditio, si iubetur furari, vel huiusmodi, & fiat. Bonum est præcipere, & malum obedire; ut si (verbi gratia) aliquis captiuetur, & ad capitis plectionem veniatur, ne fugiat, ligatur. Huic autem si forte aliquis dicat, fuge, pro te in vinculis istis me ponam penam pro te accipiam. Bona quidem talis præceptio, quia ex perfecta charitate descendit; sed mala ad hoc concessio, quia prorsus obuiat charitati. Nam ubi dictum est: *Alter alterius onera portate*; non dictum est, *onera imponite*. Mala est iussio, & bona obeditio; ut si quis poma cedrina, vel quippiam aliud, quod siue periculo haberi non posset, quis prælatus sibi afferri præciperet. Vnde David, *aquam de cisterna sibi afferri præcepit*; quæ quia in periculo sitorum allata est, penituit præcepti, noluitque eam bibere, sed eam Domino libauit.

De timore, commodo, & amore. Cap. CLXVIII.

Deo quidem tribus de causis homines seruiunt, videlicet, timore, commodo, & amore. Sunt namque nonnulli qui si penas inferni non esse scirent, pro nulla repromissione æternorum bonorum à suis voluptatibus cessarent. Qui licet penas illorū, qui Deū minimè verentur, euadant, non tamen plenam retributionem inuenient. Alij autem Deo seruiunt, ut magnum inde habeant commodum, siue in præsentis vita, siue in hac & in futura. Quibus, si Deus voluerit, ex quadam ratione poterit dicere: Gratia commodi vestri, mandata mea seruastis; non quia purè me diligebatis, sed quoniam à me lucrari volebatis. Sicut hi, qui Regi seruiunt, non quia Regem multi, sed donaria diligunt Regis. Alius est, qui verè Deum diligit, & solo amore eius præcepta eius custodit. Iste profectò legaliter seruit, & bonam perfectamque mercedem sibi acquirit. Igitur, sicut Deo ille nihil præposuit, sic illi Deus iusta recompensatione reddere debet seipsum, qui rebus omnibus excellit.

De ratione, voluntate, & appetitu.

Caput CLXIX.

In anima tres sunt naturæ: videlicet, ratio, voluntas, & appetitus. Ratio assimilatur Angelis, appetitus brutis animalibus, voluntas vtrique. Voluntas inter rationem & appetitum, media est; aliquando enim ad rationem, aliquando ad appetitum se habet. Sed quando ad rationem se conuertit, quia ea, quæ sunt rationalia & spiritalia sapit, dicitur homo rationalis & spiritalis. Quando verò ad appetitum se tenet, quia ea sapit, quæ sunt carnalia & irrationabilium animalium, dicitur homo carnalis siue animalis. Vnde scriptum est: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Spirituales autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur*. Cum itaque iuxta hoc, quod voluntas se habet, dicitur homo carnalis siue spiritalis: sciendum est, quòd interdum quædam sentiuntur in carne, quibus voluntas minimè consentit.

De suggestione, de lectione, & consensu.

Caput CLXX.

Tres namque delectationes sunt; vna, quæ sentitur in carne præter voluntatem, quæ vocatur suggestio. Alia, quæ sentitur in voluntate suggestionis, nò tamè in voluntate actionis, quæ dicitur delecta-

Matth. 5.
Luc. 6.

Rom. 7.

Ibidem

Galat. 6.

Ioan. 3.

1. Cor. 13.

1. Cor. 2.

A delectatio. Tertia, quæ sentitur, cum voluntate operandi, & nominatur consensus. Sed illam, quæ nominatur suggestio, nulla pœna comitatur. Nam, ubi non est consensus voluntatis, nulla sequitur pœna delectationis. Vnde Apostolus: *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* Et alibi: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Interiorem hominem vocat ipsam rationem; legem membrorum, delectationem sine voluntate; legem Dei, obseruationem mandatorum eius, quæ & lex mentis dicitur, quia mentem seruat: legem autem peccati, quam prius legem membrorum nominauerat.

De nominibus animæ.

Cap. CLXXI.

Nota, quod plura sunt nomina animæ. Vocatur enim aliquando spiritus, mens, animus, ratio, intellectus, interior homo. Dicitur etiam anima vegetabilis, sensibilis, rationalis. Sed cum plura nomina habeat, ad illa adhuc redeamus, de quibus sermo fuit prius. Quia voluntas in illis, aut recte se habebit, & erit legitima: aut illa deserendo, fornicatrix, vilis, & abiecta. Namque si voluntas, quæ est media inter rationem & appetitum, rationi concordauerit, legitime viuit, si verò appetitui, fornicatrix erit; Est ergo ratio siue spiritus, quasi vir; voluntas, vt sponsa; appetitus carnis, quasi adulter; non igitur ei voluntas in aliquo consentiat. Scriptum est enim: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Jacob. 1.

B

De sordido exemplum.

Cap. CLXXII.

Quemadmodum, si sordidus aliquis, & omni fetore plenus occurreret alicui dicens, se cum eo velle consiliari, non debet qui mundus est subsistere; sic nec voluntas, appetitui carnali acquiescere.

De quadrato lapide. Cap. CLXXIII.

Quadratus lapis, sex æqualia habet latera; in quod horum ceciderit, firmiter iacobi, sic providendum est viro iusto, vt in suo persistat proposito. Huius autem latera sex, hæc sunt; prosperitas, aduersitas, sui libertas, subiectio, in secreto esse, & in publico; & in quibus singulis, si a diabolo impulsus, stet, nec a proposito moueatur.

De peccato. Cap. CLXXIV.

De peccato tribus modis loquimur. Secundum naturam, id est, distictam iustitiam, vt illud: *Qui dixerit fratri suo fratue, reus erit gehenna ignis.* Secundum gratiam, vt: *Quacunque hora inuenit peccator, peccatum suum remittetur ei.* Et, *Conuertimini ad me, dicit Dominus, & ego conuertar ad vos.* Secundum disciplinam; vt cum præcipitur homini, tantum vel tantum pœnitere. Disciplina est sub gratia, quia nullus pœnitere vel satisfacere posset, nisi gratia præueniret.

*Matth. 9.
Ezech. 18.*

Zach. 3.

De similitudine ceræ.

Caput CLXXV.

Videns hominem in vanitate, ab infantia usque ad profundam senectutem conuersatum, sola terrena sapientem, & in his penitus obduratum. Cum hoc age de spiritualibus; huic

de subtilitate diuinæ contemplationis loquere, hunc secreta rimari cælestia doce: & prospicies eum nequaquam posse adhuc videre. Nec mirum, indurata est cæca, in illis ætatem nutriuit, aliena ab istis sequi didicit. E contra consideres puerum, ætate & scientia tenerum, nec bonum nec malum discernere valentem: nec te quidem intelligere de huiusmodi differentem. Nec quidem mirum Mollis est enim cera, & quasi liquens, nec imaginem figilli quoquo modo recipiens. Medius horum adolescens & iuuenis est, ex teneritudine atque duritia, quasi ex senectute & pueritia congruè temperatus. Si ergo hunc instruxeris, ad quemcumque vtilitatis profectum voles, siue honestatis, aptè informare valebis.

De conatu diaboli contra nouitium.

Caput CLXXVI.

Cum diabolus nequit monachatum alioi dare odio, nititur eum conuersationis, in qua est, subruere fastidio. Et licet illi monachatum propositum tenendum ad horam quasi concedat, tamen hoc, quia sub talibus, aut etiam inter tales, aut in tali loco suscepit, multimodis vitijs fallaciter impulsus, pœnitere nouitium quodque facit. Vt dum illi persuadet inceptum propositum, ingratum existere; nec ad meliora proficiat; nec quod accepit, diu teneat, aut in eo vtiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus de mutando; aut si mutari non valet, saltem de improbando proposito; meditatur; nunquam interim ad finem perfectionis labor eius perueniat, sed profusus a Deo respuatur. Nam, quoniam illi fundamentum; quod posuit, displicet, nullatenus illi structuram bonæ vitæ superædificare libet, vt sit. Vt quemadmodum arbutula, si sæpe transplantetur, aut nuper plantata in eodem loco, crebra conculcatione inquietetur, nequaquam radicare valens, ariditatem cito attrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatem peruenit. Sic infelix monachus, si sæpius de loco ad locum, proprio appetitu mouetur; aut in vno permanens, frequenter eius odio concutitur.

De pueris plantæ comparatis.

Caput CLXXVII.

Dilectio, si plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam ex omni parte ita concluderes, vt ramos suos nullatenus extendere posset, cum eam post annos excluderes, quales putas ramos extenderet. Profecto inutilis arbor, rugosa, & gibbis plena, ramis suis incuruis perplexa. Hoc vti que facitis, o vos puerorum magistris, de pueris vestris, qui plantati sunt per oblationem in Ecclesiæ horto, scilicet vt crescant, & fructificent Deo. Vos autem in tantum terroribus, minis, & verberibus vndique illos coarctatis, vt nulla penitus liceat sibi libertate potiri. Itaque indiscretè oppressi, prauas, & spinarum more perplexas cogitationes, infra se congerunt, fouent, & nutriunt. Vnde fit, vt quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil beneuolentiæ circa se in vobis sentiunt; nec illi alicuius boni in vobis; sed quicquid est odij, impietatis, maleuolentiæ, postea spem habeant. Contingit itaq; miserabili modo, vt sicut corpore crescunt, sic & in eis timor tantum, & inuidia, & suspicio omnis mali crescat ex vobis, semper proueniens & incurui ad vitia, secum præmeditantes, aut quomodo vestras insidias & machinationes valeant evitare, aut deinde seculo redire.

Exem-

*Natura.
& consuetudine*

*Ioan. 15.
1. Ioan. 3.*

Exemplum de lamina auri.

Caput CLXXVIII.

A Vidistis (quæso) vnquam artificem, ex lamina auri vel argenti, solis mallei percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina formet, minicæam suo instrumento leuiter premit & percutit, & postmodum planat, nunc etiam discreto leuamine, leuius leueat, & informat. Sic & vos, si pueros vestros cupitis moribus bonis ornatos esse, necesse est, vt cum depressionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis, & mansuetudinis leuamen, atque subsidium. Tenuera quidem teneris, sicut & ipsi teneri sunt, lac scilicet, non solidum cibum præbentes eis, necdum ad perfectam ætatem prouectis.

De charitate. Caput CLXXIX.

Qui charitatem in corde retinet, hic, vnde gratias Deo agat, habet, ille verò, ad quem tantummodo habetur, minime. Quas enim gratias mihi debet Deus, si quis me diligit? Amplius: is, cui dilectio alterius seruit, solius commodi munus pro functione suscipit. Verbi gratia, beneficium vnum, honorem vnum, prædium vnum, vel quodlibet officij genus in hunc modum. Alius verò qui charitatem, quasi commodi munus exhibuit, intransitiue sibi retinuit. Charitas enim officium ab eo, qui hoc suscipit, transit. Charitas verò ipsa, quæ Deus est, in eo remanet, qui eam alijs impendit, bonum autem permanens, bono transeunte melius est. Hæc igitur considerando, profectò perspiciemus magis esse nobis gaudendum, si alios diligimus, quam si ab alijs diligamur. Nihil mihi debet aliquis, nec ego alicui, ergo charitas est exhibenda, non exigenda.

Ex tribus causis, omnis res amatur.

Caput CLXXX.

Quicquid amatur, aut natura amatur, aut rectè, aut spe commodi. Naturale enim est, vt omne bonum amemus, & utile. Rectum verò, vt beneficientem nobis amemus. Spe commodi, quandoque res amatur. Alia prorsus vsus, vt mel, eò quod sit bonum & suauis, etiam secundum vsus. Alia verò secundum effectum, vt abstinthium, & nonnulla naturalis potio, quæ cum dent sanitatem, nullam tamen in vsu præbent suauitatem.

Quòd tribus modis diligendus sit Deus.

Cap. CLXXXI.

Tribus etiam his modis diligendus est Deus. Natura, quia omnibus & melior, & utilior, & ideo plus cæteris est amandus. Rectitudine, quoniam omnia, quæ habemus, præstat nobis, etiam hoc ipsum quod sumus. Et tanto eum amare debemus plus nobis ipsis, quanto maior est ipse, qui se pro nobis dedit, & nobis eisdem semetipsum daturus est. Et quoniam ei personaliter non possumus reddere illud, (non enim his persona eius eget) ostendit nobis; quibus debeamus vicem reddere, dicens: *Mando vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilixi vos.* Et Apostolus: *Sicut pro nobis Christus animam suam posuit, ita debemus pro fratribus animas ponere.* Diligere igitur debemus nos inuicem; tum quia & bruta quædam animalia hoc faciunt, tum quia vnus familiae, scilicet Christi sumus; & quia in regno eius singulos sicut nos ipsos diligemus; & quia ibi æqualiter ab

D. ANSELMI TOMVS III.

ipsis diligemur. Indecens enim est, si in hoc mundo habuerimus odio, quos ibi sumus habituri charissimos. Sciendum est enim, quòd quicumq; ibi aderunt, nobis vicem reddent pro dilectione præsentis. Spe etiam commodi vel remunerationis diligendus est Deus, quoniam immortalitatem & incorruptibilitatem nobis promittit.

De tribus libertatibus.

Cap. CLXXXII.

Libertatis siquidem modos tres dicimus esse libertatem videlicet actionis, quam omnes volunt; id est, vt liberè facere possint, quæ volunt. Dicitur etiam libertas intelligentiæ, quam non omnes volunt. Est etiam libertas rectæ voluntatis, quæ semper est bona. Hanc paucissimi volunt, id est, vt ea velint, quæ debent. Notandum, quòd libertas actionis sine libertate bonæ voluntatis, semper est mala. Verùm libertas intelligentiæ est media, quæ bona est, quotiescunque libertati rectæ voluntatis adheret: mala autem, cum sine illa est. Habet primò quis quantulamcumque libertatem intelligentiæ, id est, scit intelligere, quid sibi expedit, velit illam in bono, & sic promerebitur adipisci libertatem intelligentiæ quicquid expedit, volendi quodcumque debet, agendi quicquid prodest. Sub libertate volendi, est libertas arbitrij.

De venatione diaboli. Cap. CLXXXIII.

Diabulus, per peccati suggestionem, quotidie, dit ad venandum. Eos verò intra retia sua retinet quos nec dolor pro peccato proprio afficit. Illos autem iam amittere incipit, quos pro carnis intemperie lugere iam conspiciunt. Quosdam autem tertij ordinis, id est, sanatos à carnalibus & spiritualibus peccatis, omnino perdit. Primi omnino lugeant, doleant adhuc secundi, tertij verò gaudeant.

Quòd Deus non horreat peccatum.

Caput CLXXXIV.

Horrere dicitur Deus animam peccatricem, non quòd horreat peccatum, quòd nihil est; sed quia non est ibi debita iustitia, quam ibi amaret. Vt dicimus nos horrere domum, in qua nihil est, quòd amemus, sed hoc & illud improprie. Virtutibus igitur adhæreamus postponendo vitia, & hanc patientiam amplectendo cum iugi exercitio. Patientia etenim, vel quælibet virtus sine exercitio, quasi plumbea lancea est.

Visio Anselmi de fluuio. Cap. CLXXXV.

Vidit, vt asserere solebat, Anselmus in infirmitate positus, & in ecstasi quodammodo extra se raptus: vidit (inquam) fluuium vnum rapidum atque præcipientem, in quem confluabant omnium fluxuum purgaturæ, & quarumcumq; terrestrium rerum lauatoræ. Videbatur itaq; aqua ipsa nimis turbulenta, & immunda & omnium spurcitiarum sordè horrida. Rapiebat igitur in se quicquid attingere poterat: & deuoluebat tam viros quam mulieres infra se, ditites & inopes simul. Fæda quidem erat aqua, ex ea tamen vivebāt & delectabantur in illa: vt ille assererat, qui eum ducebat. Ille verò ab ipso inquirente, quisnam torrens ille esset: vel quid multitudo illa, in eo volutans, prætenderet? Adiecit ille prædux patris nostri, atque ait. Ne miseris. Torrens mundum significat, quòd rapiuntur, in cuius illecebrosis spurcitijs, inuoluuntur omnes ipsum amantes. Et his dictis, inquit,

PP De

Natura.
Rectitudine

Ioan. 15.
1. Ioan. 3.

A *De vero monachatu. Cap. CLXXXVI.*

Visne videre, quid sit monachus verus? Ad hoc alter: Volo. Duxit itaque illum, quasi in conspectum cuiusdam magni claustrum, & admodum spaciosi, & speciosi. Et ait: Circumspice. Aspexit & ille. Et ecce parietes claustrum illius obducti erant argento purissimo. Herba quoque virens in medio erat, & ipsa argentea; mollis quidem, & redolens, & ultra humanam opinionem delectabilis. Hæc more alterius herbae, sub his, qui in ea pausabant leuiter flecebatur, & surgentibus illis, ipsa quoque surgebat. Ut quid immorer? Quicquid est iucunditatis, ibi erat. Cum ergo hoc perpetuo habitandum elegisset Anselmus, ductor eius se ei spondit, si vellet, veram ostensuram patientiam. Sed quia, ut assolet, interrim euigilauit, promissi demonstratorem amisit. Has igitur duas visiones à sancta paternitate, & à paterna sanctitate relatas, libenter audiamus, & audiendo deuote teneamus, tenendo mente iugiter reuoluamus, ut vnius horrorem, dum vacat, fugiamus; alterius velut amœnæ iucunditati, & iocundæ amœnitati insulamur, nos qui monachatum tenemus.

De securitate & pace in religione.

Capitulum CLXXXVII.

Sicut bubo, dum in cauerna cum pullis suis est, lætatur, & suo modo bene sibi est; dum verò inter coruos, & corniculas, seu alias aues est, incursatur ac dilaniatur, & omnino sibi male est, utpote, quem hic rostro percutit, ille alis in eum irruit, alter verò unguibus discindit. Ita & mihi. **B** Quando enim cum monachis, meis scilicet filiis, conuersari queo, mihi bene est, & grata ac singularis vitæ meæ consolatio. Quando verò remotus ab illis inter seculares conuersor, hinc inde me variarum causarum incurfus dilacerant, & que non amo, secularia negotia vexant: Male itaque mihi est, quando sic sum, ac tremens, pertimesco animæ meæ dispendium. Hic idem pater noster, quadam vice de trans mare regressum Regem Guilelmum iuniorem adiit: Et, ut Romam ad Papam Urbanum, pro stola sui Archiepiscopatus, eundi sibi licentiam daret, humiliter & mansuete petijt. At Rex ad nomen Vibani turbatus, dixit se illum pro Papa non tenere: nec suæ consuetudinis esse, ut absque sua electione, alicui liceret in regno suo Papam nominare. Hinc igitur orta quedam grauis dissensio est inter regnum & sacerdotium, adeo quidem magna, ut ipse absque assensu Regis Angliam exiit, & Romam petijt. Ibi que aliquamdiu cum maximo honore & reuerentia, tam ab ipso Papa, quam ab ipsis Romanis, sublimiter commorans. Tandem precatu Regis ac totius regni, Angliam reuifens, suæ profectò sedi, Deo quidem annuente, ac populo fauente, restitutus est.

Exemplum de lepore.

Capitulum CLXXXVIII.

Dilcedente autem quadam vice eodem patre nostro, à prædicti curia Regis, pueri, quos nutrebat, leporem sibi occurfantem in via, canibus insecti sunt: fugientem, etiam intra pedes equi, quem pater ipse insinebat, consecuti sunt. Ille verò sciens, miseram bestiolam sic se refugio consuluisse, retentis habenis, equum loco fixit, nec caputum bestia voluit præsidium denegare. Quam canes circumdantes, & linguis

fuis hanc grato obsequia hinc inde lingentes, nec se sub equo poterant eijcere, nec in aliquo lædere. Quod videntes, admirati sunt, qui aderant. At pater pius, ubi quosdam aspexit ex militibus ridere, & quasi pro capta bestiola lætitiæ fræna laxare, solutus in lachrymas, ait: Ridetis? Et huic utique infelici nullus risus, nulla lætitiæ, hostes eius circa eam sunt, & ipsa sola de vita sollicita confugit ad nos, præsidium suo modo flagitans. Hoc planè (fili) est similitudo in hominis & animæ morientis. Nam cum de corpore exit, mox inimici sui, maligni scilicet spiritus, qui eam in corpore de gentem per anfractus vitiorum multimodis persecuti sunt, crudeliter assunt, parati sunt eum rapere, & in mortem æternam præcipitare. At illa nimis anxia, hæc illucque circumspicit; & manum defensionis & auxilij, qua se tueatur, sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit. Demones autem e contrario rident, & immensa lætitiæ gaudent, si nullo eam adminiculo fultram inuenire queant. Quibus dictis laxato fræno iter arripuit, & bestiam ultra persequi clara voce canibus interdixit. Tunc illa, ab omni læsione immunis, exultans & hilaris, præpeti cursu campos syluæque reuifit.

Exemplum de auicula. Cap. CLXXXIX.

Alia quoque vice respexit puerum quendam, cum auicula in via ludentem: quæ pedem filo innexum habebat. Sæpe cum laxius ire permittebatur, fuga sibi consulere cupiens, auolare nitabatur. At puer filium manu tenens, retrahens irretitam auiculam ad se vsque deijciebat, & hoc ingens gaudium pulchrumque spectaculum puero præstabat. Factum est hoc semel & iterum, factum frequentius. Quod pater benignus aspiciens, auiculæ condoluit: & ut rupto filo libertati redderetur, præcepit. Et ecce filium rumpitur, auis que auolat; puer plorat, pater exultat. Et vocatis, qui aderant, consideratis, inquit, iocum pueri? Et confessis considerasse, ait: Simili consideratione iocatur diabolus cum hominibus multis, quos irretitos suis laqueis, pro sua voluntate in diuersa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim quidam (ut verbi gratia dicam) auaritiæ, seu luxuriæ, & similibus flammis succensi, & ex mala consuetudine illis addicti. His contingit aliquando, ut sua facta considerantes, fleant, seque amodo à talibus cessaturis ore promittant, & more auis irretitæ liberos se volare autument. Sed quia prauo vsu irretiti ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia deijciuntur: fitque hoc sæpius, nec omnimode liberantur; nisi magno conatu & gratia, funis rumpatur prauæ consuetudinis.

De malitia & fæditate peccati. Caput CXC.

Sihic, inquit, Anselmus, peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario vni illorum haberem immergi: prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quam peccati forde pollutus, celorum regna tenere, cum constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cælesti beatitudine foueri.

De verbis defuncti. Cap. CXCI.

Verba defuncti Osberni monachi, ad Anselmum in spiritu delata, & ab eodem Anselmo postmodum exposita. Ter, inquit, ille defunctus,

*Voluntas
De qua di-
catur.*

*Voluntas
Dei multi-
pliciter di-
citur.*

Psal. 113.

1. Tim. 2.

A functus, antiquus serpens insurrexit in me, sed Vrsarius Domini mei: liberauit me, hæc dicens, euauit. Benedictus verò pater noster, visionem illam expergefactus à somno, ad memoriam reuocans, ac singula propensius inspiciens, quando, & quibus libuit sic eam exposuit. Primo iniquiens, pro peccatis, quibus obligatus ante baptismum fuerat, in eum insurrexisse hostem antiquum. Secundò, pro peccatis, quæ fecit post baptismatis sacramentum, ante professionem. Tertio, pro illis, quæ fecit post professionem, ante obitum. Sed ter cecidit: Peccata enim quibus astrictus fuerat ante baptismum, fidem parentum, in ipso sacramento deleta, diabolus inuenit. Illa etiam, quæ in sæculo, vel in monasterio ante professionem commisit, in ipsa professione monastica æquè abolita, serpens ille antiquus reperit. Quæ verò post professionem fecit, vera confessione ante obitum, monachus ille deleuit. Per illum Dominum Vrsarium designari dixit ordinem Angelicum. Sicut enim vrsarij vrsos, ita Angeli spiritus malignos à sua sæuitia coercent & opprimunt, ne nobis noceant, in quantum volunt.

Beati Anselmi liber de Similitudinibus explicat.

EIVSDEM BEATI
Anselmi Cantuariensis Archie-
piscopi, liber de Voluntate
Dei incipit.

B Vmana ratio cum de Deo semper debeat tractare, & ad laudem eius aliquid conuenienter dicere, nomina per quæ proprie loquatur non habet, sed nomina hominibus data & imposita accipit, & per ipsum effectum omnipotentiam eius saltem vel tenui oratione aperire conatur, & hoc facit ex istis rebus colligens effectum voluntatis Dei secundum occultam iustitiam, vel secundum misericordiam, vel secundum iræ ipsius vindictam. Ad incomprehensibilem enim Deitatis proprietatem aspirare non potest. Hinc nos quoque de voluntate Dei aliquid dicere cupientes, actum rerum attendimus, quoniam ad ipsius celsitudinis culmen anhelare non valemus. Voluntatem igitur Dei appellamus, quicquid in nobis ipse misericorditer operatur, reuocando nos ab errore, vel piè confirmando iustitiæ. Voluntas quoque dicitur poena & reprobatio quorundam Dei occulta, distinctione facta iustitiæ. Voluntas Dei est (vt breuiter dicam) quicquid fit, vt fieri inuenitur in creaturis. Sed dicitur: si omnia procedunt ex voluntate Dei, quam constat semper bonam & rectam esse: tunc omnia & recta sunt: & si hoc est tunc frustra iudicatur aliquis iniquus, vel damnatur impius: quod fateri, contrarium inuenitur catholicæ fidei. Dicendum est igitur, voluntatem Dei multipliciter accipi: vt quicquid postea opponatur, sine omni difficultate opulentiùs aperitur. Voluntas itaque Dei accipitur aliquando in scripturis, æquipollens omnipotenti suæ præscientiæ, & ordinationi sagaciter omnia disponenti. Vnde dicitur: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*, hoc est, quicquid Deus ab æterno facturum se ordinauit, nihil in expletum reliquit. Accipitur etiam Dei voluntas, nomen rerum secundum quendam affectum misericordiam Dei: vt ibi: *Vult Deus omnes saluos fieri*, quod est dicere, facit sanctos velle, vt

D. ANSELMI TOMVS III.

omnes salui fiant, quod ipse tamen vult, hoc est, ipse disposuit: sed sanctos facit velle, Dei & proximi inspirando dilectionem, qua dilectione non inconuenienter fiunt in Ecclesia orationes à sanctis pro schismaticis, & hæreticis, iudæis quoque & gentilibus. Institutio diuina, Dei voluntas non improprie appellatur. Dei autem institutio in duo diuidi potest, in præcepta diuinarum scripturarum, & in legem naturalem: quæcumque homini insita est naturalis, quæ est: *Quod tibi nolueris, alteri ne feceris, &c.* Cui, quicumque obuiat, Dei voluntatem non seruat. Præcepta etiam diuinarum scripturarum, & rectæ obseruationes Ecclesiarum, voluntas Dei non immerito appellantur: quibus, quicumque obseruauerit non acquiescit, à Dei voluntate deniare, penitus dicitur, cum tamen ab ordine præscientiæ eius nullatenus valeat exorbitare. Ecce, voluntas Dei quatuor modis accipitur à Doctoribus magistris, scilicet pro scientia Dei, pro voluntate sanctorum qui volunt & iniustos charitatiue saluari, pro ratione humana, quarto pro præceptis diuinis. Si quis verò oculo mentis hos modos considerat non vterius in Dei voluntate determinanda impeditus laborauit: sed vocis acceptione fidei intendens ingenio, de verbis facile diiudicabit. Itaque cum dicitur, adulterium, vel homicidium vult, vel non vult Deus fieri. Hæc verò propositiones non repugnant sibi, nec contradicunt: ambæ enim veræ sunt & indubirabiles, si quis huius vocis æquiuocationem multiplicem, quæ est, vult fideliter attendat. Nam Deus vult adulterium, hoc est, præscit, præuidet. Vnde nullus dubitat, quia omnia videt, & omnia præscit. Item, non vult, hoc est, non præcipit, vel mentibus fidelium inspirando non facit velle. Vel non vult Deus adulterium, id est, ex vi rationis animæ, ex naturali scilicet lege data à Deo, non habemus quod quis in hoc nec etiam in alio debeat offendere proximum. Iuxta has autem determinationes, potest quilibet has Dei voluntas determinare aperte. Sed videndum est quoddam fati subtilius, quod occurrit huic de voluntate disputationi. Nam voluntati Dei voluntas hominis adheret plerunque, sed inde damnatur homo, voluntati Dei quoque non adheret hominis voluntas, & inde remuneratur homo. Item, vult homo quod non vult Deus, & habet inde præmium à Deo: non vult homo quod vult Deus, & inde consequitur laudem, & multis alijs hanc voluntatem variari modis sagacium industria per se poterit indagare. Sed nunc ad expositionem supradictorum redeamus, vult Deus quod vult homo, si damnosè, vt homicidium, vel adulteriù, quod vult Deus, hoc est, præscit: sed homo etiam hac voluntate damnatur, prohibitum est enim ei. Vult Deus vt pater alicuius moriatur, vel vult alicuius hominis mortem, quod homo non vult affectu naturali, vel compassione proximi, & remuneratur ex hoc tali affectu, si in cæteris regulam rectè viuendi non excesserit in omnibus tamen quæ vult & quæ facit, diuinæ voluntati concordare intendit, & nihil contra eum facere disponit: quia tunc tantum est bona voluntas humana, quando vult illud quod Deus vult illam velle: & sic concordat diuinæ, quæ magistra est humanæ. Magna quidem voluntas Dei incomprehensibilis est, sicut ipse Deus contra quam vult homo quia non plene eam cognoscit, quod in futuro erit. In præfenti verò quosdam affectus eius percipit secundum perceptionem vel prohibitionem, & ille ob-

PP 2 edit.

Voluntas
Dei quæ di-
catur.

Voluntas
Dei multi-
pliciter di-
citur.

Psal. 113.

1. Tim. 2.

C

Tob. 4.

D

A edit. In his autem supradictis, non est æquum intelligere aliquem aliquod falsum vel superfluum dictum fuisse, vel contra sanctorum auctoritatem. Dicit enim Augustinus in Enchiridio, cap. 100. Propterea magna voluntas eiusdem Domini exquisita in omnes voluntates eius, ut & miro & ineffabili modo non fiat præter voluntatem eius, quod etiam contra eius voluntatem fit, quod non fieret si non *fineret*, nec utique nolens finit, sed volens: nec *fineret* bonum fieri malè, nisi omnipotens & de malo posset facere bene. Est & alia huius voluntatis diuisio. Alia enim potest dici efficiens, alia approbans, alia concedens, alia permittens. Efficiens voluntas in Deo facit quicquid vult: Efficiens in homine, quod potest homo & vult ipso actu. Approbans est quæ approbat aliquid, & hæc ad hominem pertinet & ad Deum. Approbans in Deo est, quæ vult omnes saluos fieri: quoniam nullum prohibet, quantum ad salutem fieri: immo si quis ad hoc laborat, approbat. Patens est quidem quæ sit approbans in homine. Concedens est, quæ concedit ut fiat aliquid. Concedente autem voluntate, vult Deus, ut homo qui melius non proposuit, uxorem ducat. Permittens voluntas est, quæ permittit aliquid fieri, et si displiceat quandoque. Et hoc modo dicitur Deus velle mala, quæ permittit fieri. Unde dicitur: *Quem vult indurat, & cui vult miseretur.* Augustinus de ciuitate Dei: Cum dicitur Deus mutare voluntatem, ut quibus lenis erat: Verbi gratia, reddatur asper, illi potius quam ipse mutantur, sicut mutatur sol oculis fauciatis, & asper quodammodo ex miti & ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud se maneat idem qui fuit. Dicitur etiam voluntas Dei quam facit in cordibus obedientiam mandatis eius, de qua dicit Apostolus: *Deus qui operatur in nobis & velle.* Secundum hanc voluntatem etiam velle dicitur, quod ipse non vult, sed ipse suos id volentes facit: sic orant pro quibusdam piè sanctæque inspirati ab eo sancta voluntate, & quod orant non facit. Secundum vero voluntatem suam, quæ eius præscientia sempiterna est, omnia quacunque voluit fecit, non solum præterita, vel præsentia, sed etiam futura. Gregorius: *Deus vult omnes homines saluos fieri*, est id, nulli saluantur, nisi quos vult saluari, vel de omni genere hominum aliqui saluantur. Vel vult omnes saluos fieri, id est, non cogit aliquem damnari. Item, de coniuge infideli dimittendo, dici oportet, non dimittat, quia & si licet non expedit. Item in libro de paruulorum baptismo: Sicut bono male uti malum est, sic malo bene uti bonum est.

Beati Anselmi liber de voluntate Dei explicit.

EIVSDEM BEATI
Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, liber de Concordia præscientiæ & prædestinationionis, nec non gratiæ Dei cum libero arbitrio incipit.

DE tribus illis questionibus, in quibus Dei præscientiæ atque prædestinationi, nec non & gratiæ liberum arbitrium repugnare videtur, quod mihi Deus dignabitur aperire, curabo ipso adiuvante, scribendo ostendere.

Quod præscientia Dei videatur discordare à libero arbitrio, quod non est.

Videtur quidem præscientia Dei, & liberum arbitrium repugnare: quoniam ea quæ Deo præscit, necesse est esse futura, & quæ per liberum arbitrium fiunt, nulla necessitate proueniunt, sed repugnant, impossibile est simul & præscientiam Dei esse quæ omnia præuidet, & aliquid per libertatem arbitrij fieri. Quæ impossibilitas si abesse intelligitur, repugnantia quæ videtur inesse penitus remouetur. Ponamus itaque simul esse præscientiam Dei quam sequi necessitas futurarum rerum videtur, & libertatem arbitrij, per quam multa sine necessitate fieri videntur, & videamus utrum impossibile sit hæc duo simul esse. Quod si est impossibile, oritur inde aliud impossibile. Impossibile siquidem est, quo posito aliud impossibile sequitur. Sed si aliquid est: futurum sine necessitate, hoc ipsum præscit Deus, qui præscit omnia futura: quod autem præscit Deus, necessitate futurum est, sicut præscitur; Necesse est itaque aliquid esse futurum sine necessitate. Nequaquam ergo recte intelligenti hæc repugnare videntur, præscientia quam sequitur necessitas & libertas arbitrij, à qua remouetur necessitas: quoniam & necesse est, quod Deus præscit futurum esse, & Deus præscit aliud aliquid esse sine omni necessitate. Sed dices mihi: Non remoues tamen à me necessitatem peccandi vel non peccandi: quoniam Deus præscit me peccaturum vel non peccaturum? & ideo necesse est me peccare, si pecco, vel non peccare si non pecco. Ad quod ego: Non debes dicere, præscit me Deus peccaturum vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccaturum, sine necessitate vel non peccaturum: & ita sequitur, quia siue peccaueris, siue non peccaueris utrumque siue necessitate erit: quia præscit Deus futurum esse sine necessitate hoc qui erit: vides igitur non esse impossibile, simul esse præscientiam Dei, per quam futura quæ præscit dicuntur esse ex necessitate, & libertatem arbitrij, per quam multa fiunt sine necessitate. Si enim est impossibile, sequitur aliud impossibile, sed nulla nascitur ex hac impossibilitas. Forsitan dices: Nondum aufers à corde meo vim necessitatis cum dices: quia necesse est me peccaturum esse, vel non peccaturum sine necessitate, quia hoc præscit Deus. Necessitas enim videtur sonare coactionem vel probationem. Quare si necesse est me peccare ex voluntate, intelligo me cogi aliqua occulta vi ad voluntatem peccandi, & si non pecco, à peccandi voluntate prohiberi. Quapropter necessitatis videor inde peccare si pecco, vel non peccare, si non pecco. Et ergo sciendum est, quia sæpe dicimus, necesse est, quod nulla vi esse cogitur, & necesse non esse quod nulla prohibitione remouetur. Nam dicimus necesse est Deum immortalem esse, & necesse est Deum non esse iniustum, non quod vis aliqua cogat eum esse immortalem aut prohibeat esse iniustum: sed quoniam nulla res potest facere, ut non sit immortalis aut ut sit iniustus. Sic itaque si dico necesse est esse te peccaturum, vel non peccaturum, sola voluntate sicut Deus præscit, non est intelligendum quod aliquid prohibeat voluntatem quæ non erit aut cogat illa esse quæ erit, hoc ipsum namque præscit Deus, qui præuidet aliquid futurum ex sola voluntate: Sed voluntas non cogitur aut prohibetur vlla alia re, quia sic ex libertate fit quod fit ex voluntate. Si igitur hæc diligenter intelliguntur puto quia & præscientiam Dei & libertatem arbitrij simul esse, nulla prohibet inconuenientia. Denique si quis iniunctum verbi proprie considerat, hoc ipso quod præsciri aliquid dicitur,

A tur, futurum esse pronuntiat. Non enim nisi quod futurum est præscitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare cū dico, quia si præscit aliquid necesse est illud esse futurum, id est, ac si dicam, si erit, ex necessitate erit, sed hæc necessitas non cogit nec prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse, aut quia ponuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate: non quia necessitas cogat aut prohibeat rem esse aut non esse. Nam cum dico: Si erit, ex necessitate erit, hic sequitur necessitas quæ rei positionem non præcedit. Idem valet si sic pronuntietur. Quod erit, ex necessitate erit. Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit non poterit simul non esse. Pariter autem verum est quia fuit & est, & erit aliquid non est ex necessitate, & quia necesse est fuisse omne quod fuit, & esse quod est & futurum esse quod erit. Quippe non est idem rem esse præteritam, & rem præteritam esse præteritam, aut rem esse presentem, & rem presentem esse presentem: aut rem esse futuram, & rem futuram esse futuram: sicut non est idem rem esse albam, & rem albam esse albam. Lignum enim non est semper necessitate album, quia aliquando prius quam fieret album: potuit non fieri album, & postquam est album, potest fieri non album: lignum verò album, semper necesse est esse album: quia nec antequam sit, nec postquam est album, fieri potest ut album simul sit non album. Similiter res non necessitate est præsens: quoniam antequam esset præsens potuit fieri, ut præsens non esset, & postquam est præsens potest fieri non præsens. Rem autem presentem necesse est esse presentem semper: quia nec prius quam sit nec postquam est præsens, potest præsens simul esse & non præsens. Eodem modo res aliqua, ut quædam actio non necessitate futura est, quia priusquam sit, fieri potest ut non sit futura. Rem verò futuram necesse est esse futuram: quoniam futurum nequit esse simul & non futurum. De præterito autem similiter verum est, quia res aliqua nunc est necessitate præterita: quoniam antequam esset, potuit fieri ut non esset, & quia præteritum semper necesse est esse præteritum, quoniam non potest simul esse præteritum & non esse præteritum. Sed in re præterita est quoddam quod non est in re præsentem vel futura. Nunquam enim fieri potest, ut res quæ præterita est fiat non præterita: sicut res quædam quæ præsens est, potest fieri non præsens, & aliqua res quæ non necessitate futura est, potest fieri ut non sit futura. Itaque cum dicitur futurum de futuro, necesse est esse quod dicitur, quia futurum nunquam est non futurum, sicut quotiens idem dicimus de eodem. Cū enim dicimus, quia omnis homo est homo: aut si est homo, homo est: aut omne album est album, & si est album, album est: necesse est esse quod dicitur quia non potest aliquid simul esse & non esse. Quippe si non est necesse, omne futurum quod futurum: quoddam futurum non est futurum, quod est impossibile. Necessitate ergo omne futurum, futurum est, & cū futurum dicitur de futuro si est futurum, futurum est: sed necessitate sequente quæ nihil esse cogit. Cū autem futurum dicitur de te, non semper res necessitate est quamuis sis futura. Nam si dico cras seditio futura est in populo, non tamen necessitate erit seditio. Potest enim fieri antequam sit ut non fiat, etiam quæ futura est. Aliquando verò est, ut res sit ex necessitate quæ dicitur futura, ut si dico cras esse futurum ortum solis. Si ergo cum necessitate pronun-

D. ANSELMI TOMVS III.

C tio futurum de re futura, hoc modo seditio cras futura, necessitate futura est aut ortus solis cras futurus, necessitate futurus est. Seditio quidem quæ non erit ex necessitate sola sequenti necessitate futura asseritur: quia futura de futura dicitur. Si .n. cras futura est, necessitate futura est, Ortus verò solis duabus necessitatibus futurus intelligitur, scilicet & præcedenti quæ facit rem esse: ideo enim erit quia necesse est ut sit, sequenti quæ nihil cogit esse, quoniam idcirco necessitate futurus est quia futurum est. Quapropter cum dicimus, quia quod Deus præscit futurum necesse est esse futurum: non asserimus semper rem esse necessitate futuram: sed rem futuram, necessitate esse futuram. Non enim potest futurum simul non esse futurum. Idem sensus est si sic dicitur: Si Deus præscit aliquid non addendo futurum: quoniam in præscire intelligitur futurum. Nam non est aliud præscire quam scire futurum: ideo si præscit Deus aliquid necesse est illud esse futurum. Non ergo semper sequitur præscientiam Dei rem necessitate futuram esse: quoniam quamuis omnia futura præsciat, non tamen præscit cuncta futura necessitate sed quædam præscit ex libera rationalis creaturæ voluntate futura. Notandum quippe est, quia sicut necesse non est Deum velle quod vult ita necesse non est in multis, velle hominem quod vult, & similiter necesse est esse quicquid Deus vult: ita necesse est esse quod vult homo in his, quæ Deus ita subdit humanæ naturæ & voluntati, ut si vult fiant, si non vult non fiant. Quoniam enim quod Deus vult non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult. In huiusmodi ergo verum est, quia necessitate sit opus peccati, quod vult homo facere, quamuis non necessitate velit. Quod si queritur de peccato ipsius voluntatis cum peccat volendo, utrum sit necessitate? Respondendum est, quia sicut non vult necessitate, ita non est peccatum voluntatis necessitate. Nec necessitate operatur eadem voluntas: quia si non vellet sponte non operaretur, quamuis quod facit necesse sit fieri, ut supra dixi. Nam quoniam non est aliud ibi peccare quam velle quod non debet, ita non est peccatum voluntatis necessarium: sicut velle non est necessarium, tamen verum est, quia si vult homo peccare, necesse est eum peccare, sed ea necessitate quam supra dixi nihil cogere aut prohibere. Itaque quod vult libera voluntas, & patet & non potest non velle, & necesse est eum velle. Potest namque non velle antequam velit, quia libera est, & cū vult non potest non velle, sed eam velle necesse est, quoniam impossibile illi est idipsum simul & velle & non velle. Opus verò voluntatis cui datum est ut quod vult sit, & quod non vult non sit: voluntarium siue spontaneum est, quoniam spontanea voluntate sit, & bifarium est necessarium, quia & voluntate cogitur fieri, & quod sit non potest simul non fieri. Sed has necessitates facit voluntatis libertas, quæ prius quam sint eas cauere potest. Hæc omnia Deus qui scit omnem veritatem & non nisi veritatem: sicut sunt spontanea vel necessaria videt, & sicut videt ita sunt. Hac ergo consideratione palam est, quia sine omni repugnantia, & Deus præscit omnia, & multa fiunt ex libera voluntate quæ antequam sint, fieri potest, ut nunquam sint: & tamen quodammodo sunt necessitate, quæ necessitas, ut dixi, descendit de libera vo-

PP 3

luntate:

A luntate : Cognosci potest etiam non omnia quæ præscit Deus esse ex necessitate, sed quædam fieri ex libertate voluntatis : per hoc quod cum vult aut facit Deus aliquid, siue secundum æternitatem, dicat immutabilem præscientiam in qua nihil est præteritum aut futurum : sed omnia simul sunt sine omni motu, vt si dicimus quia non vult aut vult, nec fecit, nec faciet aliquid : sed tamen vult & facit, siue secundum tempus, vel cum proferimus, qui vult aut faciet, quod nondum factum esse cognoscimus, negari nequit scire quæ vult & facit præscire quæ vult atque faciet. Quare si scire atque præscire Dei necessitatem ingerit omnibus quæ scit aut præscit, nihil sunt secundum æternitatem, aut secundum vltimum tempus vult aut facit, ipse facit ex libertate, sed omnia ex necessitate. Quod si absurdum est vel opinari non necessitate est, aut non est omne quod scit Deus, aut præscit esse vel non esse : ergo nihil prohibet aliquid id sciri vel præsciri, ab illo in nostris voluntatibus & actionibus fieri, aut futurum esse per liberum arbitrium : vt quamuis necesse sit esse quod scit aut præscit, tamen multa fiunt nulla necessitate, sed libera voluntate, quemadmodum supra monstrauimus. Nempe quid mirum si hoc modo aliquis est ex libertate & non ex necessitate, cum multa sunt quæ recipiunt opposita, diuersa ratione. Quæ namque magis opposita sunt quam adire & abire ? Videmus tamen cum transit aliquis de loco ad locum, quia idem ire, est eadire & abire. Abit enim de loco, & adit ad locum. Item si consideremus solem sub aliqua parte cœli, cum semper cœlum lustrando ad eandem partem festinet, videmus quia idem locus est à quo recedit, & ad quem accedit, & indefinenter ei, eodem tempore appropinquat à quo elongatur. Patet etiam cursum eius non ignorantibus, quia si cœlum consideremus, semper transit ab Occidentali parte ad Orientalem. Si verò terram attendimus, nunquam nisi ab Orientali ad Occidentalem, & sic semper contra firmamentum vadit : & licet tardius cum firmamento quod ipsum in omnibus planetis cernitur. Ita ergo nulla oritur repugnantia, si secundum prædictas rationes asserimus idem aliquid esse necessitate futurum, quia est futurum, & nulla cogi necessitate esse futurum : nisi ea necessitate, quam supra dixi fieri à libera voluntate. Si verò per hoc quod de homine dicit Iob Deo : *Constituisi terminos eius, qui præteriri non poterunt* : vult aliquis ostendere, quia nullus potuit accelerare vel differre diem in qua moritur, quamuis aliquando nobis videatur aliquis facere ex libera voluntate vnde moritur. Sed non est quod obijcitur, contra hoc quod supra diximus. Nam quoniam Deus non fallitur, nec videt nisi veritatem, siue ex libertate, siue ex necessitate veniat : dicitur, constitui apud se immutabiliter, quod apud homines prius quam fiat, mutare potest. Tale etiam Paulus Apostolus de his, qui secundum propositum vocati sunt sancti, dicit : *Quos præscit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & magnificauit.* Hoc quippe propositum secundum quod vocati sunt sancti, in æternitate, in qua non est præteritum vel futurum, sed tantum præsens immutabile est, sed in ipsis hominibus ex liber-

Iob. 14.

Rom. 8.

tate, arbitrij aliquando est mutabile. Sicut enim quamuis in æternitate non fuit, aut erit aliquid, sed tantum est : & tamen in tempore fuit & erit aliquid sine repugnantia : ita quod in æternitate mutari nequit in tempore aliquando, per liberam voluntatem antequam fit, esse mutabile probatur absque inconuenientia : quamuis ibi nihil fit nisi præsens; non est tamen illud præsens temporale sicut nostrum, sed æternum in quo tempora cuncta continentur. Siquidem quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt : ita æterno præsentem simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore. Cum ergo ait Apostolus, quia Deus præscit sanctos suos, prædestinauit, vocauit, iustificauit, magnificauit, nihil horum prius aut posterius apud Deum est, sed omnia simul æterno præsentem sunt intelligenda. Habet enim æternitas suam simul in quo sunt omnia quæ simul sunt loco vel tempore, & quæ sunt diuersis in locis vel temporibus. Vt autem ostenderet idem Apostolus non illa verba se pro temporali significatione posuisse, illa etiam quæ futura sunt præteriti temporis verbo pronuntiauit. Nondum enim quos præscit adhuc nascituros, iam temporaliter vocauit, iustificauit, magnificauit. Vnde cognosci potest, cum propter indigentiam verbi significantis æternam præsentem, vsu esse verbis præteriti significationis : quoniam quæ tempore præterita sunt, ad similitudinem æterni præsentem omnino immutabilia sunt. In hoc siquidem magis similia sunt æterno præsentem, temporaliter præterita quam præsentem : quoniam quæ ibi sunt, nunquam possunt non esse præsentem, sicut temporis præterita non valent vnquam præterita non esse : præsentem vero temporis omnia quæ transeunt fiunt non præsentem. Hoc ergo modo quicquid de his quæ libero fiunt arbitrio; velut necessarium sacra Scriptura pronuntiat, secundum æternitatem loquitur : in qua præsens est omne verum immutabiliter, non secundum tempus, in quo non semper voluntates & actiones nostræ, & sicut dum non sunt, non est necesse eas esse : ita sæpe non est necesse vt aliquando sint. Nam non semper scribo, aut volo scribere, & sicut dum non scribo aut non scribere volo, non est necesse me scribere, aut velle scribere : ita necesse non est vt aliquando scribam vel velim scribere. Cum autem res aliter esse cognoscatur in tempore quam in æternitate : vt aliquando verum sit : quoniam aliquid non est in tempore, quod est in æternitate : & quod fuit in tempore quod ibi non fuit, & erit temporaliter quod ibi non erit : nulla ratione negari videtur posse. Similiter aliquid in tempore est mutabile quod ibi est immutabile. Quippe non magis opposita sunt, mutabile in tempore & immutabile in æternitate, quam non esse in aliquo tempore : & esse semper in æternitate, & fuisse vel futurum esse secundum tempus, atque non fuisse vel non futurum esse in æternitate. Siquidem non dico aliquid nunquam esse in tempore; quod semper est in æternitate, sed tantum in aliquo tempore non esse. Non enim dico actionem meam crastinam nullo tempore esse, sed hodie tantum nego eam esse, quæ tamen semper est in æternitate. Et quando negamus fuisse vel futurum ibi esse aliquid quod in tempore fuit aut erit, non asserimus id quod fuit, aut erit nullo modo ibi esse, sed tantum præterito vel futuro modo dicimus non ibi esse, quod

A quod ibi indefinenter est, suo præfenti modo: in his verò nulla videtur aduersari contrarietas. Sic vtiq; sine vlla repugnantia dicitur aliquid esse mutabile in tempore antequam sit, quod in æternitate manet immutabiliter, non antequam sit vel postquam est: sed indefinenter quia nihil est ibi secundum tempus. Nam hoc ipsum ibi est æternaliter, quia temporaliter aliquid est, & antequam sit potest non esse sicut iam dixi. Sufficienter ex his quæ dicta sunt puto patere, quia præscientia Dei & liberum arbitrium nequaquam inuicem repugnant, quod facit vis æternitatis quæ claudit omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore. Sed quoniam non in omnibus liberum habemus arbitrium, videndum est vbi & quæ sit illa libertas arbitrij, quam semper habere creditur homo, & quod sit illud arbitrium. Non enim idem est arbitrium, & libertas quæ dicitur liberum. In multis dicitur libertas & arbitrium, vt cum aliquem dicimus libertatem habere loquendi aut tacendi, & in eius arbitrio esse quid horum velit. In pluribus quoque alijs similiter dicitur libertas, & arbitrium quæ non semper adsunt, aut ad salutem animæ nobis necessaria sunt. Pro illo autem arbitrio tantum & pro illa libertate, ista ventilatur quæstio; sine quibus homo saluari nequit, postquam potest illis vti. Nam ideo conqueruntur multi, quia putant ad salutem vel damnationem nihil valere liberum arbitrium, sed solam necessitatem, propter Dei præscientiam. Quoniam ergo non saluatur homo, postquam ad intelligibilem peruenit ætatem, sine sua iustitia: ibi est inuestigandum hoc arbitrium, & hæc libertas vnde agitur, vbi sedes iustitiæ est. **B** Primum itaque ostendenda est iustitia: deinde ista libertas, & istud arbitrium. Est quidem iustitia qualibet magna vel parua, rectitudo voluntatis propter se seruata. Libertas autem ista est potestas seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. Quas definitiones puto me apertis rationibus monstrasse, priorem quidem in tractatu quem feci de veritate, alteram verò in eo quem edidi, de hac ipsa libertate, in quo etiam ostensum est quomodo naturaliter & inseparabiliter sit in homine hæc libertas, quamuis non ea semper vtatur: & quod sit ita fortis, vt nulla res homini fortitudinem alias certitudinem prædictam, id est, iustitiam quam habet valeat, quamdiu hac libertate voluerit vti, auferre. Iustitia verò non est naturalis, sed fuit separabilis in principio ab Angelis in cælo, & hominibus in paradiso, & est adhuc in hac vita; non tamen necessitate, aut necessitatis vi impellente, sed habentium illam propria voluntate. Sed quoniam iustitiam qua iustus est aliquis, constat esse rectitudinem voluntatis quam dixi: quæ rectitudo tunc tantum est in aliquo, cum ipse vult: quod Deus vult eum velle. Paret quia Deus eandem rectitudinem non potest inuito auferre, quoniam non potest hoc velle. Sed neque vlla potest, vt eam habens, nolens vlla necessitate eam deserat. Quippe vellet illum non velle, quod vult eum velle, quod esse nequit. Sequitur ergo Deum velle hoc modo rectam voluntatem, ad volendum rectè, & ad seruandum eandem rectitudinem esse liberam, quæ quando potest quod vult, liberè facit, quod facit, vult. Vnde quod apertissime cognosci potest aliquam esse liberam voluntatem cum actione sua, non repugnante Dei præscientia, sicut supra monstratum est. Ponamus nunc exemplum

aliquid in quo appareat, & recta & iusta voluntas & libertas arbitrij & ipsum arbitrium, & quomodo recta voluntas impugnetur vt deserat rectitudinem, & qualiter eam liberò seruat arbitrio. Habet aliquis in corde vt veritatem teneat, quia intelligit rectum esse amare veritatem. Hic vtiq; rectam iam habet voluntatem & rectitudinem voluntatis. Aliud autem est voluntas, & aliud rectitudo qua recta est. Accedit alius, & nisi mentiatur minatur illi mortem. Videmus nunc in eius esse arbitrio, an deserat vitam pro rectitudine voluntatis, an rectitudinem pro vita. Hoc arbitrium quod & iudicium dici potest liberum est: quoniam ratio qua intelligitur rectitudo, docet rectitudinem illam eiusdem rectitudinis amore semper esse seruandam, & quicquid obtenditur vt deseratur esse contemnendum, atque voluntatis est vt ipsa quoque reprobet ac eligat, quemadmodum rationis intellectus monstrat. Ad hoc enim maximè datæ sunt rationali creaturæ voluntas & ratio. Quapropter idem voluntatis arbitrium, vt eandem rectitudinem deserat, nulla cogitur necessitate, quamvis mortis impugnetur difficultate. Licet enim necesse sit aut vitam aut rectitudinem relinquere: nulla tamen necessitas determinat quam seruet aut deserat. Nempe sola voluntas determinat ibi quid teneat, nec aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur electio sola voluntatis. At cui non est deserendi rectitudinem voluntatis quam habet necessitas: palam est quia non deest seruandi potestas siue libertas. Semper enim hæc potestas libera est. Hæc est enim libertas quam esse dixi potestatem seruandi rectitudinem voluntatis, propter ipsam rectitudinem. Hac ipsa libertate rationalis naturæ & arbitrium liberum & voluntas libera dicitur. Refrat nunc vt consideremus cum Deus omnia præscire, siue scire credatur: vtrum eius scientia sit à rebus, aut res habeat esse ab eius scientia. Nam si Deus à rebus habet scientiam: sequitur quod illæ prius sint quàm eius scientia, & sic à Deo non sint: à quo nequeunt esse nisi per eius scientiam. Si verò quæcunque sunt, à scientia Dei sumunt essentiam: Deus factor & actor malorum operum est, & ideo iuste punit malos: quod non suscipimus. Hæc autem quæstio facile solui potest si prius cognoscitur bonum, quod est iustitia verè aliquid esse, malum verò quod est iniustitia, omnino carere existentia. Quod in tractatu de casu diaboli: & in libello quem de conceptu virginali & peccato originali titulauimus, apertissime monstravi. Non est enim iniustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitæ iustitiæ, nec est nisi in voluntate, vbi debet esse iustitia. Per quam voluntatem iustitia vel iniustitia dicitur omnis rationalis natura, & quælibet eius actio iusta vel iniusta. Omnis quippe qualitas vel omnis actio & quicquid aliquam habet essentiam, à Deo est: à quo est omnis iustitia: & nulla iniustitia, facit igitur Deus omnia quæ iusta vel iniusta voluntate fiunt, id est, bona opera & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt, in malis verò facit quod sunt, sed non quod mala sunt. Nam omni rei est iustam vel bonam aliquid esse: nulli verò rei est aliquid esse iniustam vel malam. Si quidem bonum vel iustum esse, est iustitiam habere: quod est aliquid. Malum verò esse vel iniustum, est non habere iustitiam quæ debet habere quod non est aliquid. Iustitia namque aliquis est: iniustitia verò nihil, sicut dixi.

Esa. 45.

A Est autem aliquod bonum quod dicitur commodum: cuius contrarium est malum; quod est incommodum. Hæc malum aliquando nihil est, ut cecitas: aliquando est aliquid: ut dolor. Sed hoc malum cum aliquid est Deum facere non negamus: quia ipse est sicut legitur, faciens pacem, & creans malum. Ipse namque creat incommoda, quibus exercet & purgat iustos: & punit iniustos: Itaque de tanto malo quod est iniustitia: per quam dicitur iniustum: certum est, quia nunquam est aliquid, nec alicui rei est esse aliquid iniustum esse. Et sicut Deus non facit iniustitiam: ita non facit aliquid iniustum esse, qui tamen facit omnes actiones & omnes motus: quia ipse facit res à quibus & ex quibus & per quas & in quibus fiunt, & nulla res habet ullam potestatem volendi aut faciendi, nisi illo dante. Ipsum quoque velle quod aliquando iustum est: aliquando iniustum: nec est aliud, quam vti potestate volendi & voluntate, quas Deus dat in quantum est, bonum est, & à Deo est. Quod tunc quidem quando rectè est: bonum & iustum est: quando verò non rectè: hoc solo, quia non rectè est, malum est & iniustum. Est autem aliquid rectè esse, & hoc est à Deo: non esse verò rectè: non est aliquid nec est à Deo. Nam sicut cum aliquis vtitur gladio, aut lingua, aut potestate loquendi: nonne est aliud gladius aut lingua siue potestas: cum rectus est eorum usus: & aliud cum non est rectus? Ita voluntas qua vtimur ad volendum: sicut ratione vtimur ad rationandum, non est aliud, quando quis illa rectè vtitur: & aliud quando non rectè, nec magis nec minus est hoc quod est essentialiter cum est iusta, quam cum iniusta est voluntas, per quam dicitur aut substantia aut actio iusta vel iniusta. Sic itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, & quod essentialiter sunt, & quod bona sunt, in malis verò non quod mala sunt, sed tantum quod per essentialiter sunt. Quemadmodum enim non est essentia rerum nisi à Deo, ita non recta nisi ab ipso. Huius verò rectitudinis de qua loquor absentia quæ est iniustitia: non est nisi in voluntate rationalis creature, quæ semper debet habere iustitiam. Cur autem non habeat quam semper debet habere: & quomodo Deus bona faciat, sola bonitate, & mala non sua culpa, sed hominis vel diaboli, & qualiter homo bona faciat per liberum arbitrium præsulante gratia, & malum sola sua operante propria voluntate, & quid habeat Deus in malis sine culpa sua: & homo in bonis cum laude sua, & tamen bona hominis videantur aperte imputanda Deo, & mala homini: cum de gratia & libero arbitrio tractaturi sumus: ut puto Deo donante apertius patebit. Nunc autem tantum dico quod malus Angelus iudeo iustitiam non habet, quia eam deseruit, nec postea recepit. Homo verò idcirco illa caret: quia in primis parentibus eam abiecit, & postea aut non illam recepit: aut receptam reiecit. Puto quia gratia Dei adiuuante monstrauimus: quod præscientiam Dei & liberum arbitrium simul esse: si diligenter considerentur quæ diximus, non sit impossibile, neque possit aliquid obijci quod non sit dissolubile.

Quod sit prædestinatio, & quod prædestinatio nihil inferat necessitatis libero arbitrio.

Nunc ergo in eo sperantes: qui huc vsque non perduxit discordiam, quæ inter prædestinationem & liberum arbitrium videtur esse, aggrediamur dissolvere. Ad quod per ea quæ supra disseruimus: sicut in sequentibus patebit: non pa-

rum perfecimus. Prædestinatio videtur idem esse quod præordinatio siue præstitutio & ideo quod Deus prædestinare dicitur, intelligitur præordinare: quod est statuere futurum esse. Quod autem Deus statuit futurum esse necessitate videtur futurum esse, quare quicquid Deus prædestinat: necesse est futurum esse. Si ergo Deus prædestinat bona & mala quæ fiunt, nihil fit per liberum arbitrium: sed omnia ex necessitate. At si tantum bona prædestinat, sola bona sunt ex necessitate: nec est liberum arbitrium nisi ad mala: quod nimis est absurdum. Non ergo sola bona prædestinat Deus. Si autem bona quædam opera facit liberum arbitrium, per quæ fiunt iusti absque prædestinatione, non prædestinat Deus omnia bona opera quæ iustos faciunt. Quare nec illos iustos, qui sunt per opera liberi arbitrij. Non ergo præsciuit Deus eos, quia quos præsciuit, hos & prædestinauit. Sed falsum est Deum non præscire aliqua bona opera, aut aliquos iustos. Non igitur quædam solius liberi arbitrij opera bona iustificauit, sed illa sola quæ Deus prædestinat. Si ergo Deus prædestinat omnia & prædestinata sunt ex necessitate: cum nihil per liberum arbitrium necessitate fiat, sequi videtur nihil esse liberum arbitrium manente prædestinatione, aut si statuimus in aliquibus liberum arbitrium petire in illis prædestinationem. In primis itaque ante questionis responsionem, videndum est: quia prædestinatio non solum bonorum est, sed malorum potest dici: quemadmodum Deus mala quæ non facit dicitur facere: quia permittit. Nam dicitur hominem indurare cum non emollit: ac inducere in tentationem, cum non liberat. Non est ergo inconueniens eum hoc modo prædestinare, dum malos & eorum mala opera non corrigit. Sed bona specialius præscire & prædestinare dicitur: quia in illis facit quod sunt & quid bona sunt: in malis autem non nisi quod sunt essentialiter, non quod mala sunt, ut supra dictum est. Sciendum quoque: quia sicut præscientia non in Deo dicitur proprie: ita nec prædestinatio: quia illi nec ante nec post aliquid est, sed omnia sunt illi simul præsentia. Consideremus nunc an aliqua possint prædestinari, per liberum arbitrium futura. Dubitari utique non debet: quia eius prædestinatio & præscientia non discordant, sed sicut præscit, ita quoque prædestinat. In questione de præscientia cognouimus aliqua præsciri aperte futura per liberum arbitrium, sine omni repugnantia. Unde veritas quoque euidentis & ratio docet prædestinari, similiter per liberum arbitrium quædam futura absque omni inconuenientia. Nam neque præscit Deus, neque prædestinat, quemadmodum iustum futurum necessitate. Non enim habet iustitiam; qui eam non seruat libera voluntate. Pariter igitur quamuis necesse sit fieri quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur: quædam tamen præscita & prædestinata non eueniunt ea necessitate, quæ præcedit rem & facit, sed ea que rem sequitur, sicut supra diximus. Non enim ea Deus quamuis prædestinat, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illa potestate dimittendo. Quamuis tamen sua voluntas vtatur potestate, nihil tamen facit, quod Deus non facit in bonis sua gratia, in malis non sua, sed eiusdem voluntatis culpa, quod sicut promissimus clarius cum de gratia loquemur apparebit. Et sicut præscientia quæ non fallitur, non præscit nisi verum, sed erit aut necessarium, aut spontaneum, ita prædestinatio

quæ

Ioan. 19.
Ibidem. 6.
1. Cor. 4.
Rom. 9.

Esa. 1.
Psalm. 33.

Matth.

A quæ non mutatur, non prædestinat nisi sicut est, est in præscientia. Et quemadmodum quod præscitur licet in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando antequam sit, mutari potest, ita est per omnia de prædestinatione. Patet igitur ex his quæ dicta sunt, si bene considerentur: quæ nec prædestinatione excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium aduersatur prædestinationi. Siquidem omnia illa quibus supra monstrauimus, liberum arbitrium præscientiæ non repugnare, pariter ostendunt illud prædestinationi concordare. Non ergo rationabiliter quotiens aliquid contingit, operante spontanea voluntate, velut cum homo homini facit iniuriam unde ab illo occiditur, quidam clamant dicentes. Sic præscitum & prædestinatum erat à Deo, & ideo necessitate factum est, nec aliter fieri potuit. Quippe nec qui alium iniuria irritauit, nec qui se vindicauit hoc fecit necessitate, sed sola voluntate, quia si nõ sponte voluisset, neuter quod fecit, fecisset.

De concordia gratiæ & liberi arbitrii.

Restat nunc vt de gratia & eodem libero arbitrio, eadem gratia adiuuante, consideremus. Quæstio ista inde nascitur, quia diuina scriptura ita loquitur aliquando, vt nihil videatur liberum arbitrium prodesse ad salutem, sed sola gratia. Aliquando verò ita velut tota nostra salus, in libera nostra consistat voluntate. De gratia siquidem dicit Dominus: *Sine me nihil potestis facere.* Et, *Et nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et Paulus Apostolus: *Quid autem habes quod non accepisti? Et de Deo: Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. & neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Multa quoque alia leguntur, quæ soli gratiæ sine libero arbitrio bona nostra opera ad salutem nostram videntur attribuire. Plures etiam asserunt experimento se probate quòd homo nequaquam vllò libero fulciatur arbitrio, quoniam multos absque numero immenso mentis & corporis conatibus nituntur, vt bene viuant, qui quadam difficultate imo impossibilitate aggrauati, nihil proficiunt, aut post magnam profectum repente irreparabiliter deficiunt. Liberum autem arbitrium monstrat eadem scriptura, nos habere hoc modo: Dicit Deus per Esaiam: *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis.* Et David: *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerste à malo, & fac bonum.* Et Dominus in Euangelio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Plura etiam alia & innumerabilia sunt, quæ videntur liberum arbitrium ad bene operandum excitare, & qui monita contemnunt exprobrare. Quod auctoritas diuina nequaquam faceret, si voluntatis libertatem nullam in homine cognosceret. Sed nec vllò modo esset, cur Deus bonis vel malis pro meritis singulorum iuste retribuere, si per liberum arbitrium, nullus bonum vel malum faceret. Quoniam ergo in sacra scriptura quædam inuenimus, quæ soli gratiæ fauere videntur: & quædam, quæ solum liberum arbitrium statuere sine gratia putantur: fuerunt quidam superbi qui totam virtutem & efficaciam in sola libertate arbitrii consistere sunt arbitrati: & sunt nostro tempore multi qui liberum arbitrium esse aliquid penitus desperant. In hac itaq; quæstione hæc erit intentio: vt liberum arbitrium simul esse cum gratia & cum ea operari in multis

monstremus: sicut illud præscientia atque prædestinatione concordare reperimus. Sciendum est, quia sicut non de alio libero arbitrio sit hoc, vt supra dixi, quoniam nisi de illo sine quo salutem neino meretur: postquam intelligibilem habet ætatem, ita non de alia gratia quam de illa, sine qua nullus saluatur homo. Omnis enim creatura, gratia existit: quia gratis facta est, & multa bona dat Deus per gratiam in hac vita, sine quibus homo saluari non potest. In infantibus quidem, qui baptizati moriuntur antequam suo possint vti libero arbitrio: non apparet concordia quam querimus, quoniam in illis gratia sola operatur salutem sine illorum libero arbitrio. Nam hoc quoque gratia est, quia datur alijs voluntas vt illis sua fide subueniant. In habentibus itaque intelligibilem ætatem: monstrandum est, quod inuestigamus quia de his solum versatur hæc quæstio. Quicumque autem ex his saluantur: per iustitiam saluari dubium non est. Iustis enim promittitur vita æterna: quia *iusti in perpetuum viuunt, & apud Dominum est merces eorum.* Quod autem iustitia sit reconditio voluntatis, sacra Scriptura monstrat auctoritas. Qua de re, sufficit vnum exemplum proponere. Cum enim dixisset David: *Non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet: quoad usque iustitia conuertatur in iudicium, vt doceret nos quid esset iustitia, interrogando ait: Et qui iuxta illam? Ad quod ipse sibi respondens ait: Omnes qui recto sunt corde: hoc est, qui recta sunt voluntate. Quamuis enim corde credamus & intelligamus, sicut corde volumus, non tamen iudicat spiritus sanctus illum rectum habere cor: qui rectè credit & intelligit & non rectè vult: quia non vultur reconditio fidei & intellectus ad rectè volendum: propter quod datum est rationali creaturæ, rectè credere & intelligere. Nam neque rectum intellectum dicens est habere, qui secundum illud non rectè vult operari: propter quod fides dicitur & datur. Rectè igitur intelligamus David dixisse, rectos corde, rectos voluntate. Sed ne quis existimet auctoritate diuina dici iustum illum vel rectum qui non nisi propter aliquid tenet reconditio voluntatis: dicimus iustitiam reconditio voluntatis propter se seruata: qui enim solum propter aliquid illam seruat, non eam diligit, sed aliud propter quod illam seruat, & ideo non est dicens iustus: nec talis reconditio nominata est iustitia. Quando de præscientia & libero arbitrio tractabamus, exemplo quodam monstrauimus esse posse simul reconditio voluntatis hanc, quam voco iustitiam & liberum arbitrium, per quod planum est intelligere in alijs multis similiter esse. Si ergo possumus ostendere nullam creaturam hanc adipisci posse reconditio nisi per gratiam: manifesta erit inter gratiam & liberum arbitrium ad saluandum hominem concordia quam querimus. Dubium itaque non est: quia voluntas non vult rectè, nisi quia recta est. Sicut namque non est acutus visus: quia videt acutè, sed ideo videt acutè: quia acutus est: ita voluntas non est recta, quia vult rectè, sed rectè vult quoniam est recta. Cum autem vult reconditio voluntatis proculdubio rectè vult. Non ergo vult reconditio nisi quia rectè est. Idem autem est voluntati rectè esse & reconditio voluntatis habere. Palam igitur est, quia non vult reconditio voluntatis, nisi quia reconditio voluntatis habet. Non nego voluntatem rectam velle reconditio voluntatis, quam nondum habet quando vult maiorem quam habeat, sed illam dico nullam eam posse velle reconditio voluntatis: si non habet reconditio voluntatis, qua illam velit. Consideremus nunc vtrum aliquis*

hanc

Rom. 8.

Ioan. 15.
Ibidem. 6.
1. Cor. 4.
Rom. 9.

B
Esa. 1.
Psal. 33.

Matth. 11.

Sapient. 5.

Psal. 93.

D

A hanc rectitudinem non habens eam aliquo modo à se habere possit. Vtique à se illam habere nequit: nisi aut volendo aut non volendo. Volendo quidem nullus valet eam per se adipisci, quia nequit eam velle: nisi illam habeat. Quod autem aliquis non habens rectitudinem voluntatis illam valeat per se non volendo assequi: meus nullius accipit. Nullo igitur modo potest eam creatura habere à se. Sed neque creatura valet eam habere ab alia creatura. Sicut namque creatura nequit creaturam saluare: ita non potest illi dare per quod potest eam saluare. Sequitur itaque quia nulla creatura rectitudinem habet, quam dixi voluntatis, nisi per Dei gratiam. Hanc autem rectitudinem per liberum arbitrium seruari posse sicut supra dixi, monstrauius. Deo igitur largiente inuenimus gratiam eius, ad saluandum hominem cum libero arbitrio concordare, ita vt gratia sola possit hominem saluare nihil eius libero arbitrio agente. Sicut fit in infantibus & in non intelligentibus: ipsa semper adiuuat liberum arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem quam seruet per liberum arbitrium. Et quamuis non omnibus det: quoniam *cui vult miseretur, & quem vult indurat*: nulli tamen dat pro aliquo precedenti merito, quoniam *quis prior Deo dedit: & retribuetur ei*? Si autem voluntas per liberum seruando arbitrium quod accepit: meretur aut augmentam acceptæ iustitiæ, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut præmium aliquod. Hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, & gratia pro gratia, & ideo totum imputandum est gratiæ, quia *neque volentis est quod vult: neque currentis est, quod currit, sed miserentis est Dei*. Omnibus enim excepto solo Deo, dicitur: *Quid habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non accepisti?* Quomodo quidem libertas voluntatis tenentis acceptam rectitudinem: nulla necessitate vt illam deserat: expugnatur, sed difficultate impugnatur, nec eidem voluntati inuita: sed volens cedat, in tractatu de libertate arbitrij puto me ostendisse. Quibus autem modis post eandem rectitudinem acceptam, liberum arbitrium gratia adiuuet vt seruet quod accepit: quamuis non omnes valeam enumerare: multifariam enim hoc facit, tamen non erit inutile aliquid mihi dicere. Nemo certè seruat rectitudinem hanc acceptam nisi volendo, velle autem illam aliquis nequit nisi habendo. Habere verò illam nullatenus valet nisi per gratiam. Sicut ergo illam nullus accipit nisi gratia præueniente: ita nullus eam seruat nisi eadem gratia subsequente. Nempe quamuis illa seruetur per liberum arbitrium: non tamen est tantum imputandum libero arbitrio quantum gratiæ, cum hæc rectitudo seruetur: quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam præuenientem & subsequentem habet & seruat: Sic autem gratia subsequitur donum suum vt nunquam siue paruum siue magnum sit: illud dare deficiat nisi liberum arbitrium volendo aut rectitudinem quam accepit, deserat. Nunquam enim separatur hæc rectitudo à voluntate, nisi quando aliud vult quod huic rectitudini non concordat: sicut cum quis accipit rectitudinem volendi sobrietatem, & reiecit eam volendo immoderatam bibendi voluptatem. Quod cum facit sua voluntate, & ideo sua culpa, perdit gratiam quam accepit. Adiuuat etiam gratia liberum arbitrium, quando vt deserat rectitudinem acceptam impugnatur mitigando, aut penitus remo-

Rom. 9.
Ibidem. 11.

B
Rom. 9.
1. Cor. 4.

uendo vim tentationis impugnantis: aut augendo affectum eiusdem rectitudinis. Denique cum omnia subiaceant dispositioni Dei: quicquid contingit homini quod adiuuat liberum arbitrium ad accipiendum aut ad seruandum hanc de qua loquor rectitudinem: suæ gratiæ imputandum est. Dixi omnem iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se seruata. vnde sequitur omnem habentem hanc rectitudinem: habere iustitiam & esse iustum: quoniam omnis habens iustitiam iustus est. Non tamen sentio iustis omnibus promissam esse vitam perpetuam, sed illis tantum qui sunt iusti sine omni iniustitia. Illi enim proprie & absolute dicuntur iusti & recti corde. Est enim aliquis secundum aliquid iustus, & secundum aliquid iniustus, vt qui castus est inuidus. Talibus non promittitur beatitudo iustorum: quoniam sicut vera beatitudo est sine omni indigentia: ita nulli datur nisi iusto sine omni iniustitia. Nam quoniam beatitudo quæ iustis promittitur: erit similitudo Angelorum Dei: sicut in Angelis bonis nulla est iniustitia: ita nullus illis sociabitur cum aliqua iniustitia. Quomodo autem fiat homo sine omni iniustitia non est huius nostri propositi ostendere. Scimus tamen perfecto studio hæc Christiano, & per gratiam Dei esse possibile. Si bene considerentur quæ dicta sunt: aperte cognoscitur: quia cum aliquid dicit sacra scriptura pro gratia, non amouet omnino liberum arbitrium, neque cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam: quasi sola gratia, aut liberum arbitrium solum sufficiat ad saluandum hominem, sicut videtur illis qui hanc faciunt questionem. Ita quippe intelligenda sunt dicta diuina: vt hoc excepto quod dixi de infantibus: nec sola gratia nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus: *Sine me nihil potestis facere*. non ait: nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium: sed nihil potest sine mea gratia. Et cum legitur: *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Non negatur in volente neque in currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non esse imputandum libero arbitrio: quod vult & quod currit, sed gratiæ. Nam cum ait: *Neque volentis, neque currentis est*, subaudiendum est: quod vult, & quod currit velut cum aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum à se potest indumentum habere, dat vestem: non tamen quamuis ipse habeat potestatem vtendi & non vtendi, accepta veste, si ea vtitur imputandum est induto: quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter ita dici potest: Non est induti quod est indutus, sed miserentis, id est, vestem dantis. Multo vero magis hoc diceretur si ille qui dedit vestem dedisset etiam potestatem seruandi eam & vtendi, sicut Deus homini cum dat rectitudinem sapientiam: dat etiam potestatem seruandi & vtendi: quia dedit prius liberum arbitrium ad seruandum illam & vtendum. Si verò nudo cui nihil debetur non daretur vestis: aut si ipse acceptam proijceret: nulli ipsi imputaretur eius nuditas. Ita cum Deus alicui concepto & nato in peccato: cui nihil nisi pœnam debet: dat velle & currere: non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: & qui eandem gratiam non accipit, aut acceptam reiecit: eius est non Dei quod in sua duritia & iniquitate permanet. Idem intellectus habendus est in alijs, in quibus scriptura loquitur pro gratia, vt scilicet liberum non excludatur arbitrium. Similiter quando ita loquatur diuina dicta, vt libero arbitrio soli, videant-

D
Ioan. 16.
Rom. 9.

Rom. 10.

Cor. 3.

A videantur salutem hominis attribuere : nullo intellectu gratia separanda est. Sicut ergo quamuis naturalis vsus non procreet prolem sine patre, nec nisi per matrem : non tamen remouet vllus intellectus aut patrem, aut matrem à generatione proles : ita gratia & liberum arbitrium non discordant sed continentur ad iustificandum & saluandum hominem. In his tamen in quibus videtur scriptura liberum arbitrium ad rectè volendum & operandum inuitare ; quia cur hominem inuitet ad rectè volendum, & quare arguat non obediens : cum ipsam rectitudinem nemo possit nisi gratia dante habere vel accipere, Sciendum, quia sicut terra innumerabiles herbas & arbores sine quibus humana natura alitur aut etiam quibus perimitur, sine omni hominis cura profert : illa verò quæ nobis ad vitam nutriendam maximè sunt necessaria, non sine magno labore atque cultore nec absque seminibus, ita corda humana sine doctrina siue studio : sponte quasi germinant cogitationes & voluntates nihil viles saluti, aut etiam noxias, illas verò sine quibus ad salutem animæ non proficimus, nequaquam sine generis sui semine : & laboriosa cultura concipiunt & germinant : Vnde illos homines quibus talis cultura impenditur agriculturam Dei vocat Apostolus. Est autem semen huius agriculturæ verbum Dei : imo non verbum sed sensus qui percipitur per verbum. Vox namque sine sensu nihil constituit in corde. Nec solum sensus verbi, sed omnis sensus vel intellectus rectitudinis : quem mens humana siue per auditum, siue per lectionem, siue per rationem siue quolibet alio modo concipit, semen rectè volendi dicitur. Nullus namque velle potest quod prius corde non concipit : velle autem credere quod est credendum, est rectè velle. Nemo ergo rectè potest hoc velle si nescit, quid credendum est. Cum enim præmississet Apostolus : *Omnia quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* subiunxit : *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt : Aut quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quomodo audient sine predicante ? Quomodo verò predicabunt, nisi mittantur ?* Et paulò post : *Ergo fides ex auditu : auditus verò per verbum Christi.* Quod autem dicit fidem esse ex auditu intelligendum est, quia fides est ex hoc quod concipit mens per auditum : neque ita vt sola conceptio mentis faciat fidem in homine. sed quia fides esse nequit sine conceptione. Addita namque rectitudine volendi conceptioni, per gratiam fit fides : quia credit quod audit. Auditus autem est per verbum Christi : hoc est per verbum prædicantium Christum. Prædicantes verò non sunt nisi mittantur : sed quod mittuntur gratia est. Quapropter & prædicatio gratiæ est : quia gratia est quod descendit ex gratia : & auditus est gratia, & intellectus ex auditu gratia, & rectitudo volendi gratia est. Verùm missio, prædicatio, auditus, intellectus, nihil sunt, nisi voluntas velit quod mens intelligit, quod voluntas facere nequit nisi accepta rectitudine. Rectè namque vult cum vult quod debet : ita quod mens ex auditu verbi concipit, est prædicantis : & rectitudo est incrementum quod Deus dat : sine quo *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Sicut ergo Deus in principio per miraculum fecit frumentum, & alia de terra nascentia, ad alimentum hominum sine cultore & seminibus : ita sine humana doctrina mirabiliter fecit corda Prophetarum & Apostolorum, necnon & Evangelistarum

fœcunda salutaribus seminibus. Vnde accipimus quicquid salubriter in agricultura Dei ad alimentum animarum seruamus : sicut non nisi de primis terræ seminibus habemus quod ad nutrimentum corporum propagamus. Si quidem nihil vtile ad salutem spirituales prædicamus, quod sacra scriptura spiritus sancti raculo fœcundata non protulerit, aut intra se non contineat. Nam si quid ratione dicamus aliquando quod in dictis eius aperte monstrare aut ex ipsis probare nequimus, hoc modo per illam cognoscimus vtrum sit accipiendum aut respuendum. Si autem aperta ratione colligitur & illi ex nulla parte contradicitur : quoniam ipsa sicut nulli aduersatur veritati : ita nulli fauet falsitati : hoc ipso : quia non negat quod ratione dicitur, eius auctoritate suscipitur. At si ipsa nostro sensui indubitanter repugnat : quamuis nobis ratio nostra videatur impugnabilis : nulla tamen veritate fulciri credenda est. Sic itaque sacra scriptura omnis veritatis quam ratio colligit auctoritate continet : cum illam aut aperte affirmat, aut nullatenus negat. Videamus nunc in exemplis quomodo verbum sit semen, aut quomodo quibus dicitur : Si volueritis & audieritis me, intelligunt & cogitant quod dicitur velle & audire. hoc est obedire. Qui enim audit & non obedit, dicitur non audire. Sed obedire nequeunt nisi velint. Velle autem obedire, est rectè velle. Rectè verò velle nemo potest nisi habeat rectitudinem voluntatis, quæ nullus habet homo nisi per gratiam. Verùm rectitudo volendi aliquid nulli datur nisi intelligenti velle, & quod velle debet. Videamus itaque quod dictum est. *si volueritis & audieritis me* : modo semen esse nequaquam per se ad aliquem fructum germinans sine adiectione rectitudinis, nec ipsam rectitudinem : dari nisi seminibus. Similiter cum dicit Deus. *Conuertimini ad me*, semen est sine germine quamdiu hominis voluntatem si conuertit Deus ad volendum conuersionem quam cogitat, cum audit conuertimini, sine quo semine nullus potest velle conuerti, dicitur etiam conuersis, conuertimini, aut vt magis conuertantur aut seruent quod conuersi sunt. Qui verò dicunt conuerte nos Deus : iam aliquatenus conuersi sunt : quia rectam voluntatem habent cum volunt conuerti, sed orant pro hoc quod iam acceperunt vt augeatur conuersio : sicut illi qui credentes, *auge nobis fidem* dixerunt. Ac si dicerent illi & isti : *Auge in nobis quod dedisti, perfice quod coepisti.* Quod de his ostendi, in similibus quoque intelligendum est. Sicut igitur terra non germinat naturaliter ea quæ maximè necessaria sunt saluti corporis nostri sine seminibus : & licet Deus non det incrementum omni semini : non tamen cessant agricolæ nostri seminare in spe messis aliquantulæ : ita terra cordis humani non profert fructum fidei & iustitiæ sine congruis seminibus, & quamuis Deus non faciat cuncta huiusmodi semina germinare : tamen præcipit agricolis suis in spe, instantissime verbum suum seminare. Ostendimus vt puto quomodo non sit superuacuum homines ad fidem Christi & ad ea quæ fides exigit inuitare : quia tamen omnes hanc imitationem suscipiant. Dixi etiam post : quare arguantur illi qui verbum Dei non suscipiunt cum hoc facere nequeant, nisi gratia eorum voluntates dirigente. Dicit enim Dominus de Spiritu sancto. *Ille arguet mundum de peccato : quia non crediderunt in me.* Ad quod licet forsitan difficile sit respondere : quod tamen Deo dante possum : tacere non debeo. Notandum

Rom. 10.

Cor. 3.

Esa. 55.
D

Lucæ 17.

Ioan. 16.

A dum est: quia impotentia quæ descendit ex culpa non excusat impotentem, culpa manente. Unde in infantibus in quibus exigit Deus à natura humana iustitiam, quam accepit in primis parentibus cum potestate seruandi illà in omnem prolem suam: non excusat eam impotentia habendi iustitiam: quoniam propter culpam in hanc corruit impotentiam, hoc ipsum namque: quia non habet quod per se resumere nequit: hoc est illi habendum impotentia in qua ideo cecidit: quia sponte deseruit quod seruare potuit. Quoniam ergo peccando deseruit iustitiam: ad peccatum illi imputatur impotentia quam ipsa peccando sibi fecit. Nec solum impotentia iustitiam habendi, sed etiam impotentia illam intelligendi. Similiter in non baptizatis imputatur ad peccatum quoniam pariter descendit à peccato. Possumus etiam rationabiliter asserere: quia quod à prima conditionis humanæ dignitate ac fortitudine atque pulchritudine minorata & corrupta est: illi ad culpam imputatur. Per hoc namque minorauit quantum in ipsa fuit honorem & laudem Deo. Quippe secundum dignitatem operis: laudatur & prædicatur sapientia opificis. Quanto igitur natura humana præciosum opus Dei unde ipse glorificandus erat in se minorauit atque foedauit, tanto sua culpa Deum exhonorauit. Quod illi ad tantum statuit peccatum, ut non nisi per mortem Dei deleatur. Siquidem ipsos mortis siue appetitus quibus propter peccatum Adæ sicut bruta animalia subiaceamus, quos Apostolos vocat carnis concupiscentiam, quam inuitum se tolerare manifestat, cum dicit: *Quod odi illud facio* id est nolens concupisco, satis ostendit sacra auctoritas imputari ad peccatum. Quippe cum de solo motu ire siue opere vel voce dicit Dominus: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* aperte monstrat culpam non esse leuem, quam tam grauis scilicet mortis sequitur damnatio. Ac si dicat: *Qui facit quod homo non debet facere: nec faceret si non peccasset: auferri debet ex hominibus.* Et cum Paulus de illis qui carnem, id est, concupiscentias sentiunt nolentes, ait: *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant,* hoc est, non voluntate consentiunt: sine dubio signat eos, qui non sunt in Christo, sequi damnationem, quotiens sentiunt carnem, etiam si non secundum illam ambulant. Quoniam sic factus est homo: ut etiam sentire, sicut de ira dixi non deberet. Si quis igitur, quæ dixi, diligenter considerat: nullatenus eos, qui propter culpam suam verbum Dei suscipere nequeant, rectè arguendos dubitat. Quibus autem datur gratia fidei Christianæ, sicut illis in baptismo dimittitur originalis iniustitia cum qua nascuntur: ita omnis culpa impotentia & totius corruptionis, quam propter peccatum primi hominis incurrerant, & per quam inhonoratur Deus, ignoscitur. De nulla namque culpa quæ ante baptismum in illis erat: post baptismum arguitur, quantum ipsa corruptio & appetitus, quæ sunt pœna peccati, non statim in baptismo deleantur, nec vllum illis imputatur delictum post baptismum nisi quod sua voluntate fecerunt. Unde apparet: quia corruptio & mala quæ fuerunt pœna peccati & post baptismum remanent: non sunt per se peccata. Sola namque est per se iniustitia peccatum, & illa quæ sequuntur iniustitiam propter causam suam iudicantur peccata donec ipsa remittantur. Nam si peccata essent: in baptismo deleantur, in quo omnia peccata in sanguine Christi lauantur. Item

Rom. 8.

B
Math. 5.

Rom. 8.

C si propriè peccata dicerentur, essent in brutis animalibus peccata, ad quorum similitudinem illa propter peccata nostra sustinet natura. Est & aliud quod valde timendum est quod in primo peccato humanæ naturæ cognosci potest. Quoniam enim homo est *spiritus vadens, & non rediens*: postquam sponte cadit (ut de voluntarijs peccatis nunc loquimur tantum) nullo modo potest resurgere, nisi gratia reueletur: sed merito suo de peccato in peccatum vsque in abyssum peccatorum sine fundo: hoc est profundo sine estimatione demergatur, nisi misericordia retineatur, ita ut etiam illi bonum vertatur in odium, & sit ei in mortem. Unde dicit Dominus Apostolis: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et Apostolus: *Bonus odor sumus Deo, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vite in vitam,* propter quod dicitur de eo, qui *tui vult miseretur, & quem vult indurat.* Verùm quorum miseretur, non omnium æqualiter miseretur: neque quos indurat, omnes æqualiter indurat. Cur autem in hac vita perseueret in nobis pœna peccati delecto peccato, alia quæstio est. De qua licet nunc tractare non proposuerimus, breuiter tamen dico: quia si in corruptionem statim in baptismo vel in martyrio mutarentur fideles periret meritum, ut homines nisi illi qui primi sine exemplo crederent: nullo modo saluarentur. Neque deficerent fides & spes, sine quibus nullus homo habens intellectum, regnum Dei mereri potest, fides namque & spes sunt earum rerum quæ nondum videntur. Cum enim viderentur homines qui ad Christum conuerterentur statim transire ad incorruptibilitatem: nullus esset qui saltem velle posset se subtrahere à tanta beatitudine quam videret: Ut gloriosius per fidei atque spei meritum beatitudinem quam desideramus adipiscamur: manemus quamdiu in hac vita sumus, in hoc quod iam non imputatur ad peccatum quamuis euenerit propter peccatum. Denique non promittitur nobis per baptismum & fidem Christianam beatitudo quam habebat Adam ante peccatum in paradiso: sed quam habiturus erat quando completus esset numerus hominum, qui assumendi erant ad perficiendum ciuitatem supernam: quæ & de Angelis & hominibus est complenda: ubi non generabant homines sicut facerent in paradiso. Si ergo conuersi ad Christum mox transirent in illam incorruptibilitatem, non essent homines de quibus colligi posset ille numerus, quoniam ad beatitudinem quam viderent, nullus posset non festinare. Hoc puto esse quod dicit Apostolus de illis: *Qui per fidem operati sunt iustitiam, & hi, inquit, omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis consummarentur.* Si enim quæritur quid nobis melius prouiderit ex hoc, quia illi non acceperunt repromissionem: Nihil conuenientius responderi posse video: quam quod supra dixi: quia saltem si illis propagatis non differretur promissa iustis beatitudo, periret meritum in illis, qui non per fidem hoc: sed per experimentum cognoscerent: propagatio enim hominum de qua nati sumus deficeret: quoniam omnes ad incorruptibilitatem quam presentem viderent, currebant. Magnum itaque bonum nobis prouidit Deus: cum sanctis testimonio fidei probatis distulit acceptionem repromissionis ut & nos propagaremur & maneret fides per quam

Psal. 60.

Ioan. 15.

2. Cor. 1.

Rom. 9.

D

Hebr. 11.

A quam cum illis reprobationem promeremur & simul cum illis consummaremur. Alia quoque ratio est cur baptizati atque martyres non statim fiant incorruptibiles. Nempe si quis seruum suum, quem proposuerat magnis aliquando ditare honoribus grauius verberet pro culpa, pro qua nullo modo per se queat satisfacere, post hanc verberationem constituto tempore detrusus eum in horrendum carcerem, ubi grauissimis torquetur supplicijs, & sit aliquis potens apud Dominum, qui pro illo satisfaciens eum reconciliat: utique plagae quas reus ante satisfactionem erat in culpa merito suscepit: non delentur, sed maiora tormenta in quae dum retrusus fuerat, reconciliatione praeueniens auertentur, honores quoque suos quos suo tempore accepturus erat si non peccasset, & quibus cariturus erat post culpam suam si non reconciliaretur, propter perfectam satisfactionem sicut prius statutum fuerat, sine omni mutatione traditur. Quippe si ante reconciliationem exheredatus esset illis honoribus quemadmodum exheredatus erat post culpam: irrecuperabiliter si non reconciliaretur non haberet locum subueniendi vlla reconciliatio. Sed quoniam non potuit exheredari honore quem non habebat, nondum habere debebat: hanc exheredationem prauehite potest reconciliatio & eam auertere. Si tamen seruus ille dum iacet in aegritudine vapulationis donec ipsa transeat, corde & ore domino suo fidelitatem & correctionem vouet & soluit: ita est inter Deum & hominem. Quippe quando humana natura primum peccauit: hac poena flagellata est ut nunquam prolem naturaliter nisi talem, qualem videmus infantes nasci generaret, ac post hanc vitam in inferno: a regno Dei ad quod facta erat in perpetuum exularet: nisi aliquis illam quam, vel quod ipsa sola per se sola facere non poterat reconciliaret. A quo autem reconciliari queat non est nisi Christus. In omnibus igitur infantibus naturaliter genitis in peccato & flagellatio nascitur: quae cum reconciliationem accipit, flagellatio merito remanet quam ante reconciliationem suscepit. Quae autem in inferno tormenta passura erat: in illis quos Christus redemit remittuntur, & regno Dei quod post conuersionem paradisi terreni, suo tempore acceptura erat donatur: si tamen in fide quam promittunt in baptismo vsque in finem perseuerent. Quod autem quidam exprimento existimant probare, nihil valere liberum arbitrium: quia multi immenso conatu nituntur ut bene viuam, & quadam (ut aiunt) impossibilitate obstante: nihil perficiunt aut post profectum irrecuperabiliter deficient: non destruunt quod rationabiliter monstratum est, liberum scilicet arbitrium cum gratia valere. Ut autem nitentes non proficiant aut post profectum deficient non impossibilitate, sed aliquando graui: aliquando facile superabili difficultate fieri existimo. Saepissime namque asserere solemus impossibile nobis esse: quod sine difficultate perficere non valemus. Si enim diligenter vnusquisque motus voluntatis suae consideret: intelligit se nunquam rectitudinem voluntatis acceptam per gratiam nisi aliquid volendo quod simul velle nequit deserere. Quod certe non facit deficiente potestate seruandi eandem rectitudinem, quae potestas est ipsa libertas arbitrij: sed deficiente voluntate seruandi quae per se non deficit, sed alia voluntate illam ut dixi expellente. Quoniam autem ista consideratio

D. ANSELMI TOMVS III

magis versatur in voluntate, aliquid altius de voluntate: quod ut puto, non erit inutile dicendum existimo. Sicut enim habemus in corpore membra & quinque sensus singula ad suos vsus apta: quibus quasi instrumentis vtitur: ut sunt manus aptae ad capiendum: pedes ad ambulandum: lingua ad loquendum: visus ad videndum: ita & anima habet in se quasdam vires quibus vtitur velut instrumentis ad vsus congruos. Est namque ratio in anima qua sicut suo instrumentum vtitur ad ratiocinandum, & voluntas qua vtitur ad volendum. Non enim est rationalis voluntas tota anima, sed est vnaquaeque aliquid in anima. Quoniam ergo singula instrumenta habent, & hoc quod sunt & aptitudines suas & suos vsus: discernamus in voluntate propter quam ista dicimus instrumentum & aptitudines eius & vsus eius: quas aptitudines in voluntate possumus nominare affectiones. Affectus quippe est instrumentum volendi aptitudinibus suis. Vnde dicitur hominis anima cum vehementer vult aliquid, affectam esse ad volendum illud vel affectuose esse vel velle. Voluntas utique dici videtur aequiuocè tripliciter. Aliud enim est instrumentum volendi: aliud affectio, aliud vsus eiusdem instrumenti. Instrumentum volendi est vis illa animae qua vtitur ad volendum: sicuti est ratio instrumentum ratiocinandi qua vtitur cum ratiocinamur, & visus instrumentum videndi quo vtitur cum videmus. Affectio huius instrumenti est: qua sic afficitur ipsam instrumentum ad volendum aliquid, etiam quomodo illud quod vult non cogitat: ut si venit in memoriam aut statim: aut suo tempore illud velit. Nam sic est instrumentum volendi affectum ad volendum salutem, & quando illam non cogitat applicare: ut mox cum venerit in memoriam: statim eam velit. Et sic est affectum ad volendum somnum etiam quando illum non cogitat: ut cum venit in mentem velit illum suo tempore. Nunquam enim ita est affectum ut aliquando velit aegritudinem aut ut velit nunquam dormire. In iusto quoque homine similiter est affectum idem instrumentum ad volendum iustitiam, etiam cum dormit: ut cum ea cogitat: statim eam velit. Vfus vero eiusdem instrumenti est quem non habemus nisi cum cogitamus rem quam volumus. Dicitur autem voluntas & instrumentum volendi, & affectio eius: & vsus eius. Instrumentum quidem voluntatem vocamus: quando dicimus nos conuertere ad diuersa voluntatem: modo scilicet ad volendum ambulare: modo, ad volendum sedere: modo ad volendum aliud & aliud. Hoc instrumentum semper habet homo: quamuis non semper illo vtatur, sicut habet visum, qui est instrumentum videndi etiam quando illo non vtitur, ut cum dormit, & cum eo vtitur conuertit illum, modo ad videndum celum, modo ad videndum terram; modo ad videndum aliquid aliud. Et sic semper habemus instrumentum ratiocinandi, hoc est rationem qua non semper vtitur: & quam ratiocinando ad diuersa conuertit animus. Affectio vero instrumenti volendi dicitur: voluntas: quando dicimus hominem semper habere voluntatem ut bene sibi fit: vocamus namque hanc voluntatem, affectionem illam eiusdem instrumenti, qua vult homo bene sibi esse. Eodem modo cum sanctus homo asseritur, etiam cum dormit & non hoc cogitat: indefinenter habere voluntatem iuste viuendi dicitur. Et cum hanc voluntatem asserimus alium alio maiorem habere: non aliud dicimus

QQ

Volunt.

A voluntatem quam illam affectionem ipsius instrumenti qua vult iuste vivere. Instrumentum vero non est in alio maius & in alio minus. Vfus autem huius instrumenti voluntas nominatur: vt cum dicit aliquis, modo habeo voluntatem legendi, id est, modo volo legere, aut modo habeo voluntatem scribendi, hoc est modo volo scribere. Sicut enim videre, est vti visu qui est instrumentum videndi: & vsus eius est visio vel visus: quando visus significat idem quod visio significat enim etiam visus instrumentum ipsum: ita velle est vti voluntate que est instrumentum volendi, & vsus eius est voluntas que non est nisi quando cogitamus quod volumus. Voluntas igitur que instrumentum est: vna sola est, id est, instrumentum volendi vnum solum est in homine, sicut vna sola est ratio, id est, vnum solum instrumentum ratiocinandi. Voluntas vero qua instrumentum illud afficitur duplex est. Nam sicut visus plures habet aptitudines scilicet ad videndum lucem, & per lucem ad videndum figuras, & per figuras ad videndum colores; ita instrumentum volendi duas habet aptitudines quas voco affectiones. Quarum vna est ad volendum commoditatem, altera ad volendum rectitudinem. Nempe nihil vult voluntas que est instrumentum, nisi aut commoditatem aut rectitudinem. Quicquid enim aliud aut propter commoditatem aut propter rectitudinem vult, & ad has etiam si fallitur: putat se referre quod vult. Per affectionem quidem que ad volendum commoditatem pertinet: semper vult homo beatitudinem & beatus esse. Per illam vero que nunc est ad volendum rectitudinem: rectitudinem vult, & rectus, id est, iustus esse. Propter commoditatem autem vult aliquid: vt cum vult arare vel laborare vt habebat vnde tueatur vita & salutem, que commoda iudicat esse. Propter rectitudinem vero: vt cum vult laborare, vel discere, vt sciat recte, id est, iusto vivere. Voluntas vero que est vsus spectati instrumenti: non est nisi cum cogitat aliquis quod vult: vt dictum est. Huius voluntatis multiplex est diuisio: de qua non modo, sed forsitan alias dicemus. Velle autem equiuocum est: sicut videre. Quemadmodum namque dicitur videre qui vtitur visu & qui non vtitur, sed qui habet aptitudinem videndi: ita asseritur velle & qui vtitur instrumento volendi cogitando quod vult, & qui non vtitur, quoniam affectione, hoc est aptitudinem habet volendi. Per hoc etiam cognosci potest aliam esse voluntatem instrumentum volendi, aliam eius affectionem: alium vsus eiusdem instrumenti: quia si dicitur iustus homo etiam cum dormit & nihil cogitat, habere voluntatem iuste viuendi, & iniustus homo negatur habere cum dormit voluntatem iuste viuendi: eadem voluntas negatur de iniusto, que asseritur de iusto. Palam autem est quia cum dicimus non esse iniusto dormienti voluntatem iuste viuendi: non negatur voluntas in eo esse quam dixi instrumentum, quoniam ea semper habet omnis homo dormiens & vigilans. Qua propter quonia non alia voluntas pronuntiat hoc modo, in bono esse homine qua illa que remouetur a malo: non significatur in bono esse voluntas que est instrumentum, sed illa qua afficitur instrumentum. Quoniam autem in dormiente nisi somniet non fit voluntas que est vsus dubium non est: quare cum dicitur in dormiente iusta voluntas iuste viuendi: non intelligitur, voluntas vsus. Non est igitur voluntas affectio: voluntas instru-

E mentum aut voluntas vsus, voluntatem quoque instrumentum non esse voluntatem vsus nullus ignorat: quoniam cum dico me non habere voluntatem scribendi: nemo intelligit me non habere instrumentum volendi. Alia est ergo voluntas instrumentum: alia voluntas affectio, alia voluntas vsus. Voluntas quidem instrumentum mouet omnia alia instrumenta quibus sponte vtimur, & que sunt in nobis, vt manus, lingua, visus, & que sunt extra nos vt stilus & securis, & facit omnes voluntarios motus. Ipsa vero se suis affectionibus mouet: vnde dici potest instrumentum seipsum mouens. Dico voluntatem instrumentum omnes voluntarios motus facere, si diligenter consideramus, sed ille verius dicitur facere omne quod facit natura aut voluntas, qui facit naturam & instrumentum volendi cum affectionibus suis: sine quibus idem instrumentum nihil facit. Ex his duabus affectionibus quas etiam voluntates dicimus descendit omne meritum hominis siue bonum siue malum. Quae duae voluntates etiam nihil differunt: quia illa que est ad volendum commodum inseparabilis est, illa vero que est ad volendum rectitudinem separabilis fuit: vt supra dixi in principio in angelis, & in primis nostris parentibus, & est adhuc in hac vita manentibus. In hoc quoque differunt quia illa que est ad volendum commodum, non est hoc quod ipsa vult. Illa vero que ad volendum rectitudinem, rectitudo est. Nullus quippe rectitudinem vult nisi rectitudinem habens: neque potest aliquis rectitudinem velle nisi rectitudine. Palam autem est eius voluntatis que est instrumentum istam esse rectitudinem. Hanc pronunciamus cum iustitia designatur rectitudo voluntatis propter se seruata. Hec est etiam veritas illa voluntatis in qua arguitur a Domino diabolus non iterisse: quod dixi in tractatu de veritate. Nunc considerandum est quomodo ex his duabus voluntatibus, quas voco aptitudines siue affectiones procedant, sicut dixi, merita hominum, siue ad salutem, siue ad damnationem. Rectitudo quidem quantum in ipsa est, nullius mali causa est, & omnis meriti boni mater est, hanc enim fauet spiritui concupiscenti aduersus carnem, & delectatur legi Dei secundum interiorem hominem, id est, secundum eundem spiritum. Si autem ex illa malum aliquando sequi videtur: non est ex ipsa, sed ex alio. Per rectitudinem quippe Apostoli erant bonus odor Deo. Sed quod quibusdam erant odor mortis in mortem: non procedebat ex Apostolorum iustitia, sed ex maliolorum nequitia. Illa vero voluntas, que est ad volendum commodum, non semper mala, sed quando consentit carni concupiscenti aduersus spiritum. Sed vt hoc planius intelligatur: inuestigandum est vnde tam vitiosa & tam prona sit ad malum ista voluntas. Non enim credendum est talem illam Deum fecisse in primis nostris parentibus. Cum enim protuli naturam humanam propter peccatum incurrisse corruptionem & appetitus ad similitudinem brutorum animalium, non dixi quomodo talis voluntas orta sit in homine. Aliud namque sunt appetitus vitiosi: aliud vitiosa voluntas appetitibus consentiens. De tali ergo voluntate querendum puto vnde homini acciderit. Sed si primam rationalis naturae conditionem consideremus facile nobis huius talis voluntatis causa patebit. Intentio namque Dei fuit vt iustam faceret atque beatam naturam rationalem ad fru-

Galat. 5.

Rom. 7.

1. Cor. 4.

fruen-

A fruendum se: sed neque iusta neque beata esse potuit, sine voluntate iustitiae & beatitudinis. Voluntas quidem iustitiae est ipsa iustitia: voluntas vero beatitudinis non est beatitudo: quia non omnis habet beatitudinem qui habet eius voluntatem. In beatitudine autem secundum omnium sensum est sufficientia competentium commodorum sine omni indigentia: siue angelica intelligitur beatitudo: siue illa quam habebat Adam in paradiso. Quamuis enim maior sit beatitudo angelorum quam illa quae erat hominis in paradiso: non tamen ideo negari potest Adam beatitudinem habuisse. Sicut namque calor magnus est sine omni frigore: & tamen potest esse alius maior calor: & quemadmodum frigus est sine omni calore: cum tamen maius valet frigus esse, ita nihil prohibet Adam beatum fuisse in paradiso sine omni indigentia: licet maior esset angelica beatitudo. Nempe aliquid minus alio habere: non semper est indigere, sed aliqua re cum ea haberi oporteat, carere: quod non erat in Adam, est indigere: ubi vero est indigentia, ibi est miseria. Non autem fecit Deus sine praecedente culpa rationalem creaturam miseram, quam ad intelligendum & amandum se creavit. Fecit igitur Deus hominem beatum sine omni indigentia. Simul ergo accepit rationalis natura & beatitudinis voluntatem & beatitudinem iustitiae, id est, rectitudinem quae est ipsa iustitia, & liberum arbitrium: sine quo iustitiam servare non potuit. Si autem Deus ordinavit has duas voluntates siue affectiones: ut voluntas quae est instrumentum vteretur ea, quae est iustitia ad imperium & regnum: docente spiritu, qui & mens & ratio dicitur, & altera vteretur ad obedientiam sine omni incommoditate. Beatitudinem quidem dedit homini: ut de angelis taceamus: ad commodum eius, iustitiam vero ad honorem suum, sed iustitiam ita ut illam posset deserere: quatenus cum illam non desereret: sed perseveranter servaret, prouehi mereretur ad consortium angelorum. Quod si illam desereret nullatenus eam per se deinceps resumere posset & beatitudinem angelorum non adipisceretur, & illa quam habebat priuaretur, & in similitudinem brutorum animalium cadens cum illis corruptioni & sepe fatis appetitibus subiaceret. Voluntas tamen beatitudinis maneret: ut per indigentiam bonorum quae perdidisset graui miseria iuste puniretur. Quoniam ergo deseruit iustitiam, perdidit beatitudinem, & voluntas quam bonam & ad bonum suum accepit fruens desiderio commodorum quae non velle nequit: quia vera commoda rationali naturae convenientia quae perdidit habere non valet, ad falsa & brutorum animalium commoda quae bestiales appetitus suggerit, se conuertit: & ita cum ea vult inordinate rectitudinem, aut ne accipiatur oblatam repellit aut expellit: cum vero licite vult eam, non hoc facit. Hoc igitur modo voluntas instrumenti creata bonum in quantum habet esse, & iusta & fortis ad seruandum acceptam iustitiam per liberum arbitrium facta est mala: non in quantum est, sed in quantum iniusta facta est per absentiam, sponte deserere iustitiam quam semper habere deberet. Infirma quoque modo facta est ad volendum iustitiam desertam. Non enim per liberum arbitrium ita potest eam velle: tamen illam non habet quemadmodum valet seruare cum habet. Voluntas etiam commoda: condita bonum in quantum est aliquid, mala, id est, iniusta facta est quia non est subiecta iustitiae, sine

D. ANSELMI TOMVS III

C qua nihil velle debet. Voluntas ergo instrumentum: cum sponte facta sit iniusta post desertam iustitiam: manet in quantum in ipsa est necessitate iniusta & ancilla iniustitiae, quia per se redire nequit ad iustitiam sine qua nunquam libera est, quia naturalis libertas arbitrii sine illa ociosa est. Ancilla etiam facta est suae affectionis quae ad commodum est: quia remota est iustitia, nihil potest velle nisi quod illa vult. Dico autem & instrumentum & affectionem eius velle: quia & instrumentum est voluntas & affectio voluntas. Nec incongrue utraque voluntas velle dicitur: quia illa vult quae affectione sua vult: & affectio vult per quam illa vult: sicut videre dicitur & homo qui visu videt, & visus quo videt. Unde nos absurde possumus dicere affectiones eius voluntatis: quam instrumentum dixi animae quasi instrumenta eiusdem instrumenti esse: quia nihil nisi istis operatur. Perdito igitur instrumento volendi iustitiam, id est, rectitudinem, nullo modo nisi per gratiam reddatur, potest voluntas instrumentum velle iustitiam. Quapropter quoniam nihil velle debet nisi iuste: quicquid vult sine rectitudine, vult iniuste: Appetitus vero quos omnes vocat Apostolus carnem & concupiscentiam: in quantum sunt, non sunt mali vel iniusti, sed quia sunt in rationali creatura ubi non debent esse dicuntur iniusti. In brutis siquidem animalibus non sunt mali vel iniusti: quia ibi debent esse. Iam ex his quae dicta sunt agnosci potest, hominem ideo non habere semper iustitiam, quam sine intermissione debet habere: quia nullo modo potest illam per se adipisci: vel recuperare. Palam etiam est: quia Deus bona facit opera, sua sola bonitate: quoniam ipse creat voluntatem cum libero arbitrio, & dat illi iustitiam per quam operatur. Mala vero facit sola culpa hominum, quia ea non faceret si homo illa facere non vellet, facit tamen haec quod sunt: quoniam condidit in homine voluntatem, qua sine iustitia vtitur sola culpa hominis: mala sunt quae operatur. Non enim est culpa Dei qui creauit in eo cum libertate arbitrii voluntatem, & contulit ei iustitiam ut nihil nisi iuste vellet, sed culpa hominis, qui iustitiam deseruit quam seruare potuit. Deus igitur habet in bonis quidem quod bona sunt per essentiam: & quod bona sunt per iustitiam: in malis vero solummodo quod bona sunt per essentiam, non quod mala sunt per absentiam debite iustitiae, quae non est aliquid. Homo autem habet in bonis, quod mala non sunt: quia cum posset deserere iustitiam & mala facere non deseruit: sed seruauit per liberum arbitrium dante & subsequente gratia. In malis vero hoc solum quod mala sunt: quia ea sola propria, id est, iniusta voluntate facit. Puto me iam congrue posse finem ponere tractatui de tribus difficilibus questionibus: quem in spe auxilij Dei incepi, in quo si quiddam dixi quod quaerenti cuilibet sufficere debeat: non mihi imputo, sed gratiae Dei mecum. Hoc autem dico: quia si quis mihi quaerenti de questionibus eisdem, quando in eis mens mea rationem, quaerendo fluctuabat, ea quae retuli respondisset: gratias egissem quia mihi satisfacisset. Quoniam ergo quod inde manifestante Deo cognoui, mihi valde placuit, intelligens quia similiter quibusdam placeret: si hoc scriberem, quod gratis accipere gratias volui petentibus impendere.

Beati Anselmi liber de concordia praescientiae & praedestinationis & gratiae & liberi

arbitrii; explicit.

QQ3

EIVS

A *EIVSDEM BEATI*
Anselmi liber de miseria
hominis incipit.

Terret me vita mea. Namque diligenter discussa, apparet mihi peccatum, aut sterilitas fere tota vita mea: & si quid fructus in ea videtur, sic est aut simulatum aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum: ut possit aut non placere, aut displicere Deo. Ergo o peccator, vita tua iam fere tota aut in peccato est, aut damnabilis, aut in fructuosa, & contemptibilis? Sed quid separo infructuosam a damnabili? Vtique, si est infructuosa, est & damnabilis. Constat enim & verum esse, quod Veritas Dei dixit: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Denique si quid ago utile, prorsus nullatenus illud compenso alimentis corporis, quibus abator. Sed quis pascit pecus quod nec tantum prodest, quantum consumit; & tamen tu benignus Deus tunutris, & expectas tuum in utile, verum & fecerentem peccatis. Quam tolerabilis canis putridus foetet hominibus, quam anima peccatrix Deo quam infelicius ista Deo, quam ille hominibus. Heu non hominem, sed opprobrium hominis, vilius pecore, peius cadavere. Tædet animam meam vitæ meæ, vivere erubescere, mori pertimesco, quid ergo restat tibi o peccator, nisi ut in tua tota vita plorestotam vitam tuam, ut ipsa tota se ploret totam. Sed est in hac anima mea miserabiliter mirabilis, & mirabiliter miserabilis: quia non tantum dolet, quantum se noscit: sed sic secura torperet, velut quid patitur ignoret. Anima sterilis quid agis quid torpes anima peccatrix? Dies iudicij venit, iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis dies ire, dies illa, dies tribulationis & angustiae, dies calamitatis & miseriae, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulae & turbinae, dies tubae & clangoris. O vox diei domini amara. Quid dormitas anima tepida & digna cuom? quid dormitas? qui non expurgatur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, sed mortuus est. Arbor infructuosa, ubi sunt fructus tui? arbor digna securi & igne, digna succidi & succendi, qui sunt fructus tui? Vtique spinæ pungentes & amara peccata, quæ utinam sic te penitendo pungerent ut confurgerent: sic amarescerent, ut evanescerent. Forsan paruum quid, putas peccatum aliquod, utinam districtus iudex paruum existimaret aliquod peccatum. Sed heu me: nonne omne peccatum per prævaricationem Deum exhonorat? Quod ergo peccatum peccator audebit dicere paruum? Deum enim exhonorare, quando est paruum? O lignum aridum & inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cum exigetur à te vsque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit à te expensum? Tunc quippe condemnabitur quicquid fuerit inuentum in te operis vel otiosi sermonis & silentij vsque ad minimam cogitationem: etiam quod vixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Væ quot peccata ibi prouent ex improviso, quasi ex insidijs, quæ modo, non vides? Certe plura & fortassis terribiliora his, quæ nunc non vides. Et quæ non esse mala putas & quæ nunc esse bona credis, nudata facie apparebunt tibi nigerrima peccata: ibi proculdubio recipies prout gessisti in corpore cum tunc

Matth. 7.

B

© nullum erit tempus misericordie, cum poena recipitur, & cum dilatio nulla datur. Hic cogita quid gessisti, quid oporteat te recipere. Si multa bona pauca mala, multum gaude, si multa mala, pauca bona, multum luge. O inutilis peccator: an non sufficiunt tibi hæc ad inanè rugitum? an non sufficiunt ad eliciendum sanguinè, & medullas in lachrymas. Væ mirabilis duritia, ad quam confringendam leues sunt tam graues mallei. O insensibilis torpor ad quem concitandum sunt obtusi tam acuti aculei. Prophetalis sopor, ad quem excitandum raucum est tam terrificum tonitruum. Peccator inutilis, satis hæc tibi debent esse ad continuandum luctum: sufficere tibi possunt ad forbendas iuges lachrymas. Sed quid debeo de grauedine de magnitudine imminētis miseriae quicquam dissimulando, tacere, & oculis animæ meæ frui. An ut improvisi irruant repentini dolores, & subito ingruat intolerabilis. Certe non sic expedit peccatori. Si enim dixero, quicquid potero excogitare, nondum ad id quod res est, poterit operari. Igitur deducant oculi mei lachrymas per diem & noctem, & non taceant. Auge ergo peccator, auge superioribus ærumnis pondus, adde terrorem, vlulatum super vlulatum: ipse te iudicabit, ad cuius contumeliam spectat, quicquid inobediens Deo, aut præuaricator peccat: qui mihi bonum pro malo reddidit, cui ego malum: pro bono: qui nunc patientissimus, tunc districtissimus, clementissimus nunc iustissimus tunc. Heu me, heu me, cui peccaui: Deum inhonoravi, omnipotentem prouocavi. Peccator quid feci? cui feci? quam male feci? Væ, væ, ira omnipotentis ne irruat super me. Ira omnipotentis ubi poteris capi in me. Non est qui te possit tolerare. In toto me angustiae, hinc erunt accusantia peccata, inde terrēs iustitia, subitus patens horridū chaos inferni, desuper iratus iudex, intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Iustus vix saluabitur, peccator sic reprehensus in quæ se premet? Constrictus ubi latebo, quomodo apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Illud desidero, & nusquam erit: istud execrabor, & ubique erit. Quicquid tunc, quicquid erit tunc, quis eruet me de manibus Dei? unde mihi consilium? unde salus? Quis est, qui dicitur magni consilij angelus: qui dicitur saluator, & nomen eius vociferer. Iam ipse est, iam ipse est Iesus, ipse idē est iudex, inter cuius manus tremo, Respira iam o peccator, respira ne desperes, spera in eo quæ times. Affuge ad eum à quo aufugisti: Inuoca importunè, quæ superbè prouocasti: Iesu Iesu propter hoc nomen tuū, fac mihi secundum nomen tuū, Iesu Iesu, obliuiscere superbum prouocantem. Nomen dilectū, nomen delectabile, nomen confortans peccatorē, & beatæ spei. Quid enim est Iesus, nisi saluator? Ergo Iesu, propter te metipsum esto mihi Iesus, qui me creasti, nō perimas: qui me redemisti, ne condēnes, qui me creasti tua bonitate, ne perimas opus tuum mea iniquitate. Rogo pijsime, ne perdat mea iniquitas quod fecit tua omnipotens bonitas. Recognosce benignissime, quod tuum est, & absterge quod alienum est. Iesu Iesu miserere, dum tempus est miserendi: ne damnes in tempore iudicandi. Quæ namque tibi utilitas in sanguine meo, si descendero in æternam corruptionem. *Neque enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes quie descendunt in infernum.* Si me admiseris intra labilissimum tuæ misericordiae sinum, non eris angustior propter me Domine. Admitte ergo o desideratissimi

Danic. 7.

Hebr. 4.

Psal. 33.

Psal. 18.

Psal. 10.

Sapient. 1.

2. Reg. 22.

Psal. 99.

Matth. 11.

A ratissime Iesu, admitte me intra numerum electorum tuorum: vt cum illis te laudem, te perfruar & glorier in te inter omnes qui diligunt nomen tuum. **Q**ui cum Deo patre & spiritu sancto gloriaris per interminata secula. Amen.

Beati Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, Liber de miseria hominis explicit.

EIVSDEM BEATI
Anselmi Cantuariensis archie-
episcopi, liber de vestimentis, et
membris et actibus Deo at-
tributis incipit.

V Bicunque sacra scriptura sparsim diuersis libris in Deo motus animæ: seu humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, cor, linguam, imaginem, vterum, manus, dexteram, sinistram, digitos, siue digitum, brachiū, alas, scapulas, ventrem, posteriora, pedes. Item motus animæ iram, furorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, & alia his similia, nō carnaliter iuxta historiam à re et intelligentibus scienda sunt, sicut à Iudeis & plerisque hereticis carnaliter intelligenda sunt & confitenda. Si quis Deo humana membra, seu motus animæ more humano inesse credit: procul dubio in corde suo idola fabricat. Igitur, vt dictū est, figuratim in Deo caput cum legimus, ipsam essentiam diuinitatis eius, quæ omnia præcedit, & cui sunt omnia subiecta, intelligere debemus. Capillos vero eius capitis, sanctos angelos, seu vniuersos electos typicè accipi oportet.

B De quo quidē sacrario in libro Danielis scriptū est: *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius, quasi nix candidum: & capilli capitis eius, quasi lana munda.* Hic enim signat per vestimentum candidum Dei, quod & per capillos capitis eius, sanctos videlicet Angelos, & multitudinem sanctorū dealbatorum. Vel certe ideo capilli eius lanæ mundæ comparantur, vt per hoc antiquus dierū esse credatur. Oculos dicitur habere, pro eo quod omnia videt, & nihil eum latet in conspectu eius, vt ait Apostolus: *Nulla creatura inuisibilis est: Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Aliter vero oculi respectu gratiæ eius intelliguntur, vt est in Psalmo: *Oculi Domini super iustos.* Itē alibi: *Oculi Domini præcepta eius, per quæ lumen scientiæ subministrat, mysticè accipiuntur vt est illud in Psalmo: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Palpebræ Domini occulta & incomprehensibilia iudicia eius, siue spiritualis in diuinis libris eius locutio inuinitur. De quibus oculis & incomprehensibilibus sacramētis atque iudicijs dicitur in Psalmo: *Palpebra eius interrogant filios hominum, id est, probant.* Aures habere dicitur Deus, propter hoc quia omnia audit, & nihil eum sub silentio latet. De quo in libro Sapientiæ scriptum est, *Auris cali audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.* Nares Dei, inspiratio eius in corde fidelium, vt est illud in libro Regū: *Ascendit fumus de naribus eius, id est, lachrymosa cōpunctio, pœnitentium in inspiratione eius.* Facies, cognitio diuinitatis eius ad homines. De qua cognitione in Psalmo scriptū est: *Ostende nobis Domine faciem tuam, & salui erimus.* Hoc est, dona nobis cognitionē tuam: quæ cognitio per filium hominis hominibus innotuit, ipso dicente in Euangelio: *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Fili-*

C *lius reuelare.* Aliter vero facies Dei significat inuisibile essentiam diuinitatis Dei Filij. De qua ipse Dominus ad Moysen per Angelū respondens, ait: *Posteriora meā videbis, faciē autem meā videre non poteris.* Ac si dicat, incarnationē meā videbis in nouissimis diebus, diuinitatem autem meā videre non poteris. Os Dei Filius Patris, id est, Christus Dominus. De quo Esaias Propheta ex persona Iudgorū affatus ait: *Quia os eius ad iracundiam prouocauimus.* Aliter vero os eius, Domini termo, & eius iussio accipitur. De quo sermone Domini prædictus Propheta ait: *Os Domini locutū est hæc.* Verbum Dei, Filius Patris, per quæ omnia facta sunt: De quo in Psal. *Verbo Domini confirmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorū.* Et alibi: *Misit Deus*

verbum suum, & sanauit eos. Et in Euangelio secūdū Ioannē: *In principio erat Verbum.* Lingua Dei mysticè significat spiritum sanctū, per quem Deus Pater secretū suum manifestauit hominibus, vt in Psalmo: *Lingua mea calamus scribæ.* Labia Dei mystice, consonantia vtriusq; Testamenti intelliguntur. De quibus Testamentis in Prouerb. scriptum est: *Diuinitas in labijs regis, in iudicio non errabit os eius.* Brachia Dei Patris, eius Filius intelligitur, & spiritus sanctus intelliguntur, sicut est illud in Esaiā Propheta: *Et brachia mea populos iudicabunt.* Brachiū Dei Patris, singulariter Filius eius accipitur. & de quo Hieremias ait: *Et nūc Domine Deus, qui eduxisti populum tuū de Aegypto in manus forti, & brachio extenso.* Idcirco autem Filius Dei Patris brachiū dicitur: quia creatura electa ab ipso continetur. Dexterā Dei Patris, id est, Vnigenitus Filius, de quo in Psalmo ex persona hominis assumpti: *Dexterā, inquit, Domini fecit virtutem.* Aliter vero Domini dexterā, gloriam Patris, & æternā beatitudinem signat: de quo in Psalmo ex persona Patris ad Filium: *Sede à dextris meis.* Dicitur autem & dexterā Dei, omnis electa creatura in cælo & in terra: sicut per sinistram eius intelligitur reprobata creatura, id est, dæmones & omnes impii, qui ad læuā positi, æterna supplicia sustinebunt. Manus Dei Patris, Filius eius accipitur: pro eo, quod per ipsum facta sunt omnia: sicut est illud in Esaiā: *Omnia manus meæ fecit, & facta sunt omnia.* Aliter vero manus Dei potestas eius intelligitur. De qua potestate in libro Hieroniæ scriptum est: *Sicut lutū in manu figuli, ita vos in manu mea domus Israel.* Item, per manus Domini, flagellū accipitur. De cuius percussione in Sophonia Propheeta scriptum est: *Extendam manum meam super Iudam super habitatores Hierusalem, & disperdam de hoc loco reliquias Baal, &c.* Pro qua Domini percussione beatus Iob de semetipso ait: *Manus Domini terigit me.* Digitus Dei singulariter Spiritus sanctus accipitur. A quo spiritu sancto lex duabus in tabulis lapideis in monte Sinai scripta narratur. Ipse enim scripsit, qui scribenda dictauit, idē Spiritus sanctus. De quo spiritu sancto Dominus in Euangelio: *Si ego in digito Dei eicio dæmonia, id est: Si ego in spiritu Dei eicio dæmonia.* Sicut enim digitus cum manu vel brachio, manus vero & brachium cum corpore vnum sunt in natura, ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres quidem personæ, sed vna substantia diuinitatis. Digni Dei, pluraliter, facti intelliguntur Prophetæ, per quos Spiritus sanctus libros Legis ac Prophetarū, sua inspiratione scripsit, de quibus scriptum est: *Vide*

bo calos tuos, opera digitorum tuorum. Per calos enim libros legis & Prophetarum: per digitos vero sanctos, vt dictū est, Prophetas insinuauit. Imago Dei Patris inuisibilis, Vnigenitus Filius, de quo

A de quo Apostolus: *Imago Dei inuisibilis*. Aliter namque est *imago Dei* in Filio suo, quem non aliunde, sed ex semetipso, hoc est, ex substantia sua per omnia sibi similem genuit & æqualem. Aliter verò est in anima hominis, quam non ex se, id est, de sua substantia, sicut plerique hæretici opinati sunt, genuit, sed ex nihilo creauit. Sicut aliter *imago* est cuiuslibet Regis in Filio eius, quem ex semetipso sibi similem genuit, id est, homo hominem. Aliter verò in annulo eius, siue in cæra *imago* eius expressa, quæ non est quod ipse: sicut Filius, qui naturaliter hoc est, quod & Pater. Cor Dei Patris arcanum sapientiæ eius mysticè innuit. Ex quo Verbum, id est, Filium suum impassibiliter sine initio genuit, ipso dicente Propheta: *Eructauit cor meum verbum bonum*. Alas habere dicitur Deus, pro eo quod morte auis electos suos tanquam pullos sub se colligit, fouet, & ab infidijs diaboli & malorum hominum protegit: bene Propheta ait: *Sub umbra alarum tuarum protege me*. Scapulas dicitur habere Deus: quia infirma membra Ecclesiæ, quasi in scapulis suis portat, & portando protegit: de quo in Psalmo: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis*. Vter Dei, secreta origo substantiæ eius accipitur. Vnde in Psalmo: *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Aliter venter Dei incomprehensibilia iudicia eius, quæ rimari nequeunt mysticè insinuantur: De quo occulto iudicio eius in libro Iob scriptum est: *De cuius vtero egressa est glacies? & gelu de cælo quis genuit?* Posteriora Filij Dei, incarnatio eius accipitur. De qua posteriori parte, Filius in monte Sinai ad Moysen per Angelum loquens ait: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Pedes Dei, stabilimentum virtutis eius, eo quod ubique præfens, & vniuersa illi subiecta sunt, ipso dicente per Esaiam Prophetam: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*. Aliter pedes Filij Dei incarnatio intelligitur, quæ diuinitati subiecta est, tanquam capiti pedes sicut per caput diuinitas, ita per pedes eius humanitas exprimitur. De qua humanitate in Exodo scriptum est: *Videbant Dominum, hoc est, Moyses, & Aaron, & Madab, & Abihu, & septuaginta de senioribus populi, & sub pedibus eius quasi opus lapidis saphyrim, & quasi calum cum serenum est*. Sicut enim per lapidem saphyrum, cælestes creaturas, vel sanctos Angelos: ita per cælum serenum, sanctam Ecclesiam electorū ex hominibus assumptam, figuraliter monstrare voluit. Super quas creaturas homo assumptus Dei Filius in perpetuum regnat. De quo in Psalmo: *Omnia subiacisti sub pedibus eius*. Aliter autem pedes Domini, id est, Iesu Christi significati sunt sancti prædicatores, de quibus in Deuteronomio scriptum est: *Qui appropinquant pedibus eius accipient doctrinam istius*. Vestimentum Filij Dei, aliquando caro eius, quæ à diuinitate assumpta est, in diuinis libris figuraliter accipitur. De quo indumento carnis Esaias vaticinans ait: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Rursus vestimentum eiusdem Domini, sancta Ecclesia accipitur, quæ per fidem & dilectionem ei coniuncta est. De qua scriptum est in Psalmo: *Dominus regnauit, decorem induit* est. Et in alio Psalmo: *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*. Pallium Christi, Ecclesia eius intelligitur, de qua in libro Genesis scriptum est: *Lauit in vino stolam suam, hoc est, in sanguine passionis carnem suam, & in sanguine vix pallium suum, id est, Ecclesiam suam*. Calciamentum Domini nostri Iesu Christi mysticè signat incarnationem eius, quæ ex mor-

talitate humani generis assumere dignatus est. De qua incarnatione sua ipse per Prophetam in Psalmo ait: *In idumaam extendam calciamentum meum*. id est, ante plebem gentium manifestabo incarnationem meam. Gressus Domini, aduentus Filij Dei in mundum, & regressio ad Patrem, de quibus Psalmista ait: *Visi sunt gressus tui Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto*. De cælo enim venit in vterum Virginis, de vtero verò nascendo positus est in præsepio. Postquam omnia impleuit, pro quibus à Patre missus venerat, appensus est in ligno crucis. De cruce autem depositus corpus sepultum est: secundam verò animam ad inferna descendit: tertia autem die per potentiam suæ diuinitatis carnem suam de sepulchro suscitauit, & post diem resurrectionis suæ quadragesima die, videtibus Apostolis *ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris*, id est, in gloria eius. Hi sunt gressus Filij Dei. Iste descendens in factis Scripturis legitur. Ascendere dicitur Deus, cum Filius carna ex nobis assumptam in cælum captiuam euexit, sicut in Psalmo: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuam* aton: quia naturam humani generis, quæ à diabolo in mundo captiuam retinebatur, assumens in cælum secum, vbi nunquam antea fuerat, tanquam captiuam deportauit. Abscondere dicitur Deus faciem suam, cum se quibusdam eorum exigentibus culpis abscondit, sicut in populo Iudeorum hunc impletum videmus, quia negantes Filium Dei, scientiam veri Dei ita perdidit, ut similes forent gentibus, qui Deum non nouerunt. Ostendere dicitur Deus faciem suam, cum respectu gratiæ suæ quibus vult, scilicet electis suis, seipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit. Sedere dicitur, non corporaliter humano more, sed potentialiter super omnem creaturam rationalem præsidere, ut est illud in Psalmista: *Regnauit Dominus super gentes, Deus sedet super sedem suam*. Sedere etiam dicitur Deus super Cherubim, quod interpretatur multitudo vel plenitudo scientiæ, per quod significantur sancti Angeli seu mentes spiritualium virorum, in quibus Deus visibiliter præsidet, & regnat. In illis enim sedet, qui scientia eius & dilectione pleni sunt. In Proverbijs quippe Salomonis scriptum est: *Animam iusti, sedes est sapientia*. Sapientia verò Dei Patris Christus est, qui in antribus Sanctorum dicitur sedere. Descendere dicitur in mundum, quando aliquid nouum, quod antea non fecerat, in creatura humana operatur: sicut Filius Dei Patris descendisse narratur, quando veram carnem de Maria Virgine propter redemptionem nostram suscepit, & verus homo fieri dignatus est, non amittendo quod erat, sed assumendo quod non erat. De cuius descensione, id est, incarnatione scriptum est in Psalmo: *Et inclinauit cælus, & descendit, caligo sub pedibus eius*. Cælus inclinauit, quando ante aduentum futurum per nuntios Angelos siue Prophetas, misit, qui eius aduentum hominibus nuntiarent. *Caligo sub pedibus eius* fuit, quia impij homines ob suam malitiam incarnationem eius agnoscere noluerunt, sed neque adhuc possunt. Stare dicitur Deus, cum nos infirmos, id est, suam creaturam ad poenitentiam & conuersionem patienter sustinet, ut est illud in Abacuc Propheta: *Stetit, & mensus est terram, & dissoluit gentes*. id est, stetit ad sustentandam, & dissoluit credentes in se à peccatorum vinculis. Transire dicitur Deus, cum de cordibus quorundam hominum, in quibus antea per fidem inhabitare credebatur, postea surripiete perfidia,

C

Psal. 59.

Psal. 67.

1. Cor. 6.

Exod. 3.

Ibidem.

D

Esa. 56.

Psal. 136.

Iob. 28.

Genes. 22.

Psal. 17.

Exod. 15.

Matth. 29.

Abacuc. 3.

A fiducia, vel quolibet delicto, ab eis recedit, & ad alios transit: quemadmodum de Iudæis ad gentes, de hæreticis ad Catholicos, seu de quibuslibet irreligiosis & negligētibus pro vitio suo recedere dicitur Deus, & ad alios transire, quod non localiter, aut visibiliter, sed inuisibiliter occulto iustoque iudicio facere consuevit. Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quod est impium credere, sed ambulare eius est, in cordibus sanctorum delectari, sicut scriptum est: *Et inhabitabo in eis, inambulabo, & ero illorum Deus.* Vel certe ambulare Dei est, in sanctis prædicatoribus suis de loco ad locum transire. Loqui Dei, est inuisibiliter sine sono vocis, vel quolibet strepitu occultè in mentibus sanctorum voluntatem suam atque rectum intellectum inspirare, seu futura sanctis reuelare. *Quæ loquutio Dei, ut quidam volunt, tribus modis accipitur.* Primo namque modo, per subiectam creaturam, sicut ad Moysen in rubo igneo apparuit, vel sicut ad Abraham, vel Iacob, & cæteris sanctis, quibus in Angelis apparere dignatus est. Secundo verò modo in somnis, sicut ad Iacob, & ad Zachariam Prophetam, & ad Ioseph sponsum Mariæ, & in alijs sanctis, quibus secretum reuelare voluit. Tertio autem modo, neque per creaturam visibilem, neque per hominem, sed occulta tantum inspiratione inuisibiliter corda suorum tangendo loquentes efficit: quemadmodum in libris Prophetarum scriptum est, cum ipsi Prophete subito afflati spiritu diuino exclamabant, dicentes: *Hæc dicit Dominus.* Videre Dei est acta bona approbare, sicut illud in Genesi: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona;* id est, intelligentibus bona esse demonstrant. Aliter videre Dei, est mala hominum sciendo reprobare, sicut Esaias Pfopheta: *Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius.* Item aliter videre Dei, est nos videntes facere, ut est illud in Psalmo: *Proba me Deus, & scito cor meum; interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide si iniquitatis in me est.* Modus iste loquutionis, & in libro beati Iob similiter reperitur, ubi de sapientia Patris, per quam plurima & insignia loquutus est de Deo Patre, adiecit: *Tunc vidit illam, & enarravit, & inuestigauit, & præparauit;* id est, videntes fecit, atque prædicantes, & inuestigantes; atque alijs annuntiantes. Cognoscere Dei, est cognoscentes facere: sicut ait ad Abraham: *Nunc cognoui, quoniam timeas Dominum.* Neque enim in tempore cognouit, qui scit omnia antequam fiant: sed cognoscere Deus dicitur, cognoscentes facere, ut qui prius de se quales essent, incogniti erant, post eius interrogationem; id est probatorem sibi metipsis manifesti fierent: sicut est & illud in lege Moyse de populo Israelitico: *Ut tentem eos,* inquit, *utrum custodiant mandata mea, an non.* Nescire Dei, est quosdam reprobos reprobare, sicut illud in Euangelio: *Nescio vos.* Zelare dicitur Deus, cum creaturam suam, quam non vult perire, sæpe castigat, corripit, atque flagellat, & flagellando ad se reducit. Vel zelare dicitur Deus, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere, iustus est enim: & ideo omnis iniustitia execrabilis est illi, quam ut dictum est, nullo modo impunitam patitur. Irasci dicitur Deus, non animi motu, vel qualibet perturbatione, quæ illi omnino accidere non potest: sed creaturæ delinquenti, id est, hominibus impijs & peccantibus iustam dicitur inferre ultionem, hoc est reddere illis quæ meruerunt, & hæc ultio diuina, ira vel furor dicitur. Pœnitere Deus di-

citur, non quod more hominum pro transactis operibus suis pœniteat. Qui enim omnia nouit antequam fiant, pro præteritis actibus suis pœnitere non potest. Sed pœnitentia Dei, est statuta mutare, & quod prius aliter inchoatum fuerat in aliud mutare, id est, aut de malo in bonum, aut de bono exigentibus culpis in malum. Sicut de Saul legitur pœnituisse Deum, quod constituisset eum regem. Vel sicut nunc videmus in populo Iudæorum actum, qui cum esset populus Dei, ob impietatem suam tacti sunt synagoga Sathanae De malo vero in bonum, sicut accidit populo gentium, qui ante populus diaboli, modo factus est Dei. Hoc quippe modo occulto Dei iudicio Iudas proditor, de Apostolatus gradu lapsus in inferni baratro demersus est: latro vero post crimen rapacitatis, de cruce ad paradysum translatus est. Hanc quoque mutationem de bono ad malum, siue de malo ad bonum, ut dictum est, quæ occulto iustoque iudicio Dei, seu per seueritatem iustitiæ, siue per misericordiam eius fiat, pœnitentiam Dei dicimus, quod expressius in libro Hieremiæ scriptum est. Non pœnitere Dei, est statuta mutare nullo modo, ut est illud in Psalmo: *Iurauit Dominus, & non pœnitabit eum,* id est, Pater ad Filium. *Tu es sacerdos in æternum.* Sacerdos Dei Patris dicitur est Filius Dei, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionem & mortem suam acceptabile sacrificium Deo Patri obtulit, ut esset sacerdos, qui & sacrificium est. Oblitus dicitur Deus, cum quibusdam impijs & peccatoribus non miseretur, quod utique non facit per crudelitatem, quæ in Deo non est, sed per occultum iustumque Dei iudicium. Indurare dicitur Deus quorundam malorum corda, sicut de Pharaone rege Aegypti scriptum est, non quod omnipotens Deus per potentiam suam eorum corda indurauit, quod impium est ita credere, sed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis, quam sic ipsi omnia mala perpetrando, nutriunt, non aufert: quasi illos ipse induret, quos iusto iudicio indurari permittit. Dormire Dei est, cum Unigenitus Filius Patris in assumpta carne mori dignatus est pro nobis: cuius mors rectè somnus prædictus est, ipso dicente per Hieremiam Prophetam: *Ideo quasi de somno excitatus sum, & vidi & somnus meus dulcis est mihi.* Aliter dormire dicitur Deus, cum fides eius inter prosperitates huius mundi, & inter quorundam corda fidelium non vigilat, sed dormit. Hanc dormitionem ipse tunc significabat, cum in mari inter fluctus maris dormiuit. Vel certe dormire Dei est, anxijs tardius subuenire, sicut est illud in Psalmo: *Exurge quare obdormis Domine?* Vigilare Dei, est in defensionem electorum suorum & ultionem inimicorum suorum, se manifestum demonstrare.

Beati Anselmi liber de expositione membrorum, vestimentorum, & actuum Deo attributorum explicit.

E IVSDEM BEATI Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, liber de Mensuratione crucis incipit.

Quoniam iubente Filio tuo Christo: *perfecti estote, sicut & Pater vester celestis perfectus est.* Et Apostolo exhortante, ut ad perfectionem feramur: omnibus modis ad

A perfectionem vitæ tendere debemus. Tendentes autem sine ductore, errare possumus: optime consulit nobis in eo bonitas tua Deus meus, qui eundem vnicum tuum nobis in ductorem trade re dignatus es, vt nobis factis & verbis viam veritatis ostenderet ac doceret. Cui etenim vt eum confidenter sequeremur perfectionis testimonium perhibuisti, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit ipsum audite.* Ipse igitur vt faceret voluntatem tuam, quoddam compendium viæ perfectionis breuib; sub verbis, sed plurimum ponderosis, nobis ostendit, dicens: *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* In quibus verbis ostendit paucitatem perfectorum, libertate arbitrij eum sequi volentium: ipse tamen vult noster esse ductor, initium viæ perfectionis, mediũ & finis, & qua intentione sit ambulandum. Singula autem in suis locis patebunt. Paucitatem perfectorum innuis domine in eo quod dicit: *Si quis, quasi aliquis ex multis vult post me venire.* Et quare hoc Deus meus, nisi ex quodã torpore & pusillanimitate nimia, eo quod plerique animum suum ad tendendum sursum cogere nolunt, & perfectam viam attentare non audent.

Matth. 17.

Matth. 16.

Nascitur autem pusillanimitas etiam nimio timore maxime propter peccata præterita, & quod minus propria respiciunt merita: propter vtilitatem: quod nimis timent impedimenta: & quod statim non sentiant se proficere, quotidianus lapsus, & quod tuam minus considerant bonitatem. Ista etiam sæpe multos repellunt, ne audeant attentare viam perfectam, immo & ipsos incipientes sæpe in tantum deiciunt vt procedere se posse desperent. Sed primum scilicet nimis timor propter peccata præterita, non debet nos impedire: quia si bene eo vtimur, omnia computantur nobis in bonum præstandi nimiam bonitatem tuam, cognoscendi te atque amandi & laudandi. Notandum vero quod principaliter tria damna sunt in peccatis, scilicet quod in eis meremur poenam æternam: demeremur æternam beatitudinem: quod peiusimum est) sine amore & laude nostri creatoris expendimus. Prima duo pertinent ad hominem, tertium vero ad tuum damnum pertinere videtur Deus meus. Cum ergo ex indebita & nimia misericordia tua, iam morti nos deputatos reuocare digneris ad vitam tuam: tam fideliter ad te deberemus conuerti vt damna nostra dissimularem, & modis omnibus instare: vt laudem tuam quam negleximus, saltem in aliquo residuo nostri temporis suppleremus. Quantum est Domine dissimulare timorem poenæ propter amorem tuum? At cur propter desiderium beatitudinis nostræ minueremus famam laudis tuæ: eam pati æternaliter meruisse: etiã propter furorẽ tuum? Primum quæremus te laudare qui es regnum Dei, vt dicit in Euangelio. *Regnum Dei intra vos est, & hoc adijcietur vobis ex superabundanti.* Da nobis Domine charitatem, non quærentem quæ sua sunt, sed quæ tua sunt vt non cogat timor poenæ tibi seruire pro peccatis, vel amor nostræ beatitudinis pro mercede, quia tempus & vires non sufficiunt nobis ad laudandum te: cuius bonitas exuperat omnem sensum, & sic pusillanimitatem timor non incutiet peccatorum. Terret etiam nos quandoque nostrorum paruitas meritorum, ne ad perfectionem vitæ tendere audeamus: quia ad eam promerendum non sufficiunt. Sed huic obicitur: quia tu

Luc. 17.

Domine iussisti nos emere & adiunxisti, quia gratis emere debemus. Dixisti enim: *Sitientes venite ad aquas.* Quid est Domine quod vnum feruoris in laude tua, & lac mundæ conscientie absque vlla commutatione debemus emere, nisi quod tibi sufficit quantumcunque parum sit, quod habemus tibi dare immo & hoc ipsum quod damus tuum est. Inducit etiam pusillanimitatem quod indignos nos videmus, eo quod petimus quod vtiq; verum est: quia si homo mille annis seruiret, Deo etiã feruentissime non mereretur ex condigno, dimidiam diem esse in regno caelorum: Sed domine non debemus considerare tantum nostram vtilitatem sed tuam laudem: cuius bonitas exuperat omnem intellectum. Pusillanimes etiam facit nos: quia nimia impedimenta nostra videmus. Sed domine si audacter te sequi proponimus, pro certo habere debemus quod aufers quicquid nos retardat à laude tua. Quicquid enim non aufers secundum tuam voluntatem, libenter portare debemus. Stultitia enim nostra sæpe putat ea esse impedimenta, quæ tua occulta sapientia ad nostram ordinauit profectum. Quinto terret quod nõ statim sentimus nos proficere, sed domine sæpe differs quod petitur, vt excites magis appetitum, non differs quod nolis dare, sed vt aucto desiderio abundantius possis dare. Sextum quod retrahit nos, sunt quotidiani nostri defectus. Sed contra hoc est remedium, vt semper deputemus aliquam horam diei ad examinandum nos, qualiter habeamus nos in interioribus & exterioribus, & quicquid inuenimus quod nobis sit vtile ad profectum, ad hoc firmissime laborare proponamus, & defectus quoscunque reijcere studeamus. Non autem terreat nos si forte nonnunquam aliqua die contra propositum faciamus, quia non minus proponamus: quia longe facilius redit ad te qui ex infirmitate facit contra propositum, quam qui statum suum dissimulans, se non proposuit emendare: immo quandoque maior est ei poena quam culpa, & bonitas tua malis nostris nouit bene vti sæpe faciens defectus nostros ad augmentum humilitatis prodesse, vt verum sit, quod *sepius in die cadit iustus, & fortior resurgit.* Septimo pusillanimes nos facit, quod tuam non perpendimus bonitatem. Cum enim tibi orado loquimur nõ deberemus te cogitare quasi durum ad exaudiendum, sed patrem benignissimum, qui etiam antequam oramus scis quid sit necesse nobis, & ex naturali bonitate tua in infinitum pronior es ad exaudiendum, quantum in te est, quam nos auidi ad rogandum. Da dulcissime Domine vt non simus pusillanimes, sed magnanimes in infirmitatibus nostris nos deijcere contententibus, medicinam tuarum gratiarum apponentes non pusillanimes, sed magnanimes te sequi firmiter proponamus, maxime si non est in nobis tanta fortitudo quod post te gigantem qui exultasti ad currendam viam currere possimus, hoc tamen remedium habemus, quod post te clamare possumus: *Trahere nos post te, & clamorem nostrum audiat & exaudiat auris tua.*

Esai. 55.

Prou. 4.

Cant. 1.

Roma. 13.

Secundo innuis libertatem arbitrij te sequi volentium in via perfectionis, cum dicit: *Si quis vult*, quia hoc relinquit hominum voluntati, sed nunquid potestati? non. Sed potestatem tibi Domine reseruasti, cum *omni potestas à Deo sit.* Cur ergo causabitur homo contra te, si te sequi vult, & nõ potest? Certe ideo quod te nõ sequitur, quia licet non possit per se, tamen per te, qui

r. 81

Matth. 1.

B

Roma. 1.

Roma. 3.

Ioan. 1.

Matth. 4.

Matth. 23

A non ideo reseruasti tibi potestatem nostri profectus, vt non possimus, qui omnia opera nostra operaris: sed vt magis admiremur & laudemus abyssum bonitatis tuæ, quod eadem quæ tu facis in nobis grata tibi sint & accepta, & iudicas ea digna mercede: & ita quod etiam *calicem aquæ frigidæ* non dimittis absque mercede: & eo ipso nostram alicuius voluntatem, quam ad eò liberam propter tui similitudinẽ fecisti, vt cogi non possit. Multis etiam alijs modis ad viam veritatis & perfectionis nos allicere studuisti. Vnde hoc merabamur domine vt ad nos descenderes, & humanitatem nostram tibi tam mirabiliter vnires, & in ea tam humiliter cum homine conuersareris nisi quod nos ad perfectionem tui amoris sic prouocare volebas, vt dũ visibiliter Deum cognoscimus, per hunc inuisibilem &c. Quis ergo homo dignus erat vt filius Dei mortem pro eo pateretur. Aut quis vnquam meruit tuo corpore & sanguine refici: nisi quod tu Deus meus in hoc ostendisti aueritatem amoris tui circanos, vt saltem ex multitudine & magnitudine tam mirabilem beneficiorum tuorum ad mutuam dilectionem accenderes cor nostrum, & in captiuitatem amoris tui redigeres. Innumerabilia nimis sunt beneficia tua Domine, quibus voluntatem nostram excitas, vt perfecte & ardentem te sequi velimus maxime autem quæ prouocarent, imo si sic dicere liceret, cogeret voluntatem nostram tuæ consideratio bonitatis, ex qua omnia bona creata procedunt. Qui autem pauca expertus est, & nondum exercitatus de te qui spiritus es, spiritualiter cogitare voluerit, sic meditari de te poterit inchoare. **Primo** assumat in mentem suam aliquam animam virtutibus perfectam, & de illa ita specialiter cogitet, quasi nulli corpori sit coniuncta: imaginetur autem in illa omnem perfectionem virtutum, quæ vnquam de aliqua anima poterit cogitari, scilicet quam bona, quam dulcis, quam patiens quam misericors, quam sapiens, quam charitativa, quam fidelis, quam pia, quam iusta, quam vera, quam humilis &c. Cũ autem circa animã talia cogitauerit, cogitet quod hæc anima est similis creatori in virtutibus, qui eam in similitudinem suam fecit, & postea transferat se ad creatorem, vt omnia quæ in anima perfecta poterunt inueniri, in creatore infinita cogitet & immensa, & eã ipsa naturam suam esse: & sic quodam modo, *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt*, conspiciat intellecta. Hic est qui dem initialis modus cogitandi de te Domine, quẽ qui sollicitè sequitur meditando te, intrabit fontem viuũ & dulcedinem tuæ naturæ, quæ quanto maior est omnibus beneficijs tuis, tanto magis afficit nostram voluntatem, vt sequamur ardentem Iesum filium tuum, ad laudem bonitatis tuæ nos informantem.

Tertio enim se dedit nostrum ductorem & instructorem, cum subdit: venite post me. Quantumcumque curramus feruenter sequendo nullus præcedit te, & nullus vadit iuxta te: Omnes nos oportet ire post te, quia tu es *primogenitus in multis fratribus*. Primo dicis Domine discipulis: *Venite, & videte*. Postea dicis: *Venite post me*, vt quod in te viderunt imitentur. Deinde dicis: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, &c. vt iugum tuum suauẽ, & onus tuum leue, quod qui susceperint hilariter possint portare ad gloriam Patris tui. Tandem dicis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*. Sic Domine iste est fidelissimus legatus tuus, qui

primo ponit se nobis in exemplum, cum dicit: *Venite, & videte*, & postea inuitat ad veniendum post se. Venientes ad se vocat, vt reficiat ne deficiant. Tandem assumet ad requiem, vbi tamen requiem non habebimus nocte ac die, dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth*. Ibi absterges Domine *omnem lachrymam ab oculis dilectorum tuorum, quoniam non erit amplius mors vltra neque luctus*, &c. Sed Domine quomodo istud possit esse, non bene potest comprehendere anima mea, quæ aliquo modo experta est quanta sit afflictio noscere te & non posse laudare te: cum & ipsa afflictionem generet propter gratitudinem, quod licet ei affligi, pro eo quod non potest laudare te: imo omnia quæ vnquã ad laudẽ tuã cogitare, loqui vel agere potest, afflictionem ei generant: quia his indignã se putat, & quia tibi in nullo poterit respondere. Sic ergo anima incarcerata, in vmbri collocata, sic in satiabiliter affligitur pro laude tua: quomodo satiabitur cum in meridie apparuerit ei bonitas tua, cum utique videat ad plenum eam non posse laudari. Si forte dicis mihi Domine, quod hoc erit maximum gaudium, eius quod perfecte cognosceret bonitatem tuam, & illam tam immensam, quod eam non poterit aliqua creatura plene laudare. Verum credo quod de bonitatis tuæ immensitate gaudebit; tamen adhuc pœnitet eam perfecte non posse laudare nisi aliquo modo, vulnera eius alligarentur, & percussuræ plagæ eius sanarentur: quia tunc primum oleum additum esset camino. Vnde si placet tibi Domine credo quod etiam pœna & afflictio laudis tuæ quã habet hic anima, ibi satiabitur & alligabitur pallio laudis, cum tu qui replet in bonis desiderium nostrũ, tantum dederis te laudare, quantum desideramus: imo longe supra desideratum. Sic enim dixisti: *Quia vos plorabitis & flebitis nunc, mundus autem gaudebit. Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Sanata autem pœna, quam hic habuit, & impleto quod hic desiderauit, aliam pœnam pro maiori laudatione ibi, sicut nec hic a se habere non potest. Tu etiam non dabis ei, qui *omnia disponis in numero, pondere, & mensura*: quia tunc non erit tempus flendi, sed ridendi, cum apparuerit nobis tuus vnicus Filius, si volumus post ipsum venire.

Quarto ergo ostendit nobis initium viæ, qua debemus post Christum venire, cum dicit: *abneget semetipsum*. qui ergo in via perfectionis vult sequi Christum Iesum, laboret primo vt *abneget semetipsum*. Merito ergo debemus nos abnegare, cum nihil iuris habeamus in nobis. Sunt autem septem causæ, quarum quælibet sufficeret hominem compellere, vt fateatur in se nihil iuris habere. Prima, quia tu Domine nos creasti: sicut ergo nihil in nobis boni, est quod tu non creaueris: ita dignum est quod omnia bona nostra sint tua, quæ nullo modo licet auferri à te sancto sanctorũ, ne sacrilegiũ committamus. Cur ergo non abnegaremus nos qui nostri non sumus? Nam quodcumque aliquid à nobis abnegamus, nec hoc abnegatum propter te conferimus: sed aliunde quantumlibet etiam modico temporis spacio donamus, mox alienũ inuadimus. Secunda causa est, quia nos æternæ morti deditos, tua morte pretiosissima redemisti, pro omnibus mortuus es, vt qui viuunt iam sibi non viuunt, sed ei qui pro omnibus mortuus est, vt dicit vas tuum electum. Ergo sicut omnes & totos redemisti, sic & omnes & toti tui sunt,

Qui

Math. 1.

Esa. 6.
Apo. 27.

Ioan. 7. 6.

Sapient. 11.

2. Cor. 5.

Roma. 1.

Roma. 8.

Ioan. 1.

Math. 4.

Math. 23.

A Qui vult ergo saluus esse, restituat tibi illum preciosissimum sanguinem quem pro eo fudisti. Tertia, quia nos ingratos omnibus bonis tuis & auersos à te propter peccata à diabolo defendidisti, postquam à te nostro Domino recessimus turpiter & iniquè, sub tua protectione esse merito non deberemus. Sicque nos hostis sine defensione captiuos habens ad suam voluntatem debuisset in æterna supplicia demersisse, nisi tu ex superabundanti bonitate nos defendisses ab eo, & ad pœnitentiam reseruasses, & propter hanc causam propriè sumus tui serui, quasi ab hoste seruati. Similiter tui sunt quicumque per tuam gratiam laqueos diaboli euitauerint; & ideo tibi nihil auferri debet ex eo quod vel te dante non cecidit, vel si ceciderat est erectum. Quarta causa est, quia cum æternam mortem peccatis nostris meruissemus, tu nos reduxisti ad vitam eam dimittendo. Cur ergo tibi non viuemus nos penitus abnegando, à quo habemus quod æternaliter mortui non sumus. Quinta causa est, quod eadem bonitate qua nos creasti, etiam conseruas ne in nihilum redigamur. Quomodo enim aliquo subsistere valeamus, nisi te conseruante? Si ergo tu es vita nostra, nulla alij viuere debemus, sicut nullo alio subsistere valeamus. Sexta causa est securitas. Qui enim se totum abnegat, vt eum habeat, qui sibi perijt vt tibi valeat, qui sibi nihil est vt tibi aliquid sit. Si nihili in se habet, nihil sui amittere timet, sed semper securus est te quod tuum est conseruare. Si minentur ei pœnæ inferni vel ignis purgatorius, parum timore eorum afficitur, quia cantabit vacuus coram latrone viator, & se non timet perdere qui se abnegat. Si enim tu eum qui tuus est ad pœnas mittere velles: semper tamen de te in bonitate sentieris, paratus sustinere quod velles, nec diceret, cur ita facis? Cui prædicta sententia non placet, da ei Domine se abnegare vt intelligat. Septima vero causa deberet maxime nos vrgere, scilicet vt tibi vices redderemus siue rependeremus: quia *puer natus est nobis, & filius datus est nobis*: qui das quotidie te nobis in cibum, & tandem dabis te nobis in præmium, & in mercedem megham nimis. Domine quid dignum non poterit esse tantis beneficijs tuis? Quid ad hoc dignum poterimus dare? An oportet aliquid præter id non penitus abnegare, & tibi dare dulcissime Domine? Si vnus homo esset tanti quanti omnes creaturæ, quas vnquam fecisti, quantus esset si daret se totum tibi, qui dedisti te totum nobis? Cuius bonitas in infinitum præponderat, qui se putat meliorem quam te, tantum de se reseruet tibi, quanto meliorem quam tu. Propter huiusmodi causam dicis: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum*: immo Domine iâ cogor dicere saluo verbo tuo, quod nullus semetipsum valeat abnegare. Quomodo enim se abnegabit, qui nunquam aliquid iuris in se habuit? Sed Domine in hoc verbo ostendis maximam gratitudinem tuam, vt hoc tanti æstimes, vt quicumque in se sibi aliquid iuris vsurpauerat, si ab hoc ceciderat, vt vltèrius se tibi rapere non attentat. Da mihi domine, vt me abnegem, immo vt reddam quod rapui violenter. Debemus autem secundum legem ablatam reddere in quadruplum vt non solum nos, sed & nostra reddamus, scilicet naturalia fortuita & gratuita. Naturalia sunt, quæ communiter natura omnibus hominibus ad ministrat. Quædam in anima tantum, vt intellectus & affectus, quædam in corpore mediante a-

nima, vt quinque sensus interiores. Reddamus ergo intellectum, sed suum proprium relinquentes, qui nos multum à cognitione veritatis impedit. Quædam enim homo sensu suo ita innititur, vt ab eo recedere nolit, vix sensum alterius quantumcunque rationalem apprehendit. Faciendum igitur est secundum Apostolum: *Quicumque inter vos sapiens esse vult, stultus fiat vt sapiens sit*. Si enim humiliter se stultum reputaret ad tempus, tunc veram sapientiam à te, siue à tuis apprehendere posset: quia *ubi humilitas, ibi sapientia*. Paulus enim creditur didicisse Euangelium in illis tribus diebus, cum cæcus esset. Reddamus etiam affectum Deo semper postponendo nostram voluntatem voluntati diuinæ, & maxime in oratione nostra: quia in omni oratione nostræ utilitati suam debemus proponere voluntatem: immo sua voluntas si ea recte vtitur, semper est nostra utilitas. Sæpe autem venit de proprio sensu: quia non credimus domini voluntatem esse quicquid circa nos contingit, & ita abutimur ea minus grate suscipiendo, sicut dicit Augustinus: Optimus ille tuus minister est, qui non hoc à te audire desiderat, quod ipse voluerit, sed hoc velle quod à te audiet. Sed cum his duobus, scilicet intellectu & affectu, & quinque sensus exteriores reddamus morificando eos ab omnibus vanitibus, & ad tuum obsequium conuertendo. Iam aliquantulum habemus de prima parte quam nobiscum abnegare debemus, scilicet de naturalibus bonis. Secunda pars sunt fortuita quæ dicere possumus temporalia & amicos. Hæc enim omnia calcanda sunt, ne impediunt tuum amorem. Minus enim amat te qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat, vt dicit Augustinus: Valde deberet homo indignari, diligere modica, quem tantæ dignitatis fecisti, vt ei liceat te amare. Occultius autem nocet nimius amor amicorum quam temporalium, quia tegit se velamine charitatis: ita quod sæpe putet homo charitatem esse quod dilectio est, carnalisque ita dulciter & suaviter mentem captiuam tenet, quod nesciat homo quam duris vinculis fuerit ligatus, nisi postquam fuerit absolutus. Sicut totum cor nostrum tuo debemus amori, vt quicquid de eo alteri damus, tibi subtrahimus? Necessarium ergo est, vt omnia quæ fortuna nobis offert diligenda, siue res temporales, siue amicos, propter te abnegemus. Tertia pars restitutionis sunt gratuita, scilicet virtutes quas in fontem suum penitus refundere debemus, nihil ex his nobis ascribendo: sed tibi, à quo omnia donum perfectum, pro eis grates referendo. Si omnia, quæ in his tribus scilicet bonis naturalibus, fortuitis & gratuitis inveniuntur, abnegamus, nos tibi quod fraudauimus in quadruplum restituimus, & hoc sit nobis initium vitæ perfectæ, sic nosmetipsos penitus abnegare.

Quinto considerandum est, quale medium perfectionis sit nobis propositum, vt ambulemus per ipsum, scilicet vt crucem nostram tollamus. Crux autem à cruciatu dicitur Domine, si crucem nostram tuum seruitium dicerem, secundum opinionem eorum, hoc intelligerem qui nesciunt: quoniam *ingunt tuum suauiter onus tuum leue*. Nec sentiunt quam bonus & quam suavis tuus sit spiritus in nobis. Dico autem crucem esse cruciatum cordis, quem de hoc habere debemus quod non sumus, ita fideles & feruentes in omni seruitio tuo & laude tua vt deberemus. Hæc crux habet longitudinem, latitudinem

Isai. 7.

Matth. 16.

1. Cor. 3.

Prover. 11.
Acto. 9.

D

Iacob. 1.

Matth. 11.

Prover. 23.

subli-

A sublimitatem, atque profundum. Debemus ergo habere cruciatum, eò quòd tantum humiliamur ut deberemus, & hoc est profundum crucis. Non tantum amamus & laudamus quantum bonitas tua exigit, & hæc est sublimitas. Non sumus tam fideles, ut deberemus, & hæc est latitudo. Quod non semper continuamus, nec laudem tuam copiose extollimus, & ab infidelitate toto nisu desistimus, & hæc est longitudo. Ad profundum humilitatis cogit nos prima propria cognitio. Satis enim est homini ad humilitatem cognoscere seipsum, maxime si recordamur iniquitatum nostrarum antiquarum: quia iniquè in conspectu tuo egimus. Deus meus quia reuera tam fidelis nobis es, quod etiam in peccatis nobis existentibus peccata dimittere, & gratiam tuam tam abundanter, sicut vellemus, largiri es paratus: quanto maiora quis de te præsumit, tanto magis necesse est eum humiliari; quia tanto nequius egit contra te peccando, quanto tu interim largius ei benefacere cogitabas. Vnde Bernardus: Quanto benignius de illo, tanto indignius de me sentire cogor. Item defectus quotidiani humiliant, eo quod ita instabiles in laude tu sumus: immò nunquam in eodem statu permanemus. Quanto tu quotidie pronior es ad indulgendum: tanto plus humiliat contra tuam delinquere bonitatem. Item pondus gratiæ humiliat & deprimat, cum consideramus quod ea indigni sumus, qui magis in inferno esse merueramus. Item quod tu tantum humiliatus es pro nobis Domine Deus meus. Item quod in natura diuinitatis tuæ omnem excedis humilitatem, cui si velimus similari: necesse habemus humiliari. Item quod adeo tam frigidus sumus, ut nec amore, nec laude, nec in aliquo respondere tuæ bonitati possumus. Hæc & multa alia quæ magis communia sunt, ad humilitatem nobis sufficiunt, immo superbiæ alium locum relinquunt. Valde autem necessaria est nobis profunditas humilitatis ad tuam sublimitatem: quia quanto quis se reputat indigniorem, tanto magis gratus est beneficiis, & quanto grator tanto magis laudabilior. Et qui maxime gratus est, maxime te laudabit. Da igitur nobis Domine veram humilitatem, id est, ita cruciari, quod in hac vita non possumus ad plenum humiliari, ut sic habemus crucis profundum.

Sublimitas crucis, est cruciari pro eo, quod te ad plenum laudare non possumus & amare. Quod causa amoris tui habeamus quæ lingua dicere, vel quis intellectus sufficiat capere nescio. Si aliquid gratis amare volumus, ubi melius quam in te amorem nostrum locabimus. Si promuneribus quanto plura dabis? Sed quanto plus promittis, tanto magis gratis amari mereris. Si amare volumus eos qui nos amant, quanto equius nos te amabimus? Etsi expectamus & desideramus, ut quis extorqueat à nobis amari: nonne tu es Deus meus, qui tam crebro pulsas & mendicas ad ostium nostrum, dicens: *Præbe fili cor tuum mihi*, imò & saepe repulsus, te iterum ingeris impudenter. Si vero aliquid volumus diligere, quia bonum, cur non potius te immensum bonum, qui totum nostrum tibi vendicas affectum, ut bonitatem tuam amemus & laudemus? Si vero aliquid dignum iudicamus amore nostro quod tanta fecimus pro te, cur non iudicamus similiter de te, qui tot & tanta fecisti pronobis? Si vero consideramus passionem tuam, tu animam tuam pro nobis dignantissime posuisti, ut totam

animam nostram possideres. Infinita sunt Domine quæ nos te amare compellunt: quia omnia quæ creasti tuam prædicant bonitatem, quoniam qui in omnibus non intelligunt, non tibi, sed tuæ imputent cæcitati. Sed quia probatio dilectionis, exhibitio est operis. Necesse habet anima sic se conformare ad dilectionem tuam, ut sicut te habeas ad eam, sic semper se à te habere nitatur. Maxime autem in istis. Primo, sicut tu amas semper, ita & ipsa semper amat: & hoc ostendere tibi nitatur, ut omnem affectum suum tuæ contemperet voluntati. Sunt autem quatuor affectiones ad quas aliæ reduci possunt: scilicet gaudium, dolor, spes, & timor. Primæ duæ sunt circa præsentia vel præterita, & aliæ duæ sunt circa futura. Sic igitur tibi confirmare nostras affectiones debemus, ut de omnibus quæ tibi aduersa sunt, timeamus & doleamus, & quæ tibi honesta de his superemus & gaudeamus, omnes alias affectiones de cordibus nostris effugantes. Quanta utilitas in hoc esset quod falsas & inutiles affectiones vitaremus. Utique si homo se vere secundum has quatuor affectiones examinaret, quando aliquos motus sentiret, quomodo tu eum eriperes Domine solus nosti. Si enim originem motuum nostrorum diligenter aduerteremus, saepe inueniremus esse vitij quod putauimus esse virtutis, & saepe illo impedimur, quo credimus promoueri. Secundo, sicut semper debemus cogitare præsentem. Hoc cogitatio ab omnibus cogitationibus nostris verbis, factis & moribus esse sub moderamine disciplinæ: quoniam non auderet sponsa inhoneste se habere sponso suo præsentem: imò in omnibus intendere sibi placere & querere ab eo consilium & auxilium, ut in omnibus secundum suam posset agere voluntatem. Cum autem in omnibus tibi placere intendimus, semper securam conscientiam habebimus, etiam si se aliquid minus utile præter te intentioni nostræ ingesserit incidenter. Tertio, sicut semper & continue seruis nobis omnia opera nostra operando vel sustinendo ne esse desinamus, vel per alios vel quocumque modo: ita nunquam particula diei bonæ debet nos præterire, quin in tuo seruitio expendatur. Quarto, sicut semper tueris nos, & custodis nos ab omnibus malis, siue per te, siue per tuos: ita diligenter debemus nos abstrahere ab omnibus quæ nos possent in tuo seruitio impedire. Quinto, sicut largitas tua nunquam lassatur in dando: ita nunquam debemus voluntariè deficere in orando. Sexto, sicut semper es benignus in relaxando, ita nunquam debemus defectibus nostris terreri: quin statim post culpam veniam postulemus. Quando enim cor hominis est distortum, & à te quodammodo alienum, multo est pronius ad leuitates, & ad quærendum exterius falsas consolationes, quam sibi dū apud te esset. Vnde nõ est differenda acquisitio veniæ, ne diuturnior recessus difficiliore reditū operetur. Taliter nos debemus ad te habere & semper cruciari, quod te tantum non amamus ut debemus. Quomodo autem te laudare debeamus, & de quibus gratias agere debeamus, est in principio supra dictum. Ua nobis Domine toto desiderio ad amandum & laudandum te aspirare, & pro eo quod digne non possumus cruciari, & hoc nobis tollendæ crucis sit altitudo.

Latitudo autem crucis est fidelitas semper spiritum crucians & dilatans, ut omnem hominem

e

1. Cor. 3.

Prover. 11.
Acto. 9.

D

Iacob. 1.

Prover. 23.

Matth. 11.

A hominem subijciat tuæ laudi, ac seruituti. Hac maxime facit hominem in oratione communē cogens vt quicquid sibi vel aliquibus specialiter suis desiderat: quia eos humiles quodam modo videt, nihil tanten hominum, sed totum ad laudem tuæ desideret bonitatis. Vnde cum fidelitas maxime in oratione consistat, considerandum est qualiter debeat orare qui voluerit exaudiri. Debet enim orare sapiēter, ardentem, humiliter, fideliter, perseueranter, & confidenter. Sapiēter, vt oret quæ tuæ laudi sunt expediētia & proximorum saluti. Si verò in quibusdam dubitamus, vtrum expediant, sicut salus corporis & similia, quæ quandoque nocere, quandoque prodesse possunt: pro his semper sub conditione est orandum: scilicet si tibi sit placitum & honestū. Ardenter, scilicet deuote, vel ad minus seriose, vt bene videamus quid petendum sit à te, intente de corde nostro petamus, non alienis, sed proprijs verbis cordis vel oris, quia vtraque æquè intelligis & auscultas. Humiliter, vt nō de nostro merito, sed tantū de tua gratia cōfidamus. Quamuis enim peccata dimiseris, & quandoque aliquid tibi seruire concedas, semper tamen tales nos reputare debemus quales nos ipsos peccando fecimus: qui nihil nisi malum per nos facere possumus. Fideliter vt in oratione offeramus nos ad carentiam omnis gaudij, & patientiā omnis pœnæ quæ ad vtilitatem nostram cedere valeat per tuum adiutorium, vt in exauditione desiderij nostri actio tuā laudem attollat. Sed Domine merebor sic offerendo me tibi, cum tamen vt totus tuus ad hoc tenear, etiam si nunquam volueris me exaudire. Perseueranter, vt nunquam cessare proponamus à desiderio omnium quæ tibi sunt laudabilia & honesta. Si qua vero in nobis vel in nostris superuenerit necessitas, quamuis pro hac semper cum intentione non possumus orare, tamen aliquotiens cum omni fidelitate qua possumus pro ea orabimus, & deinceps voluntati tuæ nostrum desiderium commitemus semper primam fidelitatem, & si non in actu tamen in habitu retinentes. Confidenter, vt postulemus in fide, nihil hæsitantes. Sunt autem septem causæ quæ cogunt nos tuæ confidere bonitati. Prima, quia iustum esse desiderium tuas. Et ad quid dares, nisi etiam velles exaudire? Secunda, quia non ad nostram vtilitatem, sed ad tuam gloriam volumus exaudiri. Tertia, quia maiora quæ pro nobis fecisti animant nos, vt etiam de minoribus confidamus. Omnia enim quæ petere possumus tam minora sunt, quam quodd dignāter pro nobis es incarnatus & passus. Quarta, quia tam facile est apud te in maximis, quam in minimis exaudire. Quinta, quia nos ad hoc prouocat tuæ consideratio bonitatis. Sexta, quia Intercessorem te Iesu Christe habemus & omnes sanctos. Septima, quia infinitam ad nos habes bonitatem. Si enim modica dilectio quam ad te habemus ad hoc nos cogit, & in omnibus tuæ voluntati libenter parere velimus: cur idem de inestimabili dilectione tua non præsumeremus? Alioquin fideliores vellemus apparere quam tu. Si tales nos tibi exhiberemus, qualem te nobis econuerso, non crederemus. Sic Domine orabimur, & propter hoc in oratione confidentiam habebimus, nihilominus tamen cruciabimur, quod hoc digne exequendo omnem hominem ad tuam laudem per effectum trahere non possumus & amplecti, & hæc spiritualis nostræ crucis est latitudo.

Longitudo autem crucis tuæ toti vitæ nostræ debet comensurari, vt quamuis consideremus tecū esse iucundum, & in te domo tua laudare, & in abyssu tuæ dulcedinis absorberii; tamen non tēdeat nos portare crucem tuā cruciari scilicet in misera hac vitā pro tuæ laudis augmento. Quid magni est domine: si tecum sim in patria, vbi sum securus ab omni malo, & vbi habeam quicquid volo? Da mihi Domine vt nunquam me pungendo sic superent clāui timoris & miserij huius vitæ: vt ante velim descendere vel saltem deponi de cruce quā à te Domine hoc fuerit mandatū. Sed neq; hoc desiderarem vt ab hac cito facias me deponi: sed vt semper malletm propter te pendere in cruce quam à miserijs his facias me in abscondito sepeliri. Tu enim Domine nec descendisti de cruce, nec sic te deponi petisti. Voluntas ergo semper affligendi pro augmento tuæ laudis: crucis erit longitudo. Si quis vult venire post me, tollat crucem suā quotidie, & sequatur me. & sic currat per mediū viæ perfectionis. Si nos tollamus, Domine tu iple portabis.

Finem autem viam perfectionis, id est, perseuerantiam in voluntate, semper pro te petendi inuis in eo quod dicis: quotidie. Si enim vno die prius quam tu iusseris, crucem deponere volumus eam quotidie tollimus. Qui autem perseuerauerit, vsq; ad eam deponas, hic in abundanti laude tua sepulchrū ingreditur pacis æternæ. Quamuis in hoc verbo intelligere possumus: quod sicut cruciatus pro tua laude quotidie deficiendo cadit, ita crucem quotidie tollerē debemus laudis tuæ desiderium resumendo.

Crucis quanto diutius iacet: tanto difficilius tollitur.

Qua vero intentione in via ista sic ambulandum, inuis vltimo cum dieis: sequatur me. Quod tam de gressu corporis, quam de mentis possumus intelligere. Quia multi non solum portantes crucem, sed & se suspendentes in cruce, te gressu corporis sunt sequuti. Sequamur igitur te non tantum gressu bonorū operum, sed & intentione cordium, vt non solū confideremus, quibus operibus nos præcesseris: sed qua intentione feceris, & in hac te sequi studeamus. Inuenimus autem quod in omnibus cogitationibus verbis & factis tuis principaliter quæsieris gloriā tui patris. Tu ergo Domine Iesu Christe, dirige intentionem nostrā, vt in omnibus gloriā eius quæramus, & tuam nos abnegando, profundū, sublimitatem, latitudinem & longitudinē crucis portādo, & in ea perseuerādo ad laudem & gloriā tuam: qui cū Patre & spiritu sancto viuis ac regnas Deus per omnia secula seculorū. Amē.

B. Anselmi liber de mensuratione crucis expliciit.

EIVSDEM BEATI LIBER MEDITATIONIS num incipit.

Domine Deus meus, da cordi meo te desiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare: da Domine Deus cordi meo pœnitentiæ compunctionem, spiritui contritionem, oculis lachrymarum fontem, manibus eleemosynæ largitatem. Rex meus extingue in me desideria carnis, & accende vim tui amoris. Redemptor meus expelle à me spiritum superbix, & concede mihi propitius

A humilitatis tuæ. Saluator meus amoue à me furorem iræ, & indulge mihi sensum patientiæ. Creator meus, euelle à me animi rancorem, & largire mihi mentis dulcedinem. Da pater clementissime solidam mihi fidem, spem congruam, charitatem perfectam. Rector meus auerte à me animi vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluuiem, opprobria proximorum, scelera detractionum, curiositatis pruriginem, diuitiarum cupiditatem, potentatum rapinam, inanis gloriæ appetitum, hypocrisis malum, adulationis venenum, contemptum inopum, oppressionem debiliu, auaritię ardorem, inuidiæ rubiginem, blasphemix mortem. Refeca in me temeritatem meorum factorum iniquam pertinaciam, inquietudinem, ociositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilij repugnationem, linguæ effrenationem, pauperum prædam, impotentium violentiam, innocentium calumniam, subditorum negligentiam, circa subditos seueritatem, aduersus domesticos impietatem, erga proximos duritiam. Deus meus, misericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi opera misericordiæ pietatis studia, compati afflictis, subuenire egenis, succurrere miseris, consolare erroneis, consolari mæstos, releuare oppressos, pauperes recreare, debiles releuare, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despiciere sed honorare, bonos imitari, malos cauere, virtutes amplecti,

B vitia reiicere, in aduersis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, & ostium circumstantiæ labijs meis, terrena calcare, cælestia sitire. Ecce plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor heu fateor, non solum quæ postulo non debentur bona, sed multa mihi debentur, & exquisita supplicia. Animant me publicani, meretrices & latrones, qui à faucibus hostis momentaneè eruti, sinu recipiuntur pastoris. Tu enim omnium factor Deus, licet in cunctis tuis sis mirabilis operibus, mirabilior tamen in visceribus crederis pietatis. Vnde temet per quendam tuum dixisti: *Miserationes eius super omnia opera eius*, & quasi de singulo loquente, de vniuerso populo tuo dixisti confidenter: *Misericordiam meam non dispergam ab eo*. Nul- lum enim spernis, nullum abijcis, nullum perhorrescis, nisi qui te forte amens exhorruerit: ergo non modo non iratus percutis, sed te irritantibus dona si quæsierint, tribus, *Deus meus cornu salutis mea, & susceptor meus*. Ego infelix te irritaui, ego malum coram te feci, furorem tuum prouocaui, iam promerui, peccaui & passus es, deliqui & adhuc sustines. Si pœnitet, parcis: si reuertor, suscipis, insuper dum differo præstolaris. Reuocas errantem, inuitas repugnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mæcerentem mulces, à ruina suscitans, post lapsum reperas, petenti largiris, quærenti inueniris, pulsanti aperis. Ecce Domine *Deus salutis mea*, quid opponam nescio, quid respondeam, ignoro: nullum confugium, nullum à te patet latibulum. Ostendisti bene viuendi viam, dedisti gradiendi scientiam, minatus es mihi gehennam & pollicitus es paradisi gloriam. Nunc *Pater misericordiarum & totius consolationis*, confige timore tuo *carnes meas*: quatenus quæ minaris metuendo

euadam, & redde mihi propitius lætitiã salutaris tui, vt quæ spondes diligendo participem. *Fortitudo mea Domine, firmamentum meum Deus, & refugium meum, & liberator meus*, suggerere quid de te cogitem, doce quibus sermonibus inuocem, de quibus operibus te placem. Scio namque scio vnum quo placaris, & aliud quod non spernis. Est vtique *spiritus contribulatus tibi sacrificium*, & acceptas *cor contritum & humiliatum*. His me *Deus meus, adiutor meus* dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus, hoc de flammis vitiorum præsta refugium, hoc à desideriorum passionibus pande pius refugium. Fac Domine *virtus salutis mea*, ne sim in eorum ordine qui credunt prospero tempore, & recedunt tentationis tempore. *Obumbra caput meum in die belli, esto spes mea in die afflictionis meæ, & salus in tempore tribulationis meæ. Ecce Deus illuminatio mea & salus mea*. rogavi quibus egeo, intimaui quæ timeo, sed remordet me conscientia, reprehendunt me cordis secreta, & quod amor ministrat, timor dissipat, zelus incitat, metus increpat actæ vitæ fortitudinem: sed tua ingerit pietas fiduciam, Tua hortatur benignitas, mea dehortatur malignitas, & vt verius fatear, occurrunt memoriæ phantasmata peccatorum, quæ reuerberant aciem, vel audaciam præsumentium animorum. Cum enim odio quis dignus sit, qua fronte gratiam requirit? Cum pœna debetur, qua temeritate gloria poscitur. Lacescit iudicem, qui postposita satisfactione delicti, præmijs quærit honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui flagitat donari indebito præmio. Et dilecti patris affectum stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias ante pœnitundinem hæreditatis usurpat celsitudinem. Quod mi pater me egisse recolo, merui mortem & peto vitam, commouî regem meum: cuius impudens nunc inuoco auxilium, contempsi iudicium iudicis, quem temere postulo adiutorem, insolens renui audire patrem quem demum præsumo habere tutorem. Heu mihi quam sero venio, heu heu quam tarde festino, heu quia curro post vulnera, dedignatus incolumis præcauere iacula, neglexi propicete tela modo sollicitor de morte vicina, vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere nõ timui, recenti tabe cicatrices resparsi: quia prisca flagitia modernis iniquationibus reciprocaui, & quæ diuina solidauerat gratia vel medicina, mea dissoluit prurigo phrenetica. Cutis quæ superducta vulneribus morbum celauerat, lanis erupente putruit quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinaniuit. Noui quippe scriptum: *In quacunque die iustus peccauerit, omnes iniustitiae eius in oblivione erunt*. Si iustitia aboletur iustitientis, quanto magis peccatoris in idipsum ruentis? Quoties vt canis redij ad vomitum, & vt sus pretij volutabrum? Fateri mihi itaque & recordari impossibile est quot mortalium homines peccare ignorantes docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coegi, volentibus consensi, quot sane gradientes in laqueum duxi, viam quærentibus foueam retexi, mala patrare nõ horruî, donorum Dei obliuisci non metui. Sed tu iuste iudex signasti quasi in sacco pecuniam peccata mea, & obseruasti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti, patiens fuisti. Væ mihi, demum loqueris quasi parturiens, Deus deorum Domine, præstabilis super nequitiam, noui quia manifestus venies, noui quia non semper filebis, cum in cõ-

Psalm. 17.

Psalm. 13.

Psalm. 88.

Psalm. 44.

Psalm. 17.

Psalm. 118.

Ezech. 18.

Esa. 18.

A spectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas ingruerit valida, cum aduocaueris caelum defursum, & terram discernere populum tuum. Ecce tot milibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meas, tot agminibus patebunt scelera mea; non solum actum, sed etiam cogitationum simul duo loquutionum. Tot iudicibus inops atque quot me praecesserunt in bono opere. Tot arguentibus confundar, quotquot mihi praebuerunt sancta viuendi exempla. Tot vincar testibus, quot me mouerunt proficuis sermonibus, saepeque imitandos iustis mihi dederunt actionibus. Domine mi Deus, non suppetit quod dicam, non occurrit quod respondeam, & ecce iam illi intersum discrimini, vrget me conscientia, cruciant cordis arcana, coartat auaritia, accusat superbia, consumit inuidia, inflammat concupiscentia, incesat luxuria, dehonestat gula, confutat ebrietas, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas obiurgat, discordia dissipat, ira perturbat, leuitas deijcit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, fauor extollit, calumnia pungit. Ecce liberator meus de gentibus iracundis. Ecce cum quibus vixi a die natiuitatis mee, quibus studui, quibus fidem seruauit, ipsa me studia, quae dilexeram, damnant: quae laudaueram, vituperant. Hi sunt, quibus acquieui, amici; quibus parui, magistri, quibus seruiui, domini; consules, quibus credidi: ciues, quibus cohabitauit; domestici, quibus consenui. Heu mihi rex meus & Deus meus: quia *incolatus meus prolongatus est. Vae mihi illuminatio mea: quia habitauit cum habitantibus cedar.* Et cum sanctus dixerit *multum*, quanto magis ego infelix dicere possum; nimis *incola fuit anima mea. Firmamentum meum, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Spes mea*, non est in filijs hominum, quem si remota pietate iudicaueris, iustum inuenias, & nisi praueueris miserando impium, non erit quem glorifices pium. Credo namque *salus mea* quod audiui, quomodo benignitas tua ad poenitentiam me adducit, *turris fortitudinis*, sonuerunt necessaria mihi labia tua. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Enimvero quia intruxisti me, tantaque propitius institutione formasti, totis medullis cordis, toto annisu mentis te omnipotens Pater cum dulcissimo puero, teque dulcissima proles cum serenissimo inuoco paraclito. *Trahe me, quatenus post te currere, in odorem unguentorum tuorum delecter.* Quam magna Domine Deus meus *multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te. Abscondisti*, quia conseruasti, non quia abscondisti. Abstulisti, cum ea magis multiplicasti. Solet aliquando quod absconditur diligentius inuestigari, & inuentum arctius amari, dilata in te non minuuntur, sed magis crescunt desideria: non est ergo tuus amor transitorius, sed aeternus. Qui te diligunt non tepescunt, sed feruescunt. Non est tuus amor otiosus, memoria tua super mel dulcis, meditatio de te plus quam cibus suauis. De te loqui plena est refectio, te nosse perfecta consolatio, tibi adherere vita aeterna, a te separari mors perpetua. Fons viuus his qui te sitiunt, esca indeficiens qui te esuriunt. Gloria te quarentibus, gaudium inuenientibus: odor tuus suscitatur mortuos, respectus curat egrotos: lux tua omnem fugat caliginem, visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nullus apud te mœror, procul a te omnis dolor, nulla tecum mœstitia, nulla indigentia, nulla ubi es necessitas, nullius boni est difficultas, nunquam ibi tenebrae, nec terror nominatur ge-

Ioan. 6.

B

hennae, nullius noctis terra caecitas, nec tumultus improbitas, nunquam famis sitisque inopia, frigoris nec aestus circa te moratur penuria, non inualetudo corporis, prorsus nec corruptio mentis, non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio, illinc ab est sollicitudo finis & cura mortis: labor senectutis, languor aegritudinis, ibi nescitur passio aeris & varietas temporis. Haec est enim *magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te, sed perfecisti sperantibus in te.* O quam bona absconditio, quae efficitur perfectio: non enim haec absconditio aestimatur perditio, sed magis conseruatio quae fit perfectio. O gloriose rex, quam vera sunt tua iudicia iustificata in semetipsa, verè desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum utique, & dulciora super mel & fauam. O vita mea, Deus meus, rogo te per nomen redemptoris mei dilecti Filij tui, largire propitius, ut custodiam ea. Cognoui namque quia in custodiendis illis retributio multa. Gloria mea, Deus meus, abscondis thesaurum tuum, ut incites cupidum, recondis margaritam, ut augeas quarentis amorem, differs dare ut doceas petere, dissimulas audire petentem, ut facias perseuerantem. Postremo incipientibus quærere promittis, ut non nisi vere perseuerantibus salutem tribuas, quod plane indicat illa flebilis, quae tuum in sepulchro natum Christum inter mortuos quærere visum, durantibus adhuc tenebris, quam accenderas ut quæreret, sed quærenti disparesbas ut perseueraret: perseuerauit sperans, & sperauit perseuerans: & quia in spe perseuerauit, videret te meruit. Beata visio, & plena exultatio. O summum gaudium, & consummatum desiderium, desiderabilis vultus, iocundus aspectus. O spes & felix perseuerantia, nisi enim speraret, non perseueraret; & nisi perseueraret, spei fructum non perciperet. Sic enim Deus meus, misericordia mea, absconderis timentibus te, ut inueniaris sperantibus in te; sic elongaris quarentibus, ut appropinques perseuerantibus: *Qui elongant se a te, peribunt; qui autem expectant te non confundentur: Qui timent te, sperent in te: quoniam protector & adiutor eorum es.* Per timorem venit ad amorem. Timendus es, ut dominus, amandus ut pater. *Timor tuus sanctus permanet: quia sanctos permanere facit, quos possidet. Nihil deest timentibus te: quia oculi tui super eos, & aures tuae in preces eorum. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus & liberator meus,* sic timorem adhibe mihi, ut amorem subinferas; sic irroga, metum: ut tui augeas desiderium: sicque me participem timentium te, ut custodientium mandata tua facias, ut per timoris seruitutem ad amoris pertingere merear, gratiam. Inuoco te Deus meus, inuoco te, quia *prope es omnibus inuocantibus te: sed inuocantibus in veritate.* Tu enim veritas es, doce me, quæso, clementiam tuam sancta veritas inuocare: quia quomodo hoc fieri oporteat, nescio: sed doceri a te beata veritas humiliter imploro. Abs te sapere desipere est, te verò nosse perfectum est scire. Erudi me o diuina sapientia, & doce me legem tuam. Credo sane, quia *quem tu erudieris beatus est, & de lege tua docueris eum.* Desidero inuocare te, quod quæso ut fiat in veritate. Quid est inuocare in veritate veritatem, nisi in Filio Patrem? Ergo sancte Pater, sermo tuus veritas est, principium verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro principium in ipso

Psalm. 11.

Psalm. 72.

Psalm. 24.

Esa. 3.

B

A ipso veritatis verbo te perfecta inuoco veritas: quod in ipsa tandem dirigas me, & doceas in veritate. Quid enim dulcius quam Genitorem in nomine Vnigeniti exorare, Patrem recordatione Filij ad pietatem flectere, regem charissimæ prolis denotatione mitigare? Sic rei solent carceribus eripi, sic mancipati vinculis liberari, sic tristem capitis excipientes sententiam, non solum vitam, sed insuper nancisci insolitam gratiam, dummodo iratis patribus dilectæ prolis intimaauerint charitatem. Sic delinquentes seruuli euadunt supplicia dominorum, dum pro eis interuenit dulcedo filiorum. Sic te Pater omnipotens, per omnipotentis Filij tui postulo charitatem: *educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo*, libera me à vinculis peccatorum, per coæternum tibi vnicum flagito natum, meque, cui propria merita letabilem minantur sententiam, pretiosæ ad dexteram tuam confidentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam. Quem alium enim dirigam intercessorem pro me tibi nescio: nisi hunc, qui est peccatis nostris propitiatio, qui sedet ad dexteram tuam, qui etiam communi sibi gloria pietatem tuam interpellat pro nobis. Ecce aduocatus meus apud te Deum & Patrem, ecce Pontifex summus, qui non eget alieno expiari sanguine: quia proprio fulget profusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens, & perfecta, in odorem suauitatis, & oblata & accepta. Ecce Agnus sine macula, qui se coram tondentibus obmutuit, qui plagis cæsus, sputis illitus, probris affectus os suum non aperuit. *En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo liuore sanauit.* Aspice pie Pater pijsimum Filium tuum pro me tam impio passum. Respice Pater clementissime eum, qui patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est ille innocens mi Domine, quem vt seruum redimeres, Filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui vt *ouis ad occisionem ductus*, tibi que obediens vsque ad mortem factus, atrocis non timuit necis subire genus? Recole totius salutis dispositior: quia hic ipse est, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Verè hæc est tua deitas, quæ meam induta naturam crucis ascendit patibulum, qui assumptaque carne triste tulit supplicium. Reduc Deus meus oculos maiestatis super opus ineffabilis pietatis, intuere dilectum natum toto corpore extensum, cerne manus innocuas pio manantis sanguine, & remitte placatus scelera quæ patrauerunt manus meæ. Considera inermelatus crudeli fossum cuspide, & renoua me sacrosancto fonte illo, quem inde fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum: sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & persice gressus meos in semitis tuis: fac me hodie habere omnem viam iniquitatis, viam iniquitatis misericors amoue à me: facque me propitius viam veritatis eligere. Oro te rex seculorum per hunc Redemptorem meum: fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam spiritu vniri, qui non horruit mea carne vestiri. Nunquid non attendis pie Pater adolescentis Filij charissimum caput niuea ceruice deflexa, pretiosa resolutum in morte? Aspice mitissime Conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent

D. ANSELMI TOMAS III

viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, pendent crura marmorea, rigat terebratos pedes sancti sanguinis vnda. Specta gloriose genitor gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea est substantia. Conspecte Dei hominis pœnam, & releua conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & remitte redempti delictum. Hic est Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus, in quo tibi bene complacuiisti. Hic est ille innocens, in quo dolus inuentus non est, & tamen cum iniquis deputatus est. Quid commisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisti amatissime iuuenis, vt sic tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, suæ culpa occisionis. Ego tuæ liuor passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum: tuæ vindictæ flagitiū. O mirabilis sensuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio, peccat iniquus, & punitur iustus: deliquit reus, & vapulat innocens; offendit impius, damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat seruus, exoluit dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas, quo tua deflagrauit charitas, quo processit pietas, quo excreuit benignitas, quo tuus attigit amor, quo peruenit compassio? Ego enim inique egi: tu pœna multaris. Ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subijceris, ego superbiui, tu humiliaris, ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens Patri scelus inobedientiæ luis: ego gulæ parui, tu inedia afficeris: me ad illicitum rapuit concupiscentia ardorem, te perfecta charitas ducit ad crucem. ego præsumpsi veitum, tu subijsti eculum. ego delector cibo, tu laboras in patibulo. ego fruor delirijs, tu laniaris clauis, ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. mihi reo ridens congaudet Eua: tibi pie plorans conplorans compatitur Maria. Ecce rex gloriose, ecce impietas mea, & claret pietas tua; en mea iniustitia, & tua liquet iustitia. Quid Deus meus & rex meus? Quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Non enim inueniri potest in corde hominis quod condigne talibus referatur præmijs. Nunquid potest sagacitas machinari humanæ, cui comparetur miseratio diuina? Nec est creaturæ moliri officium, quo iuste Creatoris recompenset præsidium. Est autem nate Dei in hac tua admirabili dispositione, cui mea fragilitas in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat cum vitijs & concupiscentijs. Et si hoc à te conceditur: quasi iam tibi incipit compati vel viuere: quia & tu pro peccatoribus dignatus es mori: sicque per interiorum victoriam te duce armabitur ad exteriorum palmam: qua deuicta persecutione spiritali non vereatur pro amore tuo subijci gladio materiali. Ita exiguitas conditionis si tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere Conditoris. Et hoc cælestis medicinæ bone Iesu, hoc tui antidotum amoris. Oro te per antiquas misericordias tuas infunde meis visceribus, vt reiecta viperæ cogitationis labe, reintegret me incolunitati pristinæ, quo gustato nectare tuæ suauitatis, faciat me illecebrosa mundi prospera toto affectu despiciere, & nulla eius aduersa pro te formidare, memorque

RR 2

perpetuæ

A perpetuę nobilitatis semper fastidiam vętos hu-
 ius tranſitorij timoris. Nihil quęſo ſine te mihi
 dulceſcat, nihil complaceat, nihil pretioſum, ni-
 hil pręter te arrideat ſpetioſum: vileſcant obſe-
 cro abs te mihi omnia, ſordeſcant vniuerſa, quod
 tibi aduerſum eſt, & mihi moleſtum ſit, & bene-
 placitum indeficiens deſiderium: tędeat me gau-
 dere ſine te, & delectet me triftari pro te. Sit mihi
 nomen tuum refocillatio, & memoria tua mea
 conſolatio, ſiant mihi *lachrymę meę panes die & nocte*, tuas inueſtigando iuſtificationes, ſit *bonum*
mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti, ſit obe-
 dire tibi amabile, reſiſtere execrabile. Rogo te
 ſpes mea, per omnes pietates tuas, vt propitieris
 omnibus iniquitatibus meis. A daperi aures meas
 mandatis tuis, & ne declines, flagito per nomen
 ſanctum tuum, *in verba malitia* cor meum *ad ex-*
cuſandas excuſationes in peccatis. Peto etiam per ad-
 mirabilem humilitatem tuam, non veniat mihi pes
 ſuperbia, & manus peccatoris non moueat me. Ecce
 omnipotens Deus Pater Domini mei, diſpone
 benignus quo mihi miſerearis: quomodo quic-
 quid pretioſius inueni, deuote tibi obtuli: quic-
 quid carius reperi, ſuppliciter pręſentauit, mihi
 nihil reliqui quin tuę expoſuerim maieſtati, ni-
 hil iam ſuper eſt quod adijciam: quia totum tibi
 delegaui ſpem meam. Direxi tibi aduocatũ me-
 um, tuum dilectum Filium, miſi glorioſam pro-
 geniem inter me & te mediatorẽ. Miſi, inquam
 interceſſorem, per quem conſido veniam, miſi
 verbis: quia pro meis dixi miſum factis, enume-
 rauit ſanctiſſime tibi ſobolis mortem, quam pro
 me fuiſſe credo perpẽſſam. Credo à te miſſam
 deitatem, noſtram ſuſcepſiſſe humanitatem, in
 qua dignum duxit vincula, alapas, ſputa, irriſio-
 nesque perferre, necnō crucem clauoſque ſuſci-
 pere. Hanc olim infantię vagitibus demolitam,
 pueritię pannis aſtrictam, ſudoribus vexatam, ie-
 iunijs maceratam, vigilijs aſſictam, itineribus
 feſſam, poſt affectam flagris, laceratam ſupplici-
 is, deputatam cum mortuis. Ditatam vero gloria
 reſurrectionis, cęlorum gaudijs induxit, & in
 dextra tuę cęlitudinis collocauit. Tu placatio
 mea & propitiatio mea hic intende pius quomo-
 do genueris Filium, & quem redimeris ſeruum,
 hic aspice factorem, & ne deſpicias facturam:
 amplectere ſerenus paſtorem, & recipe miſeri-
 cors allatã propitijs humeris ouem. Hic ipſe eſt
 fideliffimus paſtor ille, qui dudum errabundã
 ouem per abrupta montium, præcipita vallium
 multis quęſierat, varijsq; laboribus, qui iã mori-
 eti, iã per longa exilia defiçiẽti, tandẽ inuentę gau-
 dens ſe ſupponit, & miro ſibi adniſu charitatis
 innixam de confuſionis abyſſo leuauit: pijsque
 coaſtrictam complexibus ad nonaginta nouem
 vnam, quę perierat, deportauit ouem. Ecce Do-
 mine mirex omnipotens Deus, ecce paſtor bo-
 nus refert tibi ouem, quam commiſiſti ei. Suſcep-
 it te diſponente ad ſaluandum hominem, quem
 tibi reſtituit omni labe immunem: ecce tibi tu-
 um chariffimus plaſma Filius reconciliat, quod à
 te præcul deuiauerat. En gregi tuo mitis paſtor
 reformat, quod prædo violentis abegerat: reddit
 tuis conſpectibus ſeruum, quem ſua propria fe-
 cerat conſciẽtiã fugitiuum, vt qui per ſe pœnam
 meruit, per factorem mundi mereatur veniam,
 quippe pro culpis ſuis ſperabat gehennam, tanto
 duce iã conſidat reuocari ad patriã. Potui per me
 te ſanctę Pater offendere: ſed non potui per me
 te mihi placare: factus eſt adiutor meus tuus dile-
 ctus Filius, meam participans humanitatem, vt

curaret infirmitatem: quatenus vnde culpam e-
 miſerat offenſionis, inde tibi immolaret ſacrifi-
 cium laudis, meque per hoc tuę redderet pietati
 placabilem: quo ſedens ad dexteram tuam ſem-
 per me ſubſtantię oſtenderet eſſe conſortem. Ecce
 ſpes mea, ecce tota fiducia. Si me pro mea, vt
 dignum eſt, deſpicias iniquitate, respice ſaltem
 miſertus in me pro dilectę ſobolis charitate: in
 Filio attende quid propitieris in ſeruo. Vide car-
 nis ſacramentum, & carnis remitte reatum: reco-
 le quod bonus perpẽſſus eſt Filius, & obliuiſcere
 quod malus operatus eſt ſeruus. Quotiens beatę
 prolis tibi ſaucia patent vulnera, deliteſcant ob-
 ſecro vulnera mea: quotiens rubet pretioſus ſan-
 guis pio de latere, deleatur ſupplico tabes meę
 pollutionis. Et quia te caro laceſſiuit ad iram, ca-
 ro te inſeſtat precor ad miſericordiam, vt ſicut
 me caro ſeduxit ad culpam, caro deducat ad ve-
 niam. Multum quidem eſt quod mea meretur
 impietas, longẽ autem maius eſt quod Redemp-
 toris mei poſſit pietas: magna enim eſt mea iniu-
 ſtitia, multo vero maior eſt Redemptoris mei lu-
 ſtitia. Quanto enim ſuperior eſt Deus homine,
 tam mea malitia eſt inferior bonitate eius, vt
 qualitate, ita etiã quantitate. Quid enim delin-
 quere poſſet homo, quod nõ Dei Filius redime-
 ret factus homo? Quę tantum ſuperbia tumeret,
 quam non tanta humilitas ſterneret? Quid nam
 eſſet mortis imperiũ, quod nati Dei non deſtru-
 eret crucis ſupplicium? Nimirum Deus meus, ſi
 æqua lance iniquitas peccantis hominis & redi-
 mentis gratia librentur authoris: non tantũ ori-
 ens diſtat ab occidente, ſeu inferior ſeparatur in-
 fernus à ſummo cęli cardine, quantum pietas
 Redemptoris ſuperat malitiam peccatoris.

Iam lucis optime Creator, iam culpis ignoſce
 meis pro dilecti Filij tui laboribus immenſis.
 Iam quęſo eius pietati mea impietas eius mode-
 ſtię mea pẽruerſitas, & manſuetudini donetur
 ferocitas. Iam ſua humilitas meam ſuperbiam:
 patientia eius meam impatientiam, benignitas
 duritiã, obedientia inobedientiam, tranquillitas
 inquietudinem, dulcedo amaritudinem, ſua-
 uitas iram, charitas lucrifaciat crudelem obſti-
 natiam. Iam diuini amor numinis Patris omni-
 potentis, ploriſque beatiffime ſanctę communi-
 catio, paraclete ſanctę ſpiritus, mœrentium cle-
 mentiffima conſolatio ſpiritus alme. Iam cordis
 mei penetralibus potenti illabere virtute, & te-
 nebroſa quęque neglectę lucis latibula luminis
 coruſci fulgore pius inhabitator lætifica, tuique
 roris abundantia longẽ ariditatis mareſcentia
 ſqualore viſitando fecunda. ſaucia interioris
 hominis arcana, tui amoris iaculo, & tepentis ic-
 coris medullas, flammis ſalutaribus penetrando
 ſuccende, ſanctique feruoris igne illuſtrando,
 mentis & corporis vniuerſa depaſce. Pota tuę
 voluntatis torrente, vt iam nihil mundanorum
 deguſtare libeat venenatę dulcedinis. *Iudica me,*
& diſcerne de gente non ſanctę cauſam meam. Doce
me quia Deus meus es tu, facere voluntatem tuam. Credo
 ergo, quemcunq; inhabitaueris, in eo Patris
 ac pariter Filij domiciliũ condis, Beatus qui te
 merebitur hospitem habere, quoniam per te Pa-
 ter & Filius apud eum facient *manſionem*. Veni
 iã, veni benigniffime dolentis animę conſolatori
in opportunitatibus & tribulationibus *adiutor*. Veni
 mundator ſceleris, curator vulneris, veni for-
 titudo fragillium, releuator labentium. Veni do-
 ctor humilium, deſtructor ſuperborum, veni
 orphanorum pius pater, Conſolator miſerorum,
 viduarum

A viduarum dulcis iudex, veni spes pauperum, re-
focillator deficientium. Veni sydus nauigantiū,
portus naufragantium. Veni o omnium viuenti-
um decus singulare, morientium vnica salus. Veni
sanctissime spiritus, veni & miserere mei, apra-
me tibi, & condescende propitius mihi, vt mea
tue magnitudini exiguitas, tuoq; robori mea im-
becillitas secundū tuarum multitudinem com-
placeat miserationum. Per Iesum, &c.

Miserere Domine famulis & famulabus tu-
is, N. & dirige actus eorum quotidie in
bonum, & omnia peccata eorum dimitte, & di-
mitte in cor eorum talem intellectum, vt ex toto
corde tibi fideliter seruiant, & tibi placeant, &
omni tempore in tuo sancto seruitio permane-
ant. Per Dominum nostrum.

Famulos & famulas tuas quæsumus Domi-
ne, fratres & sorores meos, omnesque debi-
tores meos corpore pariter & mente puri-
fica, vt in tua inspiratione compuncti: noxias
delectationes vitare præualeant. Per Dominum
nostrum Iesum Christum.

Dignus est mercenarius vel operarius mer-
cede sua: orationibus tuis credit & optat
iuuari, & sacrina peccatorum à te suble-
uari. Per Dominum nostrum.

Beati Anselmi Liber Meditationum explicit.

BEATI ANSELMI DE MEDITATIONE RE- demptionis Generis Huma- ni Liber incipit,

Quæ sit virtus saluationis, & vbi.

Cap. I.

Anima Christiana, anima de graui morte
resuscitata; anima de misera seruitute
Christi sanguine redempta & liberata: ex-
cita mentem tuam: memento resuscitationis tue
recogita redemptionem & liberationem tuam:
retracta vbi & quæ sit virtus saluationis tuæ: ver-
sare in meditatione eius, delectare in contem-
platione eius, excute fastidium tuum, fac vim
cordi tuo: intende in hoc mentem tuam, gusta
bonitatem Redemptoris tui: accendere in amo-
rem saluatoris tui: mande fauorem verborum, suge
plus quàm mellitum saporem, gluti salubrem
dulcorem, mande cogitando, suge intelligendo,
gluti amando & gaudento, lætare mundendo,
gratulare sugendo, iocundare glutiendo. Vbi ergo
& quæ est virtus & fortitudo saluatoris tui?
Certè Christus te suscitauit: Ille bonus Samarita-
nus te sanauit. Ille bonus amicus anima sua te li-
berauit. Christus, inquam, ergo virtus saluationis
tuæ: virtus est Christi. Vbi est virtus Christi?
Vtique *cornua in manibus, ibi abscondita est fortitudo*
eius. Cornua quidem in manibus eius, quia brachijs
crucis confixæ sunt manus eius, quæ autem forti-
tudo in tanta infirmitate? Quæ altitudo in tanta
humilitate? Quid venerabile in tanto contemp-
tu? Sed certè ideo absconditum, quia in infirmi-
tate: & ideo celatum, quia in humilitate. Ideo occ-
cultum, quia in contemptu. O fortitudo abscondi-
ta, hominem in cruce pendentem suspendere
mortem æternam, genus humanum prementem
hominem in ligno confixum, defigere mundum
perpetuæ morti affixum. O celata potestas: homi-
nem damnatum cum latronibus saluare homi-
nem damnatum cum dæmonibus: hominem in
patibulo extensum omnia trahere ad seipsum. O

D. ANSELMI TOMVS III

virtus occulta vnam animam emissam in tormé-
to, innumerabiles extrahere de inferno, homi-
nem mortem corporis suscipere & mortem ani-
marum perimere.

Cur sit occultata, & tamdiu dilatata.

Cap. II.

Cur bone Domine, pie Redemptor, potens
saluator, cur tantam virtutem operuisti
tanta humilitate? An vt falleres diabolum,
qui fallendo hominem deiecit de paradiso? Sed
vtique veritas nullum fallit. Qui ignorat, qui nõ
credit veritatem, ipse se fallit. Qui videt verita-
tem, & odit, & contemnit, ipse se fallit. Veritas i-
taque nullum fallit. An ideo, vt ipse diabolus se
falleret? Sed vtique, sicut veritas nullum fallit, ita
non intendit vt aliquis se fallat: quamuis hoc di-
catur facere cum permittit. Non enim assumpsi-
sti hominem, vt te notum operires, sed vt igno-
tum aperires. Verum Deum, verum hominem te
dixisti, & operibus ostendisti. Res per se occulta-
ta fuit non studio occulta, non sic est facta vt ab-
sconderetur, sed vt suo ordine perficeretur, nec
aliquem deciperet, sed vt quemadmodum oportebat,
fieret. Et si dicitur occultata: non est aliud
quam non est omnibus reuelata. Nam & si veri-
tas non omnibus se manifestat: nulli tamẽ se ne-
gat. Ergo Domine nec vt falleres, nec vt aliquis
se falleret sic fecisti, sed vt faceres quod & quo-
modo faciendū erat per omnia in veritate per-
fististi. Qui ergo se sefellit in tua veritate, nõ de
te, sed de propria queratur falsitate. An diabolus
habebat aliquid iuste aduersus Deum, vel aduer-
sus hominem, propter quod Deus prius deberet
aduersus eum pro homine hoc modo agere quã
aperta fortitudine, vt dum illectum illum ho-
nem iniuste occideret, iuste potestatem, quam
super iniustos habebat, perderet. Sed certe dia-
bolo nec Deus debebat aliquid, nisi pœnam: nec
homo, nisi vincere: ita vt quemadmodum ab il-
lo se facile permisit vinci peccando: ita illū vin-
ceret vsque ad difficultatem mortis, iustitiam
integram seruandõ. Sed & hoc non nisi Deo de-
bebat homo. Nam non peccauit aduersus diabo-
lum, sed aduersus Deum, nec homo diaboli erat,
sed & homo & diabolus Dei erant. Sed & quod
diabolus vexabat hominẽ, non hoc faciebat zelo
iustitiæ, sed nequitie; nec iubente Deo, sed per-
mittente: non diaboli, sed Dei iustitia exigente
Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus aduersus e-
um ad saluandum hominem, fortitudinem suam
celare aut differre deberet.

Qua & curus necessitate se sic humiliavit.

Cap. III.

An aliqua necessitas cœgit, vt altissimus sic
se humiliaret, & omnipotens ad faciendū
aliquid tantum laboraret? Sed omnis necessitas
& impossibilitas eius subiacet voluntati. Quippe
quod vult necesse est esse; & quod non vult, im-
possibile est esse. Sola ergo voluntate, & quoniã
omnis eius voluntas semper bona est: sola fecit
hoc voluntate. Non enim Deus egebat, vt hoc
modo hominem saluum faceret: sed humana na-
tura indigebat, vt hoc modo Domino Deo satis-
faceret. Non egebat Deus, vt tam laboriosa pate-
retur: sed indigebat homo, vt sic Deo reconcilia-
retur: nec egebat Deus, vt sic humiliaretur; sed
indigebat homo, vt sic de profundo inferni erue-
retur. Diuina natura humiliari aut laborare non
eguit, nec potuit. hæc omnia humanam naturã,

RR 3

vt ad

A vt ad hoc restitueretur, propter quod facta erat, necesse erat facere, sed nec illa, nec quicquid Deus non est: poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad quod institutus est non restituitur: si non ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum est peccatum prouehitur. Quod est impossibile fieri, nisi omni percepta peccatorum remissione que non fit, nisi precedente integra satisfactione quam satisfactionem talem oportet esse vt peccator aut aliquis pro illo det aliquid Deo de suo, quod debitum non sit, quod superet omne quod Deus non est. Si enim peccare est Deum exhonorare, & hoc homo facere non deberet: etiam si necesse esset quicquid est quod Deus non est perire: utique veritas immutabilis & aperta ratio exigit, vt qui peccat, reddat aliquid Deo pro honore ablato maius, quam sit hoc, pro quo illum exhonorare non debuit. Quod quoniam humana natura sola non habebat: nec sine debita satisfactione reconciliari poterat: sic nec illa, nec quicquid Deus non est ad hoc sufficeret. Ne ergo iustitia Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret: subuenit bonitas Dei, & eam in suam personam assumpsit Filius Dei: vt in ea persona esset homo Deus, qui haberet quod superaret, non solum omnem essentiam, que Deus non est sed & omne debitum quod soluere peccatores debent, & hoc cum nihil pro se deberet, solueret pro alijs: qui quod debebant reddere non habebant. Pretiosior est namque vita hominis illius, quam omne quod Deus non est, & superat omne debitum quod debent peccatores pro satisfactione. Si enim Filij interfectio superat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum, que cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita eius magis est bona, quam omnia peccata sint mala, que extra personam Dei sunt. Hanc vitam homo iste cum ex debito mori non debebat: quoniam peccator non erat: sponte dedit de suo ad honorem Patris: cum eam sibi auferri propter iustitiam permisit, vt exemplum hominibus alijs daret: iustitiam Dei ab illis non esse deferendam propter mortem, quam ex necessitate aliquando soluere debent: cum ille, qui eam non debebat, & seruata iustitia vitare posset: eam sibi illatam propter iustitiam sponte sustineret. Dedit itaq; humana natura Deo in illo homine sponte non ex debito quod suum erat, vt redimeret se in alijs, in quibus quod ex debito exigebatur, reddere non habebat. In omnibus his diuina natura non est humiliata, sed humana est exaltata, nec est illa imminuta: sed ista misericorditer est adiuta.

Quomodo dicatur factus obediens, & huiusmodi, cum sola libera voluntate hoc fecerit.

Cap. IV.

Nec humana natura in isto homine passa est aliquid vlla necessitate, sed sola libera voluntate. Nec alicui violentie succubuit, sed spontanea voluntate ad honorem Dei & utilitatem aliorum hominum, que illi mala voluntate sunt illata, laudabiliter & misericorditer sustinuit. Nec vlla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi homini Pater vt moreretur cogendo precepit, sed ille quod Patri placitum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater: quod ab eo exigere non debuit, nec Patri tantus honor potuit non placere quem iam bona voluntate Filius sponte obtulit. Sic

itaq; Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placitum sciuit, sponte facere voluit. Deniq; quoniam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit quamuis liberam: non immerito dicitur, quia eam velut preceptum Patris accepit. Hoc itaq; modo obediens fuit Patri usque ad mortem. Et sicut mandatum dedit illi Pater: sic fecit. Et calicem quem dedit illi Pater bibit. Hec est enim perfecta & liberrima humane nature obedientia, cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, & cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione spontanea libertate opere perficit. Sic homo ille redemit omnes alios: cum hoc, quod sponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debebant. Quo pretio non semel tantum a culpis homo redimitur, sed etiam quotiens cum digna penitentia redierit, recipitur. Quae tamen penitentia peccati non promittitur. Quod quoniam in cruce factum est, per crucem noster Christus nos redemit: qui ergo ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere, saluantur. Qui vero illam continent: quia debitum quod debent non reddunt: iuste damnantur.

De meditatione circa hoc, & de quo gaudendum circa passionem Christi.

Cap. V.

Ecce anima Christiana, haec est virtus saluationis tuae, haec est causa libertatis tuae; hoc est pretium redemptionis tuae. Captiua eras: sed hoc modo es redempta. Ancilla eras, & sic es liberata. Sic es exul reducta, perdita, restituta, & mortua resuscitata. Hoc mandet homo, hoc ruminet, hoc fugat, hoc glutiat cor tuum, cum eiusdem Redemptoris tui carnem & sanguinem accepit os tuum: hoc fac in hac vita quotidianum panem & victum, & viaticum tuum: quia per hoc & non nisi per hoc, & tu manebis in Christo, & Christus in te: & in futura vita erit plenum gaudium tuum. Sed o tu Domine, tu qui vt ego viverem, mortem suscepisti. Quomodo labor de libertate mea, quae non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute mea, cum non sit nisi de doloribus tuis? Quomodo gaudebo de vita mea, quae non est nisi de morte tua? An gaudebo de his quae passus es, & de crudelitate illorum, qui ea tibi fecerunt? Quonia nisi illi fecissent, tu passus non esses. Et si tu passus non esses, haec mea bona non essent. Aut si de illis dolebo, quomodo de istis propter quae illa fuerunt, & quae non essent nisi illa fuissent, gaudebo? Sed certe illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quia tu sponte permisisti: nec tu passus es, nisi quia pie voluisti. illorum itaque debeo crudelitatem execrari, mortem & labores tuos compatiendo imitari: piam voluntatem tuam gratias agendo amare, ac sic secure de bonis mihi collatis exultare.

De beneficijs homini a Christo exhibitis.

Cap. VI.

Ergo homuncio: illorum crudelitatem dimitte Dei iudicio, & tracta de his, que debes saluatori tuo. Considera quid tibi erat, & quid tibi factum sit, & pensa, qui hoc tibi fecit, quo amore dignus sit. Intuere necessitatem tuam & benignitatem eius, & vide quas gratias reddas: & quantum debeas amori eius. In tenebris: in lubrico, in descensu subter irremediabile chaos inferni eras immersus, & quasi plumbeum podus pendens a collo tuo te deorsum trahebat. Onus importabile desuper te premebat, hostes inuisibiles te toto conatu impellebant: Sic eras sine omni

C omni auxilio, & nesciebas, quia sic conceptus & natus eras. O quid tibi tunc erat, & quo te ista rapiabant: expauesce memorando: cōtremisce cogitando. O bone Domine Iesu Christe sic posito nec petenti, nec opinanti ut sol mihi illuxisti, & quomodo eram ostendisti. Abiecisti plumbum quod deorsum me trahebat, & remouisti onus quod desuper me premebat, impellentes me repulisti: ac illis te pro me opposuisti. Vocasti me nomine nouo, quod mihi de tuo nomine dedisti & inturuatū ad aspectum tuum erexisti, dicens: Cōfide, ego te redemi: animā meam pro te dedi. Si adheres mihi, & mala, in quibus eras, euades, & in profundum, quo properabas, non cades: sed perducam te ad regnum meum, & faciam te hæredem Dei & cohæredem meum. Exinde accepisti me in tuitionem tuā: ut nihil noceret animæ meæ contra voluntatem suam: Et ecce licet adhuc non adhæserim tibi sicut consuluisti: nondum tamen in infernum me cadere permisisti, sed adhuc expectas, ut adhæream, & facias quod promisisti. Certe Domine sic eram, & hoc fecisti mihi. In tenebris eram, quia nihil, nec me ipsum sciebam: in lubrico, quia imbecillis & fragilis ad lapsum peccati: eram in descensu super chaos inferni, quia in primis parentibus descenderam de iustitia ad iniusticiam, per quam descenditur ad infernum; & de beatitudine ad tēporalem miseriam, de qua caditur ad æternam miseriam. Pondus originalis peccati deorsum me trahebat: & onus importabile iudicij Dei me premebat, & inimici mei dæmones, ut me alijs peccatis damnabiliorē facerent quantum in ipsis erat, vehementer insistebant. Sic destitudo omni auxilio, illuxisti mihi, & quomodo eram ostendisti. Quia & cum ego nondum hoc noscere poteram, alios, qui pro me essent, & postea me ipsum, antequā postulare: hæc me omnia docuisti, plumbum trahens, & onus grauians, & hostes impellentes reiecisti. Quia peccatum, in quo natus & conceptus eram, & dānationem eius amouisti, & malignos spiritus ne vim animæ meæ facerent, prohibuisti. Christianum me fecisti vocari de nomine tuo, per quod & ego cōfiteor, & tu cognoscis me inter redemptos tuos, & erexisti & eleuasti me ad notitiam & amorem tuum: fecisti me confidere de salute animæ meæ, pro qua dedisti animam tuam, & mihi si te sequerer, promisisti gloriam tuam. Et ecce cum nondū sequar te sicut consuluisti, sed insuper multa peccata fecerim, quæ tu prohibuisti: adhuc expectas, ut te sequar, & dones quod promisisti.

*De gratijs agendis super his.
Cap. VII.*

Considera anima mea: intendite omnia intima mea quantum illi debebat substantia mea tota. Certe Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo me ipsum totum: quia me redemisti, debeo me ipsum totum: quia tantum promittis, debeo me ipsum totum: immò tantum debeo amori tuo plus quam me ipsum, quantum tu es maior me, pro quo dedisti te ipsum, & cui promittis te ipsum. Fac precor Domine me gustare per amorem, quod gusto per cognitionem. Sentiam per affectum, quod sentio per intellectum: plus debeo quam me ipsum totum, sed nec plus habeo, nec hoc ipsum possum per me redere totum. Trahe me Domine in amorem tuū, & hoc ipsum totum. Totum quod sum tuum est conditione: fac totum tuum dilectione. Ecce

Domine coram te est cor meum: conatur, sed per se non potest: fac tu quod ipsum non potest. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quero, pulso. Qui me facis petere, fac & accipere. Das querere: da inuenire. Doces pulsare: Aperi pulsanti. Cui das, si negas petenti? Quis inuenit, si querens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis. Quid das non oranti: si amorem tuum negas oranti? A te habeo desiderare: à te habeam impetrare. Adhære illi, adhære importune anima mea. Bone Domine, pie Domine, ne reijcias eam, fame amoris tui languet, refocilla eam, satiet eam dilectio tua: impinguet eā affectus tuus, impleat eam amor tuus: occupet me totum & possideat me totum: quia tu es cum Patre & spiritu sancto Deus solus benedictus in secula seculorum: Amen.

Beati Anselmi Liber Meditatione Redemptionis generis humani explicit.

EIVSDEM BEATI ANSELMI DIALOGVS de Passione Domini incipit.

Beatus Anselmus Episcopus, longo tempore ieiunijs, lachrymis, & orationibus gloriosam Virginem exorabat, ut ei dilecti Filij sui passionem dignaretur perfectius reuelare, cui tandem apparens beata Virgo dicebat: Tanta & talia passus est meus Filius prædilectus, quod nullus fidelis sine lachrymarum effusione potest exprimere. Tamen quin glorificata sum, amplius flere non possum, & ad preces tuas & pro salute multorum tibi passionem mei Filij per ordinem explicabo. Beatus ergo Anselmus quæsiuit per singula, & beata Virgo ad singula respondebat. **A.** Dic mihi charissima Domina, quale fuit initium passionis Filij tui? **M.** Quando Filius meus à cæna facta cum discipulis suis surrexit, Iudas Scaarioth sacerdotum principes adijt, & Filium meum tradens, pro triginta argenteis vendidit. **A.** Quales fuerunt illi denarii? **M.** Hifmaelitici, quibus & Ioseph venditus fuit ante multos annos, & hæreditaria successione fuerant deuoluti ad illos Iudeos, qui Filium meum emerunt, & vnusquisque denarius valebat triginta vsuales: Iudas vero tā auarus fuit, quod quando denarios vidit Christum pro eis tradidit, & licet Christus ei prædixisset sapius: tamen ille Iudas per hoc non fuerat emendatus. **A.** Fuiſti tunc cum Filio tuo, & discipulis eius? **M.** Nō, sed scias, quādo Filius meus cœnauerat, & quando pedes discipulorum lauerat, & corpus suum & sanguinem suum discipulis dederat, & dulciter prædicauerat, ac Iudas pontifices adierat, Filius meus de monte Sion cum discipulis suis per portam ad natatorium Siloe, ubi erat hortus, quē introiuit, & discipulis dormientibus ascendit ad montis Oliueti pedem, quantum ad iactum lapidis à discipulis, & orauit sic Patrem: *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende anima mea, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.* Anselmus. Quare orauit? **M.** Propter tres rationes. Prima, quia delicatè nutritus fuit utpote filius virginis, & de stirpe regia natus: quia nobiles magis dolent, quam ignobiles. Secunda, quia tanta angustia eum inuasit, quod guttas sanguineas sudauit: de toto corpore: quia Deus fuit, & ideo omnia, quæ

Hic dialogus non est Beati Anselmi, ut qui multa falsa continet, quare caute est legendus.

A pati debuit, præsciuit: videlicet conspuitonem blasphemias, flagellationem, crucifixionem, & huiusmodi. Tertia, quia præsciuit, quod Iudæi nõ deberent ei misereri. Et quando sic orauit: *Pater. si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Angelus Domini apparuit ei confortans eum, dicens: *Conitās esto Domine: modo genus humanum debes redimere.* Post hoc Filius meus ad discipulos redijt: eosq; dormientes inuenit, quibus & dixit: *Non potuistis vna hora vigilare mecum?* Dicens etiā: *Ecce appropinquat, qui me traderet: & ecce Iudas venit cum turba Iudæorum magna: dixitq; Iudæis. Duo itaque pares sunt, scilicet Iacobus & Iesus: vnde do vobis signū: Quemcumq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Et cum Iudas accederet cum turba, processit Iesus ad eos, dicens: *Quem queritis?* Qui responderunt: *Iesum Nazarenum.* Quibus Iesus: *ego sum, & cum dixisset, ego sum, omnes ceciderunt retrorsum.* Iterum dixit Iesus: *si me queritis, sinite hos abire, vt scriptura impleatur: Quia quos dedisti mihi: nõ perdidit ex eis quemquā.* Tunc Iudas osculabatur eum, cui dixit Iesus: *Iudas, osculo tradis filium hominis?* At illi iniecerūt manus in Iesum, & tenuerūt eum. Tunc Petrus eduxit gladium, & percussit seruum principis sacerdotum, qui vocabatur Malchus. *An. Contigit ibi ali quod miraculum? M. Filius meus applicuit sibi seruum & curauit auriculam eius, & dixit Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit: An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* Tunc omnes discipuli relicto eo, fugerunt: *A. Dic pijsima Domina, tuisti tunc cū illo? M. Non. A. Quare, cū eum tantum diligeres M. Nox inlatabat, & non expediebat vt mulieres tunc foris inuenirentur. An. Vbi ergo dulcissima fuisti tunc? M. Fui in domo sororis meæ, matris Ioannis Euangelistæ. An. Quomodo ergo, vel à quo nuntiatū tibi fuit factū huiusmodi? M. Audi nunc, quod multum est lamentabile. Venerunt discipuli currentes, & lachrymabiliter clamātes: O charissima Domina, dilectus Filius tuus magister noster captus est: & nescimus quò ducatur, vel quid fiat ei. An. Fleuisti tunc Domina? M. Licet scirem, quod genus humanū redimere deberet, tamen propter maternum affectum, doloris gladius animam meam pertransiuit. An. Quo tunc fuit ductus Filius tuus dilectus? M. De horto prædicto per vallem Iosaphat in ciuitatem, & ducebatur in palatium scribarum, & Pontificū, & Phariseorum iuxta templum in domum Annæ: & quæsiuit Annas de doctrina eius, & discipulis. At ille respondit: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, in templo, vbi omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil, quid me interrogas?* Tunc assillens vnus ministrorum dabat ei alapam in expertæ crudelitatis, dicens: *Sic respondes pontifici?* Filius autem meus vt agnus mansuetus respondit ei: *si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cadis?* Tunc ligauerunt oculos ei, tanquam furi: Quod tamē nulli fit, nisi prius condemnetur. Et illuse-runt ei tota nocte, spuentes in faciē eius, & percutiētes eum, dixerunt: *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* Ioannes verò exillens intus, qui notuserat pontifici, introduxit Petrum. Quem videns ostiaria dixit: *Tu es ex discipulis hominis istius?* Petrus verò ter negauit cum iuramento, quod nunquam eum vidisset, neque nouisset. Et statim gallus cantauit. Et conuersus Iesus respexit Petrum, & recordatus est Petrus ver-*

Matth. 2.

B bi Domini quid dixerat ei: *Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus Petrus fleuit amare.* *An. Vbi fuisti charissima Domina, cū hæc fierent. M. Statim cum discipuli mihi dixissent, quæ facta fuerant omnia ossa mea contremuerūt surgentque cucurri cum Maria Magdalena iuxta templum, audiensque tumultum, volui intrare, sed non fui permilla: vnde stabam foris plorans, & clamans: Heu dilecte Fili mi, lumen oculorum meorum, quis dabit capiti meo aquam: & oculis meis fontem lachrymarum: vt plangam interfectum Filij mei. Maria vero Magdalena circuibat vndique & introspiciens per fenestras, & audiens negationem Petri, commota est totis visceribus pro desolatione vnici Filij mei, eo quod princeps discipulorum eum negasset, & dixit: O Iesu bone, qualem finem fortitus es: vel quid fiet de te, cū iste princeps discipulorum te negauerit. O Iesu non te negabo in æternum. Ego autem stabam plena dolore, audiens omnes illusiones & contumelias, quas Filio meo dilecto inferebant, & Petrum negantem, & omnia quæ tota nocte ibi fiebant. Cū ergo Petrus eū tertio negasset, Filiusque meus eum respexisset, & propter quod eum negauerat, fleuisset amare: egressus foras inuenit nos foris stantes, cui cū dolore dixi Petre Petre, quid agitur cum Iesu? Qui clamans & eiulans lachrymosa voce respondit: Heu charissima Domina, absque misericordia tractatur, & cruciatur vsque ad mortem. Et currens abscondit se præ timore in lapide, qui vocatur gallitancus, & non comparuit donec Iesus mortuus fuit in cruce. An. Dic Domina charissima quid fecisti cum hoc audires. M. Gladius Simeonis pertransiuit animam meam. An. Quid factum fuit post hæc? M. Mane facto eduxerunt eum de domo Annæ: & duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum. Tunc primo, postquam captus fuerat, vidi eum, & accurrens quasi læna raptis fœtibus videbam illam desiderabilem faciem sputis Iudæorum maculatam, dicens lachrymando, Heu dilectissime Fili, quam miserabiliter te modo video; quæ totiens tuo dulcissimo aspectu gaudebam. Et volens illum amplecti, non fui permilla accedere, sed trusa à Iudæis huc & illuc, contumeliosè sum amota, & populus vndique concurrebat, sicut quando fures & latrones condemnantur. An. Habuisti tunc aliquam spem, quod liberari posset? M. Etiam: sciebam enim, quod ita ingeniosus fuit & facundus, & sperabam quòd se excusaturus esset, si ad iudicium veniret, tunc stetit quasi agnus mansuetissimus, & non aperuit os suum. Item, fuit etiam ita amabilis, quod sperabam quòd deberent ei misereri. Et modico tempore dilapso, adeo consputus fuit, quod quasi leprosus apparebat: Iouenerunt enim multa falsa testimonia: dicentes eum esse legis destructorem, & populi peruersorem. Tandem duo falsi testes accesserunt, dicentes: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud.* Et Caiphæ dixit: *Dic nobis si tu es Christus.* Iesus respondit: *Si dixerō vobis? non creditis mihi. Si autem interrogauerō vos: non respondebitis, neque dimittetis. Amen, dico vobis: a modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cali.* Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, & ait: *Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Tūc omnes clamabāt: Reus est mortis.* Hac per-*

C lata sciētia, gladius Simeonis pertransiuit animam meam.

D

A meam. *An. Quo tunc ductus fuit? Ma.* Ad iudicem Pilatum. *An. Sperasti ibi aliquid Domina charissima? Ma.* Multum speraueram, cum turba conuenisset, cui saepe dulciter praedicauerat, & quorum infirmos sanauerat, & eos in deserto pauerat, quod eum de manibus Iudaeorum liberare deberent, Tunc vnanimiter clamabant coram Pilato: *Crucifige, crucifige eum.* Et imposuit ei turba, quod dixerat se Filium Dei esse, & quod prohibuisset tributa dari Caesari. Tunc Pilatus quaesuit eum de regno suo, dicens: *Tu es rex Iudaeorum?* Et respondit Iesus: *A temetipso hoc dicit: an alij tibi dixerunt de me.* Respondit Pilatus. *Nunquid ego Iudaeus sum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi quid fecisti?* Respondit Iesus: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis, nunc autem regnum meum non est de hoc mundo.* Dixit, itaque Pilatus, *Ergo rex es tu?* Respondit Iesus. *Tu dicis, quia rex sum ego. ego ad hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritatis: omnis qui ex ueritate est, audit uocem meam.* Dixit ei Pilatus. *Quid est ueritas?* Hanc questionem non soluit ei Christus: quia si soluisset, eum utique liberasset, & ideo genus humanum redemptum non fuisset. Tunc Iudas uidens, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus populi, dicens: *Peccavi tradens sanguinem iustum.* At illi dixerunt, quid ad nos, tu uideris. Et proiectis argenteis in templum, recessit ab eis, & abiens laqueo se suspendit, Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe dixit ad eos: *Nullam causam inuenio mortis in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis.* At illi inualescebant, dicentes: *Commouit populum docens per uniuersam Iudaeam, incipiens a Galilea usque huc.* Tunc Pilatus audiens Galileam, & quod Galileus esset, misit Iesum ad Herodem, qui & tunc erat Hierosolymis. Herodes autem uiso Iesu gauisus est ualde: Erat enim ex multo tempore cupiens uidere eum, eo quod audierat multa de eo, & quia sperabat aliquod signum ab eo fieri. Interrogabat ergo Iesum multis sermonibus: uidelicet si esset ille puer, quem pater suus uolebat interficere, & propter eum multos pueros interfecerat. Item si esset ille, qui caecos illuminauerat, & qui Lazarum suscitauerat, & adolescentem filium uiduae in porta ciuitatis Naim, & multa alia miracula fecisset, & rogauit eum, ut aliquod signum faceret, promittens ut eum de manu Iudaeorum eriperet: Iesus autem nihil ei respondit. Et posuit Herodes coronam super caput eius, promittens quod si faceret ei signum, quod ipsum regni sui participem faceret, & pariter coheredem. Ista corona Romani coronantur Imperatores, Iesus autem non respondit ei. Stabant autem principes sacerdotum & scribae constanter accusantes eum. *Anselmus: O dulcissima, quid tunc sperabas? Maria: Sciebam Herodem esse regem naturalis elegantiae: & ideo sperabam, quod regi excellentissimo Filio meo parcere debuisset. Spreuit autem Filium meum, & indutum veste alba remisit eum Pilato. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus: nam antea amici non erant ad inuicem. Sciens autem Pilatus quanta immanitate & crudelitate in mortem Filij mei conspirauerint Iudaei, praemisit quosdam, qui Iesum ab Herode conducerent, ne ipsum in uia interficerent: Remisso ergo Filio meo, conuocatis Pilatus omnibus Iudaeis dixit ad eos: *Obrulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram uobis interrogans nullam cau-**

Lucas 23.

sam mortis in eo inuenio, ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, nam remisi uos ad illum. Ecce nihil dignum morte tactum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. At illi petebant Barrabam, qui propter homicidium missus erat in carcerem. Pilatus dixit: Quid enim mali fecit: Nullam causam mortis inuenio in illo: corripiam ergo eum, & dimittam? At illi instabant uocibus magnis, ut crucifigeretur, clamantes: Crucifige, crucifige eum. Sedente ergo Pilato pro tribunali, misit ad eum uxor sua: *Nihil tibi & iusto illi. Multa enim in hac nocte passa sum per uisum propter illum.* Pilatus autem sperans quod crudelitati Iudaeorum satisfacere deberet: apprehensum Iesum flagellari fecit in statura ligatum ita, quod a planta pedis usque ad uerticem non esset in eo sanitas. Haec statura ita spissa fuit, quod circa duas spannas manus manum tangere non potuit, Unde accipiebant corrigias, & manus eius ligabant. *A. Sperasti ibi aliquid, Domina charissima? M.* Multum speraueram propter hanc causam, quam tibi manifestabo, Delicata enim & naturalis ingenuitas & membrorum principalium compages mihi matri eius solummodo nota spem praestitit. Aestimabam siquidem nudato corpore formosis membrorum lineamentis uicti parcerent; sed heu in momento temporis, totalis corporis eius superficies ita sanguine superfundebatur, ac si purpura circumdatus, & in stuporem & deformitatem transformatus: omnibus apparuit quasi lepra percussus. Milites uero plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum, ac ueniebant ad eum, & dicebant: *Aue rex Iudaeorum, & dabant ei alapas.* Hanc coronam habet rex Franciae. Haec corona non fuit de spinis, sed de iuncis marinis, qui habent acutiores aculeos, quam uerae spinae. Hanc coronam cum lancea percutientes capiti eius imprimere conabantur, ita quod sanguis per eius faciem defluebat: & sic cruentatum eduxit eum Pilatus foras, & dixit: *Ecce rex uester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum.* respondit eis Pilatus: *Accipite eum uos, & crucifigite.* Responderunt. *Nos legem habemus, & secundum hanc legem debet mori: quia filium Dei se fecit.* Cum ergo audisset Pilatus hos sermones magis timuit. Et ingressus praetorium dixit ad Iesum: *Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.* Dicit ei Pilatus: *Mibi non loqueris: Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me ullam: nisi tibi datum esset de super. Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum: Iudaei autem clamabant, dicentes. *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram omni populo, & dixit. Innocens ego sum a sanguine iusti huius, uos uideritis. Et respondens uniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Instabant ergo magnis uocibus ut crucifigeretur, & inualescebant uoces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitiones eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium missus fuit in carcerem, quem petebant. Ad nimiam autem plebis instanciam Pilatus huius mortis sententiam protulit ad Filium meum dicens: *Iesum Nazarenum abiudico uitae, & adiudico morti ignominiosae crucis.* *An. Quid fecisti dulcissima cum haec audires? Ma.* Hac prolata sententia gladius Simeonis pertransiuit cor meum & animam meam. *An. Quid factum fuit post haec? Ma.* Susceperunt Iesum dilectum Filium meum, & eduxerunt eum ut scribit Ioannes, & baiulans sibi crucem

Matth. 27

Ioan. 19.

Ibidem.

Ioan. 18.

Matth. 27.

exiuit

A exiit in eum locum, qui dicitur Caluaria locus: ubi eum crucifixerunt. Cruxque adeo magna erat, quod habuerat quindecim pedes in longitudine. Et adeo debilitatus erat Filius, ut eas præterita nocte & illa die, quod eam portare non poterat. Vnde & Lucas scribit: *Apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem: & imposuerant illi crucem portare post vnicum Filium meum. Quod fecerunt non causa miserationis, quod compatere nentur ei, sed quia præ debilitate id facere non poterat.* An. S. quebantur autem aliquæ mulieres cum educeretur? *Ma. Tota turba conueniebat. Vnde Lucas terribit. Sequebatur autem illum turba multa populi & mulierum, que plangebant & lamentabantur eum. S. quebantur etiam pueri proijcetes lutum & lapides in eum. Conuersus autem Filius meus Iesus ad mulieres dixit: Filie iherusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsos flete, & super filios vestros, qui lutum & lapides mittunt in me: nescientes quid faciunt: quoniam ecce, dies venient, in quibus dicent: Beata steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera que non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. Quasi in viridi ligno, hoc est, in pueritia, hoc faciunt: in arido, hoc est, in senectute, quid fiet? Vel in viridi ligno, hoc est in me: in arido, hoc est in alijs sanctis meis quid fiet? Ducebantur & alij duo nequam cum eo, ut crucifigerentur. Hoc fecerunt ad sui maiorem confusionem. Cum autem educeretur Filius meus principalis cum duobus sceleratis extra portam ciuitatis cum ingenti pressura irruentis populi & insultantis: voluit eum sequi & videre, sed non potui præ maxima multitudine populi, quæ ad opprobrium Filij mei conuenerat. Sed tandem vna cum Maria Magdalena deliberabam: quod per viam obiacentis plateæ circa quendam fontem cucurrimus: quatenus illi obuiam veniremus: Et cum veniremus iuxta fontem, **B** obuium habuimus meum Filium deformatum, pressum omni dolore. Qui benigne inclinans se ad me, dicebat: Ave mater, ac si diceret, grates tibi refero electa mater mea pro multimodis beneficijs mihi impensis, & pro multo labore, quo in summa paupertatis abiectione enutriuisti templum corporis mei, & nunc in destructione constitutum inter contumelias & opprobria sequi non dedignaris nec vereris: quamuis omnibus contemptui habeamur. Et postquam venerunt in locum Caluaria, ibi eum crucifixerunt, & latrones cum eo vnum à dextris: & alium à sinistris. An. Quomodo fecerunt ei? *Ma. Audi Anselme: quod modo referam nimis est lamentabile, & nullus Euangelistarum scribit. Cum venissent ad locum Caluariae ignominiosissimum, ubi canes & alia morticina proijciebantur, nudauerunt Iesum vnicum Filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui: tamen velamen capitis mei accipiens circumligavi lumbis suis. Post hoc deposuerunt crucem super terram, & eum desuper extendunt, & incutiebant primò vnum clauum adeo spissum, quod tunc plene sanguis non potuit emanare: ita vulnus clauo replebatur. Acceperunt postea funes & traxerunt aliud brachium Filij mei Iesu: & clauum secundum ei incusserunt. Postea pedes funibus traxerunt, & clauum acutissimè incutiebant, & adeo tensus fuit, quod omnia ossa sua & membra apparebant, ita ut impleteret illud Psal. *Dimumerauerunt omni ossa mea.* Et tunc impleta fuit prophetia ipsius Dauid, id est, ipsius Christi, dicentis in Psal. *Audi filia & vide: Quasi diceret Filius meus: Audi charissima mater mea so-***

Ioan. 19.
 Luca 23.
 Ibidem.
 Psalm. 21.

num malleorum, & vide qualiter manus meas & pedes meos confixerunt, quia nemo mihi cõpatitur nisi tu sola mater mea electa, audi & vide, & cõpatere mihi. Hęc audiens & videns, gladius Simeonis cor meum & animam meam transfixit. Post hæc erexerunt crucem cum magno labore, & fuit adeo alte suspensus, quod eius pedes nunquã attingere poterant. Et cum erectus fuisset, tunc propter ponderositatem corporis vulnera lacerata sunt & aperta, & tunc primo sanguis de manibus & pedibus copiosius emanauit. Ego autem induta fui quadam veste, qua mulieres regionis illius uti solent, quæ tegitur caput & totum corpus, & est quasi lintheum: & fuit ista vestis tota repleta sanguine. An. Quid factum est post hæc? *Ma. Postquam crucifixerunt Filium meum: diuiserunt sibi vestimenta sua, & mittebant sortem super vestem inconlutelem, ut impleretur quod dictum est per Prophetam: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes obseruabant eum. Et scripsit Pilatus super caput eius literis Hebraicis, Græcis & Latinis: Iesus Nazarenus rex Iudeorum. Tunc Iudæi rogabant Pilatum, ut non scriberet Rex Iudeorum, sed quia dixit rex sum Iudeorum. Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruit templum Dei, & post triduum reedificat illud. Salua te ipsum: si filius Dei es descende nunc de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant: Alios saluos fecit: se ipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confi- dit in Deo, liberet eum nunc si vult: dixit enim, Quia Filius Dei sum. An. Quid ad huiusmodi insultus respondit Filius tuus. *Ma. Dilectus meus orauit pro eis, dicens. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Et stabat populus expectans, & deridebat eum. Tunc matri potuit dicere illud Psal. *Audi filia & vide, audi voces blasphemantium Filium tuum, & vide dolorem meum. Scis enim quod de Spiritu sancto concepisti me, & quod virgo genuisti me, & qualiter aluisti me. Vnde ex quo isti non credant in me: tu tamen crede in me, & compatere. Tunc iterum gladius Simeonis animam pertransiuit. Audiens hoc latro, qui à sinistris pendebat, insultabat ei, dicens: Si tu es Christus, salua te ipsum & nos. Respondens autem alter, qui à dextris pendebat, increpans eum, dixit: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & quidem nos iuste, quia digna factus recipimus: hic verò nihil mali gesit. Et dicebat ad Iesum, Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. An. Quid fecisti tunc Domina charissima? *Ma. Stabant iuxta crucem tam plena merore, quod consolationem ferre non poteram, & mecum stabant sorores meæ, & Maria Magdalena. Et cum Filius meus vidisset me & Ioannem discipulum suum, quæ diligebat, dixit: Mulier ecce filius tuus. O quam miserabilis licentia. Deinde dixit discipulo. Ecce mater tua. Erat autem quasi hora sexta: & facte sunt tenebræ super vniuersam terram vsque ad horam nonam. Et clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli eli lamma sabachthani. Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem dicebant: Heliam vocat iste. Sine videamus, si veniat Helias liberans eum. Post hæc sciens Iesus quia omnia consummata essent, dixit: Sitio. Quid Domine sitis? salutem peccatorum. Erat autem vas positum aceto plenum, & circumponens hastæ, dabat ei bibere, ut citius moreretur.****

C
 Psalm. 44
 Ioan. 19.
 Matth. 27.
 Luca 23.
 Matth. 27.
 Psalm. 21.
 Ioan. 19.
 Luca 23.
 Matth. 27.
 Ibidem.
 Luca 23.
 Psal. 44.
 Luca 23.
 Ioan. 6.
 Matth. 27.
 Ioan. 19.
 Luca 23.

Et cum

A Et cum gustasset, dixit: Consummatum est. Et post hoc dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. In hac commendatione cum hostia sanguinis commendabat Christus Deo Patri matrem dulcissimam, quæ scrinium est, & purissimum habitaculum sancti spiritus vna cum omnibus, qui de spiritu sancto victuri sunt vsque in finem seculi. Et post inclinatio capite tradidit spiritum. Tunc velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petra scissa sunt: & maxime illa petra, in qua tetit crux, scilla fuit, ita vt manus imponi potuissent, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierunt surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum viso terramotu & his, que fiebant, timuerunt valde, & ipse centurio glorificauit Deum, dicens: Vere hic homo iustus erat. Ecce quomodo omnia elementa Christo compatiebantur, soli autem Iudæi indurati fuerunt. Et omnes, qui simul aderant ad spectaculum istud ex eis: videntes que fiebant, pectora sua percutientes reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius de longè, & mulieres que secute erant eum à Galilea hac videntes. An. Charissima Domina habuit adhuc finem dolor tuus. M. Nou. Anselm. e: qui nondum plene prophetia Simeonis impleta fuit, scilicet, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Audi ergo quod super omnia est lamentabile. Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) rogabant, vt non remaneret in cruce corpora sabbatho. Erat enim magnus dies ille sabbati, rogabant Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt autem milites & primi frangerunt crura, & alterius qui crucifixus erat cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, & viderent eum iam mortuum, non frangerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Cùm que hoc viderem, quod talem crudelitatem in iam mortuum exercerent: quasi exanimis iam facta fui, & tunc verè impleta est prophetia. Simeonis, quæ dicit: Et tuam ipsius, &c. Et tunc cœpi clamare & eiulare: sed iam omnino lachrymæ in me defecerunt, tantum fleueram nocte præterita & die illa, & dicebam: Eia dulcissime Fili mi, vbi est nunc consolatio, quem semper in te habui? Quis mihi det, vt ego moriar pro te Fili mi Iesu? His & alijs similibus dulcissimi vnici Filij mei mortem deplanxi. Tunc magnum gaudium fuit factum in limbo, quando anima Christi in ipsum descendit, & patres inde liberauit, & limbum destruxit, & infernum obstruxit, ita quod nullus Christianus illuc venire poterit nisi proprio suo arbitrio, nec aliquis eorum, qui intus sunt, ante diem iudicij exire poterit. Tribus autem vectibus infernum obstruxit. Et hæc est ratio, quia ante mortem suam nullam habuerunt contritionem, confessionem, vel satisfactionem: quæ nullus ante passionem Christi habere potuit, scilicet contritionem, confessionem, satisfactionem. An. Quid factum fuit post hæc? M. Post hæc rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, vt tolleretur corpus Iesu, dicens inter alia: Domine, nisi corpus cito tradideris, honesta mulier mater ipsius iuuenis moritur præ dolore, Pilatus quesuit si iam mortuus esset. Et expertus à centurione de omnibus, quæ ibi acciderant: iussit dari corpus Christi. Et venit Ioseph, & tulit corpus Iesu. Nota hoc Anselm. e, quod multum est lamentabile. Dum Ioseph corpus deponeret, stabam sursum respiciens quando brachium dissolueretur, vt tangerem & deos-

cularer, sicut & feci, & cum depositus esset de cruce, posuerunt eum super terram bene ad tres passus de loco crucis. Et ego caput eius in sinum meum recipiens, amarissimè flere cœpi, dicens: Heu dulcissime Fili, qualem consolationem de te habeo, quem nunc mortuum coram me video. Tunc accurrens Ioannes Euangelista, cecidit super pectus Iesu, plorans & dicens: Heu heu de isto pectore heri portabam dulcia, hodie tristitia & lamentabilia. Tunc Petrus aduenit, & quod ipsum negauerat, amarissimè flere cœpit, tunc Maria Magdalena plus omnibus flere cœpit super Dominum suum, dicens: Quis mihi modò peccata dimittet? Quis me modo excusabit apud Simonem, & apud sororem meam? Venit etiam Iacobus, qui frater Filij mei appellabatur, qui similis sibi erat, & cum multis lachrymis hoc dicebat. Heu Domine talè gratiam mihi indigno præceteris contulisti, qui dulcissima facies tua erat mihi simillima. Heu modo apparet vultus tuus mihi dissimilis. Tuæ manus & pedes clauis sunt confixi, corpus vero vndique vulneratum: meum autem corpus verò vndique apparet ex toto illæsum, iurauitque quod nunquam cibum, nec potum sumpturus esset, quousque ad similitudinem sui conformaretur. Tunc ceteri omnes discipuli accurrebant lamentantes super eum, tunc Filius meus ad consolationem meam & discipulorum glorificatus fuit ibi coram nobis: ita quod nulla plaga aut liuor in corpore suo apparuit præter quinque vulnerum cicatrices: quas reseruaturus est vsque in diem iudicij, & adeo sanus apparuit in corpore, ac si nunquam passus fuisset. De quo ego & discipuli immensam consolationem recepimus. Et cum eum sepelire vellem, cū magno mœrore corpus fortissime tenui, & sepeliri vix permisi, di. Es: Charissime Ioannes relinque mihi mortuum filium meum, quem non potui habere viuum. Sed si necesse est vt hoc facias rogo te vt me cum ipso sepelias. Ioannes respondit. Scis Domina charissima, quod aliter esse non potuit, & genus humanum sic redimere debuit. Tandem inuita permisi vt sepeliretur, & cū in sepulchrum positus fuisset, ad eum intrare volui, & super sepulchrum me proieci, & adeo miserabiliter egi, quod omnes fleuerunt. Et cum me Ioannes ad ciuitatem ducere vellet, & à sepulchro amouere lachrymans, rogauit: Chare Ioannes nō facias mihi iniuriam: vt me separare à dulcissimo filio meo Iesu, quoniam hic expectare vellem donec moriar, & iterum omnes fleuerunt. Ioannes vero me tandem in ciuitatem introduxit. Populus autem me videns indutam vestem aspersam sanguine sicut ante Iesum steterā, & sanguis eius super me stillauerat, vnanimiter clamabant gementes: O quanta iniuria facta est hodie in Hierusalem in ista domina & filio suo, & compatiebantur nobis. Iudæi autem propter inuidiam recluserunt Ioseph viuum in muro, quia Christum sepeluit. Vxor autem eius locum filio eius Ioseph post ostendit. Tandem post annos quadraginta venerunt Tirus & Vespasianus, Hierusalem destruentes, & Ioseph viuū de muro excluderunt. Et sicut Iudæi Christum pro triginta denarijs emerunt, ita triginta Iudæos pro vno denario vendiderunt.

Beati Anselmi Dialogus de Passione
Domini explicit.

B. ANSEL-

BEATI ANSELMI
ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS liber qui speculum euangelici sermonis, alias stimulus Amoris inscribitur, incipit.

Quod salubre sit Christiano venerari & amplecti infirma Saluatoris.

Caput primum.

IESVM Nazarenum à Iudæis innocenter condemnatum: à gentibus cruci affixum: nos Christiani diuinis honoremus obsequijs. Saluatoris nostri infirma nos, qui Christi sumus, reuerenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari dignum est & salubre & honorificum. Hæc enim sunt instrumenta fortissima, quibus omnipotens virtus & inuestigabilis sapientia Dei restitutionem mundi potenter ac mirifice operata est, & vsque modo operatur. Christus Dominus minoratus est ab Angelis, ut nos æquaret Angelis, & quis propter Christum se non humiliet? Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est, & crucis amara suis amatoribus dulcorauit. Mortuus est, & mortem enecauit, ut viueremus per illum. Et quis non amet Christum Dominum? Quis non patiat pro ipso? Christus per crucis ignominiam ad supernæ claritatis gloriam transiit, & data est ei pro sua reuerentia à Deo Patre *omnis potestas in celo, & in terra, ut adoret eum omnes Angeli Dei, & in nomine Iesu omne genu flectatur: caelestium, terrestrium, & infernorum.*

Quod gloriatio Christiani debebat esse in nomine crucifixi. Cap. II.

Vbi est ergo gloriatio tua Christiane: nisi in nomine crucifixi Domini tui Iesu Christi? In nomine, quod est super omne nomen, in quo qui benedictus est super terram benedicetur in celis? Gloriamini in nomine sancto eius filij redemptionis, date honorem saluatori vestro: qui magna fecit in vobis, & magnificate nomen eius mecum, dicentes: Adoramus te Iesu Christe rex Israel: lux gentium, princeps regnum terræ: Domine sabaoth, virtus Dei omnipotentis fortissima. Adoramus te pretiosum redemptionis nostræ pretium: hostia pacifica, quæ sola odoris tui inestimabili suauitate, Patrem, qui in altis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti, & filijs iræ placabilem reddidisti. Tuas Iesu Christe miserationes prædicamus, tuæ suauitatis memoria cum abundantia eruamur, tibi Christe sacrificiū laudis immolamus pro multitudine bonitatis, tuæ quam ostendisti nobis, semini nequam, filijs sceleratis & perditis.

De magna misericordia, quam Deus habuit ad genus humanum.

Cap. III.

Cum enim adhuc essemus inimici tui Domine, & mors antiqua in omnem carnem iniquum exerceret dominium: cui omne semen Adam lege primordialis culpæ obnoxium erat recordatus es vberime misericordiæ tuæ, & prospexisti de sublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis miseriæ. Vidisti Domine afflictionem populi tui, & tactus dulcora charitatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis & redemptionis. Et quidem cum esses Filius Dei, verus Deus, Deo patri

sanctoque spiritui coæternus & consubstantialis, lucem habitans inaccessibilem, portansque omnia verbo virtutis tuæ, non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum, altitudinem tuam inclinare, vbi nostram & gustares & absorberes miseriam, nosque reparares ad gloriam. Parum enim fuit charitati tuæ ad consummandum opus nostræ salutis Cherubim, aut Seraphim, aut vnum ex Angelis destinare, ipse ad nos venire dignatus est per mandatum Patris: cuius nimiam charitatem experti sumus in te. Venisti, inquam, non locum mutando: sed præsentiam tuam nobis per carnem exhibendo. Descendisti à regali folio sublimis gloriæ tuæ in humilem & abiectam in oculis suis puellam, primo virginalis continentie voto sigillatam. In cuius sacrosancto vtero foia spiritus sancti inenarrabilis virtus & te cōcipi fecit, & nasci in vera humanitatis natura: ita ut nec maiestatem diuinitatis in te? nec integritatem virginitatis in matre violaret natiuitatis occasio.

De miserijs, quas Deus accepit pro homine.

Cap. IIII.

O amanda, ô admiranda dignatio: Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non despexisti, Dominus omnium conseruus seruorum apparere voluisti. Parum tibi visum est patrem te nobis esse, etiam Domine frater noster esse dignatus es. Et tu Domine vniuersorum, qui nullam habens indigentiam, inter ipsa natiuitatis tuæ initia non horruisti abiectissimæ paupertatis digustare incommoda. Ut enim ait scriptura, tibi cum nascereris non erat locus in diuersorio, neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperet & habuisti, sed tu in vili præsepio sordentis stabuli: tu, qui terram palmo concludis, inuolutus paniculus reclinatus es, & hoc ipsum à brutis animalibus mater tua mutuo accepit. Consolamini, consolamini, qui in sordibus paupertatis enutrimini: quia vobiscum est Deus in paupertate, non cubat in delicijs splendidi cubilis: nec enim inuenitur in tera suauiter viuentium. quid vitra gloriaris, ô diues, in re lutea, in volutabro lecti picti & delicati, cum rex regum suo recubitu stramenta pauperum honestare maluerit? Quid dura strata detestaris, cum tenet infantulus, in cuius manu sunt omnia, tuis sericis, tuis plumis duras iumentorum stipulas præelegerit, sed & tenella hæc tua Christe infantia à persecutorum gladijs tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcicia matris vbera fugens dependebas: quando apparuit Angelus in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi, futurum est enim, ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. Iam extunc bone Iesu pati cœpisti. Non solum autem illam infantia tuæ vexationem in te ipso pertulisti, sed & mortem in pusillis tuis, quorum multa millia inter mamillas matrum pro te Herodis trucidauit immanitas.

De gestis Christi ab infantia.

Cap. V.

Infantia vero teneriori decursa, discendæ humilitatis nobis exemplū præbuiti. Nō enim sedisti cum consilio vanitatis: sed in medio Doctorum, interrogans & audiens illos: cum tamen Dominus scientiarum tu esles atque ipsa Dei Patris sapientia. Sed & obedientia nobis formam præstitisti: dum parentum imperio tu imperator mundi

A mundi humiliter subditus exististi. At verò ubi robustioris ætatis plenitudo aduenit, missus manus ad fortia, egressus es in salutem populi tui, ut gigas fortis ad currendum viam totius nostræ miseriæ. Et primum quidem ut per omnia te fratribus assimilares, seruum tuum baptizantem peccatores in penitentiam, tanquam peccator adisti, baptizare quoque te postulasti innocens agne Dei: quem nulla peccati stilla vel contagio unquam maculauit. Baptizatus es, non te in aquis, sed aquas in te sanctificans, ut per eas sanctificares nos. De baptismo in desertum in spiritu fortitudinis egressus es, ut & vitæ solitariæ in te non deesset exemplum. Solitudinem ac ieiunium quadraginta dierum, famis acerbiter, tentamenta illuforis spiritus æquanimitè tolerasti, ut omnia hæc nobis tolerabilia efficerès. Demum venisti ad oues quæ perierant domus Israel, diuini verbi lampadem palam extollens, ad illuminationem orbis terræ & regnum Dei annuncians cunctis obtemperantibus verbo tuo, sermonem sequentibus signis confirmasti: virtutem diuinitatis tuæ ostendisti in cunctis malè habentibus: omnia omnibus gratis exhibens, quæ salutem eorum congruerent, ut omnes lucrificares. Sed obscuratum est insipiens cor eorum Domine, & proiecerunt sermones tuos retrorsum, neque attenderunt ad omnia mirabilia, quæ operatus es in eis: exceptis per paucos nobiles athletas, quos inter infima & abiecta mundi elegisti, ut per ipsos alta & fortia magnificè expugnares. Nec solum ingrati gratuitis tuis beneficiis extiterunt, sed & contumeliis affecerunt te Dominum dominantium, & fecerunt in te quæcunque voluerunt. Te enim faciente in eis opera Dei, quæ nemo alius fecit, qui dixerunt:

B Non est hic homo à Deo: in principe Demoniorum eicit demonia: Demonium habet: seducit turbas: vorax est & peccator vint, amicus publicanorum & peccatorum.

De cæna cum discipulis, & Iuda traditore.

Cap. VI.

Quid fles? quid suspiras o homo Dei, dum sustines verborum iniurias? Non audis quanta propter te in Dominum Iesum ceciderunt opprobria? Si patrem familiam Beelzebub vocauerunt, quando magis domesticos eius? Et hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquotiens lapidibus te impetentes, Iesu bone patienter sustinuiti, & factus es coram eis quali homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Nouissimè autem & iustum sanguinem tuum bone Iesu in discipulo tuo, filio perditionis triginta argenteis appetiati sunt, ut precipitarent animam tuam in mortem sine causa. Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cæna ablutionis etiam coram ipso genu flexo procumbens, maledictos pedes eius veloces ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis attrèctare, lauare & extergere dignatus es. Et intento collo adhuc ambulans o terra & cinis: adhuc superbia te supra te eleuat, adhuc impatentia te exagitat. Intuere humilitatis & mansuetudinis speculum Dominum Iesum Christum, vniuersæ creaturæ factorem, tremèdum iudicem viuorum atque mortuorum ante pedes hominis traditoris sui genua incuruantem. Discè quia mitis est & humilis corde, & confundere in superbia tua, erubescere in impatentia tua. Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ

Domine Iesu, quod perfidum illum in cœtu fratrum palam detegere & confundere noluiti, sed leniter admonitum accelerare iussisti quod parabat. In omnibus his non est auersus furor eius à te, sed egressus foras satagebat circa frequens maleficium: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris in delitiis paradisi. Gloriosus apparuisti: ciuium cæli socius, & verbi diuini coniuua. Quomodo ergo reputatus es inter filios tenebrarum, qui nutrebaris in croceis, quomodo amplexatus es sterco-ra? Tunc clarificata est familia tua Christe in modum societatis Angelicæ, tunc demum diuissimi eloqui vberima inundatione felix conuentus ille sacer ex ore tuo potatus est. Siquidem corruptus ille verè foras missus fuerat, quem huius limpidissimi liquoris infusione sciebas indignum.

De diuersione Domini Iesu ad locum traditionis, & tristitia ibidem habita.

Cap. VII.

DATO autem charitatis & patientiæ salutari mandato, & disposito fratribus regno Patris tui, ad locum traditori tuo notum cum illis diuertisti: sciens omnia quæ ventura erant super te. Ibi anima tuæ tristitiam, quam ex imminente passione spontè assumpsisti: sicut & cæceta, quæ passus es, in auribus fratrum profiteri non erubuiti, dicens: Tristis est anima mea usque ad mortem. Politis itaque genibus procidisti in faciem tuam, orans in agonia & dicens: Abba Pater, mi Pater, si possibile est, transi à me calix iste. Et angustias quidem cordis tui certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tuaguttatim decurrebat in terram. Dominator Domine Iesu Christe, vnde animæ tuæ hæc tam vehemens tristitia? vnde tanta ludoris anxietas, & tam anxia supplicatio? Nonne voluntarium omnino Patri sacrificium obtulisti, & nihil iniucis pertulisti? Vtiq; Domine. Arbitramur autem, quod & hoc quoque ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti, ne fortè desperet quis, si caro infirma remurmuret: ubi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum ut & maioris erga te amoris & gratitudinis stimulos haberemus naturalè carnis infirmitatè: huiusmodi induciis in te expressisti, quibus doceremur, quia verè languores nostros ipse portasti, & non absque sensu doloris, passionum sentes percurresti. Vox enim illa, vox carnis fuisse videtur, non spiritus; ex eo quod subiunxisti: Spiritus quidem promptus est, caro autè infirma: quam promptus enim fuerit spiritus tuus, bone Iesu, ad passionem; euidenter ostendisti, quando venientibus vnà cum traditore tuo viris sanguinum, querentibus animam tuam cum laternis, facibus, & armis per noctem: vltro occurristi, & signo dato, quod acceperat à duce flagitii teipsū manifestasti. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris tui cruentam bestiam auersatus non es, sed os, in quo dolus inuentus non est; ori, quod abundauit malitia, dulciter applicuisti.

De Traditione Iesu.

Cap. VIII.

O Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conuentio Christi ad Belial. Sed & hoc benignitatis tuæ erat Domine: ut omnia illi exhiberes, quæ prauis cordis pertinaciam emollire possunt.

SS

tulent.

psalm. 31.

Matth. 2.

Matth. 11.

2. Cor. 6.

*Matth. 26.
Lucæ 22.*
A tuissent. Nam & veteris amicitia illum commo-
nuisti, dicens: *Amice ad quid venisti?* Et horrore sce-
leris sui cor impii ferire voluisti, cum dicebas: *Iu-
da, osculo filium hominis tradis?* Et ecce Philistim super
te Samson. Non illos abs te terruit, quod in hora
comprehensionis tuæ omnipotenti brachio terre
eos allisisti, non quidem defensionis causa, sed vt
cognosceret humana præsumptio, nihil se posse
aduersum te, nisi quantum permitteretur à te: &
quis audiat sine gemitu qualiter in illa hora homi-
cidas manus tibi iniecerunt, & innocentes manus
tuas bone Iesu vinculis constringentes ad agnum
mansuetissimum nihil loquētem ad instar latro-
nis contumeliosè traxerunt ad victimam. Sed nec
tunc misericordiam tuam super inimicos tuos di-
stillare fauus dulcedinis tuæ Christe cessauit. Nam
& mutilatam ab ipso discipulo tuo auriculam ini-
mici tangens sanasti, & defensoris tui zelum à læ-
sione trahentium te compescuisti. *Maledictus fur-
ror eorum, quia perit max:* quem nec maiestas mira-
culi: nec pietas beneficii confringere potuit.

*De colaphis, sputis & flagellis.
Cap. IX.*

Concilio malignantium aduersus te Pontifi-
cum præsentatus, & veritatem es prout do-
cuisti confessus: quasi de blasphemia adiudicatus
es morti. Amantissime Domine Iesu, quanta illic
indigna opprobria à ppria gente pertulisti? Vultu
tuum honorabile, in quem desiderant Angeli, p-
spicere: qui omnes cælos adimplet lætitia: quem
deprecatur omnes diuites plebis, polluti labii sui
sputis inquinauerunt, sacrilegis manibus cæcide-
runt, velo operuerunt in derisionem, & te Domi-
num vniuersæ creaturæ tanquā seruum contem-
pibilem colaphizarunt. Adhuc autem & animam
tuam incircunciso cani deglutendā tradiderunt.
Vinctum siquidem ante faciem Pilati te perduxerunt,
postulantes supplicio crucis interim te: qui
peccatum non noueras, & virum homicidam do-
nari tibi: agnum lupo, aurum luto postponētes.
O indignum & infelix concambium. Et quidem
non ignorabat impius ille per inuidiam hoc fieri
in te: nec tamen abstinuit temerarias à te manus,
sed repleuit amaritudine animā tuam sine causa.
Illudendum Herodi te misit: Illusum recepit: nu-
dum in conspectu irrisorum altare te iussit: nec
peperit amarissimis verberibus virgineam carnē
tuam diuellere, plagas plagis, liuores liuoribus
crudeliter infligens.

*De illusione IESU.
Cap. X.*

Psalm. 68.
Delecte puer Domini Dei mei, quid tanta a-
maritudine, quid tāta confusione dignum
cōmiseras: prorsus nihil: ego homo perditus to-
tius cōtritionis, totius confusione tuæ tibi causa
extiti. *Ego vnam acerbam comedi & dentes tui obstupu-
erunt, quia qua non rapuisti tunc exoluebas.* In omnib.
his non est perfidorum Iudeorum sanata impie-
tas. Nouissimè autem in manus incircumcisorum
militum deuolutus es, morte turpissima consu-
mendus. Parum erat sacrilegis istis crucifigere te,
nisi prius & ipsi repleuissent illusionibus animam
tuam. Quid enim de illis ait Scriptura: *Et congregauerunt
ad eum vniuersam cohortem in Prætorium, &
exuentes eum vestimentis suis, induunt eum tunica purpu-*

*rea, & chlamidem coccineam circumdederunt ei, & ple-
tentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & a-
rundinem in dextera eius, & genu flexo illudabant ei, di-
centes: Ave Rex Iudeorum, & dabant ei alapas, & ex-
puites in eum accipiebant arundinem, & percutiebant
caput eius.*

*De crucifixione Iesu.
Cap. XI.*

ET postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimēte
suis, & duxerunt vt crucifigeretur baiulantem sibi
crucem. Et perduxerunt eum in Golgotha, & dabant ei
vinum myrthatum cum felle mixtum bibere, & cum gu-
stasset, noluit bibere. Tunc crucifixerunt eum: & duos
latrones cum eo: hinc & hinc, medium autē Iesum. Iesus
autem dicebat: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid
faciunt.* Postea sciens Iesus, quia omnia consummata e-
rant, vt Scriptura consummaretur, dixit: *Sitis.* Et cur-
rens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & im-
posuit arundini, & dabat ei bibere. Cum ergo accepisset
acetum, dixit: *Consummatum est.* Et clamans voce ma-
gna dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum:
& inclinato capite emisit spiritum.* Tunc vnus militum
lancea latus eius aperuit, & continuo exiit sanguis &
aqua.

*Inuentium amoris.
Cap. XII.*

Expergiscere nunc anima mea, & excutere de
pulvere, & contemplare attentius virū hunc
memorabilem: quem ecce in speculo Euangelici
Sermonis quasi præsentem intueris. Attende ani-
ma mea quis est iste, qui ingreditur, habens ima-
ginē quasi Regis, & nihilominus serui despectif-
simi confusione repletus. Coronatus incedit, sed
ipsa eius corona cruciatus est illi, & mille punctu-
ris speciosam eius verticē diuulnerat. Regali pur-
pura induitur, sed potius in ea despicitur, quā hono-
ratur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput
eius reuerendum feritur. Adorant coram ipso po-
sitis in terra genibus, Regē conclamant, & conti-
nuo ad conspuendū amabiles genas eius sublili-
unt, maxillas palmis concutunt, & honorabile
collum exhonorant. Vide anima mea, quomodo
per omnia vir iste coarctatur & spernit. Sub cru-
cis onere dorsum incuruare iubetur, & tuā ipsius
portare ignominiam. Ad locū de ductus supplicii
myrrha potatur & felle. In crucem subleuatur, &
dicit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*
Qualis est hic, qui in omnib. p̄sulis suis nec semel
os suum aperuit, vt aut querelæ, aut excusationis
aut cōminationis, aut maledictionis verbū aduet-
sus maledictos canes istos pferret. Et nouissimè
verbū benedictionis, quale à seculo nō est auditū
super inimicos suos effudit. Quid hoc viro man-
suetius? quid benignius anima mea vidisti? Adhuc
a. intentius illum intuere, quia & grandi admira-
tione & tenerrima compassione dignus apparet.
Vide nudum & verberibus laceratum, in medio
latronum cruci ignominiosè ferreis clauis affixus
aceto in cruce potatum, & post mortem lancea in
latere vulneratum, & copiosos sanguinis riuos ex-
quinquē vulnerib. manuū, pedum & lateris effundē-
dentē. Fletum deducite oculi mei, & liquece a-
nima mea igne compassionis super cōtritione a-
mabilis viri illius, quem in tanta mansuetudine
tantis vides afflictum doloribus.

De glorifi-

A

De glorificatione in morte.

Cap. XIII.

ET iam quidem infirma eius anima mea videnti & miserta es, nu ne & maiestatem eius attende, & amplius miraberis. Quid enim ait Scriptura? *A sexta autem hora tenebra facta sunt super universam terram, usque ad horam nonam, & obscuratus est sol, & velum templi scissum est à summo usque deorsum, & terra mota est, & petrae scissae sunt: & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Qualis est hic, quia cælum & terra compatiuntur ei, cuius mors mortuos vivificat? Cognosce anima mea, cognosce, hic est Dominus Iesus Christus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo, qui solus sub sole sine macula inuētus est. Et ecce quomodo cū sceleratis reputatus est, & quasi vir leprosus, & nouissimus virorum estimatus est. Et tanquam abortiuū, quod proicitur a vulua: sic proiectus est ab utero matris suae infelicis synagogae. Ille formosus praefilius hominum: quā deformis pro filio hominum factus est? Siquidem vulneratus est propter iniquitatem nostras, & attritus est propter scelera nostra. Et factus est holocaustum suauissimi odoris in conspectu tuo Pater aeternae gloriae: ut auerteret indignationem tuam à nobis, & conseruare nos sibi faceret in caelestibus.*

De precatio ad Patrem.

Cap. XIV.

Respice Domine sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso caelorum habitaculo, & intueri hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer tuus Dominus Iesus Christus pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox sanguinis fratris nostri Iesu clamat ad te de cruce. Quid enim est Domine quod pender in ea? Pendet, inquam, quia praeterita quasi praesentia coram te sunt: Cognosce Pater, tunica siliū tui veri Ioseph haec est, sera pessima deuorauit eum: & conculcauit in furore suo vestimentum eius, & omnem decorem illius reliquiis cruoris inquinavit. Et ecce quinque scissuras lamentabiles in eo dereliquit. Vide Domine pallium quod in manu adulterae generationis, id est, Aegyptiae meretricis, pudicus ille adolescens reliquit, meliorem aestimans iacturam vestimenti quam innocentiae sanctae, magisque eligens spoliatus à carnis pallio in carcere mortis descendere, quam pro mundi gloria adulterinae voci acquiescere. Illi, inquam, voci, qua dictum est: *Hac omnia tibi dabo, si proci dens adoraueris me*: quod utique esset dormire cum adultera. Et nunc Domine Pater, scimus quia *viuit Filius tuus, & ipse dominatur in terra aegypti*, imò in omni loco dominationis tuae. Eductus enim ad imperium tuum de carcere mortis & inferorum, & artonsus mortalitatis comam mutata veste carnis in immortalitatis decore refuloruit, & cum gloria suscepisti eum. Subneruauit Diripha rationis imperium, & cum triumpho nobili virtute propria caelos penetrauit. Et ecce gloria & honore coronatus: in dextera maiestatis tuae assidit vultui tuo pro nobis

Frater enim & caro nostra est.

Quod Filius pro nobis debitum soluit.

Cap. XV.

Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnorum eius in perpetuum, ut memineris quantam satisfactionem pro peccatis nostris ab eo susceperis. Utinam Domine appendas in statera peccata nostra, quibus iram meruimus, & calamitatem, quam passus est pro nobis innocens Filius tuus. Certè Domine haec grauior apparebit, & magis digna, ut per ipsam effundas misericordiam tuam super nos, quam sint illa, ut pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Gratias tibi, Domine Pater, referat omnis lingua de superabundantia pietatis tuae, qui vnico Filio cordis tui non pepercisti: sed pro nobis illum tradidisti in mortem, ut tantum tamque fidelem aduocatum haberemus in caelis coram te.

Quod pro tanta passione diligendus sit Filius.

Cap. XVI.

ET tibi, Domine Iesu, fortissime zelotes, quid gratiarum, quid retributionis dignè retribuam ego homo puluis & cinis & vile sumentum? Quid enim pro salute mea facere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis usque ad summum verticis totum in aquas passionum te demersisti, ut me totum de illis extraheres, & intrasserunt aqua usque ad animam tuam. Nam & animam tuam in mortem perdidisti, ut animam meam perditam mihi redderes. Et ecce duplici debito me obligasti. Nam & pro eo quod dedisti, & pro eo quod mei causa perdidisti, debitor tibi sum. Et pro mea quidem vita bis à te mihi data, semel in creatione, semel in redemptione: quid magis iuste tibi reddam, quam ipsam, non habeo; pro tua autem pretiosa anima ita contribulata, quid ab homine dignè rependi possit non inuenio. Nam si cælum, & terram, & omnem ornatum eorum pro ea rependere posses, certè nec sic usque ad mensuram debiti nullatenus attingerem. Ut autem id ipsum, & quod debeo, & mihi possibile est tibi Domine retribuam, tui muneris est. Diligendus mihi es toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute, & tua mihi sequenda vestigia, qui mori dignatus es pro me. Et quomodo fiet istud in me nisi per te? Adhuc teat anima mea post te, quia tota virtus eius dependet ex te.

Humilis petitio ad Filium.

Cap. XVII.

ET nunc Domine Iesu Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te credo, in te spero, & quibus possum desideris ad te suspiro. Adiuua imperfectionem meam ad tuę passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuę victoriosae crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoro, tuum spineum diadema, tuo rubentes sanguine clauos, tuo sancto lateri impressam immensam lanceam, tua vulnura, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam victoriosam resurrectionem & glorificationem Christe supplex adoro & glorifico. Odor enim vitæ mihi spirat in omnibus his. Horum virtutis odore spiritum meum Domine à peccati morte resuscita. Horum virtute ab astutiis satanae me custodi, meque conforta, ut & iugum matorum

SS 2 tuorum

A tuorum suaue mihi fiat, & onus crucis, quod post te baiulare me iubet, humeris animę meę leue sit atque portabile. Quę est enim fortitudo mea, vt iuxta præceptum tuum mundi pressuras tam multiplices animo inuictō sustineam? Nunquid pedes mei tanquam ceruorū, vt te velociter currentem per spinas & confraga passionum consequi valeam? Sed audi quęro vocem meam, & inolina super me famulum tuum suaue illam crucem, quę lignum vitę est his, qui apprehenderint eam, vt & spiritu curram alacriter. Portabo infatigabiliter eam, quę ab inimicis est, crucem post te. illam, inquam, diuinissimam crucem humeris meis impone, cuius latitudo est charitas, super omnem creaturam se extendens: cuius longitudo æternitas, cuius sublimitas omnipotentia, cuius profunditas inscrutabilis sapientia est. Confige illi manus meas, & pedes meos, & totam formam passionis tuę me famulum tuum indue. Da mihi obsecro continere ab operibus carnis, quę odisti; & facere iustitiam, quam dilexisti: & in vitroque tuam quęrens gloriam, & sinistram quidem meam clauo temperantię, dexteram verō clauo iustitię in illa sublimi cruce confixam arbitrabor. Da menti meę iugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum iactare in te, & dexteram pedem meum eidem ligno vitę prudentię clauo affige. Da vt ministram spiritus mei sensualitatem nec eneruet præsentis vitę infelix felicitas, nec conturbet perennis vitę præmia felix infelicitas; & sinister quoque pes meus fortitudinis clauo in cruce tenebitur. Vt autem & spinarum capitis tui aliqua in me similitudo appareat, detur obsecro menti meę & salubris penitentię compunctio, & alienę miserię compassio

B & stimulus zeli æmulantis, quod rectum est corā te, & ad te cōuertar in ærumna mea, dum triplex mihi configitur spina. Libet vt & spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustui meo adhibeas. Libet vt per scripturas tuas rationi meę conferas gustare & videre, quomodo florens hic mundus tanquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia eius aceto amarior. Ita Pater in me fiat, vt calix iste Babylonis aureus inebriās omnem terram, nec inani me splendore seducat, nec falsa dulcedine inebriet, quemadmodum eos, qui tenebras lucem, & lucem tenebras; amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinum myrrhatum cum felle mixtum, suspectum est mihi pro eo, quod tu ex eo bibere noluisti: fortē quia nimiam acerbiter inuidiā & nequitię crucifixorum tuorum indicabat. Tuę quoque viuificę morti famulum tuum configura, faciens in me vt moriar quidem peccato secundum carnem; viam autem iustitię secundum spiritum. Vt autem integram crucifixi imaginem portare me glorier, illud quoq; quod post mortem tuam infatigabilis malitia Iudeorum impiorum in te exercuit hanc in me similitudinē exprime. Vulneret cor meum viuus & efficax sermo tuus, & penetrabilior omni lancea acutissima & pertingens vsq; ad interiora animę meę, pducatur ex ea tanquam à dextro latere meo, vice sanguinis & aquę, amorem tuum Domine & fratrum meorum. Postremō & munda sindone primę stolis spiritum meum inuolue, in qua requiescam, ingrediens ad te in locum tabernaculi admirabilis, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.

De Resurrectione. Cap. XVIII.

C

DIE autem tertio post diem laboris, post diem simplicis glorię, & mane prima Sabbati perpetui inter filios tuos me indignum resuscita, vt in carne mea videam claritatem tuam, & adimplear lætitię vultus tui. O Saluator meus, & Deus meus, veniat, veniat, oro, tempus, vt quod nunc credo, reuelatis tandem oculis aspiciam; quod nunc spero, & à longē saluto, apprehendā; quod nunc pro viribus meis desidero, vlnis animę meę amplectar ac deosculer, & in amoris tui abyssō totus absorbear. O Saluator meus & Deus meus: Sed nunc interim benedic anima mea Saluatorem tuum, & magnifica nomen eius, quod est sanctum, & sanctissimis delictis plenum.

Oratio ad Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Cap. XIX.

O Quam bonus & suaui es Domine IESU anima quærenti te: Iesu redemptor captiuorum, saluator perditorum, spes exulum, laborantium fortitudo, angustiati spiritus latitudo, animę lachrymosa, & post te in sudore currentis, dulce solatium & suaue refrigerium, corona triumphantium, vnica merces & lætitię omnium supernorum ciuium, vberissime fons omnium gratiarum, inclita proles summi Dei. Summe Deus, te benedicant omnia quę in cælo sunt sursum, & quę in terra deorsum, quia magnus es tu, & magnum nomen tuum. O immarcescibilis decor Dei excelši, & purissima claritas lucis æternę, vita omnem vitam viuificans, lux omne lumen illuminans & conseruans in perpetuo splendore, mille millena millia luminum fulgētia ante thronum diuinitatis tuę à primæuo diluculo. O æternum & incessabile clarum & dulce profluuiū fontis absconditi ab oculis nostris, qui solus ortū nescit, fundo caret, circumscriptionis terminum non habet, nihil perturbationis admittit. Eruet te cor Dei altissimi de suę profunditatis impenetrabili abyssō, vita vitam, lux lucem, Deus Deum, æternus æternum, imensus immensum ac per omnia sibi cœqualem, & de plenitudine tua omnes accepimus. Te enim, largissime fons omnis boni septemplex gratię pretiosum lumē: Te, inquam, piissime spiritus deprecor, vt si qua pro fragilitate mea in veritate maiestatis tuę minus intellexi, & in præceptis dominicis intellecta per lasciuiam carnis neglexi, tua me visitatione illustrare digneris: quibus ea decenter & mihi necessariē corrigam, meiq; erroris per te misericordiam consequar, vt per te, quem in periculoso huius vitę pelago in auxilium aduocaui, sine naufragio ad portum perennis requiei perducatur. Te itaque, Pater clementissime, peto, vt qui me primitus creasti, per passionem vnigeniti tui recreasti, quicquid ad laudem tuam pertinet, me cogitare facias & amare. Sed quia fragilis sum, nec possum perficere, sedula tamen confessione concedas me studere, vt redemptionis ac saluationis tuę gratiam consequar. Et quicquid deinceps operis agam, ex tua, & per tuam, & in tua gratia ad laudem tuam totū peruenire facias, meq; deinceps tuere à peccatis, & in bonis operibus validiorē esse precipias, & vt quamdiu in hoc corpore viuā aliqd seruitii tibi semper exhibeam. Post exitum v. animę meę

A mæ meæ à corpore veniam omnium peccatorum consequi & vitam æternam me percipere concedas. Per eum, qui tecum uiuit & regnat per omnia secula seculorum: AMEN.

Beati Anselmi liber, qui Speculum Euangelici sermonis, alias Stimulus Amoris inscribitur, explicit.

**EIVSDEM B. ANSELMI
IN HOMILIAMEVANGELII SE-
cundum Lucam: Intrauit Iesus in quod-
dam Castellum.**

P R A E F A T I O.

Intrauit Iesus in quoddam Castellum. Quid ad gloriosam Dei genitricis lectio ista pertineat, ut in festiuitate eius legatur, plerique solent querere. Vnde quid ego sentirem in Conuētu fratrum, prout potui vulgariter iam plus exposui. Et quia quod dixi auditoribus placuit, dicta literis mandare; & ab eisdem Dominis Abbatibus Guillelmo Viscanensi, Arnolfo Tuarnensi iussus, immo coactus sum. Quod ideo dixi, ut expositiuncula ista, tanquam à præsumptuoso edita, non displiceat: quoniam non præsumptio sed obedientia edidit. Iam nunc ergo expositiunculam istam salua fide ac fine præiudicio melioris ad laudem eiusdem virginis & matris Iesu humiliter scribere aggrediar.

Explicit Prefatio.

*Euangelium secundum Lucam.
Cap. X.*

In illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam Castellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, &c.

Homilia lectionis eiusdem.

In Scriptura sacra res vna & eadem multoties inuenitur diuersa significare, sicut leo, hædus, ignis, aqua, vel etiam Sol, & alia multa. Est enim leo de tribu Iuda; & est leo, qui circuit quærens quem deuoret. Est hædus emissarius, qui peccata nostra portauit; est hædus à sinistris qui damnatur. Est ignis quem Dominus misit in terram, & quæ vult ut ardeat: est ignis, qui sup impios cadit, ut nō videant Solem. Est aqua, cuius flumina fluunt de ventre credentis; est aqua, cuius tempestas non demergit. Est Sol iustitiæ, qui nos illuminare solet; est sol qui nos vrit per diem. Licet ergo castellum aliàs malum significet, ut illud de quo dicitur: *Ite in castellum*, ubi & quod additur, *quod contra vos est*, planè manifestat quid significet: tamen hoc castellum, in quod intrauit Iesus, singularem intemeratam virginem eiusdem Iesu genitricem salua Scripturarum regula per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris & murus in circuitu eius. Quæ duo sese inuicem defendunt, ita ut hostes per muros ab arce & à muro per arcem arceantur. Huiusmodi castello non incongruè virgo Maria assimilatur, quæ virginitas mentis & corporis quasi murus ita vndique vallauit; ut nullus vnquam libidini ad eam esset accessus, nec sensus eius aliqua corrumpentur

illecebra. Et quia virginitatem cum libido non possit solet impugnare superbia, est in eadem virgine turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem, cum superbia non possit, solet impugnare libido murus virginitatis à turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus videlicet virginitatis, & turris humilitatis ab alterutro muniuntur, ut nunquam in humili virgine fuerit nec superba virginitas, nec inquinata humilitas: sed semper in eadem permanerit, & humilis virginitas & virginalis humilitas. Quamuis autem quod dicitur ita verum sit, ut nihil verius Christiana fides credere possit; ponamus tamen aliqua de Euangelio virginitatis eius & humilitatis testimonia. Quippe cum ab Angelo filius ei promitteretur, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Si cui libet virgini desponsatæ in animo suo disponenti nubere diceretur, filium habebis, non miraretur, neque interrogaret, quomodo istud fieret, utpote quæ se desponsatam, & in proximo nupturam sciret, & à viro grauidati vsu naturæ speraret: hæc autem nō immeritò mirata est, & quomodo fieret quod promittebatur sciscitata, quoniam quamuis desponsatam tamen se nunquam nupturam; neque virum cognituram certissimè sciebat. Hæc de virginitate. De humilitate verò dicendum est, quod cum ab Angelo salutareretur & mater Dei eligeretur, quomodo fieret salua virginitate, cui tantum timebat, doceretur: & benedicta super omnes mulieres prædicaretur, respondit: *Ecce ancilla Domini.* Et in alio loco: *Quia respexit humilitatem ancilla sua.* O sublimis virgo mater Dei! o mater humilis ancilla Dei! Quid sublimius esse posset? Sunt qui castellum hoc Magdalum fuisse arbitrantur, à quo Maria Magdalena cognominatur. Quod si verum est, prædictæ interpretationi famulatur. Magdalum enim turris dicitur, & humilitati comparatur: Hic verò nō nominatur, sed tantum *quoddam* dicitur, quod indiscussum præterire non debemus. Quoddam, id est, singulare castellum fuit virgo Maria. Quæuis enim & multæ aliæ murum virginitatis habebant, & turrim humilitatis, id est, & virgines sint, & humiles: tamè salua virginitate matres esse nō possunt, neque filios generare, quod ista sola fecit. Et ideo castellum hoc meritò *quoddam*, id est, singulare dicitur: quia ista singulariter & mater & virgo, quod nulla alia esse potuit vel poterit: verum concedamus aliquam & matrem esse & virginem, quamuis sit impossibile. Etiam sic virgo Maria singularis erit quia vnicū Dei filium genuit, qui sicut est vnicus vnico patri; ita est vnica matri. Et ideo etiam si virgo pariat, nulla vel eundem vel talem generabit alium. Est ergo castellum quoddam in quod intrauit Iesus: porta verò, per quam intrauit est fides. Quia enim credidit, perfecta sunt à Domino ei, quæ ab Angelo dicta sunt, sicut ait ad eam Elizabeth: nec quia Iesus intrauit castellum hoc, violatū est. Iesus enim saluat, non violat; confracta solidat, non cōfringit solida. *Secundum nomen eius, ita & opus eius. Et mulier quædam Martha nomine, excepit eum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria:* duæ istæ sorores, sicut Patres sancti plenissimè nobis exposuerunt, duas in S. Ecclesia vitas designat, Martha scilicet actiua, Maria contemplatiua. Ista laborat ad exhibenda indigenti oīa humanitatis officia; illa vacat & videt quoniam Deus est. Ista circa exteriora occupa-

Aputur, illa interiora contemplatur. Sicut enim mater Dei est singularis, ita & istarum vitarum effectus, quarum istae sorores typum tenent, in ea exitit singularis. Nunquam in aliqua persona imò in omnibus sic Martha operata est, nunquam aliàs, sic Maria contemplationi vacavit. Nunquam illa vel hæc aliàs quod suum est sic exhibuit. Cum Martham vel Mariam dico, eorum significata intelligo. Sed iam videamus actionem huius Marthæ, deinde coniciamus contemplationem huius Mariæ. Et ut planius id faciamus, quid alii per Martham operantur, & quid est ista operata conteramus. Alii hospitem quemlibet in domo sua suscipiunt, ista non quemlibet, sed proprium Dei filium, qui non habet, ubi caput reclinet, non in domo, sed in vtero suscipit. Alii nudum quemlibet veste mutabili atque corruptibili vnde libet composita operiunt, illa Verbum Dei in eadem virginea carne in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis atque incorruptibilis permanet. Alii quemlibet elurientem & sitientem cibo vel potu exteriori reficiunt; ista Deum & hominem humanitatis indigentem, non solum exterioribus cibis vel potibus pavit, verum etiam interiori lacte suo aluit. Et ut breviter illa sex misericordiarum opera percurramus, quæ cum vni ex minimis suis fecit, Deus tibi facta confiteretur. Ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam & iacentem non solum visitavit, sed etiam balneando, fouendo, leniendo, gestando frequentavit, ut merito de ea dicatur: *Martha satagebat circa frequens ministeriū.* Comprehensio & crucifixio, quasi in carcere positio affuit, sicut scriptum est: *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.* Inter hæc autem turbatur, & sollicita erat cum fugeret in Ægyptum à facie Herodis, quæ suum talem filium adeo persequebatur, ut multos suspectæ ætatis pueros occideret. Turbatur cum Iudæos insidiantes, & mortem ei inferre molientes cognosceret. Ad ultimum turbata est valde, & iuxta Simeonis vocem, suam ipsius animam pertrāsit gladius, cum videret suum talem filium comprehendi, ligari, flagellari, conspuui, spinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori, sepeliri. Vnde ei congruit, quod dicitur: *Martha, sollicita es, & turbatur erga plurima.* Nemo verò dubitat, quod B. Maria filium suum vellet liberari de omni tribulatione, & seipsam in perturbatione adiunari à diuinitate, quam filio suo esse sciebat per theoriā, quæ est pars Mariæ. Hoc est, quod Martha conqueritur, quod eam soror reliquerit solum ministrare, & eius auxiliū in ministerio flagitat. Hæc de parte Marthæ. Porro de parte Mariæ, quæ optima predicatur, quanta & qualis in B. Maria fuerit, quis dignè loquatur? Si talis est, ut diximus, imò quia melior est, quæ diximus in Beata Maria, pars Marthæ, quæ tamen à Domino non laudatur: sed tamen non vituperatur, qualis est pars, quam optimam Maria elegit, quæ sic laudatur, ut ab ea non auferri dicatur? O quam magna multitudo dulcedinis fuit in Beata Virgine, quando Spiritus S. super eam venit, & virtus altissimi obumbravit ei, & de eodem Spir. S. concepit. Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, & in cuius vtero corpus sibi aptabat? *Christus est, ut ait Apostolus, Dei virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientia &*

Luc. 10.
Mat. 19.

Luc. 20.

1. Corint. 1.
Coloss. 2.

scientia absconditi. Christus autem in Maria: Ergo **C** Dei virtus & Dei sapientia, & omnes thesauri sapientia & scientia in Maria. Hæc non tantum ad pedes, sed etiam ad caput Domini sedens, audiebat verbum ex ore eius. Hæc conseruabat omnia verba Angelorum, pastorum, magorum, nec non ipsius filii sui, conferens in corde suo. Nemo unquam sicut ipsa gustavit, quam suavis est Dominus. Inebriabatur ab vberitate domus Dei, & torrente voluptatis sue potabatur. Nec mirum, quoniam apud eam, imò intra eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio vtriusque vitæ. Circa plurima ut Martha occupabatur, circa vnum ut Maria delectabatur: quia vnum est necessarium, plurima auferuntur, vnum manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singulariter optimam partem Mariæ elegit: sed pars Marthæ ei auferitur. Iam enim non erit sollicita, ut ministret ei sicut puero, cui omnes ordines Angelorum ministrant sicut Domino. Iam non turbabitur fugiens in Ægyptum cum eo à facie Herodis, quia ipsa ascendit ad infernum à facie eius. Iam non turbabitur erga plurima, quæ fecerunt filio suo Iudæi, quia omnia subiecta sunt ei. Iam filius Mariæ à Iudæis vel militibus non flagellabitur nec occidetur: quia Christus ex mortuis resurgens iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Pars ergo Marthæ ei auferitur, sed bono suo: pars verò Mariæ ei perficitur, quæ non auferetur ab ea. Exaltata est enim super choros Angelorum, repletum est in bonis desiderium suum, videt Deum facie ad faciem sicuti est, gaudet cum filio in æternum. Hæc est pars optima, quæ non auferetur ab ea: cuius & nos participes sumus, & mentis & precibus eius per Iesum Christum filium eius, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus S. per omnia seculorum secula: **A M E N.**

Rom. 8.

Beati Anselmi Homilia Euangeli secundum
Lucam: Intrauit Iesus &c.
explicit.

**IN PASSIONEM D. GVI-
GNERI SOCIORVMQVE**
eius: Prefatio.

**F. IOANNIS PICARDI, ECCLE-
sia Sancti Victoris Parisi nsis, Ca-
nonici Regularis.**

Ts vastissimam illam rei literariæ cladem, quæ non solum tor egregia veterum monumenta vel corrupit, vel truncavit, sed etiam innumeros, eosque præclaros Scriptores totos absorbit, nemo non ægerimè ferat (si Licinius & Philonidas exceperis) eam tamen longè iniquiori patietur animo in deperditione Historiarum Sanctarum, ob præstantissimam, quæ ex his hauriuntur, virtutis & fidei Christianæ documenta. Igitur de Republica Catholica optimè fuerit mentus, quæ ad alicuius Martyris aut Sancti historiolum scribedam appulerit animum & manum. Licet enim alio arcu, pauloque remissiori, non tamen alii iaculatur scopo, scilicet Martyrum gloria: quorum honor, ut asserit (a) D. Hieronymus, vir maximè Catholicus & sacrae legis peritissimus (hoc eius elogium apud (b) Seuerum Sulpitium) redundat ad Dominum qui ait, Qui vos suscipit, me suscipit. Quamob-

a ro 2. epist.
ad Roman.
b in huius
epistolam
Calli.

Cornuba
Cornuallia
vel Cornu-
gallia est An-
gla præfecta
ra in Armo-
ricum lituus
obuertens, ve-
teres Heleni
dixere.

A rem Catholicus quilibet se Anselmo plurimum debere fateatur necessum est, ob victoriam non vnus, sed 778. Martyrum à se posteris relictam. Quam tantò hilarius suscipere oportet, quò pau- ciores meminerunt, immo nulli eorum, qui Ha- giologia, Martyrologia, aut Britannia historias scripsere. Sed nec id silentii veritati rerum gesta- rum aliquid detrahit: contra, plurimum addit Scriptoris sanctitas eruditioque, nec non desig- nata vniuersa speciales circumstantia locorum, personarum, rerum, styli Anselmiani nota facili- tas, simplicitas, nominis subscriptio & narratio contexta ex Maiorum traditionibus, locorū mo- nimentis residuis, consignataque literis memo- ria. Quibus argumentis si peritax aliquis mi- nimè accredat, iure censeas indignum cui nò cre- datur, etiam vera dicenti. Hanc autem historiam è scripti Codicis nostri tenebris nunc primum e- rutam, lector religiose, tibi damus: quam si forte rideant segetes hodierni, rideant.

**PASSIO SANCTORVM GVIGNE-
ri, Fingar, Piale & Sociorum, scripta à
Beato Anselmo Cantuariensi
Archiepiscopo.**

POSCI fideliter satis (charissime) Martyris sacri Guigneri, sociorumq; eius admirabilem vitam, quam prius breuibus notulis retinebas, vi- ctoriaeque triumphū latiori tibi explicari sermo- ne. Cupio sanè deuotioni tuae parere deuotus: Etsi non dignè, vt gestorum fortium deposcunt magnalia, tamen pro ingenii facultate Sancto- rum laudibus occupabor intèrus: Quoniam laus mi- litis gloria est Imperatoris, & dum Sancto- rum virtutes narrantur, Christi gloria praedicatur. Spon- det ergo deuotio, quod negat scientia & Sancto- rum fides: quod non promittit facultas, totum e- orum praesumam de meritis. Nec de eloqui pau- pertate confundar, quoniam pro certo non in ni- tore sermonis consistere regnum Dei monstrauit, qui ad sui gloriam praedicandam Idiotas & pisca- tores elegit. Gloriosus equidem & praedicandus ubique Domini Confessor Patricius, cum in Cor- nubia partibus sanctis actibus moraretur inten- tus, admonitus est voce Angelica, vt Hyberniae insulam, fidem Christi in ea praedicaturus, adiret. Tunc fidelis seruus & prudens, Domini visione comperta sine mora surrexit, & locum sibi praes- gnatum à Deo in nullo barbarè & incredulè gen- tis expauescens feritatem, experit. Cuius aduen- tu fama vulgante praecognito, septem nominata iam insulae Reges cum Pontificibus, idolorum, cū satrapis eiusdemque gentis non minima multitu- dine in Sancti conuenere occursum. Hos Sanctus Domini fide integer & deuotione plenus aggre- diens cepit eis Euangelium Christi cum fiducia praedicare, & in Iesu euangelizare salutem. Ve- rum quia vas plenum absinthio, nisi prius amari- tudine pulsa, alterius liquoris nò admittit dulce- dinem: Illi adhuc pleni spiritu superbo doctrinā salutis recipere noluerunt. Sed cernentes humi- litatem & vilitatem habitus attendentes non the- saurum latentem interius, sanctum & verè Apo- stolicum virum penitus contempserunt. Fuit in- ter iam dictos Reges nobilior vnus ac potèti- or Annibus nomine Clito. Huic erat filius adolescens bonae indolis vocabulo Fingar, electione diuina praecognitus & sancti Sp. iam gratia perfusus. Hic

ex vniuersis solu. Sancto assurgens Patricio, quo potuit honore, virum Dei suscipiens cessit, & in loco, quo federat ipse cum sedere fecit. Iratus pater seuerus & indignatione grandi succensus in filium, dicens, q̄ Deorum suorum intenderet euacuare culturam, & nouam Christianorum per S. Patricium introducere legem, regno expulit, & solo fecit exhaeredem paterno. Cui plures ex nobilib. Hyberniae precati adolescentes dulcissimo amore coniuncti, pariter profecti coexules, terra mariq; minore in Britanniam peruenerunt. Quo audito Iudex Britannia in terram suam nouas ac- colas aduentasse, eos sibi exhiberi precepit, & dili- genter inquirens qui essent, ad qd vel vnde venis- sent: responderunt, se de Hybernia pulsos; serioq; prescriptionis suae ratione exposita, petierunt, vt prouincia sua locum atq; licentiā eis concederet p sua clemētia. Ingenuitate v. adolescentum com- perta, simulq; exilii causam Dux agnoscens, sum- ma eorū petitioni liberalitate assentiens, tantum eis terrae ad habitandum concessit, quantum vnus equitando posset currere per diem. Praecipitque venerationi habendos, & maximè Fingarem cen- suit excolendum. Domini igitur gratiam in om- nibus cōsecuti diliguntur ab omnibus, ab omnib. honoratur, & cum indigenis de cetero noui ho- spites familiariter habitare ceperunt. Sed cū iam prudentia Summi Dei tyronē suum Fingarem suis artibus vellet applicare obsequiis, tali cū arte dis- creuit. Die quadam cum suis confortib. ad venā- dum egressus, repertū canes ceperunt agere cer- uum, qui cū canib. importunè infestantibus, ea qua illud animal solet ferri velocitate aufugeret, solus Fingar cū canibus relictis sociis profectus est fugietem. Quid plura? ceruū retinuit, occidit: & detracta pelle frustratim concidens per artus e- quo imposuit, quasi reuersurus ad socios, qui cū nebula obducere perdiderant. Sed cum respersa sanguine vestem ac cruetatas manus vellet ablue- re, hucillucque circumspiciens, nò inueniebat a- quam: & labari cuspidē in terra defixa, improuisi fontis gratissima manās vena defluxit. Laticis no- ui miratur fluente, & illius virtuti factum deputa- uit, qui antiquū populū silice percusso potauit. Comparatur, si placet, factum cū antiquo S. Cle- mentis miraculo. Nam q̄ ille pede agni fontis co- gnouit thesaurū: iste acumine teli bullientem ve- nam inuenit. Deniq; cū lauandus se ad fontem disponderet, inclinans se in aquā, per vmbra- formoli vultus sui pulcritudinem attendens (erat n. speciosus valde & decorus aspectu) cepit laudare Deum & benedicere, qui tantā ei contulerat gra- tiam. Et ex illa hora se ei seruiturum tota denoti- one spondens, soluto de capite equi freno, liberū quo vellet ire permisit. Ipse v. inter saxa sub quo- dam specu latitans, quercuum glande aliquanto tēpore vixit. Socia. eius p loca diffusi tota inten- tione querebant eum, & cū nò inuenissent, an- xii valdè & dolentes reuersi sunt ad habitaculum suum. Dominus a. Britannia cū audisset illum deesse, euocatis ad se sociis ei, requirebat eis quò deuenisset, vel quid de eo factū fuisset, & alliga- tos in custodia tradens cōmuniabatur iurans se oc- cifurum oēs, nisi ei veritatē indicarent; arbitrans ab eis in cōtentione vel litigio interemptum. Sed cur hominē occidissent, p cuius amore natale so- lum reliquerant, laboresq; sustinuerant infinitos, terrae marisq; discrimina tolerauerant multa? Deniq; tristitia qua afficiebantur p eo, non homici- das,

*Hac est, quā
vniuersa Ar-
morica, seu
Aqui amica
vocat. vi-
pote in Gal-
lia Celtica
constituta.
Gallice le pa-
ys de Brecai-
gne.*

*Labarū non
videtur hic
accipi pro ve-
xillo militari
de quo mul-
ta Baron. 10.
3 & 4. sed
pro hasta ad
feras necan-
das idonea.
Ex. 17. Nu.
20. Psal. 97.
104.*

*Cornuba
Cornuallia
vel Cornu-
gallia est An-
glia praefectu-
ra in Armo-
ricum litus
obuertens, ve-
teris Helenū
dixere.*

*a 20 a. epist.
ad Riparia.
b in hunc
Postolum. &
Calli.*

das, sed veros monstrabat amicos, & tales, quibus credi non de odio, sed de amicitia debuisset. Exposito tamen, qualiter inuentione cerui decessisset ab eis, ad eum iterum inquirendum se offerunt. Loca se monstraturos, ubi socium perdidissent, si viros, qui eum sagacius scirent inquirere, destina-
ret. Itum est, & multo labore inuentus ad presentiam Ducis adducitur: Et cum Dux de eius inuentione latus, facti benigne causam inquireret; respondit, se omnino diuinis mancipatum obsequiis, nec vlla vnquam ratione ad seculi deinceps posse redire officia: si tamen ei locum in quo constructo oratorio Deo quietius posset seruire, pro sua vellet benignitate concedere, libenter susciperet. Dux vero benignus eius voluntati fauere consentiens, locum assignauit; & totam insuper terram, quam ei & sociis eius prius ad habitandum concesserat, liberam ab omni tributo perpetuam delegauit in dotem. Ingreditur igitur electus Domini Fingar locum Ducis clementia consignatum, prædiis ac possessionibus dotatum amplissimè atq; ditatum, ac mente tota ac deuotione in cælestis solii habitationem intentus habitaculum sanctificationis, in quo Deus perpetuo laudaretur, instituit. Accingit se deinceps seruus Dei fortius ad opera fortiora, carnem domat, roborat spiritum, & persequendo seipsum, seipsum perficiebat in Domino. Post tempus aliquod ad locum natiuitatis admonitus hortatu angelico redire iubetur. Quod cum Domini in omnibus presidio fultus redisset, Hyberniam Christi legibus subditam, in confessione Christiani nominis gloriantem, & totam lauacro sancto perfusam inuenit. Gaudet serui se Dominum accepisse, Christiani fideles consortes patronum. Rogant eum, Clitone patre defuncto suscipere regnum, cupientes defensorem tale habere, cuius prouidentia gubernaretur regnum, & noua adhuc Christianitas tueretur. Tibi, inquit, excepto qd fidei Christianæ te cupimus habere fautorem, ex genere Regis honor debetur, ad te hæreditas pertinet, tibi hæreditario iure cedit possessio. Tum ipse: Partite, inquit Christianissimi, semel dedicatus sum Christo; illi soli me seruiturum deuoui, ad officia seculi deinceps reuer-
ti non possum: Quoniam nemo mittens manum ad aratum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei: Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt placeat ei, cui se deuouit. Et cum rogantes pia importunitate instaret: in vanum, ait, fratres tantis precibus laboratis: ego n. vobis eum diutius detineri non possum. Sed si vultis agere secundum meum consilium, eligite virum industrium ac fidelem, vnum ex nobilibus patriæ; cuius prouidentia moderetur regnum, & Christianæ fidei tueatur religio: & illi Germanam meam Pialam in vxorem simul cum regno tradite. Fuerat autem clarissima virgo Piala, nobilissimi Regis Clitonis filia, soror S. Guigneri, lauacro purificationis regenerata in Christo. Sancti igitur instructi consilio virginem sacram alloquuntur de sponso. Quibus illa, tota in amore Christi fundata, respondit. Sponsus meus Christus est, qui me per suam gratiam regni sui elegit consortem: Huic fidem promisi, quam violare non debeo; & ideo alium ipsam præter ipsum non possum suscipere. Regni huius gloriam contemno, quæ nõ debet dici gloria, quia non potest carere miseria; & ad regnum, qd promittit Dominus Iesus Christus, suspiro: vbi non est dolor vel tristitia, sed perpetua iucunditas,

& lætitia sempiterna. Cernens autem Sanctus virginis intentionem in Christi solidatam amore ita vt nulla posset ratione ad consensum coniugii flecti, ait: Sinite eam fratres, nolite contra Dei beneplacitum niti: ipse sic voluit, & sic futurum prouidit. Regnum istud Dei prouidentia committamus; ipse secundum suam voluntatem prouidebit tutorem ac defensorem. Et omnibus valedicens parabat profectioem. Secuti sunt eum septingenti septuaginta viri, & septem Episcopi: quos Sanctus Patricius per aquam incorruptionis Christo genuerat. Pleni Deo, & diuina lege instructi, cupientes beatæ peregrinationis eius esse consortes in Domino: Inter quos fuit supradicta virgo Piala, soror Beati Guigneri. Sancto igitur consortio omnes adunati in Domino, simul cum Patrono ad littus vsque procedunt: repertoque pro voto nauigio, nauem omnes vnâ conscendunt. Paululum iam altius nauigando à terra discesserant; cum ecce virgo quædam nomine Hya, nobili sanguine procreata, peruenit ad littus, fœlici Sanctorum cupiens adunari collegio: cernensq; procul à littore iam remotos, nimio anxiebat dolore, & fixis in terra genibus, manus & oculos ad sublimia erigens, mente consilium è cælo efflagitabat deuota. Et Modicum inferius relaxans obtutum, contemplatur super aquas folium paruum; & protensa virga, quam manu gestabat, tangens illud volebat probare an mergeretur: & ecce sub oculis eius cœpit crescere & dilatari, ita vt dubitare non posset, à Deo sibi illud obsequium missum. Et fide fortis, folium audacter conscendens, mirabiliter Dei virtute prolata, alterum socios præuenit ad littus. Hæsitandum non est de operibus Dei. Nam qui transituro populo mare rubrum potenter diuisit; & Helia Iordanem aperuit, & Petrus supra aquas currere fecit: ipse quomodo voluit, virginem suam transuexit. Socii vero, datis velis æquoreos fluctus secantes, prospero cursu applicuere Cornubam, ad portum, qui vocatur Heul: vbi iam præuenerat eos sacra virgo Hya potentia Dei transuecta; & descendentes de nauis quoddam habitaculum non longè à littore inuenerunt, in quo virgo quædam sancta manebat inclusa: & nolens Sanctus Guignerus eam inquietare; saluata virgine ad alium locum transire præsenti: vbi cum aquam deesse cerneret Sanctus, plena de Iesu Christo fiducia præsumens, oratione præmissa baculum in terra fixit, & confestim limpidißima aqua Sanctorum profiliuit in haustum. Post cibum vero proficiscentes inde, ad vilam quandam, quæ vocatur Conetconia, perueniunt. Vbi quædam mulier fidelis & timens Dominum, nomine Coruria, non modicam eis exhibuit benignitatem. Nam cum omnes habitacula eius capere non possent, nec haberet stramè, in quo omnes possent pausare, detectis domibus culmum, quo operiebantur, in Sanctorum cubitum commodauit: Vaccam vnâ eis mulier charitate plena in cibum dedit. Qua occisa, & eius carnibus prout oportuit diligenter paratis, pariter comederunt. Denique cœna in gratiarum actione cõpleta, iubet Sanctus Fingar nudata car-

Piala soror
Beati Guigneri.

Hya virgo
nobilis.

Hya mare
transiit opus
folii cœli
missi.

Hya solo
est folio casto
ros ad littus
præcesserat.

Guignerus
baculo in
ram fixo, a
quam dedit
nat.

Guillelmus
Malmesber.
lib. 4. de gg.

Pont. Angl. narrat idem pond egiße sacram Werburgam, cüm eius villicus aucam syluestrem iniquè edisset: Iubet, inquit, ossa recolligi, nec mora, signo virginæ manus medicante, cutis & caro ossibus superinducta: cutis cœpit plumescere, donec ales animata, saltu primo alaci, impolatu se librauit in æthera.

Anibus ossa omnia congregari in vnum, & desuper eiusdem vaccae pellem deponi. Tum Confessores Christi omnes qui cum eo erant, ad orationem inuitat, dicens: Oremus, fratres, ut Deus, pro cuius amore mulier officiosissime nobis istam seruituit vaccam, ei restituat. Et oratione completa sub omnium oculis stans pulchrior quam ante fuerat vacca apparuit. Deinde de lacte eius sibi offerri mandauit. Quo hausto simpliciter deprecatus est Deum, ut vena lactis vberior quam in aliis vaccis triplicaretur in illa. Quod non solum in ea, sed omnibus, quae ex ea processerunt, factum esse narratur. Mane autem facto, cum iam iter agere vellet, respicientes viderunt omnia habitacula resecta & reparata, ita ac si nunquam discooperta fuisset. Tunc fideles, qui praevio S. Guignero Christi vestigia sequebantur per singula loca cernentes multiplicari mirabilia Dei, magis magisque confortabantur, & in fide & amore Christi confirmabantur. Et bene Christus debuit talibus consolationibus suos confirmare testes, & consolari, quos per palmam Martyrii in proximo disposuerat coronare. Mane autem facto pergentes gradiebantur per loca quaedam siluestria. Sonuerat iam peruulgata fama in auribus Theodorici Regis Cornubiae, in terra scilicet sua Christianam multitudinem aduenisse; & timens odibilis Deo tyrannus, ne populum suum ad fidem Christi vellent convertere: conglobatis militibus ad locum ubi sanctos esse cognouit, truculentior fera cucurrit. Non expectat causam, rationem non quaerit, non vult audire sermonem: sed veniens improvisus a tergo, subito oves Christi leo cruentus aggrediens, perimit, trucidat atque prosternit. Caduntur sancti, truncantur, dilaniantur, & alii amputatis capitibus, alii confossi gladiis inhumanè, alii trucidati, omnes vna die Christi Martyres effecti sacrae mortis compendio perennis vitae brauium perceperunt. Paululum S. Fingar tunc fortè separat a suis in valle quadam resedens operiebatur sequentes. Vbi cum solo baculum, quem manu gestabat, fixisset: mox ad se sambucam retraxit, tons è terra fecundus erupit. Qui utrinque duplici saxo decenter inclusus, vsque in hodiernum diem copiosa vena fluitare non cessat. Et subito audiens murmur in comitatu exurgere, miratus quid esset, festinas ad sanctos regreditur: Cernensque passim immolari hostias Christi, & hostilem gladium per sanctorum membra discurrere: paucis, qui cum eo erant, ait. Ecce fratres, hic est locus pavationis nostrae, hic prouidit Deus finem dare nostris laboribus. Venite ergo, fratres, & libenter immolemur pro eo, qui animam suam dedit redemptionem pro multis. Non timeamus eos, qui corpus occidunt, sed illum potius, qui potestatem habet & corpus & animam mittere in gehennam. Facis, inquit, fili Diaboli, opera patris tui: Et Tyrannus ad eum: Tu, inquit, manus meas non euades non effugies gladium. Tunc sanctus in hilaritate offerens acceptabile sacrificium Deo: baculo, quem manu gestabat, ex latere fixo ceruicem praeredit, ut ictum reciperet ferientis. Immanissimus verò Tyrannus erepto mucrone fortiter nudam ceruicem percuciens amputato capite Christi Martyrè fecit. Et confestim sacri corporis truncus, caput macherae licetoris, propria de ceruice truncatum, de terra collegit, & in montem, qui non longè distat a loco, propriis manibus poplite firmo incidens portauit. Erat villa quaedam in eadem late-

re montis sita, in qua cum mulieres litigantes audiret, litem loco imprecatur aeternam: ut inibi habitantes inter se litigantes nunquam desisterent. Vnde, ut fertur, terra licet fructifera manet tamen inhabitabilis: in vno fecunditatis gratiam retinet, in altero sancti maledictioni subiecta. Sanctus igitur Martyr nolens pro tumultu in loco reparare: resumpto iterum capite, alium vegetauit ad locum, ubi ipsum deponens caput cruentum diligenter lauit: in quo loco gratissimus tons ingruituo vsque hodie emanere non cessat; lauatamque diligenter resumens portauit iterum illud in alium locum. Qui locus ab eo, in quo sancti Martyres passi fuerant, interiecto paruo spatio euicidat saltus disparatur. Locus, qui de corpore sancti venam sanguinis refluentem suscepit, apertus continuo fontem edidit fecundum, qui utique hodie monstratur cernentibus. Vnus autem ex militibus cum sancti Martyris baculum ab eo loco, in quo eum proximus passio delixerat, rapere vellet: cernit bifurco ramo duplicem iam erupisse in frondem: & tanto tremefactus miraculo, non est ausus eum contingere. Cernitur vsque hodie in testimonium sancti excelsa (ut dicitur) a bor ex baculo, virtute Dei exaucta; sed cuius sit generis ignoratur. Sanctorum adhuc corpora per campum inhumata iacebant: & ecce nocte quadam relictis Christi eodem schemate, quo super montem in vlnis proprium caput detulerat, euidam viro Gut nomine tertio in visu apparès, ut se sepeliret monēbat. Expergestus homo uxori visionem per ordinem narraoat, quomodo videlicet de sepultura esset persuasus a sancto. Mulier autē dissuadebat fieri, ne fortè Regis iram incurreret, & ob hoc mortis sententiam mereretur: In crastinum verò cum canibus in campum venaturus egrediens, ceruum reperit; qui canum pernicitate infectatus fugiens, ad S. Martyris glebam procumbit, tanquam eius flagitaturus sanctitatis praesidium. Delinunt canes latrare ac persequi ceruum. & omni feritate laxata, pariter cum ceruo quasi sanctum venerates decumbunt. Contemplatur homo grande spectaculum; & repercussa mente in se reuersus, quae viderat noctu recogitans, diuino illuc nutu se reputauit adductum. Et accipiens corpus sanctissimi Martyris, veneratione qua potuit tumulauit. Deinde sanctorum Martyrum corpora studiosè per campum requirens, sicuti iacebant in campo sepeliuit. Post tempus aliquantum cum iam vinea Domini Sabaoth, id est ecclesia Cornubiæ terminos occupare cepisset: inchoata est deuotione fidelium super sepulchrū Martyris sancti Basilica. Et cum artificibus, qui in opere Oratorii laborabant, necessaria deessent, nec aliquis ministraret: sanctus eorum recordans qui eius deuotione famulabantur, obsequiis pronuncialibus circumquaq; in visu nocte apparens monēbat singulos, ut operariis cibum & necessariam opem ferrent auxilium. Venit tandem ad hominē quendam, qui taurum habebat indomitum, monens, ut ad operarios ductam eis largiretur in cibum. Mane autem facto sollicitus homo de visione sancti cepit cogitare, qualiter posset animal ceruicosum ac superbum valde subigere: lorisque arctatum, quò sanctus Martyr mandauerat, ducere: Et conscenso equo, ut quaereret taurum, egrediens cernit prius indomitum, modò Dei virtute mansuetissimum animal altare pro foribus, qui sponte ante dominum gradiens mansuetus

*Piala soror
Beati Guigneri.*

*Hya virgo
nobilis.*

*Hya mare
traicit opes
folii caelicia
missi.*

*Hya solo ve
sta folio cae
ros ad latus
praeferat.*

*Guignerus
baculo inter
ram fixo, a
quam deri
uat.*

*Guillelmus
Malmesber.
lib. 4. de ge.
cibus villis
i, nec mora,
perpendit
alacti, ing*

A recto itinere pergebat ad locum, ubi artifices in opere oratorii laborabant. Maestabatur bestiae & cernentes Martyris sibi adesse auxilium operis, de caetero deuotius institerunt. Aliud quoddam memorabile & dignum relatione in eiusdem quoque fertur basilicae constructione contigisse miraculum. Vnus quidam ex iis artificibus, qui in opere laborabant, cum in securi incideret, contracta in duo frustra diuisa est. Turbatus homo, iurare cepit & obstinari, se in opere de caetero nihil facturum. Quod cum audisset operis procurator, vir quidem bonus, qui pro Deo basilicae curam susceperat, & deuote se mancipauerat obsequiis Sancti. Ccepit consolari hominem, & blandis tristem demulcere alloquiis: & accipiens frustra in nomine Iesu Christi, & fractionis ruinas coniungens confestim meritis Martyris gloriosi compaginatum, & consolidatum est ferramentum; ita ut nullae de caetero fracturae vestigium apparet. Laudatur Deus in commune & benedicitur, & homo, qui se de caetero nihil facturum iurauerat, tanto confortatus miraculo fortior iam persistit in opere. Sed quoniam Sancti exorsus sum enarrare virtutes, illud inferendum credidi lectioni, quod & incredulis metum incutit, & vniuersos de Sanctorum reuerentia monet. Cum super saxum quoddam quod fuerat anchora nauis eius, in contemptum Martyris Sancti, duo milites insultando vrinarent, utrumque confestim diuina ultio percussit. Ambo enim arrepti a Daemone, alter eorum linguam frustatim concisam dentibus masticauit: alterius viscera per postrema diffusa sunt omnia, & sic vterque exitu expirauit horrendo. Ecce ex hoc potest satis perpendi, quanta Sanctos vult Deus reuerentia honorari, quorum contemptum tam districto disponit examine expiari. Super sarcophagum venerabilis cuiusdam Episcopi, qui de contubernalibus fuerat Regis Clitonis, corruptor quidam, gremia cuiusdam mulieris incestare praesumpsit, qui more canum in ipso opere turpitudinis inseparabiliter copulati, nulla poterat roe ab inuicem separari: Adducuntur tandem ad memoriam Martyris gloriosi Guigneri, ubi merito testis Christi & intercessione fidelium liberantur. Habebat praeterea aedituus Martyris sacri vaccam, quam cum scelerati homines quidam furati fuissent, ducentes super cornua eius subito duo luminaria ardentia conspexerunt: & tanto tremefacti spectaculo, redeuntes in crastinum, vaccam sacrificatae propriam reddiderunt: & aliam pro satisfactione commissi simul, & pro indulgentia supplicantes dederunt. Terra cum fide & deuotione Sancti de tumulo sumpta, per meritum Martyris pellit languores & perficit sanitates. Haec ego seruus Christi Iesu Anselmus de passione sanctorum & virtutibus Martyris praetiosi Guigneri iuxta fidem narrantium breui stylo digessi, ut habeant fideles, qui eius spiritali titulo gloriantur, quibus se lectionibus occupent, & patroni proprii fortia gesta cognoscant: & ob hoc nomen meum in sine subiuuxi, ut per meritum Martyris & orationem fidelium misericordiam merear Redemptoris Iesu Christi Domini nostri: qui cum Patre & Sp. sancto uiuit & regnat Deus per omnia secula seculorum.

**B. ANSELMI ARCHIEPI-
SCOPI CANTVARIENSIS LIBER
DE EXCELLENTIA GLORIOSAE
Virginis Mariae in-
cipit.**

Quod Maria excellit omnes creaturas.
Cap. I.

Super eminentem omni quod post hominem Deum creatum est, excellentiam Beatæ matris Dei quomodo cunque, & saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans; & contemplando, quod mihi inde capere conceditur, ad communem notitiam proferre desiderans, horreo peccatorum, quibus premor, enormitatem, & valde timeo, ne mihi tam alta petenti, mox obiciatur hoc Sacrae Scripturae dictum: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Verum cum recogito, sanctum Filium eius ob hoc, ut peccatis hominum mederetur, factum esse filium eius, non nihil spei concipio, quod vel parum concipiendi de sublimitate tantæ matris Dei scilicet genetricis, omniumque tam Angelorum quam hominum regina, sciens videlicet illam magis propter peccatores, quam propter iustos esse factam Dei matrem. Dicit enim ipse bonus Filius eius, *se non venisse vocare iustos, sed peccatores.* Apostolus quoque testatur, quod *Christus in hunc uenerit mundum peccatores saluos facere*, quorum se fatetur primum esse. Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me meique similes facta est Dei mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam eorum, cum tam ineffabile bonum sit factum ex ea ob curationem eorum? At ipsa curatio ad quos efficacius progreditur, aut in quibus misericordius operabitur, quam in illis, a quibus tantum bonum amatur, amplectitur & veneratur. Excitemus ergo mentem nostram, o fratres, & enitmur quantum possumus, ut in celsitudinem tantæ Virginis attendamus, & quæ nobis miseratio filii eius reuelare dignata fuerit, pro laude eius prolata ruminemus. Eritne fortassis hoc ipsum optare nobis causa non parua salutis & salutatis ex vitiorum punctationibus animis medicina salubris. Quomodo namque fieri potest, ut ex memoria laudis eius salus non proueniat peccatorum: cuius uterus factus est via ad sanandum peccatores uenienti Saluatori? Quid dixi via, cum idem uterus thalamus Dei, aula Dei in qua habitaret, sit factus? verè etenim habitauit in eo: quoniam seipsum ipse in eo, & ex eo, quod prius non erat, fecit. O habitaculum mirabile! O habitare ineffabile, quem cæli cælorum, quem omnes rerum creaturarum machinæ capere nequeunt, virginalis uterus Beatæ Mariæ cepit, quando eundem ipsum de se verum & perfectum Deum & hominem in vna persona cœcepit & generauit: via tamen ipse uterus extitit, quæ per illum **DEVS HOMO FACTVS**, in mundum visibilis venit.

De origine Virginis Mariae.
Cap. II.

Quamuis igitur hoc solum de sancta virgine prædicari, quæ Dei mater est, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari

A tari potest, & altissimum quid habeat etiam hoc ad contemplandum & ruminandum mens humana, quæ ad Dominum anhelat: tamen quoniam modò venit in cor, vt de ea aliquid dicam: primo, parum de eius origine, ac deinceps, si quid tenuitas sensus mei de ipsa quod dignitati illius existimè non aduersari, capere poterit in medium proferre libet. Adsis igitur Domina, & non mea, quæ execror: sed tua, quæ precor, merita in illis digneris attendere, quæ vereor. Tu quidem nosti mentem meam in hoc esse, quòd me omnino indignum iudico de te loqui, aut aliquid scribere. Sed quoniam in ista tibi pietatis oculo super multos mei similes scio te respexisse, aliquo licet dignitati tuæ non digno meæ deuotionis obsequio: velim agere erga te, quatenus ipso consuetæ misericordiæ tuæ oculo, quandoque digneris me respicere. Tacitis itaque illis ab initio omnis creaturæ, vsque ad sanctum sui aduentum, sunt de hac Virgine prophetata, sicut tam per eos, qui ante legem, quam & per eos, qui sub lege iusti fuerunt. Illud conuicio apud me, natiuitatem eius, quam quidem ex linea generationis humanæ nõ nescio descendisse: magna quædam atque miranda diuinorum signorum indicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo nouit: qui eam, antequam nasceretur, in matrem elegit: quod in ea, vt æstimo, & non incongruè actû credi potest: quatenus eò maior veneratio fidelium circa eius ortum existeret. Quo enim alio modo sublimitatem tantæ rei altiori secreto celari quisque perpenderet? Nec enim Ecclesia Dei inconculsæ auctoritatis ducit ipsam Scripturam: quæ ortum illius ab Angelo prænuntiatum refert. Nam licet beatus Hieronymus iuxta alterius cuiusdam Scripturæ materiam, quam in adolescentia sua legisse: cuius auctorem se fatetur ignorare, eam retecerit, dicit tamen non eo pacto se scripsisse quod scripsit, vt aliquam descriptæ rei certitudinem Ecclesiis velleret inferre, sed hoc solo vt rogantibus amicis similem morem gereret. Vnde quemadmodum dixi, scriptum illud in auctoritatem Ecclesiæ suscipere noluit, videlicet indecens esse reputans de beata matre Dei, quid dubitabile in laudem eius recitari, cum ea, quæ incunctanter de illa vera existunt, tanta laudis materia sint referta, vt quicumque in laudando eam morari desiderat, necesse sit vt facultas eius, magnitudini rei & veritati succumbat. Sicut enim sola præcunctis meriti singularis enituit, ita quicquid eam attinet speciali quadam veritatis firmitate dignum est enutere.

De annuntiatione Angelica.

Cap. III.

Nata igitur & infantiles annos exuta, quam castè, quam sanctè, quam Deo dignè vitam instituerit, & institutâ egerit, quis vel cogitatu nõ dicam, dictu queat coniecturare? Nulli denique dubium, castissimum corpus & sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati, iugi Angelorum custodia protecta, vtpote aulam, quam suus & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in tuæ personæ vnitatem ineffabili fuerat operatione suscepturus. Et quid mirum? Nam inter omnes vsus obtinuit, si tamen caelestibus ad terrena potest esse comparatio vlla, vt cum præpotens aliquis & persona diues, aliquo vadit hospitaturus, vt clien-

tes præcurrant, vt locû muniant, mundet, ornent, & custodiant: quo venienti Domino suo aptus ad habitandû & congruus fiat. Quòd si talis apparatus fit pro aduentu terreni hominis, & momentaneæ potestatis; qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro aduentu caelestis regis & æterni, in corde sacratissimæ virginis, quæ illum non solû erat in semet transitiuè hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura? Si quidè *vbi venit plenitudo temporis*, quod suo aduentu ipse Deus ante tempora prædestinauit, misit Deus Angelum Gabrielem, vnum de primis principibus suis, scilicet regni sui, nuntiare tibi ô beatissima scæminarum instare salutem generis humani, & se eandem salutem operaturum, & ex te castissima per Spiritus sancti operationem, verum Deum & hominem nasciturum. O Domina audis quæ feruntur ad re omni seculo inauditam, paues & miraris, nulla tamè incredulitate moueris: verum indubitanter tenes apud te omnimodo impossibile fore non fieri, quòd Angelus dixit futurum esse. Credidit ergo, & certissimè intellexit Deum tam bonum, tam pium, tam omnis misericordiæ vitæibus plenum, vt ad terras de caelesti sede descenderet, & homo factus per indebitam tibi mortè genus humanum à perpetua vellet morte, qua tenebatur, eripere. Respondens ergo nuntio ait: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. O fides Deo accepta. O humilitas grata. O obedientia omni sacrificio iocundius Deo oblata. Quid ergo quod venientis Dei oculos offenderet in illa poterat residere, in qua tatarum virtutû insignia veniens inuenit redolere. Certè sola fide *Abraam* fertur Deo placuisse: & hoc, quia Deo credidit, ad iustitiam illi reputatum fuisse. Super humiles autem & quæ os, ac verba sua trementes, Spiritum suum requiescere, & obedientiam se pro sacrificiis malle asserit Deus. Cum igitur in his, quæ tantopere Deo placent, sancta virgo Maria tam excellenter illi placuit, vt nequaquam crederet quis illam aliqua ratione excellentius placere potuisse. Nimirum tenemus fide. Ab omni, si quid adhuc in illa originalis siue actualis peccati supererat, ita mundatû cor illius, vt nec super eam Spiritus Domini, scilicet super humilem & quietam & trementem verba sua totus requiesceret, ipsam voluntati dominicæ castissimo ac simplici corde obedientem, & omni holocausto suauiter acceptaret, virtuteq; *Altissimi* obumbratam: Filiû Dei ex illa incorporaret. Hic se suberigat intentio mentis humanæ, & pro posse paucis intendat: quati pendet omnipotens Deus merita huius beatissimæ Virginis. Intèdat, inquam, & contempletur, videat & admiretur, vnû Filium sibi consubstantialem, coæternû, omnipotètem, ex sua natura sine initio Deus Pater genuit, & per eum omnes creaturas visibiles & inuisibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam vnicum quam dilectissimum: & in omnibus omnino æqualem, nõ passus est remanere solû modò suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse beatæ Mariæ vnicum & dilectissimû & naturalem Filium, nec ita vt duo essent, vnus videlicet Filius Dei: ali' Filius sanctæ Mariæ virginis, sed vn' idè ipse qui Filius Dei, in vna persona esset Filius sanctæ Mariæ virginis, & qui Filius S. Mariæ, vn' & idè ipse esset in vna persona Filius Dei. Quis hæc audiens nõ obstupescat, & quòd Deus tale quid velle potuerit, nõ vltra omne quod dici potest admirabile ducat? Puella

de pte.

A de propagine Adam nata, de peccatrice progenie orta, subito versa vice maledictionis Euae: benedicta praedicatur super omnes mulieres, & concipit, & parturit, & parit hominem Deum, omnes prauaricationes propulsaturum, eosque, qui sibi obtemperarent, in caelesti regno suo sibi cohaeredes constituturum.

De amore Virginis ad Filium.

Cap. IV.

O Vam mirabilis natura & ineffabilis affectus amoris considerari queat, inter hunc talem tantae matris Filium, & hanc talem tanti Filii matrem, perpendant hi saltem quoquo modo, qui vnico dilectionis feruore sese aliternecus amant, mater scilicet filium, & filius matrem. Perpendat, inquam, aliqua bona mater quo affectu teneatur circa vnicum & bonum filium suum, & bonus filius simili modo perpendat, qua pietate moueatur erga bonam & dilectissimam ac dulcissimam suam matrem, & aliquatenus tentet, si quomodo in se coniectare valeant amore huius bonae matris erga verum bonum & vnicum Filium suum, & istius boni Filii erga verum bonam & dulcissimam matrem suam. Equidem omnes homines ex coniunctione duarum personarum, hoc est, maris & feminae procreantur, & amore suum utriusque personae, id est, patri & matri naturaliter debent, qui sic generantur, ipsumque nihilominus amorem suum pariter ambo, qui eos genuerunt. Cum autem amorem, quem pater & mater singuli debent filio suo, debet haec felicissima matrum sola Filio suo, amorem etiam quem debet quilibet filius simul suo patri & matri, ille Filius verae virginis suae debet soli matri. Nam sicut alii filii nascuntur ex patre & matre: ita filius eius natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor istius matris in Filium suum, & istius Filii in matrem suam. Et haec ita se habent iuxta rationem filiationis, quae facta probatur extra legem humanae procreationis. Alio quoque modo si placet amore huius Filii & huius matris perscrutemur, & quantum inde nobis concessum, prout possumus, speculemur. Certum quae generat, est temporaliter nata, qui generatur Deus est, per quem omnia tempora sunt, & ipsa met virgo creata. Ostendit ergo ipse prius amorem, quem habebat erga matrem virginem, & amorem, quo nullum putemus esse posse maiorem, matrem suam fecit illam, & virginitatem illi non ademit. Equidem haec duo ipsa iocundius amabat, scilicet virginitatem & fecunditatem. Virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat, fecunditatem, quia sine hac, maledictum legis, quae adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea seruanda virginitatis, & exclusit ab ea timorem incurrendae maledictionis. Virgo itaque & tenera & delicata, regali stirpe progenita & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim quod quanto sanctius eam seruaret, tanto sublimius ei, qui omnium castissimus: imo qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilis Domino esse cognouit, legem superauit, spreuitque maledictum datae legis, & credidit, reputans secum illum, cui placere quarebat tantae bonitatis & tantae

sapientiae, ut ante se, vel de se tutum consiliu, ne quid peccati in istis subiret, inueniret, nec decepta est. *Quis enim sperauit in Domino, & derelictus est ab eo?* Denique ubi tam sanctam intentionem eius, tam castum propositum eius, tam firmam fidem, constantem spem, & indeficientem vidit charitatem eius, misericordiae suae intuitu egit circa illam, ut nec sanctitatis intentionis eius frustraretur, nec castitas propositi eius violaretur, ne aut sanitas fidei infirmata, a spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo deficeret. Dedit ergo illi, ut & virgo, quod magis optabat, permaneret, & ut nemo illam a maledicto legis liberrimam dubitaret, fecunda fieret. Et unde fecunda? de illo, sine quo omnis fecunditas in sterilitate conuertitur, & igni consumenda succiditur. Et reuera dignum fuit, ut eo in virgine superueniente illa fecundaretur, quae paritura erat Deum, per quem totus mundus saluaretur. Quid ergo hic dicemus? Estne, putatis, vlla mens hominis, quae modum huius dilectionis, quam Deus ad hanc virginem habuit, queat penetrare: quando & illi, quod carius amabat, sic integre seruabat, ut eam tam dignam & castam fecundatam, suum ipsius matrem fecit. Potestne quaelo, vllus hominum, aut Angelorum istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quicquam cogitatu percipere comparabile? Erigite obsecro fratres mei, erigite aciem mentis vestrae ad contemplandum tantam ineffabilem & stupendam omnium seculo huius mulieris gratiam & exaltationem. Et tu, o beatissima feminarum, in qua fluxit tam copiosa & supereminens gratia omnium gratiarum, quid enim animi quaelo gerebas ad eum, qui tibi haec magna fecit? Unde sicut ipsa dixisti, iam ab omni generatione beata dici meruisti. Verum magnificauit *anima tua Dominum, & spiritus tuus exaltauit in Deo saluari* ipsius. Salutare mirabile, quod non solum Dominante inestimabili salute sublimauit, sed & totum mundum, peccatorum vulneribus putridum, ex te prodians mirabili dispensatione sanauit. Verum dum illum, qui sibi haec miranda fecit, paruulum inter manus suas versari, & ad verba sua pendere, & ad parui & teneri corporis lesiones paruulorum more vagire conspiceret, quo precor affectu piissimus eius animus mouebatur, quo studio ad occurrendum cunctis, quae incommoda illi fore timebat, parabatur castissimum corpus eius. Deus fili huius felicissimae matris, qui es virtus & vera sapientia summi Patris, oramus te, quatenus ipsa misericordia, qua factus es homo pro nobis, inlinuare digneris cordibus nostris, quo animo, qua cogitatione ferebatur haec dulcissima tua mater, cum te, inquam, talem ac tantillum in brachiis suis exultans & leta teneret, cum tibi infantulo dulcibus osculis & frequentibus cogauderet, cum te lachrimantem super genua sua, quibus poterat modulis consolaretur, cum denique aliis & aliis studiis, ad quae ipsam inaterna pietas informabat, tibi pro qualitatibus vicissitudinibus sedula blandiretur? Doce, inquam, nos, vel paruulum mente percipere affectum ipsum, quo replebatur cor illius, ut si eum peccatorum nostrorum squalioribus obruti, quantus fuerit plene non mereamur contingere, saltim pauca mereamur in nostris arumnis aliquatenus respirare: nec putet ab aliquo contemnendum, vel paruum quod sentire quolibet in se de affectu illius matris in filium suum. Nullo siquidem modo crediderim, quod is qui ad eum intelligendum prouehi meruerit, ab amoris eius dulces

A dulcedine extraneis vsquequaq; existere possit. Qui autem in dilectionis suauitatem transit, nullo pacto diffidendum, quin & in retributionis eius participium transiturus sit. Quam verò retributionem sui amoris sit adepta: tota Christianitas nouit, quæ illam super omnes cælos exaltatam & angelicis choris prælatam certissime credit. Eia fratres, quantum possumus enitatur aliquo modo affectum illius tam bonæ matris agnoscere, & in nobis saltem rei magnitudini succumbendo degustare, quo ipsius meritis adiuuari & dilectionis eius salutaris recreari: & aliqua futuræ cōsolationis mereamur remuneratione sublimari. Quicumque igitur aliquem sincero & dulci dilectionis affectu diligit, omnia commoda & iocunda ei succedere cupit illius incommodis si quæ acciderint mæstus ingemit, voluat & reuoluat hunc suum affectum apud se, & cogitet quid sibi esset, si adhuc quem fingere multiplicatus in se sedem maior existeret. Quæ cum fecerit, & hunc suum amorem quantumcumq; intellectu suo magnificatū amoris piissimæ matris Domine nostræ in Deum Filium suum aliquatenus cōparari posse putauerit, nescio vtrum audiendus in hac sua æstimatione. Nec mirum, ipse enim spiritus Dei ipse amor omnipotentis Patris & Filii, ipse per quem, & in quo amatur omne quod bene amatur. Ipse, inquam, corporaliter, vt bene dicam, venit in eam, singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt; siue in cælo siue in terra, requieuit in ea, & reginam ac imperatricem cæli & terre, & omnium quæ in eis sunt fecit eam, & alicui bono ad tempus debriato in animum cadet se quicquā amoris habere, quod illi amoris queat comparabile æstimari, quem hæc beatissima matrum ad ipsum habebat, à quo se tam ineffabili dignitate sublimitam intelligebat. Superat ergo omnes omnium rerum creaturarum amores & dulcedines magnitudo amoris istius virginis in finem suum, & dulcedinis immensitas qua exultabat & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum suum. Itaque cui saltem ita concessum fuerit sæpe dulci studio posse cogitare de illa, magnum promerendæ salutis indicium esse coniecto. Sed quid dicam? si tantus fuerit amor eius, & vere maior erga hunc dilectissimum Filium suum, quo quæso vel quali gaudio replebatur tota substantia eius, quando eum, quæ tantopere diligebat, quem Creatorem ac Dominatorem omnium rerum esse sciebat, secum egentem, secum edentem, se quæcumque nosse volebat dulci affatu docentem, haberet quid caperet?

De corpore beatæ Mariæ pro Filio crucifixo.

Cap. V.

Cum ergo tanta dilectione, tanta exultatione beata Dei Genitrix ex præsentia illius, & conuersatione foret iocundata: perpèdat qui potest, quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspiriis cruciabatur: quando eum à se crudelium manibus auelli, quando ad cōdemnandum eum tradi, quādo ad subeundum mortem iudicio iudicis iniqui tribunali conspiceret fisti. Fortè tamē inter hæc ei poterat esse, vt more loquar humano, aliqua spei cōsolatio de euasione illius, dum sententiam mortis eius pendere conspiceret, audiretque subalterationem præsidis ipsum liberare quærentis. *Corripiam ergo eum, & amittam, & lu-*

dæorum pessimæ plebis, ne liberaretur regnum Cæsaris contra præsentem appellantis. Verum dum prolata certa sententia mortis illius omnis eam spes euadendi defereret, cumque crucem, in qua suspendi debebat, humeris vsque ad locum suæ passionis subuehere conspiceret gemebunda. Estne precor aliquis, qui queat percipere qualitatem pectoris eius? Adiectus est his doloribus eius dolor alius Petrus, & alii discipuli eius de nihili in Apostolatam electi, etiam in tantæ celsitudinem virtutis, vt iam dæmonib. imperarent erecti: nec non secretorum illius cōscii & familiares in cunctis effecti, instante hora traditionis eius fugam ineunt, & cum pro quo se mortē paulo ante subituros promiserant obliti tantorum bonorū sponsonisq; suæ solum ipsa considerante relinquunt. Vide ipsum ad passionem omnibus amicis destitutum tendentem, hac voce sequebatur gemens: Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus, nō tibi occurrit Petrus qui dixit: *pro te moriar*. Reliquit te Thomas, qui ait: *Eamus, & moriamur cum eo omnes*, & nullus ex his nisi tu solus ducis, qui me castam conseruasti Filius meus & Deus meus. Verum hæc verba ex magnæ pietatis fonte producta, ita paucis ad hæc commemorasse sufficiat, vt ea oculus pietatis attendens, dum tantæ matris gemebundus affectibus compatitur piæ amoris illius fructu remunerari aliquando mereatur. Sed cum ad ipsam eius passionem ventum fuisset, & ipse cruci affixus hinc ipsam matrem suam, hinc discipulum quem diligebat prope astantes intuitus esset, ne matrem penitus orbatam relinqueret ei præsentem discipulorum suo loco in filium surrogauit: *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*. O commutatio pro æterno & incōmutabili Deo: purū & corruptibilem hominem, pro naturali & vnico filio seruum accepit in filium. O Domina que, precor, in te sibi succedebant, cum tam inæstimabilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas? Verè *pertransiuit animā tuam gladius doloris*, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusuis passionis corporeæ: quidquid enim crudelitatis inflictum est corporib. Martyrum leue fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis, quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiq; benignissimi cordis intima. Et utiq; pia Domina, non crediderim te potuisse vllō pacto, stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus cōsolationis, spiritus scilicet dulcissimi tui Filii, pro quo moriente conquirebaris, tanto per te torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subiicietem, quod in ipso fieri corā moribundo videbas. Mortuus est tamen, & ab oculis tuis te spectante sepulchro reclusus. Cætera silentio premo, penitus ignorans, vbi vel vnde aliquid dicendū assumam, ex quo luctus tui modum, o pudicissima Virgo, alicui proponere queam. Siquidem cum illum, quem te virginem cōcepisse, virginem peperisse, & post partum virginem noueras permanisse, necnon per quem te intelligebas ab omni generatione *beatam* dici meruisse, videbas iniquorum scruitia tam crudeli nece peremptum, tam subito tuis aspectibus abstractum, & sepulchri antro reclusum, quid ego? nescio quid haberem, vbi vel vnde acciperem, quod in cōsiderationem tui status animi quem gerebas eo tempore cuiuslibet pan-

Aderem: sed acerbitas doloris & mœroris in resurrectione eiusdem Filii tui Domini Dei nostri in lætitiã est conuersa. Et in quam qualẽmve lætitiã!

De gaudio resurrectionis.

Cap. VI.

Intendamus fratres mei: Supra dum gaudii eius exultationem, qua replebatur in conuersatione, secum adhuc in carne mortali degentibus istius Filii sui considerare niteremur, in ipso nostri animi nisu defecimus, & eam ultra omnem humanum intellectum magnam & mirandam esse aduertimus. Si ergo tam magna fuit, tunc cum ipsum bene sciret paulo post moriturum, quã vel quanta putatis fuit: tunc cum ipsum iam calcatis mortis legibus resurrexisset, non solum in æternum victurum, sed & cœli & terræ omnique creaturæ perenni iure dominaturum? Nolo hanc immensitatem gaudii eius penetrare quis laboret: quoniam quæ ipsis Angelis Dei est admiranda & impenetrabilis, nõ facile crediderim, quod cuius homini mortali possit esse penetrabilis. At si aliquis quærit: quare Euangelistæ non referant ipsum piissimum Dominum à morte resurgentem, huic suæ dulcissimæ dilectissimæque matri, vt eius dolores mitigaret, primò ac præcipuè apparuisse. Dicimus, quod à quodam sapiente de hoc ipso, seiscitantes audiuimus sic: tanta est suscitata auctoritas narrationis Euangelicæ, vt nihil in ea dependens, nihil inane, nihil superfluum reperiatur: ita quod si matri Domini, si Dominæ mundi ipsius Filii ab inferno resurgens scriberetur, sicut alii cuiilibet apparuisse, eamque de sua resurrectione docuisse, quis non tale scriptum superfluum duceret, reginam videlicet cœli & terræ, omnisque creaturæ coequare illis, quibus apparuit, viro aut mulieri? Spiritus eius in illa plene & perfectè quiescebat, qui sibi & esse illius & facta eius omnia luce clariùs reuelabat, & Euangelistæ scriberent tunc vel tunc illi talem semet exhibuisse. His itaq; paucis alicuius forsitan inquisitioni, prout accepimus, responsis, adhuc aliquid gaudii huius beatissimæ Virginis matris speculando præ oculis constituamus, non ea spe, vt modum illius nos in hac mortalitate viuẽtes, perfectè intellecturos fore opinemur: sed vt inde aliquantulum degustando qua possimus illud deuotione veneremur. Sic enim inspectum & degustatum magnum in eius amorem anhelantibus solet generare profectum. Eia si gaudium habuit eodem suo Filio secum in carne degente, si gaudium habuit eodem suo Filio calcata morte ab inferis resurgente, non minori gaudio exultauit ipso suo Filio in ea carne, quam de se assumptam nouerat, coram oculis suis cœlos penetrare, quis hoc dixerit: immò quis gaudium eius omnibus, quæ illud præcesserunt, gaudiis non crediderit eminere? Bonæ matres solent magnificè in hoc mundo exhilarari, cum vident filios suos terrenis honoribus sublimari: & ista mater procul dubio bona non ineffabili gaudio lætaretur, quando Filium suum vnigenitum omnes cœlos dominandi iure penetrare, ac in Dei Patris omnipotentis vidit confessum ascendendo pertingere? Imò quid huic gaudio vnquam fuit simile? Quid in mediũ prolatum saltem per illud aliquo modo possit mens humana in istud aciem suam dirigere? Sed & hæc gaudiorum suorum magnitudo non nihil

incrementi accepit, cum adueniente super discipulos Spiritu sancto, mox ad prædicationem illorũ, fidem Filii sui tanta hominum multitudo suscepit. Nec mirum inde alicui videatur, quod dico gaudium incrementum in credentium conuersione sumissee. Ibi enim excepto gaudio quod de salute generis humani in istorum conuersione concipiebat, filium non gratis fuisse mortuum, cum tam efficaciter operari videbat fidem amoris eius in eis, qui amatores eius extiterat. Gaudium itaq; ei erat in cœlo, & gaudium in terra, gaudiũ insuper in omni creatura. Gaudium in cœlo, quia fructus ventris eius benedictus iam erat victor mortis & orbis, in cœlo regnabat, & cuncta cœlestis curiæ agmina inæstimabili magnificentia lætificabat. Gaudium in terra: quoniam eorũ, pro quorum salute matrem Dei se factam sciebat, abiecto iugo diaboli, à quo captiui tenebatur, liberam in ipsam salutẽ currere conspiciebat. In omni quoque creatura gaudiũ habuit, eò quod illum à pristina oppressione erui ad illum, ad quẽ facta fuerat, statum redire vidit. Postquam n. homo Deum contempsit, & eius mandatis tumidus contraire non timuit, in nulla creatura, quam Deus ad subsidiũ eius instituit, iusto iudicio aliquid iuris amplius habere debuit. Cum igitur & in cõtumacia suã cõtra Deum omnium rerum Dominum perstitit, & tamen vsũ rerum in subsidium suum retorquere non destitit, Domino Deo iniustitiam & Dei creaturæ violentiam intulit & oppressionem. At nunc, cum iam reconciliatus homo per mortẽ Filie huius beatissimæ matris redit in gratiam Dei, famulandi scilicet, ei, pro quo se institutam esse cognouit, hæc sacratissima Domina vidisti: intellexisti, hæc per te tali modo impleta esse, magnifices es gaudia. Ista fratres dicimus dulces habentes, & vos dulce habere cupientes, sæpe voluerit in memoria amorem & gaudium huius Domine, quibus iugi exundantia in Deum & Deo iocundabatur tota illius substantia. Nihil enim vilius post Deum memoria matris eius, nihil salutaris meditatione pii amoris, quo feruebat in memoria & contemplatione Filii sui, nihil iocundius sapore pertractati gaudii eius, quò multipliciter pascetur in eodẽ & per eundẽ Filium suum. Sæpe quippe vidimus & audiimus plurimos hominũ in suis periculis recordari horũ, & omnis periculũ malũ ilico euasisse. Velociorq; est nonnunq; salus memorato nomine eius, quam inuocato nomine Domini Iesu vnici Filii sui. Et id quidem non ideo fit quod ipsa maior & potentior eo sit, nec enim ipse magnus & potes est per eã, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione eius, quam Filii sui sæpe percipitur. Dicam quid sentio: Filius eius Dominus est & iudex omnium, discernens merita singulorũ, dum igitur ipse à quouis suo nomine inuocatus, nõ statim exaudit, profectò id iuste facit. Inuocato autem nomine matris, etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiantur: merita tamen matris intercedunt vt exaudiantur. Hoc deniq; vsus humanus quotidie probat, cum quis proposito dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, q̃ simpliciter sua preconequaquam impetrare potest. Itaq; si tam vtilis aliquando in subueniendo memoria nominis matris Dei existit, nõ mirum si magnæ salutis afferat fructum frequens meditatio amoris eius, si pleñtam iocunditatem dabit dulci studio cogitata & recogitata immensitas gaudii eius.

A *De gaudio beatæ Mariæ in Filij ascensione.*

Cap. VII.

QVapropter adhuc in speculatione gaudii eius verba vertamus, & mentes nostras ipsius dulcedine aliquantisper enutriamus. Perpendamus itaque cum tanti gaudii magnitudo impleverit intima piissimæ Dominæ huius, ex his, quæ iam paululum intuendo, prout potuimus, prælibauimus: vtrum ei super illa adhuc adiicere aliquid gaudii potuerit, id quod reuelante Spiritu sancto, remota omni ambiguitate, sciebat se decurso habentis vitæ spatio in beatitudinem regni cælestis ascensuram, & Filium suum omnipotenti Deo Patri in sua Deitate coæqualem, sicut est, in indeficienti cõtemplatione visuram, seq; post eum omni creaturæ cælestiũ, terrestrium, & inferoũ, perenni iure dominaturam. Ad immensitatem gaudii huius quis cõsiderabit, qui non in ipsa cõsideratione penitus ab ea opprimatur? Et si causa gaudii tanta est, gaudium ipsum quale & quantum est? Sed ò bone Iesu, ipsius tuæ dulcissimæ Matris Filii: quomodo potuisti pati, vt te in regnum tuæ gloriæ remeante, illam quasi orbatam in miseris mundi relinqueres, & non eam statim tecum regnaturam assumeres? Fortassis Domine, ne tuæ cælesti curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi, videlicet Domino suo, cum post regnum tuum in assumpta carne petenti, an ipsi Dominæ suæ ipsum regnum iam suum materno iure effectum ascendenti. Nam vt in partes suo occursum diuideretur, quatenus pars tibi & pars illi in primo aduentu obsequeretur, non deceret æstimo, præsertim cum tota sit tua, totaque per te eadem cælestis curia sua. Prudentiori ergo & digniori consilio vsus, præcedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac sic comitatus tota curia tua festiuus ei occurreres, eamq; sublimius sicut decebat tuam matrẽ ad te ipsum exaltares. Equidem non est ab re credere ipsum his de causis matrem suam præcessisse, cum ipse idem Vnigenitus huius beatissimæ Virginis promiserit suis discipulis, se si abiret eis locum in cælesti sede præparaturum. Si ergo locus ab eo præparabatur ad gloriam & honorem discipulorum, quomodo non præpararetur ad honorem & gloriam Matris suæ, Dominæ scilicet & Reginæ Angelorum? Erat præterea, vt hic quidem videtur, vtilis & necessaria fidei nostræ conuersatio sua post ascensionem Domini inter Apostolos eius: quia licet ipsi per reuelationem Spiritus sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestus ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici sciencia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis eiusdem Domini nostri Iesu Christi. Nec dilatio suæ assumptionis quoquo modo iacturam aliquam inferre poterat immensitati amoris & gaudii sui: quoniam ipse perfectio amoris & gaudii, ita illam reficiebat plenitudine sui, vt hoc ipsum ei ad amoris & gaudii augmentum magno opere fieret, quod se illic esse videbat, vbi Deum, quem præ cunctis amabat, magis velle sciebat. Igitur vbicumque erat & ipsa in Deo, & Deus in ipsa iocundabatur: qua iocunditate ipsa felix, sed præ cæteris vbique fieri cupiebat, quod sapientiæ Dei potissimum placere intelligebat.

Hac æstimabili amoris & gaudii immensitate prædita fuit hæc Virgo sanctissima, quamdiu etiam in omni mortali carne placeret sapientissimo Filio suo.

De assumptione beatæ Dei genetricis Mariæ.

Cap. VIII.

Verum cum ipse in regnum suum eam assumere, & ei magnificentiam regni suæ gloriæ decreuisset ostendere: cuius, precor, dignitatis & honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorum: quibusve vocibus exultationis & salutis resonabant numerosa tabernacula antiquorum Patrum ipsi curiæ tunc associatorum? Certè crediderim omnes illius beatæ patriæ ciues festiuiori solito, ac sublimiori nitore decoris, ad aduentum Matris Domini sui præparari, ac noua quadam & ineffabili iocunditatis gratia pro tantæ rei expectatione coniubilare. Et quid mirum? Ipse Iesus, Deus & Dominus omnium Filius eius benedictus, huius castissimæ Virginis & Dominæ rerum, ipse ei sicut suæ vnicae matri totus festiuus occurrere volebat, & aliquis de familia sua se tanti gaudii immensitate subtraheret? Vtique inter homines moris scitur esse vnumquemque bonum seruum, cuiusuis præpotētis domini, eo maiori gaudio in amici domini sui aduentu exultare, quo ipse dominum suum cognouerit aduentantem amicum magis amare. Cum verò de aduentu parentum domini sui agitur: de quorum speciali dilectione nullus vlla dubitatione tenetur, ille nimirum magis felicem se æstimat, qui maiori iubilo & festiuiori occursum latitiæ fræna relaxat. Si ergo hæc ita se habent apud homines: quibus si qua bonitas inest, longè tamen superiorum bonitati impar est, contempletur animo qui potest quo gaudio, qua festiuitate, quibus concentibus iubilabant omnes beatorum Spirituum Ordines, quando & vnicae Domini sui matrem aduentare, & ipsum Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum velle occurrere. Stipatus itaque mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus, Deus ipse huic piissimæ Matri suæ, de hoc mundo migranti occurrit, eamq; super omnes cælos exaltatã, cunctæ secum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ collocavit. O dies tanti occursum gloriosa & felix. Dies tam præclaræ exultationis beata & celebris. Dies tam sublimis glorificationis festiua & omni seculo admirabilis. Dies enim illa non solum te Domina ineffabiliter sublimauit, sed cælum ipsum, quod penetraisti, necnon cuncta, quæ in eo sunt, noua & ineffabili gloria decorauit. Noua quidem cælum gloria decorauit: quia priorem gloriam eius ex præsentia tui ultra quàm dici possit, aut cogitari magnificauit. Nam cum tu Domina illuc ascendis, noua illud & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaq; miserationum tuarum & gratiarum luce perlustras. Eadem quoq; dies ascensus tui eorum, qui ciues eius ab initio creaturæ esse meruerunt, solito festiuiori exultationis gaudio induit, quia per gloriosum fecundæ virginitatis tuæ fructum semirutam vident ciuitatem suam reintegrari. Verè in tuo aduentu, per quam tantum bonum meruerunt, gaudii sui magnitudo iure debuit augmentari. Terram etiam dies exaltationis tuæ, ò beatissima fecundarum, mira gratia irrigauit, quia dum te, quã

A de se & in se aliorum hominum lege progenitam cognouit vsq; ad Creatoris omnium thronum exaltatam cognoscit, ac antiquam maledictionis poenam, quam in peccato primorum suorum filiorum merito excepisse sciebat, iam per tantae benedictionis tuae abundantiam se eadere indubitanter credebat. Quid amplius dicere possum Domina? Immensitate quippe gratiae & gloriae & felicitatis tuae considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit. Quemadmodum enim omnia, quae in caelo sunt, per glorificationem tuam inestimabiliter decorantur: ita per eandem glorificationem, cuncta, quae in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur. Singula nempe in immense dignitatis decus profecerunt, cum per tuam beatam & integerrimam virginitatem Dominum Deum suum, quem non cognouerant, agnoscere, & agnatum colere & amare meruerunt. Quia igitur super omnes caelos in dextera Domini Dei sui Filii tui benedicti exaltari digne cognouerunt, eo etiam didicerunt se eidem Deo suo totum debere quod sunt, quando ea, quae inter illa, & de illis vna tantam dignitatis eminentiam meruisti. Nihil igitur aut idolis homines, aut vlla aliarum rerum species intellexerunt idolorum cultoribus se debere, ubi & singularem authorem sui ex tuo castissimo vtero ad restitutionem primae creationis suae progenitum susceperunt, & te, per quam amissam dignitatem suam recuperauerunt, omni creaturae tam sublimiter praeponi accipere.

Quantum profuit beata Virgo Maria creatura humana. Cap. IX.

Quas itaque laudes, quae uel gratiarum actiones, non solum humana natura, sed omnis creatura huic sanctissimae Virgini debet? Pura enim sanctitas & sanctissima puritas piissimi pectoris eius, omnem omnium creaturae puritatem siue sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditis orbis benignissime fieret. Vnde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus mundus, ei iure debeat, aestimare nullatenus sufficit. Ne tamen aliquis eorum nimis insolens, aut met nos magis more indiscrete laudantium, ista dicere, quam rem, sicut est, considerare. Ne igitur videatur cuiquam quid considerationi fidelium quocumque modo commemorando velle praefigere, plenius ea, quae humanae naturae per eam bona prouenire, commemorare iuuat, aut si qualiter omnes aliarum rerum formae per ipsam sunt reparatae siue reformatae: nihilominus prout poterimus in medium proferre delectat. Quod ea quidem re facere placet, ut praecipue oculis aliquatenus deformatis singularibus beneficiis eius nemo relinquatur: cuius consideratio immensitate promerita laudis illius non obruatur. Nota igitur omni saeculo loquar, & de quo ad quid proeucti sumus huius Dominae meritis pro posse edicam. Itaque natura mea ad similitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indefinenter ipso Deo fruere, & eius gloria sine omni corruptione & mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum natura statim in primis hominibus perdidit, & in huius mundi miseria infelix & praecipuus ruit, dehinc in aeternas miseria decurso vitae labentis articulo multo infelicitius ruitura. Transierunt multa saecula, & damnationis istius immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec

enim Dei summi sapientia summa, vllam in maffa creationis humanae viam inuenit, per quam, ut disposuerat, in mundum veniens tam luctuosae perditioni subueniret: donec ad istam, de qua loquimur, Virginem ventum esset. Sed haec mox, ubi in mundum per humanae generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute & substantia perfecte resplenduit, ut eam ipsa sapientia Dei vere dignam iudicaret, per quam in homine veniens, non modo reatum primorum hominum: sed & totius mundi peccata deleteret, & diabolus suoperis inimicum cum suis eluderet: necno damnatae caelestis patriae, illuc hominem deducendo, reintegraret. Quis igitur ista perpendens aestimare queat, qua laude digna sit, quae tantorum beneficiorum sola praecunctis efficit meruit mediatrix? Liberati ergo a lege mortis, qua detinebamur, resurgimus in gloriam, quam in primo parente perdidimus: imo in ampliore quam vel ipse in se, vel nos in ipso amisimus. Qui etenim adhuc etiam in carne mortali per fidem ad amissam gratiam seu patriam tendimus, in filiationem Dei per benedictum Filium benedictae matris Mariae transimus, eundemque Filium eius nobis fratrem ipso auctore accessimus. A morte enim resurgens nos fratres suos appellauit, & quod ad Patrem suum & Patrem nostrum, Deum suum & Deum nostrum foret ascensurus, familiari affectu nobis intimari praecipit. Quod igitur tantum patrem & tantum fratrem sortiti sumus, utique beatae Mariae ascribere debemus: cuius integerrima & benedicta fecunditate, in tantam dignitatem surreximus, quam quidem dignitatem nostra natura nequaquam adepti fuisset, si illius beatae Mariae fecunda virginitas Deum de sua substantia non genuisset. Cum igitur tam inestimabili dignitatis honore, etiam in huius mundi squaloribus degens per patriam matris Dei Mariae merita humana natura sit exaltata, qualis quali gloria decorabitur, cum hunc ipsum fratrem suum, eius omnipotentis Patri coequalem in sua maiestate regnantem aspexerit, eiusque regni cohaeres existens, perpetua & incommutabili glorificatione vultu ipsius praesens constituerit? Aduertat, inquam, aduertat, quae gloria, vel quod gaudium, vel quae iubilatio erit omnibus illis, qui in regnum beatitudinis assumpti, Deum Dominumque rerum omnium in sua carnis substantia sibi similem viderint: & cuncta, quae siue in caelo, siue in terra, seu in inferno subsistunt, ad nutum illius pendere, eumque fraterno affectu, imo ultra omnem fraterni amoris affectum, se ipsos amare, velle poterunt sine mora, sine contradictione, sine defectu sibi aeternaliter ministrare. Super hoc cum ipsam Dominam, per quam tanta bona eis prouenire, praecipue oculis habuerint iuxta Deum, quem de suo vtero Virgo Filium peperit residentem, & iure materno caelo terraque cum eodem suo Filio praesidentem, consideremus qua exultatione exultabunt pro tanta gloria eius, quo honore subleuabuntur in tanta potentia eius? Omnis itaque creatura defert eis honorem, non solum quia videbunt naturae ipsorum consortem esse suum Creatorem: sed etiam quia Dominam summam & vnicam dominatricem, caeli & terrae Matrem ex his conspicient esse factam reginam Angelorum. His igitur ita consideratis, tu quicumque ex humana stirpe progenitus es: quomodo potes & quantum potes erige aciem mentis tuae in eam, & quas potes laudes persequere,

Aperfolue, considerans quas grates, quas laudes, quæ obsequia ei perpetuo debeas, per cuius beatam & integerrimam fecunditatem de tanto malo ad tantum bonum, ut breui ostendimus compendio, sis protectus, gnarus attende. Nulla te ab horum consideratione seculi delectatio moueat, nulla cuiusuis amoris desidia à debita laudum exhibitione retardet.

Quantum profuit omni creatura, etiam præter humanam. Cap. X.

Verum quoniam aliquantisper animaduertimus, quid boni per excellentiam beatæ matris Dei Mariæ merita adepti sumus, paucis etiam, ut proposuimus, pro posse quid aliarum species reseruum, per eadem eiusdem merita sint adeptæ, aduertamus. Scio quidem superius me quædam dixisse & commemorasse, sed ad tantæ Dominæ eminentiam commendandam piis auribus non videtur fore superfluum eadem præsentare sententiam. Omnem itaque creaturam tam cælestem quam terrestrem ad sui Creatoris laudem & gloriam instituta: nemo sanæ mentis ambigit, nemo sapiens silet. Quapropter si aliquid eius laudi, aut gloriæ siue honori derogat in quoquam, bene intuentibus liquet, quod idem ipsum cætera suæ subintegritatem ei seruantiâ, quodam exinde confusions verberet fatiat. Nec enim ad Domini sui fidelitatem integrè sese teneret, si verecundiâ Domini sui & auctoris sui æquamiter & incõcussa tranquillitate sustinerent. Homo igitur, qui à Deo inter cæteras creaturas sublimis naturæ creatus est, dum Deum per inobedienciæ reatum in honoraui, omnia, quæ sui iuris prius erant, amisit, omniaque, quæ sui status integritatem seruauerunt, quadam confusione, ipsa reatus sui immatitate, quantum in ipso fuit, vulnerauit: adiecta est eis super hac confusione & alia confusio: quia huic, quem à suo Cõditore per malæ vitæ merita exorbitare videbant, per suæ conditionis legem ministerii sui obsequium nullo tempore abnegare valebant. Ingererebatur igitur operibus Dei contumeliosa quædam oppressio, & hebet de eis grauis & iniuriosa abusus. Ius siquidem nullum in his, quæ Dei sunt iuste debet habere, qui voluntati eius non veretur prauis actibus contraire. In eo itaque, quod lumine cæli & siderum motu in suis visibus homo reus poteratur, idem cælum & sidera ipsa magni honoris detrimenta patiebantur. Nempe illi seruebant, propter quem se nequaquam instituta sciebant. Ad obsequium quippe siue seruitium iusti hominis, non iniusti, qui tunc erat, cõdita fuerunt. Hoc ipsum de aëre, de terra, & quæ profert, de mari & omnibus aquis, ac de his quæ continent, licet dicere & sentire. Omnes igitur rerum formæ, informi quadam & contumeliosa obfuscatione tegebantur, eo quod ipsi, qui Deum suum incessanter offenderant, ministrare ac subdi sine intermissione tegebantur. Durauit autem hæc in rerum substantiis iniuria quousque venit in carnem. Illa, de qua loquimur, beata virgo Maria. At ubi venit ipsa, in seque filium Dei incorporauit, & pristinam dignitatem in Deo, qui nascebatur, humana natura recuperauit, nihil ultra confusions, aut iniuriarum alicui rerum speciei resedit: immo libertatem patrie creationis suæ confestim recipere meruit. Nam ipsa, cui lege suæ conditionis ius libertatis maximum erat obsequendi, videlicet illi, quem ad Dei

imaginem conditum nouerat, cum ipsum in Creatoris sui similitudinem, quam peccando in se corruerat, per bona opera redire conspexit, non mirum si deinceps obsequendo dominatui eius, contumeliosè iugum seruitutis excussit.

De eodem alio modo. Cap. XI.

Alio autem modo, si placet, consideremus qualiter omnis creatura ad utilitatem hominis sit creata, & quemadmodum eadem utilitas ob peccatum primi hominis quodammodo euauerit, quoue pacto per beatam Dei matrem virginem Mariam, primam suæ utilitatis recuperauit dignitatem. Certè homo qui mentis subsistens rationi, carnis fragilitate deprimitur, ad hoc conditus fuerat, ut cõtentionis oculo formæ iugiter intenderet Creatoris: sed quia ipse Cõditor eius incircumscriptus spiritus est, & nemo unquam carnis incorruptibilitate pressus ullatenus in magnitudinis eius noticiam, vel admirandæ dignitatis illius speculationem, sicut est, pertingere potest, propõita illi aliarum rerum existentia est, quatenus earum consideratione sublimitas eius, quæ per se neque videri, ab ipso intellecta conspiceretur. Verum ubi post primorum hominum peccatum generationis humanæ propago in desideria cordis sui prolapsa est, & per vitia fordidit, non solum Creatoris cõtentionis, sed & rerum creaturarum mirificæ dispositionis salutifera meditatio ab ea procul euauit. Vides ergo qualimodo in lapsu hominis ruit dignitas rerum. In cõtentione enim illarum homo resurgere debuit in agnitionem Dei: & sic quasi quidam ei gradus fieri debuerunt pertingendi ad Creatorem ipsius & sui: sed & hæc etiam dignitas in eis periit, quando, qui ea dignè vteretur, nullus fuit aut extitit. Nec ullatenus receperunt, ex quo primus homo corruit amissam eminentiam tanti boni, donec ille Agnus, qui peccatum mundi tolleret, in persona Dei & hominis prodiit modo per beatam Mariam. Verum in cõtentionem Dei hominæ per hunc Agnum reuocato, omnis etiam alia creatura in statu suæ conditionis & honore proprii congenitiq; decoris est reuocata. Huius igitur tanti boni effectum illi censemus profecto imputandum, per cuius virginem utrumque is venit in mundum, qui & humanam naturam in tantam, sicut diximus, dignitatis excellentiam sua sapientia reuocauit, & omnem simul creaturam priuilegio amissi honoris mira dispensatione redonauit. Quid ergo huic beatissimæ Virgini Dominae nostræ omnis tam rationalis quam irrationalis creatura iure debeat, qui valet, ex his, quæ paucis perstrinximus, dilatato sensu aduertat. Vtique cuncta, quæ Deus bona & utiliter fecit, in eo statu, quo condita fuerunt, sicut diximus & ostendimus, esse destiterunt, & per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum reuocata sunt, & restituta. Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, Pater & Deus omnium: ita beata Dei genitrix Maria suis meritis cuncta reparando mater est & Domina rerum: Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione constituendo, & Maria est Domina rerum singula congenitæ dignitati per illam, quam meruit, gratiam restituendo. Et quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit: ita beata virgo Maria de sua

A carne mundissima peperit illum, qui decorem primæ creationis omnium, cunctis restituit. Item sicut nulla rerum species, nisi per Dei Filium facta subsistit, ita lex debitæ damnationis neminem deserit, nisi quem ab ea Filius beatæ Mariæ virginis absoluit. Quis igitur ista recto sensu & corde sincero perpendens, plenè percipere queat excellentiam huius Virginis, per quam tam inæstimabilia bona habet rerum natura, per quam tam inæstimabili gratia, à tam ineffabili deiectione erectus est mundus? Quis, inquam, tam miram, & omni proffus rei præter hanc inauditam gratiam huius beatissimæ mulieris oculo mentis aspiciens non obstupescat, & non modo elinguis, verùm etiam à tantæ rei comprehensione proffus immunis fiat?

Oratio eiusdem beati Anselmi ad beatissimam Virginem Mariam.

Cap. XII.

QVapropter ea, quæ nobis sunt impenetrabilia, intermittentes, precibus impetrare nitamur, ut quod intellectu capere nequimus, saluari saltem affectu obtinere mereamur. Rogamus ergo te Domina per ipsam gratiam, qua te pius & omnipotens Deus, sic exaltauit, & omnia tibi secum possibilia esse donauit; quatenus id apud ipsum nobis impetres & obtineas, ut plenitudo gratiæ, quam meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati præmii nobis eius misericorditer quandoque condonetur. Ad hoc quippe Deus noster, per te factus est frater noster: ut quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostræ humanitatis, sic nos mereamur consortes fieri suæ diuinitatis. Intende ergo Domina piissima, ut nobis ad effectum proueniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit, nec sis, quæsumus, exoratu difficilis: quia procul dubio, idem benignissimus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendum quicquid, uoles promptissimus & exaudibilis. Tantummodò itaque uelis salutem nostram, & uerè nequaquam salui esse non poterimus. Quid igitur stringet larga misericordiæ tuæ viscera Domina contra nos, ut nolis saluari nos? Certè Deus noster (teste propheta) *misericordiæ nostræ* est, & tu eiusdem Domini nostri absque dubio uera mater es. Si tu ergo, quæ Dei mater es: & eò reuera misericordiæ mater & gratiæ, denegas nobis effectum misericordiæ, cuius tam mirabiliter facta es mater: quid faciemus, cum idem Filius tuus aduenerit, cunctos æquo iudicaturus iudicio? Siquidem licet ipse Filius tuus sit per te factus frater noster: ubi uoluntatem tuam suam uidelicet dilectissimæ matris magis porrectam aduerterit: illuc seruata æquitatis ratione: à qua te nullatenus discrepare uidebit, iudicii sui sententiam, siue ad misericordiam inflectendo, seu ad iustitiam intendendo promulgabit. Subueni ergo nobis Domina piissima, & non considerata peccatorum nostrorum multitudinem, uelle tuum ad miserendum nobis inflecte. Cogita quæso, & recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad saluandum peccatores: Conditor noster ex te factus est homo. Cur itaque non iuuabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es leuata: ut te Domina habeat & ueneretur omnis pariter creatura? An ideo utrum pereamus, amplius non

curabis: quia quicquid de nobis miseris ultra eueniat gloriæ tuæ, iactura nulla inde proueniet? Et hoc quidem bona Domina fortassis aliquo modo dici posset: si pro tui solius exaltatione & utilitate mater Dei facta fuisses: sed utique Deus, qui hominem assumpsit ex tua castissima carne, hoc fecit pro tua & nostri omnium salute. Si ergo tu, quæ plena salute es potita, non intendis, ut eadem salus pro modulo nostro etiam ad nos usque peringat: iam tuorum sufficiens commodorum, nostrorum negligens esse uideberis: & quæ pro totius mundi saluatione meruisti fieri Mater Altissimi, cum nos postposueris, quos obuoluit finis seculi: quid, quæso, proderit nobis tua gloriosa & felix exaltatio? & quid inde habemus dulcis & affectuosa exultatio? Ut ergo Filium tuum totius mundi Saluatorem: & te eius reconciliatricem esse ueraciter sentiamus: eo nos propensiori studio iuua precamur & foue: quo in fecibus mundi natos & alitos potiori leuamine prospicis indigere. Ab initio denique renouationis humanæ, omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusque succurristi, & idcirco præ omni creatura; omni laude dignissima dici & esse meruisti. Eia succurre oramus, ut laus, quæ per tot secula dignè possedisti, continua tibi durer in gratia ipsa, qua mudo perduto subuenisti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura, ne pereamus, effice potius ut salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio tuo, Domino nostro, Iesu Christo uita nostra iugiter deuotione famuletur. Qui cum Deo Patre, & Spiritu S. uiuit per omnia secula seculorum. Amen.

Beati Anselmi Liber de excellentia Virginis Mariæ explicit.

D

B. ANSELMI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI ELUCIDARIUM, SIVE DIALOGVS, SUMMAM TOTIUS CHRISTIANÆ THEOLOGICÆ BREUITER COMPLECTENS: In quo interlocutores sunt, Discipulus interrogans, & Magister respondens: ut per literam D. discipulum, intelligas: per M. magistrum.

PRAEFATIO AVTHORIS.



SÆPIVS rogato à condiscipulis quædam quæstiunculas enodare, importunitati illorum non fuit facultas negando obuiare, præsertim metuenti illo elogio multari, si creditum *talentum* mallet in terra occultari. Iob enim dicit: *Diuitias, quas deuorauit, extrahet Deus de ventre eius*, quas abscondit à uerbi Dei famem patiente. Et ut labor meus non solùm præfenti proficiat ætati, disputata curauit stilo transmittere posteritati: rogans ut quicumque studuerit his legendo incumbere, pro me satagat Deo preces effundere. Titulus itaque operi, si placet, *Elucidarium* præfigatur: quia in eo obscuritas diuersarum rerum elucidatur. Nomen autem meum ideo uolui silentio contegi, ne inuidia tabescens, suis iuberet uile opus contemnendo negligi. Quod tamen lector postulet, ut in cælo conscribatur, ne aliquando de libro uiuentium deleatur.

Fundamentum igitur Opusculi supra petram, id est, Christum, iaciatur: & tota machina quatuor firmis columnis fulciatur. Primam columnam erigat Prophetica auctoritas; Secundam stabiliat Apostolica

A Apostolica dignitas: Tertiam roborat Expositorum sagacitas: Quartam figet Magistrorum solers subtilitas (id est, sublimitas.)

DISCIP. Glorioso Magister, rogo ut ad inquisita mihi ne pigriteris respondere, ad honorem Dei, & utilitatem sanctae Ecclesiae.

MAGIS. Equidem faciam, in quantum mihi vires ipse dabit: nec me labor iste grauabit. D. Dicitur quod nemo sciat quid sit Deus: & valde videtur absurdum, adorare quod nesciamus. Ab ipso exordium sumamus: & in primis dic mihi quid sit Deus? M. Quantum homini licet scire, Deus est substantia spiritualis, tam inestimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis suauitatis, ut Angeli, qui septuplo Solem sua vincunt pulchritudine, iugiter desiderant in eum insatiabiliter prospicere. D.

Quomodo intelligitur Trinitas vnus Deus? M. Aspice Solem, in quo sunt tria, scilicet ignea substantia, splendor & calor: quae in tantum sunt inseparabilia, ut si velis inde splendorem segregare, prius mundum Sole: & si iterum calorem tentes seiuungere, careas Sole. In ignea igitur substantia intellige Patrem, in splendore Filium, in calore Spiritum sanctum. D. Quare vocatur Pater? M. Quia ipse est fons & origo, a quo omnia procedunt: cuius sapientia Filius appellatur. D. Quare dicitur Filius? M. Quia ut splendor a Sole, a Patre generatur. Amborum autem amor, Spiritus sanctus nuncupatur. D. Quare Spiritus sanctus? M. Quia ab utroque aeternaliter procedens, quasi ab eis spiratur. Illa itaque vis diuinitatis, quae omnia creando patrat, Pater vocatur: illa autem, quae omnia continet, ne in nihilum dissoluantur, Filius appellatur: illa verò, quae omnia inspirando viuificat & ornat, Spiritus sanctus nuncupatur. Ex Patre omnia: per Filium omnia: in Spiritu sancto omnia. Pater memoria: Filius intelligentia: Spiritus sanctus voluntas intelligitur. D.

Cum omnipotentia vel summa clementia in Patre predicatur, quare non mater vocatur? M. Quia generatio principaliter a Patre procedit. D. Cum verò veritas vel sapientia de Filio dicatur, cur non filia appellatur? M. Ideo quod Filius similior est Patri quam filia. D. Cur Spiritus sanctus amborum Filius non dicitur, ut vnus esset Pater, alter mater? M. Quia simul & aequaliter ab utroque procedit: & ipse est vinculum totius diuinitatis. D. Vbi habitat Deus? M. Quamuis ubique potentialiter, tamen in intellectuali caelo substantialiter. D. Quid est hoc? M. Tres caeli dicuntur: vnum corporale, quod a nobis videtur: aliud spirituale, quod spirituales substantiae Sancti vel Angeli inhabitare creduntur: tertium intellectuale, in quo Trinitas sancta a beatis facie ad faciem contempletur. D. Quomodo dicitur Deus in omni loco totus esse? M. In omni loco totus esse ideo dicitur, quia in nullo loco impotentior est plus quam in alio. Ut enim in caelo, sic potens est in inferno. Simul esse dicitur, quia eodem momento, quo in Oriente, eodem cuncta disponit in Occidente. Semper autem in omni loco esse praedicatur, quia in omni tempore cuncta moderatur. In nullo loco esse dicitur, quia locus est corporeus, Deus autem incorporeus, & ideo illocalis. Idcirco in nullo loco continetur, cum ipse contineat omnia: in quo viuimus, mouemur, & sumus. In hoc non differt Deus ab aliis creaturis spiritualibus, quae proprietate substantiae finiuntur, & loco tenentur: ut Angelus, qui assistebat in Asia Apostolo oranti, non eodem tempore simul adesse poterat alibi. Locale non est, quod cum alicubi totum est, non potest simul esse alibi.

Illocale verò est, quod simul est ubique: totum & hoc solius Dei proprium. D. Scit Deus omnia? M. In tantum, ut omnia praeterita, praesentia, & futura quasi coram posita prospiciat. Erant enim mundum crearet, omnium profus & Angelorum & hominum nomina, mores, voluntates, dicta, facta, & cogitationes, ac si praesentialiter adessent, praesciuit, unde Graece Theos, id est, omnia videns dicitur. D. Qualiter Deus loquitur Angelis & hominibus? M. Angelis interna inspiratione, hominibus verò per Angelos. D. Cum Deus sine initio fuerit, nunquid credendum est, quod ante creatum mundum solitariam vitam duceret? M. Scriptum est: *Quod factum est, in ipso vita erat.* In quo pateat omnem creaturam semper fuisse visibilem in Dei praedestinatione, quae postea visibilis ipsi Creatori & aliis creaturis apparuit in creatione: ut artifex, qui vult construere domum, prius tractat quomodo velit quaeque disponere: & machina, quae post surgit in aedificio, prius stabat in ingenio. Unde Deus dicitur non esse antiquior sua creatura tempore, sed dignitate. D. Quae causa fuit, ut crearetur mundus? M. Bonitas Dei: ut essent quibus gratiam suam impertiret. D. Qualiter est factus? M. *Ipse dixit, & facta sunt omnia.* D. Dixit sono verborum? M. Dei dicere, est Verbo, id est, in Filio omnia creare: ut dicitur: *Omnia in sapientia fecisti.* D. Fuit mors in creando? M. In nictu oculi, id est, quam cito possis oculum aperire. D. Creauit per partes? M. Omnia simul & semel fecit: ut dicitur: *Qui manet in aeternum, creauit omnia simul.* Distinxit autem omnia per partes sex diebus: tribus elementa, & tribus ea quae sunt infra elementa. Prima itaque die fecit diem aeternitatis, scilicet spirituales lucem, & omnem creaturam spirituales. Secunda die caelum, quod spirituales creaturam fecerat a corporali. Tertia die creauit mare & terram. Aliis tribus diebus, prima die fecit diem temporalitatis, scilicet Solem & Lunam, & stellas in supremo elemento, quod est ignis. Secunda die in medio elemento, quod est aqua, pisces & volucres. Et pisces quidem in crassioris partem aquae reliquit: volucres autem in tenuiorem partem, quae est aer, sustulit. Tertia die bestias & hominem de ultimo elemento, id est, de terra condidit. D. Sentiant elementa Deum? M. Deus nihil vanum fecit, quod insensibile sit. Quae non sunt inanimata, nobis quidem sunt insensibilia & mortua: Deo autem omnia viuunt, & omnia Creatorem suum sentiant. Caelum quippe eum sentit, quia ob eius iussum incessabili semper reuolutione circuit. Unde dicitur: *Qui fecit caelos in intellectu.* Sol & Luna eum sentiant, & stellae, quia loca sui cursus inuariabiliter seruando repetunt. Terra eum sentit: quia semper certo tempore fructus & germina producit. Flumina eum sentiant, quia ad loca unde fluunt, semper redeunt. Mare & veterum eum sentiant, quia ei imperanti mox quiescendo obediunt. Mortui eum sentiant, quia ad eius imperium resurgunt. Infernus eum sentit, quia quos deuorat, eo iubente reddit. Omnia bruta animalia Deum intelligunt, quia legem sibi insitam iugiter custodiunt. D. Quid est hoc quod dicitur: *Vespere & mane?* M. *Vespere*, est finis iam consummati, imò ordinati operis: *mane* autem incipientis, vel potius ordinandi operis. D. Apertius ediffere. M. Primum igitur Deus, ut potens rex, constituit sibi praclarum palatium, quod dicitur *regnum caelorum*, deinde carcerem, id est, hunc mundum, in quo exitialem locum, id est infernum, constituit. Ad quod palatium praedestinavit quaedam certum numerum electo-

A electorum militum, quem nec liceat excedi, & quem necesse esset cōpleri. Porro hunc numerū voluit constare ex Angelis & hominibus. Ipsum autem numerum determinauit in decem, nouem quidem ordinibus Angelorum, & decimo hominum. D. Quare nouem Angelorum? M. Propter Trinitatem. In nouenario enim numero ternarius tertio fit repetitus. D. Quare vno hominum? M. Propter vnitatem: vt vnitatis in Trinitate ab Angelis & hominibus laudaretur, coleretur, adoraretur. D. Cur numerum electorum voluit ex Angelis tantum & hominibus constare? M. Duas principales creaturas fecit Deus: vnam spiritualem, alteram corporalem. Voluit igitur ab vtraque laudari: de spirituali ab Angelis, de corporali ab hominibus. D. Quando facti sunt Angeli? M. Cū dictum est, *Fiat lux*. D. Dixit hæc verba Deus? M. Non: sed per hæc verba illorum sublimis natura nobis insinuat, dum *lux* vocantur. D. Quæ est natura Angelica? M. Spiritualis ignis, vt dicitur: *Qui facit Angelos suos flammam ignis*. D. Habent nomina Angeli? M. Tanta scientia est in Angelis, vt non indigeant nominibus. D. *Michael, Gabriel, Raph. el*, non sunt nomina? M. Magis sunt agnomina, quia ab accidenti sunt eis ab hominibus imposita, cū eis non sint in cœlis propria: vnde & primus Angelus ab accidenti *Sathael*, id est, Deo contrarius, nomen accepit. D. In quo fuit Deo contrarius? M. Cū videret se omnes Angelorum Ordines gloria & decore præcellere, spiritibus omnibus, voluit Deo æqualis, immo maior, existere. D. Quomodo maior, vel æqualis? M. Meliorem statum, quàm ei Deus dedisset, voluit Deo inuito arripere, & aliis per tyrannidem imperare. D. Quid tunc? M. De palatio est propulsus, in carcerem detrusus: & sicut prius pulcherrimus, ita post factus est nigerrimus: qui prius splendidissimus, postea tenebrosissimus: qui prius omni honore laudabilis, post omni horrore execrabilis. D. Præsciuit casum suum? M. Minimè. D. Quamdiu mansit in cœlo? M. Non plenam horam in veritate stetit: quia mox vt creatus est, cecidit. D. Quare diutius ibi non fuit? M. Ne aliquid de interna dulcedine gustaret, qui tam immature sibi tantam maiestatem vsurparet. D. Quid alii peccauerunt? M. Quia ei consenserunt. D. Qualiter? M. Placuit eis eius extollentia, cogitantes si Deo praualuisset, ipsi aliis præferrentur in potentia. D. Quid euenit eis? M. Cum eo proiecti sunt principes eorum in exteriorem lacum, id est, in infernum: alii in hunc tenebrosam aërem, in quo tamen, vt in inferno ardent. D. Quare non omnes in infernum? M. Vt electi per eos probentur, & coronentur magis: reprobi autem per eos seducantur, & in extremo examine cum eis aeterno incendio tradantur. D. Quare non sunt reuersi? M. Non potuerunt. D. Quare? M. Quia sicut nullo instigante ceciderunt, ita nullo adiuuante surgere debuerunt, quod erat eis impossibile. Et aliud eis oberat, quod sua sponte malum elegerunt, iuste ablata est eis voluntas totius boni: & iam non volunt: & quia nolunt, nunquam redire poterunt. D. Cur non redemit eos Christus, sicut homines? M. Angeli sunt omnes pariter creati, non ab vno Angelo sicut homines ab vno homine nati. Ideo si Christus ab vno Angelo naturam Angelicam fumeret, illum redimeret, alii extra redemptionem remanerent. Nec illum solum redimeret,

cū mori non potuisset. Deus enim pro satisfactio-
 Etione nō nisi mortem voluit, Angeli autem immortales sunt: ideo irrecuperabiles fuerunt. D. Quare nō creauit eos Deus tales, ne peccare possent? M. Propter iustitiam, vt aliquod meritum illorum esset, quod iuste remunerari debuisset. Si enim ita creati fuissent, vt peccare non possent, quasi ligati essent: & inde meritum non haberēt, quod quasi coacti facerent. Dedit ergo Deus eis liberum arbitrium, vt sua sponte & vellent & possent eligere bonum, & si voluntate eligerent, iuste in remunerationem acciperent, quod ne vquam peccare possent. D. Cū Deus præsciret eos tales futuros, quare creauit eos? M. Propter ornatum sui operis. Vt enim pictor nigrum colorem subternit, vt albus vel rubeus pretiosior sit, sic collatione malorum iusti clariores fiunt. D. Cur non creauit alios Angelos pro eis? M. Alii Angeli non debuerunt pro eis restitui siue creati, nisi tales essent, quales illi fuissent, si permansissent, non visa vlla pœna peccantium, quod erat impossibile: nam vt illi peccauerunt, mox in pœnas proruerunt. D. Sciunt demones omnia? M. Ex Angelica natura inest eis plurima scientia: non tamen sciunt omnia. Et quanto illorum natura est subtilior hominum, tanto in omnibus artibus peritiores sunt, quàm vllus hominum. Futura nesciunt, nisi quantum ex transactis colligunt, vel quantum Deus eos finit scire. Porro cogitationes & voluntates nemo scit nisi Deus, & cui voluerit reuelare. D. Possunt omnia quæ volunt? M. Bonum quidem nec volunt, nec omnino poterunt. Ad malum verò valde efficaces sunt, non tamen quantum volunt, sed quantum à bonis Angelis permittuntur. D. Quid dicis de bonis Angelis? M. Post lapsum illorum confirmati sunt, vt nunquam cadere nec peccare possint. D. Quid est, nō possint? M. Nunquam velint. D. Cur etiam illi non sunt confirmati? M. Non tam diu expectauerunt. D. Num casus illorum fuit causa confirmationis istorum? M. Nequaquam: sed meritum ipsorum. Cū enim viderent illos malum superbiendo eligere, indignati sunt, & summo bono fortiter inhaeserunt: vnde continuo in remuneratione confirmationem acceperunt: & qui prius de sua beatitudine incerti erant, tunc facti sunt certi. D. Qualem formam habent Angeli? M. Quodammodo Dei. Vt enim imago cere imprimatur signaculo, sic expressa est in eis Dei similitudo. D. Quæ similitudo? M. In eo quod sunt lux, quod sunt incorporei, & omni pulchritudine decorati. D. Sciunt omnia, vel possunt? M. Nihil est in rerum natura quod eos lateat, cū in Deo omnia conspiciant. Sane omnia quæ facere volunt, sine difficultate poterunt. D. Nonne casus malorum minuit numerum bonorum? M. Etiam: sed vt impleretur electorum numerus, homo est decimus creatus. D. Vnde? M. de spirituali & corporali substantia. D. Vnde corporalis? M. De quatuor elementis: vnde & microcosmus, id est, minor mundus dicitur: habet namq; ex terra carnem, ex aqua sanguinem, ex aëre flatum, ex igne calorem. Caput eius est rotundum, in cœlestis sphaeræ modum: in quo duo oculi vt duo luminaria in cœlo micant: quod etiam septem foramina, vt septem cœlum harmoniæ ornant. Pectus, in quo flatibus & tussis versantur, simulatur aëri, in quo venti & tonitrua concitantur. Venter omnes liquores, vt mare omnia flumina, recipit. Pedes, totum corpore

2. salm. 103.

Adam.

2. mod. 24.

Aporis pondus, vt terra cuncta, sustinent. Ex cœlesti igne visum, ex superiore aëre auditum, ex inferiore olfactu, ex aqua gustu, ex terra habet tactu. Partem duritiæ lapidū habet in ossibus, virorem arborum in vnguibus, decorem graminum in crinibus, sensum cum animalibus: hæc est substantia corporalis. D. Vnde spiritualis substantia? M. Ex spirituali igne, vt creditur, in quo imago & similitudo Dei exprimitur. D. Quæ imago vel similitudo? M. Imago in forma accipitur, similitudo in qualitate vel quantitate consideratur. Diuinitas consistit in Trinitate. huius imaginem tenet anima: quæ habet memoriam, per quam præterita vel futura meminit vel recolit: habet intellectum, quo præsentia & inuisibilia intelligit: habet voluntatem, qua malum respuit, bona eligit. In Deo consistunt omnes virtutes: huius similitudinem habet vel tenet anima, quæ capax est omnium virtutum. Et sicut Deus comprehendere non potest ab omni creatura, cum ipse comprehendat omnia: ita anima à nulla visibili creatura potest comprehendere, cum ipsa omnia inuisibilia comprehendat: non enim potest cœlum ei obistere, quin cœlestia tractet: non abyssus, quin infernaliam cogitet. hæc est substantia spiritualis. D. Formauit eum Deus manibus? M. Iussu tantum: per verba inuitur nobis eius fragilis natura. D. Quare de tam vili materia creauit eum? M. Ad dedecus diaboli, vt plus confunderetur, cum hic fragulumus & luteus intraret gloriam, de qua ipse gloriosus cecidisset. D. Vnde nomen accepit? M. Cum esset minor mundus, accepit nomē ex quatuor climatibus mundi, quæ Græcè dicuntur anatole, dyffis, arctos, mesembria: quia genus suum **B** quatuor partes mundi impleturum erat. In hoc enim similitudinem Dei habet, vt sicut Deus præest omnibus in cœlo, sic homo præest in terra omnibus. D. Cur creauit Deus animalia, cum his non indigeret homo? M. Præsciuit eum Deus peccaturum, & his omnibus indigeturum. D. Cur creauit Deus muscas & culices, & talia, quæ sunt homini nocua? M. Tantam diligentiam exhibuit Deus in muscis & formicis & culicibus formandis vel creandis, quantum in aliis. D. Ad quid talia? M. Misericordia sua, atq; omnia ad laudem gloriae suæ. Muscæ quidem & culices, & his similia propter superbiam hominis sunt condita: vt eum eum pungunt, quid sit cogitet, qui nec vermibus minutis resistere valet, quamuis ei omnia à Deo subiecta sunt. Vnde & Pharaonem non visum, non leones vastauerunt, sed culices, muscæ, & ciniphes. Formicæ autem, siue araneæ, vel talia, quæ instant operibus, ideo sunt creata, vt de iis studii & pui laboris exempla sumamus. Omnis itaq; Dei creatio, consideranti magna est delectatio, dum in quibusdam sit pulchritudo & decor, vt in floribus: in aliquibus medicina, vt in herbis: in quibusdam pastus, vt in frugibus: in quibusdā significatio, vt in vermibus & auibus. Omnia igitur bona, & propter hominem creata. D. Vbi fuit Adam creatus? M. In Hebron: vbi etiam post mortuus est & sepultus, & positus fuit in Paradiso ipso creato. D. Quid est Paradisus, vel vbi? M. Locus amœnissimus in Oriente, in quo arbores diuersi generis contra varios defectus erant confita: verbi gratia, vt si homo congruo tempore de vno comedere, nunquam amplius esuriret: congruo tempore de alio, nunquam amplius sitiret: si de alio vero, nunquam lassaretur. Ad vltimum, si de

ligno vitæ vteretur, non amplius senesceret, non **C** infirmaretur, nunquam moreretur. D. Vbi fuit creata mulier? M. In Paradiso de latere viri dormientis. D. Quare de viro? M. Vt sicut in carne vna, ita per dilectionem esset cum eo in mente vna. D. Cur non sunt omnes electi pariter creati vt Angeli? M. Voluit in hoc etiam Deus habere Adam sui similitudinem, vt sicut ab ipso omnia, ita omnes homines nascerentur ab illo. vnde & Eua ab illo. D. Quamobrem non creauit eos Deus tales, ne possent peccare? M. Propter maius meritum. Si enim tentati non consensissent, mox ita firmati essent, vt nec ipsi, nec posteri eorum vnquam peccare possent. Voluit ergo Deus, vt si bonum eligerent liberè, & istud acciperent in remuneratione, & econuerso. D. Qualiter gignerent, si in paradiso permansissent? M. Quemadmodum manus manui, ita sine concupiscentia iungerentur: & sicut oculus selevat ad videndum quæ competunt, ita sine delectatione illud sensibile membrum, suum perageret officium. D. Quali modo pareret mulier? M. Sine forde, & abique dolore. D. Esset infans ita debilis, & non loquens, ita vt nunc? M. Mox vt nateretur ambularet, & absolute loqueretur: & contra singulos defectus de lignis ibi positus vteretur, & præfixo à Deo tempore de ligno vitæ ederet, & sic in vno statu postmodum permaneret. D. Quamdiu debuerunt esse in Paradiso? M. Vsquequo impletur numerus Angelorum qui ceciderant, & ille numerus electorum, qui erat implendus, si Angeli non cecidissent. D. Quomodo possiet Paradisus eos capere omnes? M. Sicut *Eccles. 1.* nunc generatio post generationem per mortem præterit, & generatio per vitam aduenit: ita tunc **D** parentes per meliorem statum assumerentur: filii vero præfixito tempore (quod creditur circa triginta annos) post esum ligni vitæ suis posteris cederent, & ad extremum omnes pariter in cœlis, Angelis cœquarentur. D. Erant nudi? M. Nudi erant: & non plus de illis membris, quam de oculis erubescabant. D. Quid est quod dicitur: Post peccatum viderunt se nudos, quasi ante hoc non viderint? M. Post peccatum mox per concupiscentiam in inuicem exarserunt, & in illo membro exorta est confusio, vnde humana procedit propagatio. D. Cur in illo membro plus quam in aliis? M. Vt scirent quod tota posteritas illorum eodem crimine obnoxia teneretur. D. Viderunt Deum in Paradiso? M. Viderunt per assumptam formam, vt Abraham, & alii Propheta. D. Quare seduxit eos diabolus? M. Propter inuidiam: inuidit enim illis, ne ad honorem illum peruenirent, de quo ipse superbus cecidisset. D. Cur permisit Deus hominem tentari, cum sciret eum superari? M. Quia præsciuit quanta bona de eius peccato esset facturus. D. Locutus ne est serpens? M. Diabolus locutus est per serpentem, vt hodie loquitur per obsessum hominem, quemadmodum Angelus locutus est per asinam: cum nec serpens, nec asina sciret, quid per eos verba illa sonarent. D. Quare magis per serpentem, quam per aliud animal? M. Quia serpens tortuosus est & lubricus: & diabolus, quos seducit, tortuosos & lubricos facit: tortuosos fraudulentia, lubricos luxuria. D. Fuit scientia boni & mali in illo pomo? M. Non in pomo, sed in transgressione. Ante peccatum autem suum homo sciuit bonum & malum: bonum per experientiam, malum

*Eccles. 1.**Genes. 3.**Sapient. 20.**Genes. 3.**Nuin. 22.**Apoc. 12.**Gen. 20.*

A malum per scientiam: post peccatum autem sciuit malum per experientiam, bonum verò per scientiam. D. Nasceretur mali in paradiso? M. Tantummodo electi. D. Quare nunc nascuntur? M. Propter electos, ut exerceantur per illos, & probentur ut aurum in fornace. D. Quamdiu fuerunt in paradiso? M. Septem horas. D. Cur non diutius? M. Quia mox ut mulier creata est, confestim etiam est prauaricata, tertia verò hora vir creatus imposuit nomina animalibus. hora sexta mulier formata, continuo de vetito pomo præsumpsit, viroque mortem porrexit, qui ob eius amorem comedit: & mox hora nona Deus de paradiso eos eiecit. D. Quid fuit Cherubim, vel flammeus gladius? M. Gladius fuit igneus murus, quo post peccatum circumdatus est paradysus. Cherubim quoque Angelica custodia, ut & ignis corpora arceret, Angelici autem spiritus à loco voluptatis inhiberent. D. Quò iuit tunc Adam? M. In Ebron est reuersus, vbi & creatus est: ibique filios procreauit. Occisum autem Abel à Cain, centum annos luxit: & Eua amplius copulari noluit. Sed quia Christus à maledicto semine Cain noluit nasci, per Angelum admonitus Eue iterum est sociatus, & pro Abel est Seth genitus, de cuius stirpe est Christus natus. Volo te etiam scire quòd à tempore Adæ vsque ad Noë non pluit, & ins non fuit, & homines carnes non edebant, & vinum non bibebant: eratque totum tempus quasi vernalis tempestas, copiasque omnium rerum, quæ omnia post immutata sunt propter peccata hominum. D. Quid peccauit homo quod expulsus est de paradiso? M. Sicut Deus esse concupiuit: & ideo B cõtra eius præceptum de interdita arbore comedit. D. Quid magni vel mali fuit comedisse pomum? M. Tam graue aut grande periculum fuit, ut toto mundo redimi non posset. D. Hoc proba. M. Iustumne tibi videtur, ut homo obediat diuinæ voluntati? Nihil enim iustius, quàm ut omnis creatura rationalis nihil præponat volutati Creatoris. D. Ergo voluntas Creatoris maior est quàm totus mundus? M. Vtique. Si igitur tu stares coram Deo, & aliquis diceret tibi: Respice retro, aut totus mundus interibit: diceret autem Deus, Nolo ut retro respicias, sed in me respicias: deberes tu Deum contemnere, qui est Creator omnium rerum, & gaudium Angelorum, ut liberares transitorium mundum? D. Minimè. M. Hoc autem Adam fecit: coram Deo stetit: & diabolo inclinante retro aspexit, & maius peccatum, quàm mundus esset, commisit. D. Quomodo maius? M. Quia sex criminalia flagicia in hoc vno crimine commisit, quibus ætates sue posteritatis inuoluit. D. Quæ fuerunt illa? M. Primum superbia fuit, cum Deo æqualis esse voluit: & ideo factus est omnium infimus, qui fuit omnibus prælatus. de hac dicitur: *Immundus est coram Deo omnis qui exaltat cor suum.* Secundum inobedientia extitit, cum mandatum Dei præteriuuit: & ideo facta sunt ei omnia inobedientia, quæ prius erant subiecta. de hac dicitur rursum: *Quasi scelus est ari land, nolle obedire.* Tertium auaritia erat, cum plus quàm concessum fuerat, concupiuit: & ideo omnia concessa iuste amisit. de hac dicitur per Apostolum: *auaritia est idolorum seruitus.* Quartum erat sacrilegium, cum vetitum in sacro loco quasi per furtum subripuit: & ideo de sacrario excludi promeruit. de hoc dicitur: *Qui prophana sancta, à sanctis exterminabitur.* Quintum fuit spiritualis for-

Genes. 3.

Luc. 25.

1. Reg. 15.

Galat. 5.

nicatio. Anima enim illius erat Deo coniuncta: C sed cum spreto Deo diabolum admisit, quasi cum extraneo adulterium commisit: & ideo veri sponsi amicitiam & consortium amisit. de hac dicitur: *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Sextum, homicidium perpetravit, quo se & omne genus humanum in mortem præcipitavit. de hoc dicit Moyses: *Qui occiderit, morte morietur,* scilicet æterna. vnde & in interiori homine mox est mortuus, & iacuit in sepulchro corporis sepultus. D. Nonne ille miser à nequissimo spiritu & mendacissimo erat seductus? M. Etiam, sed non ideo minus fuit noxius. Si enim quis seruo suo opus iniungeret, & monstraret ei foueam, ne intus caderet, de qua surgere non posset: ille verò contempto domino sponte in foueam caderet, & iniunctum opus inactum remaneret, nõ esset reus? D. Imò duplici culpa esset obstrictus: vna, qua dominum contempsit: alia, qua se ad iniunctum opus impotentem fecit. M. Ita fecit Adam. Deum contempsit: opus obedientiæ deseruit: foueam mortis incidit. D. Quali modo oportuit eum reuerti? M. Honorem, quem Deo abstulit, reddere debuit: & pro peccato, quod fecit, satisfacere. Valde enim iustum est, ut qui alii sua abstulit, & ablata restituat, & pro iniuria illata satisfaciatur. D. Quid abstulit Adam Deo? M. Totum quod proposuit in sua cura de suo genere facere. D. Qualiter debuit ablatum honorem reddere? M. Diabolum ita vincere, ut ipse victus esset ab eo, & seipsum omnesque prædestinatos ad vitam tales restituere, quales futuri erant si permansissent. D. Qualiter autem debuit satisfacere? M. Quia peccatum maius mundo commisit, aliquid maius mundo Deo soluere debuit. Horum neutrum vlla ratione potuit facere: ideo in morte permansit. D. Et cur penitus non periiit? M. Statutum Dei immutari non potuit, proposuit enim ex genere Adæ electorum numerum implere. D. Quid ergo? M. Quia debitum honorem Deo non soluit, Deus ab eo inuito accepit, cum eum pœnis subegit. D. Quomodo honor Dei est pœna hominis? M. Quia quem dulcem patrem ut filius in gloria habere contempsit, hunc suum dominum in tormentis ut rebellis seruus sensit. D. Cum soluere vellet, & non posset, cur Deus, cum misericors sit, nõ ei dimisit, aut talem in gloria sumpsit? M. Si Deus ideo ei suum honorem dimitteret, quia habere non posset, impotens videretur: Si autem peccatorẽ hominem impunitum in gloria assumeret, vnde Angelũ pro vna cogitatione extrusisset, iniustum esset. Sed in regno eius nihil inordinatum relinquitur. peccator ergo puniri debuit. Quis enim genam de cœno sublatam, in thesauros suos recondat non purgatam? D. Ad quem finem ergo debuit deuenire? M. Quoniam transfuga seruus & fugitiuus cum furto domini sui ad læuissimum profugit tyrannum, filius Regis missus est de palatio in carcerem post exulem seruum, qui tyrannum contereret, & fugitiuum seruum cum rebus in gratiam Regis reduceret. D. Quare homo redire potuit post lapsum? M. Quia sicut non per se, sed per alium impulsus cecidit: ita dignum erat, cum per se non posset, & vellet, ut per alium adiutus resurgeret. D. Cur non misit Angelũ, ut eum redimeret? M. Si Angelus hominẽ redemisset, tunc illius seruus esset: homo autem sic restitui debuit, ut æqualis Angelis esset. Et aliud oberat. Angelus in sua natura

Psal. 71.

Leuit. 24.

Calat. 4.

Eua 20.

A natura inualidus erat hominē redimere: si autem homo fieret, minus posset. D. Quare non creauit Deus alium hominem de terra, & misit eum pro perditio: M. Si nouum hominem Deus creasset, & misisset, tunc ad genus Adæ redemptio non pertineret: de suo enim genere debuit esse, qui pro homine satisfaceret. D. Cur non misit Deus Patriarcham vel Prophetam? M. Patriarchæ & Prophetæ in peccatis concepti & nati erant: (& ideo genus humanum redimere nō poterant) pro quibus & ipsi redimendi erant. D. Euolue cætera. M. Quia igitur Angelus redimere non debuit, & homo per se satisfacere non potuit: Dei Filius, *per quem facta sunt omnia*, vt & redemptio per illum fieret, assumpsit plenum hominem: & in duabus naturis factus est vna persona. Et in illa natura, quæ Deus erat, vicit diabolum, vt ipse vicerat hominem, & omnibus prædestinatis cælum aperuit, & Angelis coæquauit: quod solus Deus potuit. In ea aut natura, qua homo fuit, malum mundi soluit, cum mortem indebitam subiit: quod solus homo debuit facere. D. Benedic⁹ sermo oris tui, qui de cælis mihi deduxit filium Dei. Sed dic mihi, cur Filius Dei sit incarnatus, & non Pater, nec Spiritus sanctus? M. Si Pater aut Spiritus sanctus incarnaretur, duo Filii in Trinitate computarentur: vnus Filius Virginis, qui esset incarnatus: alter Filius Dei. Et alia causa erat. Filius est similitudo Dei: Angelus autem & homo assumpserant sibi similitudinem Dei. Debuit ergo ille incarnari, cui specialiter iniuria facta fuerat: vt istum misericorditer saluaret, illū iuste damnaret. Aliud etiā: Quia omnia per Filium, ideo redemptio per eum. D. Cur voluit nasci de Virgine? M. Quatuor modis fecit Deus homines. Vno modo abiq; patre & matre, sed de terra, vt Adam. Secundo modo de solo viro, vt Euam. Tertio modo de viro & fœmina, vt quotidie nascuntur homines omnes per mundū. Quarto modo de sola fœmina: quod priuilegiū Christo reseruatū est: vt sicut mors per fœminam virginem intrauit in mundum, ita per fœminam vita intraret, qua mortē excluderet. D. Cur non venit mox illo tempore ante diluuium, vel post diluuium? M. Si ante diluuium venisset, dicerent homines illius temporis non fuisse necesse eum venisse, cum ipsi à parentibus suis omnia bona didicissent, qui nuper exissent, & à Deo & ab Angelis eius omnia edocti essent. Si autem mox post diluuium venisset, dicerent, Deum Noë & Abraham locutum fuisse, & omnia agenda vel vitanda ab eis didicisse. D. Quare non venit tempore legis? M. Si tunc venisset, dicerent Iudæi se copiose à lege instructos, Gentiles verò à Philosophis se abundè edoctos. D. Cur non distulit vlque ad finem mundi? M. Tunc pauci eum imitarentur, & electorum numerus non impleretur. Necesse esse ergo fuit eum venire, *quando venit plenitudo temporis*. D. Quod fuit illud tempus? M. Quod præfixit Deus *ante tempora secularia*, scilicet cum Iudæi se magis lege grauari, quàm releuari ingemiscebant: & Gentiles *relicto naturali vsu* contra naturam turpiter viuerent, & neq; sacerdos, neq; Leuita subueniret: necesse erat, vt verus *Samaritanus* adueniret, qui semiuiuum iumento sui corporis imponeret, & ad stabulū supernæ curiæ perduceret. D. Quomodo potuit nasci sine peccato de massa peccatrice? M. Ab initio Deus quosdam, qui eum colerent, familiariter segregauit, de quibus Virgo quasi de linea deducta pullulauit:

quæ velut olim virga arida sine humore florem, C ita sine concupiscentia mundo edidit Saluatorem. D. Qualiter genuit eū? M. Sine forde, & sine dolore. Clausa n. ianua thalamū vteri introiuit, humanam naturā sibi coniunxit, clausa porta, vt verus sponsus de thalamo processit. D. Cur nouem menses fuit clausus in vtero? M. Vt homines, qui erant clausi in miseris huius mundi, siue inferni, reduceret ad cōsortium nouem ordinum Angelorum. D. Qua hora natus est? M. Media nocte: vt dicitur: *Deum in medium silentium tenebant omnia, & Sap. 28. mox in suo cursu medium iter haberet: Sermo tuus à regalibus sedibus v. nit.* D. Cur nocte? M. Primò, quia occultus venit: deinde vt eos, qui in nocte erant erroris, ad lucem perduceret veritatis. D. Sciuit aliquid Christus infans? M. Omnia planè, vt putat Deus: *in quo fuerant omnes thesauri sapientiæ absconditi.* D. Potuit ambulare, vel loqui mox vt natus est? M. Secundum potentiam vtrumq; poterat: sed humanam naturam omnia imitari volebat. D. Contigit aliquid miri eo nascente? M. Septem specialia miracula. D. Quæ fuerunt illa? M. Stella nimis præfulgida apparuit. Circulus aureus vel purpureus circa Solem claruit. Fons olei de terra prorupit. Pax maxima fuit. Vniuersus orbis ad censum est descriptus. Numerus ad triginta milia hominum, qui Dominum recusarunt, est vna die occisus: & animal brutum locutus est. D. Velle hæc mystica audire. M. Stellæ signant Sanctos. Stella igitur præclara illuxit, quia Sanctus Sanctorū venit. Circulus aureus circa Solem fulsit, quia Sol iustitiæ auro suæ diuinitatis Ecclesiam illustrare, & purpura suæ passionis coronate venit. Oleum signat misericordiam. Fons olei de terra fluxit, quia fons misericordiæ de Virgine manauit. Pax ingens extitit, quia pax vera in terris apparuit. Mundus ad censum est descriptus, quia ad supernum regnum crismate est signatum humanum genus. Qui Dominum recusarunt, occisi sunt, quia qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare super nos*, disperierunt. Pecus loquebatur, quia ad laudem Dei populus gentium conuertebatur. D. Omnia quæ desiderat cor meum, audio: sed quæso te, vbinam hæc reperisti? M. In mari magno, in quo sunt animalia, *quorum non est numerus.* D. Quare attraxit tres Magos cum muneribus? M. Quia tres partes mundi, scilicet Asiam, Africam, & Europam, fide & opere ad se trahere voluit. D. Cur magis fugit in Ægyptum, quàm in aliam terram? M. Vt ostenderet se verum Moysen: vt sicut Moyses populum Dei de Pharaone & Ægypto liberans, in terram duxit promissionis, ita ipse populum fidelium de diabolo & inferno liberans, ad regnum duxit beatitudinis. vnde & post septem annos reuertitur in Israël, quia per septem dona Spiritus sancti reduxit nos de mundo ad cælestem Hierusalem. D. Quare in triginta annis nec docuit, nec signa fecit? M. Exempli gratia venit in mundum: ideo voluit prius *facere, & tunc docere*: vt dicitur: *Que cepit I B S V S facere, & docere.* Per hoc igitur exemplum præbebat, ne quis ante legitimam ætatem docere præsumat: vel prius velit docere, quàm discat. D. Cum in eo fuerit plenitudo diuinitatis, & nihil posset ei gratiæ accedere, cur est baptizatus? M. Vt nobis aquas ad baptismum sanctificaret. D. Quare baptizatur in aqua? M. Aqua contraria est igni. Quid est peccatum, nisi ignis? Sicut enim ignis extinguitur aqua, ita peccatum baptismō aqua.

Psalm. 72.

Leuit. 24.

Colof. 2.

Marc. 2.

Luca 2.

Luc. 19.

Matth. 2.

Exod. 14.

Matth. 2.

Luc. 3.

Actor. 1.

Luc. 9.

Galat. 4.

Luca 20.

A aqua. Sicut in animo, in carne concupiscentia, unde & igne supplicii punitur: ut hic ignis extinguatur, in aqua baptizatur. Est & aliud. Aqua sordes diluit, sicut extinguit: ita gratia Spiritus sancti in baptisate sordes peccatorum abluit: sicut animae verbo Dei restinguit: imaginem Dei per culpam amissam restituit. D. Cum scriptum sit de eo: *Speciosus forma praesiliis hominum*: erat corpore pulcher? M. Secundum naturam talis fuit, qualis in monte discipulis suis apparuit. Sed quia homines eius claritatem ferre non poterant, sub larua apparuit, quae forma despicabilis fuit: unde dicitur: *Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem*. D. Erat passibilis & mortalis? M. Passio vel mors, peccati est poena: sed ipse absque peccato venit, & sine peccato vixit. igitur secundum naturam impassibilis & immortalis fuit: sed secundum potentiam verumque esse voluit, & passibilis, & mortalis. D. Quare mortuus? M. Propter obedientiam, ut dicitur: *Factus est obediens usque ad mortem*. D. Exegit ab eo mortem Pater? M. Minime. D. Cur occiderunt eum Iudaei? hoc volo à te audire. M. Quia iustitiam viuendo, & veritatem docendo indeclinabiliter tenuit, hanc obedientiam humanitatis diuinitati debuit, hanc Deus ab omni rationabili exigit creatura. D. Quis vnquam pater vnicum & bonum filium occidi permittat, si prohiberi queat? M. Cum Deus vidit Filium suum egregium opus velle, scilicet tyrannum expugnare, & captiuum ab eo liberare, ad tam laudabile opus ei consensit, & eum mori permisit. D. Quomodo apud eum iustum fuit, quod optimum pro impio dedit? M. Quia pessimus hominem seduxerat, iustum erat, ut optimus pro eo obles fieret, qui pessimum reuinceret; & innocentem pristinae libertati restitueret. Sed & tali modo charitatem suam Deus ostendit mundo: ut dicitur: *Vt seruum redimeres, Filium tradidisti*. D. Si Pater tradidit Filium, ut dicitur: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: & si Filius seipsum tradidit, ut dicitur: *Qui tradidit semetipsum pro nobis*: quid peccauit Iudas, qui etiam tradidit illum? M. Pater tradidit Filium, & Filius seipsum propter charitatem: Iudas vero propter auaritiam. D. Quare voluit mori in ligno? M. Ut eum, qui per lignum vicit, reuinceret: & illum, qui in ligno cecidit, redimeret. D. Cur in cruce? M. Ut quadrifidum mundum saluaret. D. Valuit mors eius ad exhaurienda omnium peccata? M. Transcendit etiam infinitè. D. Proba. M. Si coram te Christus staret, & eum Dominum maiestatis scires, & aliquis diceret, interfice hunc, aut totus mundus interibit: interfices eum, ut saluares mundum? D. Nequaquam. M. Quare? D. Quia vita eius longè dignior videretur, quam infiniti mundi: & tale piaculum videret committere, quod innumeris mundis non posset expiari. M. Sicut vita Christi dignior est infinitis, sic mors eius sufficit ad redemptionem omnium. D. Quid dedit ei Pater pro merito? M. Quid daret ei, cum sua essent omnia? ut dicitur: *Filii mei, omnia mea tua sunt*. D. Non potuit mercedem suae mortis dare cui vellet? M. Potuit; ideo etià dedit homini, pro quo haec omnia sustinuit: pro passione impassibilitatem, pro morte immortalitatem, pro peregrinatione patriam aeternam. D. Quot horas fuit mortuus? M. Quadringenta. D. Quare? M. Ut quatuor partes mundi, quae in Decalogo erant mortuae, viuificaret. D. Qui crucifixerunt eum? M. Quia pro Iudaeis & Gentilibus mori voluit, Iu-

dæi mortem consiliati sunt, Pagani vero crucifixerunt eum. D. Cur iacuit in sepulchro duas noctes, & vnum diem? M. Duæ noctes significant duas mortes, corporis & animae: dies signat suam mortem, quae fuit lux nostrarum mortium. vnam abstulit, alteram ad exercitium electis reliquit: quæ denuò veniens exterminabit. D. Quod fuit anima eius post mortem? M. In caelestem paradysum. ut dixit ad latronem: *Hodie mecum eris in paradyso*. D. Quando ad infernum descendit? M. Media nocte resurrectionis, qua hora Angelus Aegyptum deuastrauit, ea hora, id est, media nocte, Christus infernum despoliauit, & noctem ut diem illuminauit: ut dicitur: *Et nox ut dies illuminabitur*. & cum triumpho inde rediens, raptos inde in paradyso collocauit. post corpus suum in sepulchro visitauit, quod de mortuis excitauit. Quidam sentiunt, quod ab hora mortis vsque ad horam resurrectionis in inferno cum electis fuerit: & inde cum eis absens resurrexit. Non est ita: tamdiu fuit in inferno, ac deuastrauit, quamdiu ad iudiciu veniens actus cuiusque examinabit: *In momento, in ictu oculi*, id est, quam citò oculum potes mouere. D. Quare non statim post mortem resurrexit? M. Dicerent non eum mortuum fuisse, sed in tormentis obstupuisse. Si autem post multum temporis resurrexisset, esset dubium an ipse esset. D. Cur ergo tam citò resurrexit? M. Ut citius suos consolaretur, qui de sua morte tristabantur. D. Quare in die prima hebdomadae? M. Ut mundum in ea die renouaret gaudio suae resurrectionis, qua eum creauerat: vel qua primus homo morti indebitè inobediendo substrauerat. D. Cur in tertia die suae passionis? M. Ut eos, qui tribus temporibus ante legè, sub lege, sub gratia, in peccatis mortui erant, subleuaret: & ut nos, qui factis, dictis, cogitationibus labimur, per fidem sanctae Trinitatis resurgamus. D. Vbi mansit illis quadraginta diebus? M. in paradyso terreno, ut creditur, cum Elia & Enoch, & cum iis, qui cum eo surrexerant. D. Qualem formam post resurrectionem habuit? M. Septies splendidiorem quam Sol. D. Quali forma viderunt eum sui? M. Tali, ut ante consueuerant eum videre. D. Apparuit eis vestitus? M. Vestes ex aëre assumpserat: quo ascendente, in aëre euauerunt. D. Quoties apparuit? M. Duodecies. Primo die octies: primò Ioseph ab Arimathia in carcere, in quem positus erat, eo quod eum sepelierat, ut scripta Nicodemi declarant. Secundò Mariæ Magdalena, ut Sedulius manifestat. Tertiò Mariæ Magdalena, ut Marcus asserit. Quarto duabus mulieribus à sepulchro reuertentibus, ut Matthaeus pandit. Quintò Iacobo, ut Paulus testatur, qui se in sexta feria deuouerat non manducaturum donec videret Christum viuum. Sextò Petro, ut Lucas narrat, qui propter negationem ab aliis segregatus in fletibus permanebat. Septimò, duobus discipulis in via Emaus, ut idem Lucas refert. Octauò omnibus ianuis clausis, ut Ioannes describit. Nonò in nona die, quando eum Thomas palpauit. Decimò ad mare Tiberiadis. Undecimò in monte Galilaeae. Duodecimò recumbentibus vndecima discipulis apparuit. D. Cur dicit Euangelista: *Apparuit primò Mariæ Magdalena*? M. Euangelista, cum summa auctoritate sunt edita: sed scribere Euangelista nolabant nisi ea, quae omnibus nota erant, unde dicitur: *Multa & alia fecit Iesus, quae non sunt scripta in libro hoc*, id est, in Euangelio. In aliis autem quaedam, non tamen omnia inueniuntur. D. Ascendit

A dit se
ascen
nube
à nul
statim
caus
cite
Secu
vt de
tuor
re. T
passi
post
Qui
man
liter
tand
mor
M. C
rati
dò,
præ
gesi
pos
die
no.
am
pol
hæ
diu
do
nisi
B
cle
iect
bla
tici
à fa
ana
suis
con
cap
cra
vni
oro
cap
rui
mæ
Na
sui
sti
fac
fer
Po
im
Ec
on
po
gu
ne
Ier
Eg
Cl
tis
el
Cl
eti
eti

A dit solus? M. Qui cum eo surrexerunt, cū eo etiam ascenderunt. D. Qua forma ascendit? M. Vsq; ad nubes ea forma, qua ante passionē susceptus autē à nubibus, ea, qua in mōte apparuit. D. Quare nō statim ascendit cū surrexerat? M. Propter tres causas. Primò, vt sui experimēto discerēt eū veraciter surrexisse, quē viderāt manducare & bibere. Secundò post quadraginta dies voluit ascendere, vt demonstraret eos, qui decalogū legis per quatuor Euangelia impleuerint, posse cœlū ascendere. Tertiò, q̄ Ecclesia, quæ corpus Christi est, post passionem, q̄ sub Antichristo erit passura, deinde post quadraginta dies erit ascensura. D. Quid est Christū in dextera Patris sedere? M. Humanitatē in gloria diuinitatis quiescere. D. Qualiter pro nobis interpellat Patrem? M. Repræsentando pro nobis iugiter suā passionē. D. Cur non mox milit Spiritum sanctū, sed post decem dies? M. Ob tres causas. Primò, vt Apostoli ieiuniis & orationib; se aptos eius aduentui præpararēt. Secundò, quòd hi Spiritum sanctū acceperunt, qui decē præcepta legis explent. Tertiò, quòd in quinquagesimo die à resurrectione: vt sicut populus Dei post liberationem ab Ægypto quinquagesimo die accepit legem timoris, ita populus fidelium post liberationē suā à mundo, quinquagesimo die acciperet legem amoris. In iubilæo etiam anno. i. quinquagesimo, recipit populus libertatem amissam & hereditatem: ita in hac die recepit populus Christianus amissam libertatem, & paradisi hereditatem. D. Habet Christus nunc plenū gaudium? M. Quodammodo habet, & quodammodo non habet. Quantum ad suam personam, plenissimum: quantū ad corpus suum, quod est Ecclesia, adhuc minimè. Adhuc enim non sunt *subiecta omnia sub pedibus eius*. A Iudæis enim adhuc blasphematur, à Gentilibus subsannatur, ab hæreticis dilaceratur, à malis Christianis impugnatur, à sacerdotibus luxuriæ deditis, & ob hoc publicè anathematizatis, vilipenditur. In membris etiam suis quotidie patitur. D. Quomodo est Ecclesia corpus eius, & electi membra eius? M. Vt corpus capiti inhæret, & ab ea regitur, ita Ecclesia per Sacramentum corporis Christi ei coniungitur, imò vnum cum eo efficitur: à quo omnes iusti in suo ordine, vt membra à capite gubernantur. Cuius capitis oculi sunt Prophetæ, qui futura præuidentur. sunt & Apostoli, qui alios à via erroris ad lumen iustitiæ deduxerunt. Aures, sunt obedientes. Nares, discreti. Phlegma, quod per nares eiicitur, sūt hæretici, qui iudicio discretorū de capite Christi emunguntur. Os sunt doctores. Dentes, sunt sacra Scripturæ expositores. Manus, Ecclesiæ defensores. Pedes, sunt agricolæ Ecclesiæ pascetes. Porro simus, qui de ventre porcis egreditur, sunt immundi & luxuriosi altaris ministri, & alii intra Ecclesiam facinorosi, qui ventrē matris Ecclesiæ onerant, quos per mortis egestionē dæmones vt porci deuorāt. D. Quare de pane corp⁹ eius, & sanguis eius de vino cōficitur? M. Corpus ideo de pane, quia ipse dixit: *Ego sum panis viuus, qui de celo descendit*. Sanguis autē ideo de vino, quia ipse dixit: *Ego sum vitis vera*. Et sicut pane corpus nutritur, ita Christi cibo anima reficitur. Et sicut panis ex multis electis conficitur, ita Christi corpus ex multis electis colligitur. Et sicut panis igne coquitur, ita Christus in camino passionis affatur. Qui panis etiam dicitur caro, quæ vt Agnus immolatur. Vinū etiam ex multis acinis eliquatur, & in torculari

exprimitur: ita corpus Christi ex multis iustis cōpaginatur, qui in prælo crucis torquetur. Quod vinum in sanguinē vertitur, vt anima nostra, quæ in sanguine est, per hoc viuificetur. D. Cū species panis & vini videatur, quomodo caro & sanguis prædicatur? M. Cū verè sit illud quod Maria genuit, quod in cruce pependit, quod cœlos penetrauit, species panis ideo remanet, ne tu, si purū (vt verè est) sanguinē de latere stillantē cerneres, hunc labiis attingere abhorreres: & vt mai⁹ meritū haberes, cū non visu, sed intellectu crederes. D. Quæ est salus in hoc? M. Summa. Sicut enim esca in carnē comedentis vertitur, ita quisq; fidelis per comestionē huius cibi in corpus Christi conuertitur. Igitur per fidem, mundi vitiiis & concupiscentiis Christo crucifigimur, & in baptisinate Christo conspelimur: igitur & ter immergimur, per cibū corporis eius ei incorporamur: & ideo necesse est vt illuc, quò Christus est, pertrāferamur. D. Habet plus sanctitatis, qui plus accipiunt? M. Vt de manna dicitur, *Qui plus collegit, non plus habuit: nec qui minus collegit, minus habuit*, ita omnes æqualiter sumunt: & vnusquisq; totum Dei Agnum comedit, & tamen integer in cœlo permanet. D. Quā mercedē habebunt qui hoc dignè tractant? M. Duplici præmio remunerabūtur. vna corona, quia hoc cū veneratione tractant: altera, quia se ad hoc dignis morib; coaptant, coronabūtur. D. Quid de his sentis, qui hoc indignè & contra Apostolica instituta tractant? M. Qui contra ius fasq; in adulterio, fornicatione, & cæteris flagitiis vitā agunt, vel Ecclesias vendunt, aut ordines emunt, & prauo exemplo populū Dei occidunt, & oīa hæc temerè defendunt, hi tales sunt Domini traditores, simul & crucifixores. D. Quæ causa debent sacerdotes Missam celebrare? M. Dei causa solius, & suæ salutis, atq; toti⁹ Ecclesiæ. D. Sed ipsi lucri causa celebrant, vt ab hominib; honorētur, & temporalibus reb; ditētur. Qui mysterium igitur passionis Christi profauore humano & temporalis lucri vendunt, quid aliud agunt, nisi q̄ Dominum tradunt? Cū verò sordidis manibus, & polluta conscientia, & fornicaria delectatione illum tractare præsumunt, in cuius conspectu *nec cali mundi sunt*, quid aliud faciunt, nisi Dominū crucifigunt: potest populus ex eis trahere? M. Cū filii Heli polluerent Domini sacrificium, tot⁹ penè populus cum eis subiit interitum, quia faciebant cōtra legis Domini præceptum. Quāto magis hi, qui Christiani vocantur, & ministri Christi esse videntur, & fornicationi ac luxuriæ subiacēt, vxores ducunt, filios ac filias procreant, q̄ illicitum est, cū manifestò ratum teneat vnuerſa Ecclesia, quod dictum est à Domino primo pastori, scilicet B. Petro, deinde successoribus eius, videlicet Apostolicis viris, Archiepiscopis: *Quocūque ligaueris super terram, erit ligatum & in calis: & quocūque solueris super terram, erit solutum & in calis*: ac in omnibus synodis sint excommunicati, & excommunicentur, polluuntur: dum admonentur, paruipendunt: dum excommunicantur, non est timor Dei in eis, sed derident, & dicunt, *Hoc anathema super nos, & super filios nostros*. Vnde patet, quæ quorū cæci cecos istos duces in foueā sequuntur, imò communicando eis comitantur, cum iisdem etiā pœnis participantur. D. Quid si iusti eis communicauerint? M. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea*. Et ideo qui eis communicant, quāuis iusti tamen ab eis cōtaminantur. D. Quid si relipuerint? V V M. Non

Exod. 16.

Job. 15.

*o. exemplum incommodum dicitur aut alium quippiam i. Reg. 2.

Eccles. 15.

A M. Non eis error nocebit. D. Conficiunt corpus Domini tales? M. Quamuis damnatissimi & iniusti, tamen per verba, quæ recitât, fit corpus Domini: non enim ipsi, sed Christus consecrat, & per inimicos salutem filiis operatur. Illi ad perniciem suam sumunt, alii ad salutem accipiunt. vnde & à pessimis non peioratur, & ab optimis non melioratur. Sic solis radius à cæno cloacæ non sordidatur, nec à sanctuario splendoratur. D. Cum ergo bonum quod per eos cõficitur, & accipientibus non ab eis, sed à Christo detur: cur bonum accipienti in perniciem vertitur? M. Bonum accipienti nõ solum prodest, imò etiam obest, si contra interdictum publicũ hoc ab eo accipit, à quo non debet. D. Proba. M. In Paradiso nullum pomum malum erat, cum Dominus fecerit omnia valde bona: sed homo bonum in malum sibi vertit, cum hoc à serpente, imò à diabolo percipere non spreuit. D. Si quis positus est ab his in mortis periculo, non muniendus est ab his viatico? M. Si quis zelo iustitiæ ab eis Communionem recipere renuerit, & se per os Sacerdotis Ecclesiæ in unitate Ecclesiæ quotidie cõmunicare nõ dubitauerit, hunc credo hac fide saluari si obierit: si quis verò eorum opera mala execrans, & bonũ Christi venerans * simpliciter, plena fide saluari, quia & Ioseph corpus Iesu à Pilato infideli petiit, & accepit. D. Possunt Deum pacare pro populo? M. Imò magis offendunt. Suo enim ingressu loca sacra contaminant: vestes sacras & vasa Deo dicata suo contactu commaculant. Nomen eorum absque memoria peribit. Hos abhorret Angelorum conuentus: hos fugit ipse Dominus, vt dicitur: *Procurant eum filij sui, imò non filij sui in foribus id. ab-*

B *scendant faciem meam ab eis dicit Dominus.* Filios ppter sacerdotium dicit: non filios propter sordes, subiunxit. Horum sacrificium non suscipit Dominus, sed execratur & abominatur, vt dicitur: *Sacrificium vestrum odit anima mea. dicit Dominus: quia panem pollutum oblistis mihi.* Et iterum: *Ne offeratis sacrificium frustum: sacrificium vestrum abominatio est mihi.* Corpus Domini cum pollui nequeat, quantum in ipsis est, polluunt, cum indiscretè velut alium cibum sumunt. Oratio eorum non suscipitur, sed fiet in peccatum, quia non exaudiet Dominus. Benedictio eorum in maledictionem conuertitur, vt dicitur: *Conuertam benedictionem vestram in maledictionem, & t Dominus.* Et iterum: *Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis: elegerunt maledictionem, & veniet eis.* D. Sumunt hi corpus Domini? M. Soli filij Dei accipiunt corpus Christi ad salutem, qui Christo sunt incorporandi, & Deum visuri. hi autè, qui in Christo non manent, quamuis videantur ad os porrigere, corpus tamen Christi sumunt, sed ad iudicium sibi manducant & bibunt. Et quia hoc sumunt negligenter, vt alium panem, & aliud vinum, vertitur eis in *fel draconum, & venenum aspidum in sanabile.* D. Nonne Iudas idem accepit quod Petrus? M. Nequaquam: quia Petrus Dominum dilexit: ideo acceptum Sacramentum cum Domino communicauit. Iudas verò quia Dominum odiuit, speciem quidem panis accepit, sed virtus Sacramenti in Christo remansit: ideo post buccellam mox diabolus in eum introiit: quoniam Iudæ non corpus, sed buccellam tantum intictam, sed non consecratam dedit. Petrus Domino adhebat, & eius verbis obediebat. Iudas cum Domino corpore ambulabat: cum traditorib. spiritu & mente erat. Hi

ergo dum censum debite seruitutis Domino sunt redditura nocturnis laudibus, amplexibus delectantur illecebrosæ copulationis. Similiter dum pro se & pro commissis Deum placare debent officiis dininis, liberos alludunt & fouet in gremiis. Vtibus diligenter insistunt ventris, perquirunt mulieres, vt eorum liberi accuratius sedeant, vel stent in plateis. Ipsi Dominum ad iracundiã prouocant his & huiusmodi: vt dicitur: *ipsi me prouocant in eo qui non erat Deus, & ego prouocabo eos. &c.* D. Est eis obediendum? M. Vbi bonum præcipiunt, non eis, sed Domino obediendum est: *dicitur enim, & non faciunt:* Vbi malum imperant, contemnendi sunt, quia *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* D. Possunt soluere vel ligare? M. Si ab ecclesia publicè separati non sint, quamuis ipsi vinculo excommunicationis fortiter alligati sint, vt unq; possunt: quia non ipsi, sed Christus per eorũ officium ligat & soluit: Si autem iudicio Ecclesiæ fuerint exclusi, spernendi sunt vt hæretici. Quamdiu Iudas cum Apostolis fuit, vt amicus apparuit vt alij Apostoli; prædicauit, baptizauit, signa fecit: postq; ab eis recessit, vt publicus hostis apparuit. Quod fecit & monuit, aliquibus profuit; sibi obfuit. Ita isti quamdiu sunt in cõmunionem ecclesiæ, oia Sacramenta per eos facta, erunt rata: si exclusi fuerint, quæcunq; egerint, erunt irrita. nihil pdest eis interesse. Quia igitur sunt lupi aperti, à Christi ouib. sunt fugiendi, vt dicitur: *Exite de medio illorum Esai. 52. popule meus, ne participes sitis panis & tormētis illorum.* D. Nunqd potest homo sua ppter eos relinquere? M. Ista separatio nõ potest corporaliter fieri, nec debet: quia si boni à malis separantur, iã nemo ad bonũ per eos conuertitur. In quibusdã tamè sunt deuitandi, & pceptuè in cõuiuio, & in seruitio Dei vt dicitur: *Cum huiusmodi nec cibum sumere.* Fugiendi i. Cor. 5. sunt mente & volutate & opere, ne cõsentiatur operib. eorũ. D. Qualiter fit cõsensu ad actus illorum? M. Si illorũ malefacta laudantur, & ad peccanda flagitia, cõsilio, ope vel pecunia auxiliant. Ideo non solũ qui faciunt, sed & qui cõsentiant facientib. digni sunt morte. Itaq; quamuis mali ab Ecclesia publicè nõ sunt segregati, nõ sunt deuitandi, nisi sibi oēs inuicè & Prælati & subditi ita malo cõsentiant, vt nullus eorũ prauitate arguat: tunc omnib. modis sunt fugiendi, quia tunc causa sunt ruinæ populi. D. Quid de pastorib. eis cõsentientibus? M. Legitur de Heli, q; quia filiis prauè agētib. cõsensit, & eos tepidè super transgressione corripuerit, mortẽ corporis incurrerit. vbi manifestè ostenditur, quia mortẽ, quã ille ppeccatus est in corpore, isti patiuntur in anima. Ipsi peccata delinquentiũ fouent, quatenus ab eis tẽporalia stipendia pceptant, & ab æterna beatitudine seclusi penas æternas cum eis luant. Aliqui cum pastoris iura suscipiunt, ad lacerandã subditos inardescunt: pecunias ab eis extorquent & diripiunt, & sacri ordinis per omnia infideles existunt, vt dicitur: *Pastores tui infideles, socij furum: sequitur inuera, manus eorum plene rapina.* D. Sunt ordinandi Sacerdotum filij? M. Minimè. Canonum Decreta, & Sanctorum Patrum Constituta prohibent eos ad Sacros Ordines accedere, nec in Ecclesia aliquam Prælationem habere, quia ex fornicatione & transgressione sunt procreati. Ex patribus enim venenatis virus veneni transit in filios. D. Proba. M. Legitur in Genesi q; Deus Adæ pcepit, ne comederet de ligno sciẽtiæ boni & mali: at ille non de ligno, sed interdicti ligni fructu comedit, & vene-

Genes. 3.

*Dicit sum-
pserit, aut
aliquid si-
milit.
Ionn. 19.

Deut. 32.

Malach. 1.

Malach. 2.

A & v
fideliter. feci
gnit
qua
D. C
tia
rut
vt
Q
ic
unt
res
ap
cto
ter
cia
led
H
eu
vt
qu
D.
in
V
op
de
m
di
it
fa
co
pr
B
fu
no
m
in
m
E
ill
M
eu
re
te
A
A
g
en
ce
an
fi
n
c
L
q
o
p
t
fl
e
e
c
c
f
e
e

A & veneno transgressionis omnē posteritatem in-
 fecit. Hic aliquid patet * quia fructus venenati li-
 gni à veneno inobedientiē immunis non fuerit,
 quamuis fructum ligni comedere non vetuerit.
 D. Quod est lignum scientiæ boni & mali? M. Scien-
 tiæ diuinarum Scripturarum, & secreta mysterio-
 rum Dei: quod præcipue ipsis commendatum est:
 vt dicitur, *Vobis datum est nosse mysterium Dei.* D.
 Quod lignum mali? M. Notitia secularis, & ab-
 lectio mandatorum Dei. vt dicitur, *Malè facere sci-
 unt: bene autem nunquam.* Isti quamuis sint inferio-
 res, volunt videri superiores. Ambiant honores:
 appetunt magis præesse quàm subesse. Isti ad sa-
 ctos Ordines nullatenus sunt promouendi. In-
 ter ceteros semper habeantur verecundi, & reii-
 ciant penitendo venenū, quo à patribus sunt il-
 lecti, & resipiscant tali pudore ceteri sacerdotes.
 Hi nisi resipuerint penitendo secundum modum
 culpe, arbor cum radice exterminabitur sine fine:
 vt dicitur, *Propterea Dominus destruet te in finem, id est, vs-
 que in finem: & euellat radicem tuam de terra viuētium.*
 D. Dic quæso, horum reproborum sacerdotum &
 infidelium quis erit finis, vel cruciatus eorum? M.
 Vt legitur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in
 operibus suis: ideo ad nihilum deuenient tanquam aqua
 decurrēs. Vt oues, sic & pastores in inferno positi erunt:
 mors depascet eos, quoniam Deus spreuit eos.* D. Debent
 malis verba Dei dici? M. Si sciuntur non sunt eis
 dicenda: quia proditor est qui eis, cum sint ho-
 stes, referat Dei secreta. vnde præcipitur: *Nolite
 factum dare canibus, nec mittatis porcis margaritas, ne
 conculcent & mordeant.* Vbi autem nesciuntur:
 propter electos, qui inter eos latent conuertendi,
 sunt sermones Dei proferendi: sicut & Dominus
 non cessauit Petro & aliis saluandis verba salutis
 ministrare, quamuis sciret Iudam & Pharisæos
 inde scandalizando cruciari. D. Debent tolerari
 mali, cum Christus Iudam tolerarit? M. Mali in
 Ecclesia tolerandi, sed non imitandi, quoad usq;
 ille cum ventilabro veniat, qui grana de paleis ex-
 ecutiat, & zizaniis igni traditis *triticum in horrea sua
 recondat.* D. Segregatum ab omni malo collocet
 te Dominus, magister bone, in cœlesti gremio.
 A M E N.
 Anima mea exultat in Domino, quodd deterfo i-
 gnorantiæ nubilo, tanto per te illustratus sum sci-
 entia radio. Quæso itaque, decus Ecclesiæ, vt li-
 ceat mihi adhuc inquirere. M. Quære quæ vis, &
 audies quæ cupis. D. Dicitur, malum nihil esse: &
 si nihil est, valde mirum videtur, cur Deus homi-
 nes vel Angelos damnet, cum nihil faciant, vel fe-
 cisse videantur. Si autem aliquid est, videtur à
 Deo esse, cum omnia sint ab ipso: & sequitur
 quod Deus sit auctor mali, & iniuste eo modo
 qui hoc faciunt damnari. M. A Deo nempe sunt
 omnia, & omnia fecit valde bona: & ideo malum
 probatur nihil per substantiam esse. Omnia au-
 tem quæ Deus fecit, subsistunt. Omnis verò sub-
 stantia bona est: sed malum nō habet substantiam.
 ergo malum nihil est. Quod autem malum dicitur,
 nihil aliud est quàm vbi non est bonū: sicut cæ-
 citas, vbi non est visus, aut tenebræ, vbi nō est lux:
 cum cæcitas aut tenebræ non sint substantiæ. No-
 ta hæc tria. Creatura reposita est in prædicamento
 substantiæ. Substantia est res omnium rerum, prædi-
 camentorū in esse suo considerata. Natura dicitur
 omnis res in esse suo, præter ea, quæ discordant à
 prima cōstitutione secundum suas habitationes.
 Voluntas autem sit natura, quæ discordans à Cre-

atore non remanet natura, sed peruersitas nature, &
 hæc talis dicitur peccatum. Factura species est
 in honore, id est, homo in animali, qui relicto na-
 turali bono, peruersa vtitur voluntate. Hæc omnia
 secundum diuinos tria sunt: Creatura, Natura, &
 Factura. Natura, vt ex eis nascentia. Factura, quæ
 homo vel Angelus facit vel patitur. Faciunt pecca-
 ta, patiuntur pœnas peccati. Hæc Dominus nō fecit,
 sed fieri permisit: vt dicitur, *Deus mortem non fecit.* Sapien. 1.
 Peccatum autē nihil aliud est, quàm quod præcep-
 tum est non facere, aut aliter quàm præceptum
 est agere: sicut nec malū aliquid, nisi bono, id est,
 gaudio carere. Quod saltē vocabulū habeat, ad e-
 tali modo habet, cum sit per illā substantiā, quàm
 fecit Deus. Iuste verò damnat eos Deus, id est, nō
 dat eis gaudiū, qui non faciunt quàm sit præce-
 ptum. D. Quis est auctor peccati? M. Ipse homo,
 incensor verò diabolus. D. Est graue peccare? M.
 minimū peccatum scienter commissum, grauius
 est toto mundo. Quicquid autem mali vel pecca-
 ti agitur, totū in laudem Dei vertitur: & ideo in o-
 mni creatura Dei nihil mali esse vel fieri compro-
 batur. D. Quid dicis? homicidiū & adulteriū non
 est peccatum? M. Homicidium sæpe dicitur bo-
 num, vt occisio Goliæ à Dauid, & Holophernis
 à Iudith. quod tunc malum dicitur, cum proprio
 impulsu perpetratur. Coniugium bonum dicitur:
 sed ideo malū est adulterium, quia aliter fit quàm
 sit concessū. Quæ tamen in laudem Dei conuertuntur,
 cum ab eo iniusti iuste puniuntur. Sicut enim
 Imperator est laudabilis, qui milites suos bene
 remunerat: ita est etiā laudabilis, imò laudabili-
 or, qui prædones & latrones damnat. Ita vtiq; si-
 cut Deus in saluatione iustorū glorificatur, sic in
 perditione impiorū per omnia laudatur. D. Cum
 scriptum sit, *Nihil eorum odisti, quæ fecisti.* quomodo
 dicitur Deus amare bonos, malos autem odio ha-
 bere? M. Cuncta diligit Deus quæ creauit: sed non
 cuncta in vno loco locauit. Sicut pictor omnes co-
 lores diligit, sed quosdā præ aliis diligit, & vnum-
 quemq; apto loco ponit: ita Deus vnūquemq; si-
 bi conuenienti loco disponit. ideo dicitur eos di-
 ligere, quos in cœlesti palatio recipit: illos odisse,
 quos in infernali carcere mergit. D. Quid est libe-
 rum arbitrium? M. Libertas eligendi bonum vel
 malum, id est, in potestate hominis esse & velle &
 posse bonum vel malum. Hoc in paradiso homo
 habuit liberum arbitrium: nunc verò habet capti-
 uum: quia bonum non vult nisi gratia Dei præ-
 ueniat: nec potest nisi eū subsequatur. D. Quid
 dicis de his, qui seculum vel mūdum relinquunt,
 religionis habitum sumunt, transacto aliquo tem-
 pore reiciunt, & peiores quàm prius fuerunt fi-
 unt? quidam verò aliqua bona incipiunt, postea
 deserunt, & ad iniquitatem redeunt? M. De his
 dicit Iob, *Simulatores & callidi prouocant iram Dei.* Iob. 36.
 Sæpe fertus errantem filium ad patrem pertrahit,
 & ipse ad opus suū recedit: ita isti electos ad Deum
 pertrahunt, & ipsi ad mala studia redeunt. Augu.
 Sic etiam timor ad regnum ducit, & ipse non in-
 troibit. Sicut enim diabolus seruit Deo, ita mem-
 bra eius seruiunt electis etiam tali modo. D. Quo-
 modo diabolus seruit Deo? M. Quia gloriosus
 princeps despexit esse in palatio, fecit cum Deus
 laboriosum fabrum in hoc mundo, vt coactis to-
 tis virib. seruiat, qui vacare Deo fruendo nolebat:
 vnde dicitur: *Faciam tibi eum seruum sempiternum.* Iob 40.
 Cuius fabri caminus, est afflictio & tribulatio. fol-
 les & mallei, sunt tentationes & iugitationes. ro-
 cipes,

Acipes, sunt tortores, & persecutores. limæ ferreæ, sunt linguæ maledicentium & detrahentiū. Tali camino & his instrumentis purgat ipse aurea vasa cœlestis regis. hæc sunt electi, in quibus renouat imaginem Dei: reprobos autē, qui contra regem agūt, ipse tortor vt hostis peribit. Tali modo seruit diabolus Deo. **D.** Qualiter seruiunt mēbra diaboli electis? **M.** Cū eos trahunt ad regnū simulatione, vel impellūt aduersitate. Simulatione quidē eos trahunt, cū bona exteriora simulant, quæ interiorius nō amāt. Tunc filii Dei adhuc in errore positi, per eorum exempla, bona arripiunt, quæ toto corde diligunt: & cū illi bona deserunt, quæ nō amauerunt, isti firmiter incepto bono inhærebūt: vt olim cū mali Angeli ceciderūt, boni firmiter steterūt. Aduersitate autē eos impellunt, cū eis temporalia, quæ plus iusto diligunt, auferūt, & eis ne carnalia desideria implere præualeant, obstant. Vnde diabolus & mali viles, imò necessarij comprobantur, cū per eos electi examinati ad cœlestia deportātur. **D.** Cur mali hīc diuitiis affluunt, potentia florent, sanitate vigent: econtra boni inopia tabescunt, à malis iniuste opprimuntur, debilitate marcescunt? **M.** Propter electos his redundāt mali, vt hæc despiciant, quibus florere etiam pessimos videāt. Diuitiis abundant, primò vt mala, quæ concupiscunt, iusto Dei iudicio exple-re per pecuniam valeant. Secundò, vt si qua bona fecerint per hæc remunerētur. Omnia n. quæ faciūt, pro terrenis agunt. **Greg.** Vnde & mercedem suam recipiunt. Potētia splendent, primò propter seipsos, vt mala quæ amant, potenter expleant. Secundò propter reprobos, vt eos in malis defendant. Tertiò propter electos, vt eos castigēt, & a malis actib. emendent. Sospitate autē pollēt, nec cū hominib. flagella sentiunt, vt post eos grauior dolor exruciet. Boni autē ideo inedia, oppressione & languore afficiuntur, ne in malis delectentur: aut si aliqua cōtra Deum egerunt, deleantur, si non pro patientia coronētur. **D.** Cur & cōtra quidam boni hīc diuitiis abundant, potentia sublimantur, valetudine roborantur: mali autem penuria, infirmitate & oppressione laborāt. **M.** Quibusdam electis diuitiæ ideo conceduntur, vt bona quæ amant, rebus implere valeant: & per hæc etiam admonētur, si hæc temporalia, suauia, quātō magis æterna videntur. Potentia sublimantur primò propter seipsos, vt bona, quæ mente conceperint, potenter exercere possint. Secundò propter electos, vt eis in bonis tutela sint. Tertiò propter reprobos, vt reprimāt, ne tantū quantū volunt noceāt. Sanitate solidantur, ne iusti de eorum ægitudine contristētur, sed de eorū salute lætentur. Econtra mali quidā hīc egestate, afflictione, corporis dolore suspirant, vt per hæc discāt quàm amara sunt ad quæ prauis morib. festināt. **D.** Quidā mali quare diu viuūt, quidam verò boni citius moriūtur: & econtra aliqui boni diuturnā vitam ducunt, mali verò celerius obeunt? **M.** Mali ideo diu viuere permittuntur, vt electi per eos exerceantur, & à vitiis corrigantur: ipsi verò post maiori supplicio torqueantur. vnde Augustinus: Boni autem citius tolluntur, ne diutius hīc aduersis atterantur, sed mansuris gaudiis inserātur. Econtra, vita longæua iustis datur, vt meritū illorum augeatur, cū plures per illorū exempla conuertantur. Mali fanē celeriter ad tormēta rapiūtur, vt electis adhuc errantib. timor incutiatur, & sic ab errore retrahantur. **D.** Sunt felices, qui aduersis non tan-

guntur? **M.** Imò infelicissimi sunt, quibus hīc permittitur suauiter viuere, & oīa desideria sua pro libitu suo implere. Sed aduersitate nō tanguntur, quia tali modo vt arida ligna ad ignem nutriuntur. Econtra sunt illi felicissimi, qui hīc à suis desideriis arcētur, & multis asperitatib. exercētur, quæ tali modo ad regnū vt filii flagellis erudiuntur: vt dicitur, *Deus flagellat omnem filium quem recipit.* Volo te scire quòd reprobi quāuis corona regni potiantur, omnino impotentes sunt, & sine supplicio nunq̄ erunt. Electi verò quāuis in carcere positi, semper potētes sunt, & nunquam præmio carebunt. **D.** Pro Dei amore fac me hoc lucidius audire vel scire. **M.** Reprobi autem impotentes sunt, quia præuenti ira Dei bonū nolunt, & ideo nullo modo possunt: malum autem & volūt & possunt. Malum verò probatum est nihil esse: ideo eos constat nihil posse. Sine supplicio non sunt, quia sua conscientia cruciantur, continuo timore anxiantur, ne capiantur, ne occidātur, ne res suæ tollantur. vnde dicitur: *Non est pax impijs, dicit Dominus.* Econtra electi nimium potētes sunt, quia præuenti gratia Dei & bonū volunt & possunt: malū verò respuunt. Præmio nō carent, quia sine timore manent, & futuræ libertatis certi gaudent: vnde dicitur, *Iustus absque timore erit.* Aliud etiam tibi volo insinuare, quòd malis nihil boni contingat, & bonis nihil mali eueniat. **D.** In Dei nomine quid dicis? Nonne mali hīc conuiujs deliciantur, decore, ac commixtione mulierū, ac liberorum complexione iocundantur, pretiosa veste gloriantur, pecunia ac magnificis ædificiis exaltantur: & econtra boni hīc carceribus includuntur, verberibus tunduntur, fame & siti & alijs cruciatibus affliguntur? **M.** Cū fortuna malis per prospera ariserit, & eos copia de suo cornu his bonis, quæ enumerasti, repleuerit, tunc assimilantur pisci, qui mordens hamum gratulatur, sed hoc tripudio de aqua tractus enecat. Aut illi, cui poculum mellis præbetur, & post sine fine amarum mare epotare cogetur. nam pro epulis replentur, vt ille diues, absinthio amaritudinis: pro mulierum amore, sulphureo fœtore: pro vestium nitore, induentur confusione: pro pecunia & ædificiis hæreditabunt vermes in infernalibus antris. vnde dicitur, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Porro boni, quos asseris huiusmodi incommodis affici, similes sunt illi, qui piper vel aliquam herbam amarā prælibat gustu, vt vinum post sumptū suauius sapiat. Ita ipsi pro carcere recipientur in æterna tabernacula: pro verberibus obtinebūt gaudium & lætitiā: pro fame & siti, *non esurient neque sitient amplius:* pro cruciatibus, *fugiet ab eis dolor & gemitus.* Ex qua re probatur, iustos semper locupletes & beatos, impios semper esse inopes & miseros. **D.** Vnde sunt dignitates? **M.** A Deo sunt vtique omnes dignitates vel potestates malorum seu bonorum: vt dicitur, *Non est potestas nisi à Deo.* Cur autem aliquando mali, aliquando verò boni potestates sortiantur, iam superius dictum est. **D.** Quam sententiam profers de his, qui eas vendunt & emunt? **M.** Qui eas emunt, cum Simone mago interitum subibunt: qui verò vendunt, cum Giezi lepram animæ incurrunt. **D.** Habent prælati maius meritum apud Deum? **M.** Ordo officij, aut dignitas potestatis nihil confert homini apud Deum, si desit meritum. Porro qui in Ecclesiasticis reb. præsumunt, vt Episcopi & Presbyteri, si verbo &

exem-

A exe
but
Sup
ver
tis
har
p
rur
nr
Qu
iuc
eta
con
dur
lū
bu
dic
D
bis
ni
ve
in
ter
ite
tu
vt
te
pe
vi
et
D
qu
ta
Pr
B P
q
ex
ti
ta
vo
q
vi
p
fi
b
e
L
d
to
te
A
n
E
d
S
P
n
à
n
ta
in
p
c
in
p
t
c
D
p

Euc. 12.

Luc. 12.
cap. 6.

Ibidem.

Iacob 2.

Psal. 113.

cap. 12.

abundare

videtur.

Matth. 13.

B P

Iob. 20.

Apec.

Iob. 3.

Rom. 12.

A exemplo bene præfunt, tot præmia præ aliis habebunt, quot animæ per eos saluæ fient: vt dicitur, *Super omnia bona sua constituet eos.* Si autem subditis verbum salutis subtrahit, & eos in foueam mortis per praua exempla ducunt, tot pœnas præ aliis hereditabunt, quot animæ per eorum exempla perierunt, vel quot saluare prædicando neglexerunt: vt dicitur, *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* Et iterum, *Potentis potenter tormenta patientur.* Qui autem in secularibus prælati sunt, vt reges & iudices, si iuste iudicant, & clemēter subditos tractant, maiorē gloriam præ aliis à iusto iudice Deo consequentur: quia *qui bene ministrant, bonū sibi gradum acquirunt.* Si autem iniuste & crudeliter populū Dei opprimunt, atrociam supplicia præ aliis habebunt: *quia durissimū n̄ sit iudicium his, qui præfunt, & iudicium si ne misericordia ei, qui non fecit misericordiam.*

D. Cū electi non sint de mundo, cur cū reprobis patiuntur aduersa mundi? **M.** Quia communicant malis, ideo cū ipsis aspera tolerant: quia verò saepe mundalibus irretiuntur, ideo à mundi infortuniis affliguntur. **D.** Cū Deus omnipotens sit, vt dicitur, *Omnia quacunq̄ voluit fecit:* & iterum, *Subest tibi posse omne quod volueris:* cur dicitur de eo quod quædam non possit, * vel potest: vt est mentiri, & præteritum facere quin sit præteritum? **M.** Cū hoc de Deo dicitur, non impotentia, sed summa potentia prædicatur, quod videlicet omnis creatura nequeat eum ad hoc flectere, vt velit statutum suum immutare.

D. Quid est prouidentia diuina? **M.** Ea cognitio, qua omnia futura præsciuit, imò aspexit vt præsentia. **D.** Si Deus cuncta futura præsciuit, & ea ita per Prophetas ventura prædixit, & non possit in sua prouidentia falli, & *caelum & terra* prius transeant, quam verba Dei possint immutari: videtur quod ex necessitate cuncta euenerint quæ vnquā contigerunt, vel adhuc ventura sunt. **M.** Duæ necessitates sunt: vna naturalis, vt solem in Oriente oriri, vel diem noctem sequi. Altera voluntaria, vt aliquē ambulare vel scribere. Quæ Deus vult vt fiat, vt caelum & terra, inuitabile est non euenire, sed per omnia necesse est ita contingere. Quæ autem fieri tantum permittit, vt homines per liberū arbitrium bonum vel malum facere, nō est necesse euenire. Omnia quæ futuri homines erāt faciuri, Deus futura præsciuit, & per Prophetas hēda prædixit: non tamen sua præscientia aliquā necessitatem eis intulit vt fierent, sed potius ipsi necessitatem intulerunt, cū suā voluntatē explerent. **D.** Accidit aliquid casu? **M.** Nihil omnino: sed omnia ordinatione. **D.** Quomodo ergo aliqua Dei Ecclesiæ, vel ædificia bonorū, fortuito igne intudente, quasi casu cremantur? **M.** Casus nihil est. Scriptum est autē: *Nihil fit in terra sine causa.* Vnde patet quod nulla Ecclesiæ, vel aliqua casa etiam in mundo nec comburitur nec destruitur, nisi prius à Deo adiudicetur. Contingit autem hoc tribus modis. Primò, si eadem aedes per iniustitiam acquisita constructæ sint. Secūdo, si inhabitantes, eas per immunditias coinquinant. Tertio, si eas homines plus quam æternas diligant. Sed nec minimū peccus homini moritur vel infirmatur, nisi Dei nutu iudicetur. **D.** Cū mors & ægritudo sint pœnæ peccati, cur hæc patiuntur peccora, cū per discretionē se peccare nesciāt? **M.** Per ea homo punitur, cū eorū dolore vel morte in animo torquetur. **D.** Hoc potest esse de domesticis: quid dicitur de agressibus animalibus? **M.** Quod ea ægritudine ve-

xatur, euenit eis ex corrupto aëre, vel ab aliis feb⁹, quæ ob peccatū hominis in contraria mutantur.

D. Quid est prædestinatio Dei? **M.** Ea ordinatio, qua ante seculū creatum quosdā ad suū regnum præordinauit, de quibus nullus perire possit: & omnes saluari necesse sit. **D.** si nullus potest saluari, nisi prædestinati vel præordinati, ad quid alii creati sunt, vel in quo sunt rei, q̄ pereunt? **M.** Quicquid prædestinati faciant, perire nequeunt: quia *omnia cooperantur illis in bonum*, etiam ipsa peccata. Nam post grauiora facinora humiliores erunt, & de sua saluatione vberiores laudes Deo referunt. Reprobi autem propter electos sunt creati, vt per eos in virtutibus exerceantur, & à vitiis corrigantur, & eorum collatione gloriosiores appareant: & cū eos in tormentis viderint, de sua euasione amplius gaudeant. Qui etiam propter seipos iuste pereunt, cū malum sponte sua eligunt: & velent sine fine viuere, vt possent sine fine peccare.

D. Quare permittit Deus electos peccare? **M.** Vt pateat in eis diuicias misericordiæ suæ. **D.** Saluantur prædestinati si non laborant? **M.** Prædestinatio taliter instituta est, vt precibus vel laboribus obtineatur: vt dicitur, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Paruulis itaq; per mortis acerbicatem: prouectis autē ætate datur prædestinatio per laborum exercitationem. Quia verò scriptum est: *in domo Patris mei mansiones multe sunt: vnusquisq; obtinebit mansionē secundum proprium laborem:* ita quis prout plus laborauerit, digniorem: qui minus, inferiorē possidebit. Nullus tamen plus laborare poterit, quam eum diuina gratia iuuerit. Nec aliam mansionem quis habiturus erit, quam eam, ad quā ante mundi exordium præordinatus fuit: quia *non volens, neq; currens, sed Deus est misericors.* Ita nullus reproborum quicquam plus facere præualet, quam diuina celsura permittit, nec aliam pœnam habebit, quam eum diuinum iudicium, ante mundū, secundum suū meritum habiturum præsciuit: vt dicitur, *nequam bonum vel malum facerent, dicitur, Esau vñc habuit, iacob autem dilexit.* Sicut illi dicuntur rei, qui multa de Deo audierunt, & obsequi noluerunt: ita videntur innoxii, qui nunquam aliquid de Deo audierunt, & ideo non fecerunt. Homines sunt ita creati, vt naturaliter per dilectionem proximi seruiant Creatori, per illud: *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.* Nullus vult pati furtum, adulterium, homicidium: non faciat vlli. Cū hoc homines in proximo spernunt, Deo, qui est vera dilectio, contradicunt. **D.** Possunt excusari, qui Deum ignorant, & bona, & ideo faciunt mala? **M.** *Qui ignorat, ignorabitur.* Qui enim Deum in fide & opere, vt Gentes, ignorat, hunc Deus vt hostem suum damnat. Qui autem Deum per fidem nouerunt, sed voluntatem eius simpliciter vt Rustici ignorant, si damnantur, non grauius damnantur: vt dicitur, *Seruus nesciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit plagis paucis.* Qui autem per ingenium suum scire possunt, sed per malitiam scire dissimulant, vt clerici & monachi, diutius punientur: vt dicitur, *Qui scit, & non facit, plagis vapulabit multis.* Qui verò bona audire nolunt, & quæ debent facere discere contemnunt, duplici animaduersioni subiacebunt. Primò pro cōtumacia, quod scilicet peccant secundò pro cōtemptu, quia vel bonum discere recusant: vt dicitur, *Reuelabunt celi iniquitatem illorum, & terra aduersus eos confurget in die furoris Domini, qui dixerunt*

A *Dominò Deo*, &c. D. Sūt animæ ab initio creatæ, aut creantur quotidie nouæ in nouis corporibus? M. Deus omnia simul & semel per materiam fecit: vt dicitur, *Qui fecit quæ futura sūt*. postmodum autem vniuersa per speciem distinxit. Ab initio non sūt igitur animæ creatæ in visibili materia. Formantur autem quotidie per speciem, & mittuntur in corporum effigiem: vt dicitur, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*. & alibi: *qui sūxerunt signillatim corda eorum*, id est, animas. D. Cūm Deus summè bonus & summè sanctus non nisi bonas & sanctas animas creet, & ipsæ animæ propter obedientiam eius corpora intrent, omni admiratione & omni stupore est admirandum, cur eant in infernum, si illud corpusculum mox fuerit mortuum. M. Deus, à quo omnis, bonitas, & omnis sanctitas, non nisi bonas & sanctas creat animas, & ipsæ (scilicet animæ) mirabiliter desiderant corpus intrare, vt nos naturaliter cupimus viuere. veruntamen cūm intrauerunt illud immundum & pollutum vasculum, tanta auiditate illud amplectuntur, vt plus illud diligant quàm Deum. Iustum igitur est, vt cūm ipsæ (scilicet animæ) sordidum vas, imò carcerem quo clauduntur, amoris Dei præponat, eas Deus à confortio suo excludat. D. Sciunt animæ aliquid in corporibus infatum? M. Legitur de beato Ioanne Baptista, quod anima eius in matre sensit Christum adesse. vnde opinantur quidam animas quidem paruulorū scientia nō carere, sed præ debilitate corpusculi non posse exercere. D. Cur vocas corpus immundum de homine Christiano natum? M. Quia de immundo semine concipitur: vt dicitur, *Quis potest scire mundum de immundo conceptum semine*: & alibi dicitur, *In iniquitatibus conceptus sum*. D. Cūm homo totus in baptisate emundetur, & coniugium bonum prædicetur, quomodo semen eius impudum dicitur? M. Homo in baptisate interius & exterius sanctificatur: sed rursus semen eius per carnis concupiscentiam coinquinatur. D. Cūm illa commixtio nequeat fieri absque delectatione carnali, & ille infans non possit repugnare parentibus, vt puta adhuc informatus, quomodo ipse est immundus, aut culpæ, aut pœnæ obnoxius? M. Crimen huius pollutionis parentes deserens transiunditur, quasi hereditario iure in generatione prolis: & ideo tenentur obnoxii culpæ Adæ, in quo omnes peccauerunt, & in quo omnes mortui sunt. D. Si omnes in Adam mortui sunt, quomodo nascuntur viui? M. Sicut si quis ad aliquam fenestram se demōstret, & statim reuertatur: sic homo nascens quasi se demōstret in mundo, & mox in mortem reuertitur. D. Si peccata relaxantur in baptisate, cur baptizantur qui de eis nascuntur? M. Si aliqua pasta veneno fuerit corrupta, omnes panes ex ea confecti sūt mortiferi: sic in Adam fuit massa corrupta, & ideo ex eo nati sūt omnes peccato corrupti, & ideo morte digni, nisi fuerint in morte Redemptoris per baptismum viuificati. Sicut ergo parentes pro seipsis in baptisate sūt emundati, ita filios oportet pro seipsis pro morte Christi in baptisate renouari: vt dicitur, *Omnes in Christo viuificabuntur*. D. Cur permittit Deus quosdā nasci vt baptizentur: aut natos prius subtrahit morte, quàm regenerentur? M. Iudicia Dei abyssus multa: ideo occulta. quāuis causa eluceat, cūm notum sit quod propter electos fiat: vt videlicet cūm istos tam immeritos & sine peccato viderint in pœna, & se post multa facinora

tam indebitos in gloria, vberius iubilantes Deo gratias referant, cuius gratia meritas pœnas euaserunt. D. Quam pœnā habent paruuli sine baptisate mortui? M. Tenebras tantum. D. Nocet aliquid infantibus, quod de illicito coniugio, scilicet de adulterio, de cognatis, vel monachis, vel sanctimonialibus nascuntur? M. Nihil omnino, si fuerint baptisate consecuti, sicut nec tritico nocet si furatum per furem fuerit seminatum. D. Nocent peccata parentum filiis, vel filiorum parentibus? M. Scriptum est: *Pater non portabit iniquitatem filii, nec filius portabit iniquitatem patris*. Si filii parentibus in malum non consenserint, aut parentes filios suos ab his prohibere non potuerint, nihil nocebunt peccata alterutrorum alterutris: sicut nec Iosue profuit quod prauum patrem habuit, & rursus non obfuit quod nequam filium genuit. Si autem parentes filiis, vel filii parentibus consensum præbuerint in peccatis, mali sūt, cūm ipsi etiam non pro illorum, sed pro suis malis damnabuntur. D. Est graue peccatum, ducere cognatam? M. Secundum naturam, nullum: sed secundum statutum, magnum. D. Quomodo hoc probas? M. Nullum fuit peccatum comedere: sed contra præceptum Dei comedere, fuit maximum. D. Quare olim sancti Patres duxerunt suas consanguineas? M. Caritas apud illos non extendit se latius quàm ad amicos: vt dicitur, *Diliges amicum, & odio habebis inimicum*. Debuerunt ergo cognatorum filias accipere, quibus possent amorem impendere. Apud nos autem extendit se caritas etiam ad inimicos: vt dicitur, *Diligite inimicos vestros*. Quia igitur ipse sanguis non cogit cognatos diligere, statuit Ecclesia per Spiritum sanctum, alienorum filias ducere, vt vxor inter nos & extraneos sit dilectionis vinculum. D. Quomodo probas non esse peccatum cognatam ducere? M. Licet duobus fratribus duas sorores ducere? D. Licet. M. Soror vxoris meæ sit mea cognata per eius sanguinem? Rursus meus frater cognatus efficitur vxoris meæ per meum sanguinem. Si igitur secundum naturam est peccatum, cur ducis meus frater meam & suam cognatam? Igitur secundum naturam peccatum nullum est, sed secundum interdictum graue periculum. D. Non possum intelligere quomodo sit illicitum comatres vel filiolas ducere. M. Hoc, sicut superius dixi, secundum naturam non est peccatum, sed secundum Sacramentum. Sicut enim vxor tua est filii tui mater in generatione, sic illa, quæ eum suscepit de fonte, fit eius mater in spirituali regeneratione, & ita fit comater soror vxoris tuæ, & filiola sororis filie tuæ. Similiter si tu alterius filiam leuaueris, comater, id est, frater sui patris eris, & non licet illi duas sorores, aut mulieri duos fratres accipere. Igitur per Sacramentum tale coniugium est penitus illicitum. D. Propter quod Sacramentum? M. Per carnale connubium significatur Christi Sacramentum. Sicut enim vir mulieri comixtus, vnum cum ea efficitur: ita Ecclesia per commixtionem corporis Christi, vnum cum ipso, & ipse per assumptionem humanæ naturæ, vnum cum ea efficitur: vt dicitur, *Et erunt duo in carne vna: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Sicut ergo humana natura à Christo erat aliena, quàm sibi coniunxit, ita debet femina esse ex aliena parentela, quæ vir in matrimonio ducit. D. Quid de commatribus, & filiolas? M. Comatres & filiola ideo nobis in copula interdicitur,

Quia nobis spiritualiter in Sacramento con-
 iuncti habentur: & indignum iudicatur, ut de
 spirituali ad carnale descendatur. D. Licet plius
 quam vnā vxorem ducere? M. Sicut Christus
 non nisi vni Catholicae Ecclesiae copulatur, sic le-
 ge diuina virtute non nisi vni mulieri associatur:
 vnde primi patres nuptias repetisse nō leguntur.
 Quod autem inter Christianos vna mortua alia
 ducitur, non est diuinum iussum, sed Apostolicū
 permissum ob incontinentiae medicamentum, ne
 in fornicationis prolabantur abyssum. Porro, q̄
 tertio repetitur, fornicationi adscribitur. D. A-
 nima mea gratulare, quia omnia quae desiderasti,
 contigit me audire. Eia nunc nobilis Doctor, po-
 tentia Spiritus Sancti tibi abunde infusa, conferuis
 largiter eructa, & qui iam de Praelatis Ecclesiae di-
 xisti, de reliquis ministris quid sentias, insinua.
 M. Primò igitur Sacerdotes si benè vixerint ex-
 emplo sunt lux mundi: si rectè docuerint verbo,
 sunt sal terrae. Reliqui ministri sunt fenestrae in
 domo Domini, per quos lumen scientiae splendet
 his, qui sunt in tenebris ignorantiae. Si benè vix-
 erint, & non docuerint, sunt carbonēs ignis, qui
 ardent & non lucent. Si benè docuerint, & malè
 vixerint, sunt ardens candela, quae aliis lucet, &
 sibi metē cera liquecente deficit. Vel campana, de
 qua aliis dulcis sonus redditur, & ipsa assiduo pul-
 su atteritur. Si autem nec benè viuūt nec docent
 sunt fumus qui ignem obscurat, & aciem oculo-
 rum reuertit, de his dicitur: *Stelle non luxerunt.*
 ideo de caelo ceciderunt. D. Quid dicis de mun-
 di contemptoribus, scilicet monachis, vel aliis habi-
 bitis religionis? M. Si propositum suum religiosè
 viuendo impleuerint, cum Domino iudices erūt.
 Sin autem miserabiliores omnibus hominibus
 sunt: quia nō habent seculum, nec Deum, de his
 dicitur: *Descendant in infernum viuentes,* quia scien-
 tes. D. Quid sentis de militibus? M. Parum boni.
 de praeda enim viuunt: de rapina se vestiunt, inde
 possessiones emunt, & exinde beneficia redimūt:
 de his dicitur: *Defecerunt in vanitate dūs eorū, ideo*
ira Dei ascendit super eos. D. Quam spem habent
 mercatores? M. Paruam: nam fraudibus, periuri-
 is, lucris omne penè quicquid habent acquirūt.
 D. Nonne sacra loca frequenter vilitant: libenter
 Deo sacrificant, eleemosynas multas dant? M.
 Haec omnia ideo faciunt, ut Deus eis res suas au-
 geat, & habitas custodiat, vnde percipiunt mercedem
 suam: de his dicitur: *Qui conuēniunt in multitudine di-*
uitiarum suarum: & sicut oues in inferno deponē-
tur, & mors depascet eos. D. Quid sentis de va-
 nis artificibus. M. Penè pereunt: nam quicquid
 faciunt, cum maxima fraude agunt: de his dicitur.
Nam sicut tenebrae, & non est umbra mortis, ut abscondā-
tur tibi, qui operantur iniquitatem. D. Habent spem
 ioculatores? M. Nullam: tota namq; intentione
 sunt ministri Satanæ, de his dicitur: *Non enim co-*
gnouerunt: ideo Dominus spiritus eorū & Dominus sub-
strahabit eos: quia derisores deridentur. D. Quid
 dicis de poenitentibus publicis? M. Noli dicere
 poenitentibus, sed Deum iridentibus: Deum et-
 enim deridit: seipso decipiunt: qui letantur cum
 malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Cum
 homines occiderint, cātant: cum adulterauerint,
 exultant: cum peierant, aut sacrilegium perpetrāt
 tachinnant. In poenitentiae simulatione cōstituti,
 diuersa fereula quærunt, variis poculis inebriari
 gestiunt, & omnibus deliciis plus q̄ aliū distillant:
 de his dicitur: *Dabit Dominus inus in carnis eorū vermes*

& ignem inextinguibilem. D. Quid de fatuis dicis? C
 M. Inter pueros reputantur: melius enim facere
 nesciunt, & ideo saluantur. D. Quid de agricolis
 dicis? M. Ex magna in parte saluantur, quia sim-
 pliciter viuunt, & populum Dei suo labore & su-
 dore pascunt: ut dicitur: *Labores manuum suarū qui*
manducant, beati sunt. D. Quid de paruulis? M.
 Quotquot non loquentes, ut sunt triennes, dun-
 taxat baptisma cōsecuti, saluantur: ut dicitur: *Ta-*
lum est enim regnum caelorum. Qui v. quinquennes
 sunt, & supra: quidam pereunt, quidam saluantur.
 D. Ut videtur pauci sunt qui saluantur. M. *Ardua est*
via qua ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant per
eam. Tamen ut colūba grana pura eligit, ita Chris-
 tus suos electos de his omnib; generibus latētes
 colligit: qui etiam quosdam de genere latronum
 assumpsit. Nouit n. qui sunt eius, pro quibus etiam
 sanguinem fudit. D. Cum scriptum sit: *Christus pro*
improbis mortuus est, & gratis Dei pro omnibus gustauit
mortem: profuit mortis impiis? M. Christus pro so-
 lis electis mortuus, qui tunc erant impii, i. e. in in-
 fidelitate positi. *Pro omnibus autem dicit, sc. de om-*
nibus gentibus, & de omnib; linguis, & non
solum illius temporis, sed pro omnibus futuris, &
pro his, qui erāt in inferni claustris: ut dicitur: Non
sus missus nisi ad oues, quae perierunt domus Israhel. Do-
 mus Israhel est regnum Deum videntium, h. e. an-
 gelorum. Oues quae perierunt domus Israhel sunt
 electi, quos venit Christus sua morte redimere, ut
 dicitur: *Animam meam pono pro ouibus meis.* inde ha-
 bes: *pro eis rogo, non pro mundo.* & iterū: *Dilexisti eos*
ante constitutionem mundi: pro his dicitur: *Hic est san-*
guis qui pro vobis & pro multis effundetur. Non dicit,
 pro omnibus. Nihil n. contulit reprobis ob sua de-
 merita mors Christi, et si tali modo etiam pro ipsis
 mortuus est. Omnes enim iniqui ab initio mudi
 consenserunt in necem Christi; ut dicitur: *Veniēti*
haec omnia super generationem istam, scilicet malorum.
 D. Cum Christus sit ipsa misericordia, & misera-
 tions eius super omnia opera eius, qui non venit vocare ius-
 tos, sed peccatores: cur non est misertus eorum? M.
 Christus est sup eos misericors, qui se cognoscunt
 miseros: impii autē putant se iustos, ideo non vo-
 cat eos Dominus: ut dicitur: *Non misereberis omnib;*
qui operantur iniquitatem. Et cum ipse sit ipsa iusti-
 tia: si super membra diaboli flecteretur misericor-
 dia, esset iniustus. Ergo iustus est misericordia; im-
 piis v. iustitia. Porro miserationes eius super omni-
 a opera eius, quia *Solem suum oriri facit super iustos & in-*
iustos, & pluit super eos, & pascit eos. D. Possunt
 aliquibus signis inter nosci boni & mali? M. Pos-
 sunt, Iusti namque sibi boni consciī, & de futura
 spe certi, sunt vultu hilares: oculi eorum quadam
 gratia micantes: in incessu modesti: de abundan-
 tia cordis dulces in verbis. Mali autem de praua
 conscientia & cordis amaritudine sunt vultu ne-
 buloso, & verbis & factis instabiles: risu immo-
 derati, tristitia mordaces: in ingressu imtempe-
 rati, scilicet modò tardi, modò festini: venenum
 quod in corde gerunt, nunc amaris, nunc im-
 puris dictis fundunt. D. Si in morte CHRISTI
 peccata sunt remissa, cur baptizamur? M. Pec-
 cata per mortem CHRISTI relaxantur, si in
 fide mortis Christi baptizamur. D. Quot modis
 relaxantur peccata? M. Septem modis. D. Qui-
 bus? M. Primò per Baptismum: secundò per Mar-
 tyrium: tertio per Confessionem & Poenitentiam:
 ut dicitur: *Confitebor iniustitiam meam Domino & tu re-*
missisti iniquitatem meam: quartò per lacrymas, ut dicitur

Matth. 5.
Ecclef. 3.
Matth. 6.
1. Pet. 4.
A *que: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur;* quinto per eleemosynam, ut dicitur: *Si ut aqua extinguat ignem, ita eleemosyna peccatum:* sexto per indulgentiam in nos peccantibus; ut dicitur: *Si dimiseritis hominibus, & Pater meus dimittet vobis:* Septimo per charitatis opera, ut dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* D. Quid valet confessio? M. Quantum Baptismus. Sicut enim in Baptismo originalia, ita in Confessione remittuntur peccata actualia. Est etiam iudicium. Duo sunt iudicia Dei: vnum hic per confessionem, aliud in ultimo die per examinationem: in quo ipse Deus iudex, diabolus accusator, homo reus. In isto vero sacerdos Christi vicarius iudex; homo & accusator & reus. Pœnitentia est sententia. Qui hic iudicatur, non ibi accusatur, ut dicitur: *Non iudicat Deus bis in idipsum.* & alibi: *Si nos iudicemus non vtiq; iudic. iremur.* D. Valet eleemosyna vel pœnitentia, si nō deserantur peccata? M. Si omnia medicamenta non valent ad sanandū vulnus, quamdiu ferrum fuerit infixum, nisi ferrum extrahatur: ita omnia benefacta non proderunt, nisi peccatū relinquitur, ut dicitur: *Qui facit peccatum. seruus est peccati:* & nemo potest alienū seruū facere liberū. D. Proderunt benefacta malis? M. Pro omnibus bonis quæ fecerunt, recipient homines retributionem, siue in hac vita, siue in futura. In hac vita, ut dicitur de diuite. *Recepisti bona tua in vita tua.* In futura verò, ut dicitur: *Centuplum accipietis.* Ita e contra de omnibus malis, quæ fecerit homo, punietur aut in hoc seculo, aut in futuro: ut dicitur.

Nab. 1.
1. Cor. 11.
Luca 10.
Matth. 19.
Papinius.
B *Ante Dei vultum tibi nil remanebit iuultum.*
Igitur aut homo punit pœnitendo, aut Deus vindicat puniendo. D. Cur concessit Deus Iudæis legalia sacrificia, cum nō auferret peccata? M. Ne idolis immolarent, quem ritum in Ægypto positi didicerant. Ideo etiam tanto tempore circumduxit eos per eremum, ut hunc morem obliuisceretur: & propter aliud. Sicut Iudæicus populus erat figura, immo vmbra Christiani populi; ita vmbra in eodem debuit præcedere veri sacrificii, ut in Paschali agno, vel rufa vitula, vel hirco. Postquã autem Christus Veritas venit dare benedictionē, qui legem dederat, vmbriticis historiis finem imposuit, & singulare sacrificium, quod auferret peccata, seipsum offerens instituit. D. Cum homines non colerent nisi vnum Deum ab initio, vnde cœpit idolorum sculpturæ superstitiō? M. Apud Babel turrim Gigantum exorta legitur: Cuius altitudo quadraginta quatuor stadiorum fuisse legitur; in qua primus Rex huius mundi, cui nomen Nemroth, qui & Ninus, regnavit; qui Belo patri suo imaginem faciens, cunctos sibi subiugatos, eam adorare imperavit, quem post alii imitati, charis suis aut præpotentibus Regibus mortuis idola fecerunt, quæ vulgus cogere compulerunt: ut Cretenſes suo Regi Ioni, & Athenienses Cecropi: Latini Iano, Romani Romulo, vnde dicitur:

Primus in orbe Deos fecit timor.

Dæmones verò formulas intrabant, & populum per responsa seducētes ludificabant. D. Vbi fuit Babel? M. In loco quo nunc est magna Babylonia, quem de latere & bitumine construxit Semiramis Regina: ut lateres igni, bitumen aquæ resisterent. Cuius longitudinem & latitudinem per quadraginta miliaria extendisse dicitur. In hac ciuitate idololatria cœpisse perhibetur. In hac etiam Antichristus nasciturus fertur: ut dicitur. *De*

Babylone coluber exibat, qui totum mundum deuorabit. 8

D. Prodest Hierosolymam petere, aut alia loca sacra inuisere? M. Melius est pecuniam, cum qua ituri sunt in pauperes expendere. Si qui autem amore Christi accensi, vel suorum peccatorum facta confessione, & pecunia de propria hereditate vel proprio sudore acquiriti tenent, & se in itinere apud congregationes Sanctorum orationibus commendauerint, de rebus suis ipsis vel aliis pauperibus impertierint, laudandi sunt, quia & Helena & Eudoxia laudantur, quæ hoc fecerunt. Si qui verò propter curiositatem vel laudem humanam ad sacra loca discurrunt, hoc in mercede accipiunt, quod amœna loca aut ædificia viderunt, vel laudem quam amauerunt audierunt. Si qui autem pecunia per lucrum, aut per fraudem, aut per ruinam, aut per oppressionē coaceruata perrexeunt, ita Deo vel Sanctis erunt accepti, sicut is, qui filium coram patre immolat, & sic cruentis manibus ad illum veniat. D. Cur Deus non concessit homini, ut sumpto cibo saltem per septimanam posset carere illo? M. Fames est vna de penis peccati. Homo sic creatus erat, ut si vellet, sine labore viueret beatus. Postquã autem cecidit, nō nisi per laborem redire potuit. Qui si famem & frigus & cetera cuncta non sustineret, laborare nollet, & sic semper extorrisa regno remaneret. Indidit ergo ei famē Deus, ut hac necessitate coactus laboraret, & ad æterna hac occasione redire queat. Et hoc tantum de electis accipe: nam reprobus omnia ad pœnam data sunt. D. Est homini terminus vitæ constitutus: & si potest hunc excedere viuendo, vel præuenire moriendo? M. Vnicuique statutū est à Deo, quamdiu viuere debeat in hoc seculo: ultra quem terminum homo non potest viuere vel vnum momentum, ut dicitur. *Constat. 106. 14.*
Isti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Potest autem multis modis anteuenire, aut in anima, vel in bestias ruendo, seu veneno vel laqueo vitam extorquendo, aut flammis vel vndis insiliendo, sicut mercenarius prauis moribus potest efficere, ut non solum mercede priuetur, verum etiam ante conditum tempus expellatur. D. Proba. M. Deus eduxit filios Iudæi de Ægypto, ut daret eis terram repromissionis, quã propter peccata non sunt adepti, sed antequam iluc venirent, sunt in deserto prostrati. D. Peccat iudex, si eos punit? M. Immo peccat, si non punit: vindex est enim ira Dei in hoc ipsum constitutus. D. Peccant ministri, qui à iudicibus missi damnatis imbris supplicium inferunt? M. Minime: sed potius lauant manus suas in sanguine peccatoris. D. Qui in criminibus fuerunt apprehensi, & à iudicibus in equuleū vel aliud supplicium damnati, vel in ipso mortis articulo penituerint, est spes aliqua de eis? M. Magna: Quidam enim per illud supplicium purgantur, & ut latro in cruce, saluantur. D. Quæ cautela est, quæ pueri melius quæq; possunt discere, quam tenes? M. Quia anima adhuc in ipsis est noua, & ad vniuersa curiosa. In senibus verò quotidiano vsu vel auditu est sensus obtusus, & per multas cogitationes attenuatus. D. Quod venit arca Testamenti. M. Imminente Hierusalem excidio à Babyloniis, Hieremias ex præcepto Domini condidit eam in sepulchro Moyſis cum aliis Prophetis. hæc tempore nouissimo ab Elia & Enoch profertur, reuelante Domino. D. Intellexerunt Prophetæ quæ scripserunt? M. Intellexerunt. D. Quare tunc ita obicure & non manifeste scripta sua e-

viderunt?

A diderunt? M. Non debuerunt: Camentarii namque est construere; pictoris verò pingere. Patriarchæ itaque quasi designantes Ecclesiæ locum, figuris foderunt: Prophetæ fundamenta eius Scripturis suis posuerunt: Apostoli prædicationibus parietes extruxerunt: illorum sequaces expositionibus depinxerunt. Sed & Sacra Scriptura nõ est nisi filii Dei scripta, quib. mater Ecclesia per clauem Dauid aperit omnia clausa. Non filii autem tantum foris vident, & non intelligunt, quia nec amant, nec credunt. D. Habent homines custodes Angelos? M. Vnicuique genti, vnicuique ciuitati præsumt Angeli, qui iura, leges, iustos mores iuste dispensant & ordinant. Vnaquæque etiã anima dum in corpus mittitur, Angelo committitur, qui eam semper ad bonum incitet, & omnia opera eius Deo & Angelis in cælo referat. D. Cũ Deus omnia sciat, & sancti Angeli in eo cuncta cernant, quid potest eis referri quod nesciant? M. Angelos actus nostros Deo & Angelis narrare, non est aliud quã de nostro prouectu in Deo congratulari, vt dicitur: *Gaudium erit Angelis Deo super vno peccatore penitentiam agente*: sicut e contra illorũ contristari, est de nostris malè gestis indignari. D. Sunt iugiter Angeli in terra cum his, quos custodiunt? M. Cũ opus fuerit in auxilium veniunt, maximè cum precibus fuerint inuitati: non est mora veniendi, cum in momento de cælo ad terras & iterum ad cælum relabi possint. Qui cum ad nos veniunt, gloria intima non fraudantur, quia semper vident faciem Patris, quocumque mittantur. D. Qualiter apparent Angeli hominibus. M. In forma hominis. homo etenim cum sit corporeus, non potest videre spiritus: propter quod assumunt de aëre corpus, quod homo videre & audire possit. D. Sunt dæmones hominibus insidiates? M. Vnicuique vitio præsumt dæmones, qui sub se habent innumerabiles, qui animas iugiter ad vitia illiciunt, & mala hominum suo principi cum magno cachinno referunt. Si quis tamen illorum ab aliquo iustorum pugnans vicitur, mox ab Angelo custode eius in abyssum retruditur, nec amplius cum aliquo iustorum congregari permittitur, quamuis alius a Principe dæmonum in locum eius surrogetur. Sicut enim a diabolo homo victus mox de paradiso esteiectus; ita cum quis dæmonũ a sanctis superatur, confestim confusus in tartara dånatur. D. Possunt dæmones obfidere quos voluit? M. Gregem porcorum intrare non potuerunt nisi permisi: quantò minus homines? Aliquando corpus viri sancti oblidet, illi ad coronam sibi ad pñam: malorum autem animas semper oblidet, interdum etiam corpora necant. Corpus hominis in baptisinate vt templum Spiritus S. oleo & chrisinate dedicatur, vt dicitur: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Igitur hoc templo semper aut Spiritus S. aut inanimatus inhabitat. D. Quid valet vnctio olei in infirmis? M. peccata confessa, & non iterata, vel quotidiana, per hanc vnctionem relaxantur, vt dicitur: *Qui in peccatis est, dimittentur ei*. Si de peccato pñitentiam non egit, ista vnctio non solum ei nihil prodest, sed etiam multum obest. D. Prodest pñitentia in extremis? M. Qui peccata sua vsque ad mortem differunt, non ipsi peccata, sed peccata eos deferunt, quia eos diutius seruos habere nolunt. qui tamen ex corde pñitent, etiam in ipsa morte, misericordiam inueniunt, sicut latro in ipso mortis exitio, vt dicitur. *Quacumq. hora ingemueris,*

saluus eris. D. Vnde mors dicitur? M. Ab amaritudine: vel a morfu pomi vetiti, vnde mors est orta. Sunt autem tres mortes: scil. immatura, vt infantum: acerba, vt iuuenum: naturalis, vt senum. D. Cũ peccata in baptisinate dimittantur, & cum mors sit pñna peccati, cur permittitur post baptisina etiam electis dominari? M. Vt possint pro Christo pati, & magis coronari. Est & aliud. Si immortalitas corporum in baptisinate daretur non pro Deo sed pro hac immortalitate ad baptisina ab omnibus festinaretur, & sic nullus ad regnum reueteretur. Peccatum verò Deus in baptisino dimisit, pñnas autem peccati nõ dimisit, vt iusti per fidem ambulent, & per operationem se exerceant, donec mors a vita absorbeatur. D. Dimittuntur reprobis peccata in baptisinate? M. Dimittuntur, sed cum ipsi post in eadem peccata relabuntur quæ dimissa erant, etiam in eos reuoluuntur: vt gicitur. *Omne debitum dicitur tibi, & mox subditur: Tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuersum debitum*. D. Cur permittit eos Deus ad baptisina vel ad alia Sacramenta accedere, cum eos sciat ab his discedere? M. Propter electos, vt dictum est, vt trahant eos exẽplo. D. Quæ est blasphemia Spiritus quæ non remittitur in hoc seculo neque in futuro? M. Impñitentia & diffidentia. In Spiritu S. datur remissio omnium peccatorum. qui igitur de gratia Spiritus S. diffidit, & nõ pñitet, hic blasphematur Sp. sanctum: & hoc est irremissibile peccatum. D. Nocet bonis si occidantur, vel subitanea morte moriantur? M. Nihil penitus. Non enim subitanea morte moriantur, qui sese semper cogitauerunt morituros. Siue ergo ferro immolentur, siue a bestiis dilacerentur, aut flammis vel vndis immergantur, aut suspendantur, vel rota frangantur, vel quolibet infortunio moriantur, semper prætiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius: vt dicitur. *Quacumq. die iustus moriatur, iustitia eius nõ auferetur ab eo*. Et talis mors non obest, imò multũ prodest: quia si quid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbiteriam. D. Prodest malis si diu decubant in lectis anteq. moriantur? M. Nihil. Quacumque enim morte moriantur, mala & subitanea morte moriuntur: & qui nunq. cogitauerunt se morituros: & ideo semper mors peccatorũ pessima. D. Obest iustis aliquid si in cæmeterio Ecclesiæ non sepeliantur? M. Nihil prorsus. Totus enim mundus est templũ Dei quod dedicatum est sanguine Christi: & siue in campo, siue in sylua, vel in palude, vel in quouis loco sepeliantur vel proiciantur, vel a bestiis, vel a belais deuorentur, semper in gremio Ecclesiæ confouentur, quæ per latitudinem terræ diffunditur. D. Confert iustis aliquid, quod in sacratis locis tumulantur? M. Per quosdam iustos loca sacratur, in quibus tumulantur. Qui autem in penis sunt, in eo prodest, quod corpora in sacratis locis sepeliantur, quia corũ precibus adiuuantur, quibus per sepulturã sociantur. Et in hoc etiam prodest, quod cum amici illorum ibi conueniunt, de monumentis admoniti preces pro eis Domino fundunt. D. Prodest malis, si in loco sacro sepeliantur? M. Imò obest multũ, si eis sepultura iungantur, a quib. per meritũ longè diiunguntur: vnde & multi leguntur sæpè per dæmones effossi, & a sacratis logiis pñecti. D. Longè te faciat Deus, bone Doctor, a malis, & ciuib. ethereis societ te Chrs in astris. Iam innumeris hydræ capitib. pñcis, aliis atque

Cant. 15.

Matth. 23.

D
Psalm. 115.
Ezech. 18.

Psalm. 37.

Gen. 3.

A atq; aliis renascentib. pro eis, eia arripe gladiū tuę
 nobilis lingue, & sylvam quæstionum in qua erro
 succide: vt liceat mihi errabundo per te ad cam
 pum scientiæ exire; & qualiter circa morientes a
 gatur euoluē. M. Sicut sponsus cum multitudine
 militum ad suscipiendam sponsam venit, & eam
 cum cantu gaudens adducit: ita cum iustus in ex
 tremis agit, angelus sui custos cum multitudine
 angelorum venit, & animam eius sponsam Chri
 sti de carcere corporis tollit, & cum maximo dul
 cissimæ melodiæ cantu, & immenso lumine, ac
 suauissimo odore ad cæleste perducit palatium,
 in spirituales paradysum. D. Est hic paradysus
 locus corporeus, vel vbi? M. Non est locus cor
 poralis, quia spiritus non habitant in locis: sed est
 spiritualis mansio beatorum, quam æterna sapiē
 tia perfecit in initio, & est in intellectu cælo,
 vbi ipsa diuinitas qualis est, ab eis facie ad faciem
 contuetur. D. Perducuntur illuc omnes anime
 iustorum? M. Perfeetorum animæ, cum de cor
 pore exiuntur, illuc inducuntur. D. Qui sunt
 perfecti? M. Quibus præcepta non sufficiunt,
 sed plusquam præceptum sit faciunt: vt Martyres,
 monachi, Virgines. &c. Martyrium & virginitas
 & seculi abrenunciatio non sunt præcepta sed di
 uina consilia: ideo qui hæc faciunt, regnum cæ
 lorum quasi hereditario iure possidebunt, vt di
 citur. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas
 Domini.* Iusti autem quibusdam mansionibus ad
 huc differuntur, vt dicitur: vt illis proficiat ad ho
 norem, nobis verò ad salutem. D. Qui sunt ius
 ti? M. Qui præcepta Domini implent sine que
 rela: hi à corporibus exuti, in terrenum paradysum
 vel potius in aliquod spirituale gaudium ab ange
 lis perducuntur, cum spiritus in locis corporalib.
 non habitare credantur. Est quidam ordo iustorum
 qui imperfecti dicuntur, qui tamen in libro
 Dei scribuntur: vt sunt coniugati, qui mortui pro
 meritis in amœnissima habitacula recipiuntur.
 Ex his multi ante iudicium precibus Sanctorum
 & eleemosynis viuientium in maiorem gloriam
 assumuntur: omnes tamen post iudicium angelis
 consociabuntur. Sunt quidam de electis, quibus
 multum deest de perfectione, qui criminatua dif
 ferunt pœnitere. hi sicut peccans filius seruo tra
 ditur ad vapulandum, ita à sanctis angelis dæmo
 nibus permittuntur ad purgandum: qui tamē eis
 nocere non poterunt plus quam igli promerue
 runt; aut q̄ sancti Angeli permittunt. D. Quid
 potest fieri per quod hi liberentur? M. Missæ,
 eleemosynæ, orationes, alique pii labores his p
 sunt, maxime si ipsi viuentes hæc pro aliis fecerūt.
 Et quidam ex his septimo die, alii trigesimo, alii
 anniuersario liberantur: quidam verò post multū
 tempus. Tamen post iudicium omnes, vt dictum
 est, Angelis coæquabuntur. D. Cūr magis a
 guntur hi dies? M. Tria & quatuor sunt septem,
 per tria, fides Trinitatis: per quatuor, homo qui
 constat ex quatuor elementis, intelligitur. Ani
 ma etiam habet tres vires, quæ sunt rationabilis,
 irascibilis, concupiscibilis, & omne tempus sep
 tem diebus voluitur. Agitur itaq; septimus dies
 vt quicquid anima in tribus viribus suis per qua
 litates corporis, in fide Trinitatis in septem dieb.
 huius temporis cōtra septiformē spiritum, quem
 in baptismo suscepit, peccauit; relaxetur. Triginta
 per tria & decem surgunt per tria noua lex, p
 pter fidem Trinitatis: per decem, vetus lex, p
 pter decalogum intelligitur. Triginta etiam die

psalm. 126.

bus omnis mensis labitur. Agitur itaque trigesi
 mus dies, vt quicquid homo in mensibus in noua
 vel in veteri lege deliquit, deleatur. Annus est
 Christus, vt dicitur. *Annus acceptabilis Domino.* Mē
 ses sunt duodecim Apostoli, vt dicitur. *Benedices
 corona anni benignitatis tuæ.* Solis cursus per annum:
 reditus Lunæ, post mensem. Agitur igitur an
 nuarius dies, vt quicquid contra Solem iustitiæ
 Christum, & Lunam eius Ecclesiam, & doctrinā
 Apostolorum, qui sunt menses boni anni, egi; re
 mittatur. D. Quid est purgatorius ignis? M.
 Quibusdam est purgatio in ista vita cruciatus cor
 poris, quos mali eis aliquo modo inferunt. Ali
 quibus per afflictiones carnis, quas sibi perieci
 uia, per vigilias, p alios labores ipsi ingerūt. Qui
 busdam verò charorum vel rerum amissio. Qui
 busdam dolores vel ægritudo, Aliquibus victus,
 vel vestitus egestas. Quibusdam ipsius mortis a
 cerbitas. Post mortem verò purgatio erit aut ni
 mius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut a
 liud quodlibet genus pœnarum, de quibus tamē
 minimum maius est, quam maximum quod in
 hac vita excogitari potest. Dum ibi sunt positi,
 apparēt eis Angeli, vel alii Sancti, in quorum ho
 nore aliquid egerunt in hac vita, & aut auram aut
 suauem odorem, aut aliquod solamen eis impen
 dunt vsque dum liberati introibunt in illam aulā
 quæ non recipit vllam maculam. D. Quali for
 ma sunt ibi positi? M. In forma corporum quæ
 hinc gesserunt. Dicitur & de dæmonibus, quod
 eis corpora de aere dentur, in quibus crucientur.
 D. Cum corpus sit insensibile, & per se nihil pos
 sit operari, nisi q̄ anima per illud operatur, quasi
 per instrumentum, qua ratione damnatur? M.
 Cum homines inimicum suum obsident, prius e
 dificia sua destruunt, vel incendunt, post ipsum
 excruciatum interimunt vel incendunt, vt & de
 amissis doleat in animo, & de per illata vulnera
 corporis exitio. Corpus est animæ vestimentum
 vel habitaculum: quod quia contempto creatore
 anima dilexit, destruitur, & cum eo comburitur,
 & de sui habitaculi vel vestimenti incendio cru
 ciatur. Est & animæ instrumentum, non quale
 est tubicini tuba, vel carpentario ascia: sed ita ei
 coadunatur, vt quicquid egerit anima, corpus et
 iam fecisse dicatur: & ideo iuste cum ea damnat.
 D. Quot animæ peruenient ad cælum? M. Quot
 Angeli ibi permanserunt. D. Satis mihi fecisti de
 his; nunc dic quæliter agatur circa malorum exi
 tum. M. Cum mali in extremis sunt, dæmones
 maximo strepitu cōglobati veniunt, aspectu hor
 ribiles, gestibus terribiles, qui animam cum per
 ualido tormento de corpore excutiunt, & crude
 liter ad inferni claustra pertrahunt. D. Quid
 est infernus? vel vbi? M. Duo sunt inferni, supe
 rior & inferior. Superior infima pars huius mun
 di, quæ plena est pœnis: nam hinc exundat nimius
 æstus, magnum frigus, fames, sitis, vari dolores
 corporis: verbera animi, vt timor & verecundia.
 De hoc dicitur: *Educ de carcere, hoc est, de inferno
 animam meam, id est vitam meam.* Inferior verò
 est locus spiritualis, vbi ignis inextinguibilis: de
 quo dicitur. *Ernsti animam meam de inferno inferi
 or.* Qui sub terra dicitur esse, vt sicut corpora pec
 cantium terra cooperiuntur, ita animæ peccantium
 sub terra in inferno sepeliantur: vt de diuite dicitur.
Septus est in inferno. In quo noue species pœ
 næ esse legantur. D. Quæ sunt illæ? M. Prima i
 gnis, qui sic semel accensus est, vt si totū mare in
 flueret,

psalm. 45.

A flue
 stun
 neu
 lera
 mit
 dicit
 ver
 & i
 in f
 Qu
 run
 vt d
 term
 pec
 nib
 hor
 gne
 tiu
 cul
 D.
 tiu
 iust
 in i
 ibi
 rig
 cur
 for
 citu
 Et
 ros
 hic
 fœ
 cip
 flag
 B
 lon
 for
 ten
 stu
 ob
 cen
 fac
 ap
 vid
 su
 per
 gul
 gie
 tun
 pe
 D.
 sup
 ab
 Q
 fra
 mi
 mu
 pe
 de
 pli
 nu
 ga
 an
 de
 be
 nu
 le
 ce
 au
 au

A flueret, non exstingueretur. Cuius ardor ne iustum materialem vincit ignem, ut iste pictum ignem. ardet, & non lucet. Secunda pœna est intolerabile frigus: de quo dicitur. Si igneus mons immitteretur, in glaciem verteretur. De his duabus dicitur. *Flerus & stridor dentium.* Tertia pœna est vermes immortales, i. serpentes & dracones visu & sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita viuunt in flamma. Quarta pœna est fœtor intolerabilis. Quinta plaga est flagra cadentium, ut mallei ferum percutiunt. Sexta pœna tenebrę palpapiles: ut dicitur. *Terra tenebrarum, ubi nullus ordo, sed seipiternus horror inhabitat.* Septima pœna, confusio peccatorum, quia omnia peccata ibi patent omnibus, & se abscondere non valent. Octaua pœna horribilis visio dæmonum & draconum, quos igne scintillante vident: & miserabilis clamor flētium & insultātium. Nona pœna sunt ignea vincula, quibus in singulis membris constinguntur. **D.** Quare tot miseras patiuntur? **M.** Quia cōfortium nouem ordinum Angelorum neglexerunt, iustę nouem tormentis addicti mœrebunt. Et quia in igne concupiscentiarum hęc exarserunt, iustę ibi in igne ardebunt. Quia v. frigore malitię hęc riguerunt, iustę ibi pœnali frigore stridebunt. Dicuntur namq; exterius igne candere, ut ferrum in fornace: interius frigere, ut glacies in hyeme: ut dicitur. *Transierunt ab aquis niuium, ad calorem niuium.* Et quia inuidia & odium hęc eos ut vermes corrosferunt, meritō eos ibi vermes mordebunt. Quia hęc fœtore luxurię dulciter delectantur, iustę ibi fœtore putrido atrociter cruciantur. Et quia disciplinam recipere noluerunt, & cum hominibus flagellari non meruerunt, ibi ideo sine cessatione loris tunduntur, ut dicitur. *Sunt parati iudicia derisoribus, & percutientis mallei stultorum corporibus.* Quia tenebras vitiōrum hęc amauerunt, & ad lucē Christum venire noluerunt, ideo horridis tenebris ibi obscurantur, ut dicitur. *In ater. um non videbunt lucem.* Et quia hęc peccata confiteri neglexerunt, quę facere nō debuerunt: ideo omnibus ibi nudis & apertis perpetuō confundentur. Quia hęc bona videre & audire dedignantur, iustę ibi terribili visu & miserabili auditu replebuntur. Et quia hęc per singula vitia defixi erant, iustę ibi erunt p singula membra constrikti. Optant mori, & mors fugiet ab eis. **D.** Qualiter sunt ibi positi? **M.** Capita sunt eis deorsum versa, dorsa ad inuicem versa, pedes sursum erecti & in pœnas vndiq; distenti. **D.** Heu ad quid natus est homo, qui tali plectitur supplicio? **M.** Quid fles? quid lachrymis fluis? **D.** Abolus tantum & sua membra ista patientur. **D.** Qui sunt membra diaboli? **M.** Superbi, inuidi, fraudulentī, infidi, gloriosi, ebriosi, luxuriosi, homicidę, fures, crudeles, prædones, latrones, immundi, auari, adulteri, fornicatores, mendaces, peruari, blasphemī, malefici, detractores, discordes. Qui in his fuerint inuenti, in prædicta supplicia ibunt. nunq; redituri. **D.** Heu videbunt eos iusti? **M.** Iusti videbunt malos in pœna, ut magis gaudeant, q̄ hanc euaserunt pœnam: & mali etiã ante iudicium videbunt bonos in gloria, ut magis doleant, quod hanc neglexerunt: post iudicium boni quoq; videbunt malos in pœnis; mali verō nunquam amplius videbunt bonos. **D.** Non dolent iusti cum eos vident ita torqueri? **M.** Non, licet pater videat filium, aut filius patrem in pœna, aut filia matrem, aut mater filiam ibi conspiciat, aut vir uxorem, aut vxor virum, non solum nō do-

lent, sed ita est eis delectabile, sicut nobis cum videmus pisces in gurgite ludere, ut dicitur. *Lazarus. P. 17.* *Tur iustus, cum viderit vindictam peccatorum.* **D.** Non orant iusti pro malis? **M.** Contra Deum tenentur si pro damnatis orarent: ita enim Deo vincti sunt, q̄ eis iudicia Dei per omnia placebunt; ideo & in eis gaudebunt. **D.** In quo inferno erant iusti ante aduentum Christi? **M.** In superiori, in quodam loco iuncto inferiori, in quo poterant alterutrum cōspicere. Qui erant ibi, quamuis carerent supplicio, videbatur eis esse in inferno, cum essent preparati a regno. Illis a. qui erant in inferiori inferno videbatur, q̄ illi, qui erant in illo inferno iuncto inferiori, erant in refrigerio paradisi: vnde & diues rogabat a Lazaro, guttam super se stillari. Quam pœnā habebant illi, qui erant in illo inferno iuncto inferiori? **M.** Quasdam tenebras tantum: vnde dicitur. *Habitantibus in regione vmbre mortis, lux ortus est eis.* Quidam ex eis erant in quibusdā panis. Venit ergo Dominus ad infernum superiorē nascendo, ut redimeret captiuos a tyranno, ut dicitur. *Dices his qui vincti sunt. exite: & his qui in tenebris sunt. reuelate mihi.* Vinctos vocat, qui erant in pœnis: alios v. in tenebris, quos oēs absoluit, & in gloriam duxit Rex glorię. **D.** Cognoscunt se iusti & boni in gloria? **M.** Animę iustorum omnes iustos cognoscunt & nomine & genere, & merita ipsorum, quasi tempore cum eis fuissent. Malos omnes etiam in tantum cognoscunt, ut ppter quod meritum vnusquisq; ibi sit, sciant. Mali quoq; malos cognoscunt, & bonos quos vident, in tantum ut etiam nomina illorū sciant, ut diues Abraha & Lazari. **D.** Orant animę iustorū pro charis suis? **M.** Iusti orant pro his quos in Domino amauerunt, vel pro his qui eos inuocant ut a malo seruentur, & a mundi tentamentis liberentur: & si in errore sunt, ut corrigantur, & eis associentur. **D.** Qualiter orant Deum? **M.** Desiderium illorum est oratio eorum. Quicquid n. desiderant, sine dilatione percipient. Illorum etiam orare, est cruciatus corporis vel bene gesta pro Christo, Deo representare. Non tamen aliquid orant, nisi q̄ ipse Deus disponit facere, alioquin incassum oraret. **D.** Habent plenum gaudiū Sancti? **M.** Nequaquam. Sicut enim ad conuiuium venientes de sua susceptione sunt læti, de absentibus amicis solliciti: cum autem omnes simul veniēt, amplius gaudebunt: ita animę iustorum de sua nunc quidem gloria lætantur, de absentia autem nostra sollicitantur. Cum a. corpora sua receperint, & omnes in vnum conuenerint, tunc plenum gaudiū habebunt. **D.** Quę est domus Dei, & multe mansiones? **M.** Domus Patris est visio omnipotentis Dei, in qua iusti ut in domo gloriantur. Mansiones sunt diuersę pro meritis remunerationis. **D.** Sciunt animę, quę hęc aguntur? **M.** Animę iustorum sciunt omnia, quę hęc aguntur: quę a. in pœnis sunt, nesciunt, nisi quę eis Angeli vel Sancti referunt. Quę v. in inferno sunt, non plus norunt, quid hęc agatur, quam viuī sciunt, quid ibi agatur. Ut tamen olim Prophetę quędam sciuerunt, quę alii ignorauerunt, non tamen omnia: ita quędam animę inter malos quędam sciunt, quę alia nesciunt, quamuis non omnia. Itaque omnia quę sciunt, vel eis diuinitus reuelantur, vel eis a morientibus & illuc venientibus nunciantur. **D.** Possunt animę apparere quando volūt, vel quibus volūt? **M.** Animę Sanctorū apparent quando volunt, & quibus volunt, siue vigilantibus siue dormientibus. Quę a. in panis sunt,

A non apparent nisi ab Angelis permittantur, & vt pro liberatione sua rogent, aut liberatæ gaudium suum amicis suis nuntient. Quæ autem in inferno sunt, nulli apparere possunt. Si autem aliquando videntur apparere, siue in somnis siue vigilantibus non illæ sed dæmones esse creduntur in illorum specie, qui etiam in Angelos lucis se transfigurant, vt decipiant. Si autem velociter contigerit, pro alicuius merito fit: vt S. Martino anima latronis apparuit, vbi altare destruxit: aut pro admonitione vt anima Benedicti Papæ in mōstro apparuit, cuius caput & cauda asinus, medietas vrsus fuit, quæ se die noctuque per aspera & ignea loca trahi, & post iudicium deglutiendam asseruit olla gehennali. **D.** In qua forma apparent? **M.** In humana corpore assumpto in aëre. **D.** Vnde veniunt somnia? **M.** Aliquando à Deo, cum aliquid futuri reuelatur, sicut Ioseph per stellas & manipulos, quod fratribus præferretur. Aliquando vt aliquid necessarium admonetur, vt alio Ioseph vt fingeret in Ægyptum. Aliquando à Diabolo, cum aliquid retare aut bonum impedire nititur: vt in passione Domini de vxore Pilati legitur. Aliquando ab ipso homine, cum quod viderit, vel audierit, vel cogitauerit, hoc in somnis imaginatur, & in timore positus per tristitiam, & in spe læta ludificatur. **D.** Benedictum Dei verbum, qui tot secreta mihi referat per os tuum. Nunc si rogare auderet, libenter de Antichristo audirem. **M.** Antichristus in magna Babylonia de meretrice generis Dan nascetur. In matris verò utero à Diabolo replebitur, & in Corozaim à maleficis nutrietur. Vniuerso Orbi imperabit, & totum genus humanum sibi quatuor modis subiugabit. Vno modo nobiles sibi diuitiis adsciscet, quæ sibi maximè affluent, quia omnis pecunia abscondita erit ei manifesta. Secundo modo vulgus sibi terrore subdet, quia maxima seuitia in Dei cultores grassabitur. Tertio modo sapientia & incredibili eloquentia clerum obtinebit, quia omnes artes & omnem Scripturam memoriter sciet. Quarto modo, mundi contemptores, vt suat monachi, signis & prodigiis fallent. Faciet enim stupenda miracula, vt iubeat igne de celo descendere, & aduersarios suos coram se consumere, & mortuos surgere, & sibi testimonium dare. **D.** Suscitabit mortuos verè? **M.** Nequaquam, sed Diabolus eius maleficio corpus alicuius damnati intrat, & illud apportat, & in illo loquitur in omnibus signis & prodigiis mendacibus & virtutibus. Hic antiquam Hierusalem reedificabit, in qua se quasi Deum colit iubebit. Hunc Iudæi ex toto orbe venientes summo voto suscipient: sed per prædicationem Eliæ & Enoch ad Christianam religionem redibunt, & omnes penè dirum martyrium subibunt. Tandem in fine seculi Iudæi conuertentur ad Deum: non tamen omnes; sed pars erit, in quibus regnabit Archelaus, id est, Antichristus. Archelaus enim princeps populi interpretatur. Nazareus, sanctus interpretatur. Christiani prius Nazaræi vocabantur sed postea apud Antiochiam in cōmuni Concilio à Petro mutatum est hoc nomē, & dicti sunt Christiani. **D.** Quali ætate venient illi duo, scilicet Eliæ & Enoch? **M.** In ea qua assumpti sunt: qui etiam ab Antichristo (qui vocatur Antemos, id est contrarius: vel arnoymæ, id est nego, vel titan, id est solus gigas) interficientur. In tribus mundi partibus, Asia, Aphrica, Europa, tribus linguis appellatur. In hebræa arnoymæ: in græca an-

temos: in Latina titan vocatur. Hic per tres annos & dimidium monarchiam obtinebit: deinde rectorium suum ad expugnandos iustos in monte Oliueti extendet, in quo inuenietur subita morte mortuus spiritu oris Domini, i. iussu Dei interfectus: vt dicitur. *Præcipitabit Dominus inclutum vniuersæ terræ in monte sancto.* **D.** Cum dictum sit: *Dies illi propter electos breuiabuntur:* erunt tunc dies breuiiores quàm nunc? **M.** Dies ita tunc erunt sicut nunc: vt dicitur. *Ordinatione tua perseverat dies.* Sed dies dicitur breuiari, quia breue tempus i. tres semis annos regnabit. Porro corpora horum creduntur minora quàm nostra, sicut nostra etiam minora quàm antiquorum. **D.** Quid postea erit? **M.** Relinquentur quadraginta dies, vt pœnitere possint qui eius errore vel fallacia lapsi sunt: post hæc, quæ die iudicium fiet, nullus scit. **D.** Quid est nouissima tuba? **M.** Cum Dominus legē daret in monte, audita est vox tubæ: ita Angeli ad hoc constituti, corporibus & tubis de aëre sumptis, terribile iudicium Dei sonitu tubæ mundo intonabunt; vt dicitur. *Cœlit enim tuba, & mortui resurgent.* Et iterum: *Terribilis memoria eorum cum sonitu:* & altissima voce mortuis clamabunt: *Surgite:* vt dicitur: *Mædian nocte clamor factus est.* Ad quam vocem oēs mortui boni & mali in nictu oculi in nouissima tuba i. e. quàm cito possis oculum aperire, resurgent. **D.** Quæ est prima resurrectio? **M.** Sicut 2. sunt mortes, ita sunt duæ resurrectiones; vna animarū, altera corporum. Cum homo peccat, anima moritur, quia à vita Deo deseritur, & in corpore quasi in sepulchro sepelietur. Cum v. per pœnitentiam ad Deum (qui est vita) redit, quasi à morte resurgit. Alia erit corporū. **D.** Qua die fiet resurrectio? **M.** In die Pasche, ea hora qua Christus resurrexit. **D.** Erunt aliquis tunc in mundo? **M.** Ita plenus erit mundus tunc hominibus, vt est hodie: quia ita erunt operantes vt hodie. quidam arant, quidam nauigant; quidam ædificant; quidam aliud & aliud faciunt. **D.** Quid de illis fiet? **M.** Iusti cum resurgent, mox ab Angelis in aëre obuiam Christo rapientur, & in ipso raptu morientur, & reuiuifcent; hoc præcessit in Maria & Ioanne. Maria, quæ recepto corpore post mortem in gloria est assumpta: Ioanne, qui cum corpore raptus, & in ipso raptu ætæ creditur mortuus. Repti v. de ipso tenore morientur, & confestim reuiuifcent: & hoc est iudicare viuos & mortuos. **D.** Resurgent qui in matribus sunt mortui? **M.** Quotquot vitalem spiritum acceperunt, resurgent. **D.** Qua ætate vel mēsurā? **M.** Qua erant, cum essent triginta annorum, vel futuri erant, nisi ante morerentur. **D.** Aliquando lupus deuorat hominem, & caro hominis vertitur in suam carnem: lupum verò vrsus; vrsus leo deuorat, & cæt. quomodo resurgit ex his homo? **M.** Quod caro fuit hominis, resurgit: quod bestiarum, remanebit. Scit enim bene discernere, qui sciuit ex nihilo cuncta condere. Siue ergo membratim à bestiis, siue à piscibus, seu à volacribus deuorentur, omnes in resurrectione reformabuntur, in tantum, vt nec capillus de eis pereat.

D. Si capilli & vngues præcisi in locum suum redeunt, nonne deformes erunt? **M.** Non est intelligendum, quod sint reducēdi in priorem locum: sed sicut figulus si vas nouiter factum frangat, & de eodē luto aliud faciat, non attendens, quid prius ansa vel fundus fuerit: ita formator Deus de eadē mater. illud corp⁹ cui valdè dissimile reformabit,

cui

A cui
mn
mer
rare
ra n
gue
hi
tal
cui
mn
tud
bel
spl
mil
mo
cui
tur
cui
pru
go
nu
cui
tur
stu
m
li c
&
me
mi
psu
gn
in
lis
est
B iu
re,
Matth. 25.
tu
D.
M
str
ch
Proverb. 23. su
pl
de
bi
qu
qu
fe
qu
D
fin
pa
vt
di
pa
fe
Matth. 25.
C
g
c
d
b
q
fi
A
ci
e
d
S
d
Matth. 25.

A cui omnis deformitas & informitas absit, & omnis integritas adfit. D. Quamuis vnumquodq; membrum in locum suum Deus decenter restaurare possit, qui hinc habuerunt bina capita, vel plura membra, vel quibus defuerunt aliqua, aut pingues aut macri fuerunt, resurgent tales? M. Qui hinc capita habuerunt duo, vel corpora, resurgent tales, & vnaquæque anima habebit suum caput: cui nihil indecens & deforme adhæreat, sed omnia membra sana & integra, & omni pulchritudine plena habeat. D. Qualia corpora iusti habebunt? M. Immortalia & incorruptibilia, vt splendidum vitrum perlucida. Reproba verò similiter immortalia, quamuis sine fine iugiter in morte dolentia: & incorruptibilia, in hoc quòd cum omnibus pœnis afficiantur, non consumuntur: sed tamen tenebrosa. D. Qua hora fiet iudicium? M. Media nocte, qua hora Angelus Ægyptū deuastauit, ea hora electos suos de hoc mundo liberabit Dominus. D. Qualiter veniet Dominus ad iudicium? M. Sicut Imperator ingressurus ciuitatem, corona eius, & alia insignia præferuntur, per quæ aduentus eius cognoscitur. Ita Christus in ea forma qua ascendit, cum Ordinibus omnibus Angelorum ad iudicium veniens: Angeli crucem eius ferentes præbunt: mortuos tuba & voce in occursum eius excitabunt. omnia elementa turbabuntur, tempestate ignis & frigoris mixtim vndique furenti: vt dicitur: *Ignis ante ipsum præcedet, & in circuitu eius tempestas valida: pugnabit orbis pro eo contra insensatos.* D. Erit iudicium in valle Iosaphat? M. Vallis Iosaphat dicitur vallis iudicii. Vallis est semper iuxta montem. Vallis est hic mundus, mons est cælum. In valle ergo fit iudicium, id est, in isto mundo, scilicet in isto aëre, vbi iusti ad dexteram Christi vt oues statuentur: impii autem vt hædi ad sinistram ponentur. D. Quomodo autem ad dextram vel sinistram? M. Ad dextram scilicet sursum in gloria, ad sinistram deorsum in terra. Iusti autem geminis alis charitatis ad alta subleuantur: vt dicitur: *Sancti sument pennas vt aquila.* Impii autem peccatis vt plumbum à terra, quibus toto corde inhæserunt, deorsum deprimuntur. D. Quali forma apparebit, in iudicio Dominus? M. Electis in ea forma, qua in monte apparuit: reprobis verò in ea, qua in cruce pependit. D. Erit crux ibi, signum scilicet, in quo Dominus passus est? M. Nequaquam, sed lux in modum crucis, splendidior Sole. D. Quare faciet Filius iudicium? M. Quia Filius similitudo Dei est: Angelus autem & homo vsurpauerunt sibi similitudinem Dei, iustum est ergo, vt cui facta est iniuria, iudicium faciat pro vindicta: quatenus Pater & Spiritus sanctus ei cooperentur. D. Est sedes ibi (id est, in iudicio) in qua sedeat, vt dicitur: *Sedebit super sedem maiestatis?* M. Christus dicitur nunc stare, & pro sponsa sua pugnare: tunc deuietis hostibus, & sponsa ad se recepta, in maiestate sedeat: hoc est, humanitas in diuinitate requiescet. *Super sedem suam etiam sedebit,* quia ab omni labore Ecclesia cessabit. Tamen quia homo ibi apparebit, *super sedem* de aëre assumptam, vt iudex sedere creditur. D. Habebunt Apostoli sedes, vt dicitur: *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel?* M. Conscientiæ eorum sunt sedes eorum, in quibus deuiecto mundo & virtus, quasi in sede triumphantes quiescent. Sed & ipsi *super sedes* de aëre videbantur sedere: vt dicitur: *Sedebunt super sedes in iudicio.* D. Qualiter

fiet iudicium? M. Nunc sunt boni & mali mixti, & multi videntur boni, qui sunt mali; & multi putantur mali, qui sunt boni. Tunc ab Angelis boni à malis, vt grana à paleis, secernentur, & in quatuor ordines diuidentur. Vnus ordo est perfectorum cum Deo iudicantium. Alter iustorum, qui per iudicium saluantur. Tertius impiorum sine iudicio pereuntium. Quartus malorum, qui per iudicium damnantur. D. Qui sunt qui iudicant? M. Apostoli, Martyres, Confessores, Monachi, Virgines. D. Quomodo iudicabunt iustos? M. Monstrabunt eos suam doctrinam & sua exempla fuisse imitatos, & ideo regno dignos. D. Qui sunt qui iudicantur? M. Qui opera misericordie in legitimo cōiugio exercuerunt, vel peccata sua pœnitentia & eleemosynis redemerunt. his benedicetur: *Venite benedicti Patris mei. Esuriui, & distis mihi manducare, &c.* D. Dicentur hæc sonis verborum? M. Cum Christus homo ibi appareat, & ipsi in corporibus adstant, potest esse quòd verba sonaliter fiant. Tamen cum sit ibi omnibus manifestum, per quod meritum quisque saluetur vel damnetur, magis nobis per hæc verba innuitur, per quæ merita saluetur. D. Quomodo iudicantur? M. Cœlesti palatio, qui hæc fecerunt, digni censentur. D. Qui sunt, qui sine iudicio pereunt? M. *Qui sine lege peccauerunt,* pagani scilicet, & illi Iudæi, qui fuerunt post passionem Christi. Nam post suam passionem legis obseruatio putatur idololatriæ superstitio. D. Videbunt ipsum Christum? M. Videbunt: sed ad sui perniciem, vt dicitur: *Videbunt in quem transfixerunt:* omnes namque impii in necem Domini consenserunt. D. Quare dicitur de eis: *Non resurgent impij in iudicio?* M. Non continget illis, vt ibi iudicent sicut hinc fecerunt. de his dicitur: *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui.* D. Qui sunt qui iudicantur, & pereunt? M. Iudæi, qui ante aduentum Christi sub lege peccauerunt, & mali Christiani, qui malis operibus Deum negauerunt, his dicitur: *Discedite à me maledicti, Esurius, & non distis mihi manducare, &c.* Quibus verbis innuitur quare damnentur: quia crimina sua eleemosynis redimere contempserunt. Et debes notare, quòd non dicit: *Venite,* benedico vos, nec dicit: *Discedite,* maledico vos: sed, quia estis *benedicti, venite:* & quia estis *maledicti, discedite.* D. Quis benedixit istos? vel quis maledixit illos? M. Spiritus sanctus quotidie per ora amicorum & inimicorum electos benedicit, vt dicitur: *Benedicti vos à Domino.* Et iterum: *Benedictio Domini super vos.* Reprobos verò per ora omnium maledicit, vt dicitur: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* D. Quomodo iudicabunt eos Sancti? M. Suis meritis ostendent eos nec facta nec dicta sua sequutos, sed omni supplicio dignos. hos *in ira sua conturbabit Deus, & deuorabit eos ignis.* D. Habet Dominus furorem vel iram? M. In Domino non sunt tales motus: qui, vt dicitur, *omnia cum tranquillitate iudicat:* sed cum in reos sententia iustæ damnationis profertur, irasci eis, qui hæc patiuntur, videtur. D. Habebunt iusti defensores, aut mali accusatores? M. Habebunt conscientias suas. Ita namque omnes à fulgore crucis illustrantur, vt sicut nunc Sol ab omnibus videtur, ita omnium hominum conscientia tunc ab omnibus in propatulo videantur. D. Quid est quod dicitur, *Libri aperti sunt, & liber vita? & iudicati sunt mortui de his que erant scripta in libris?* M. Libri sunt Prophetæ,

A phetæ, sunt Apostoli, sunt Sancti, aliiq; perfecti. Qui libri aperti erunt, quando doctrina & exempla eorum omnibus patebunt: in quibus omnes quasi in libris videbunt quid facere vel quid vitare debuerunt. *Liber vita* est vita Iesu, in qua omnes quasi in libro legunt quid de præceptis eius vel fecerunt, vel neglexerunt. *Liber vita* est etiam vis diuina, in qua omnes suas conscientias quasi scriptas videbunt. **D.** Quid sequitur? **M.** Peracto iudicio diabolus cū toto corpore suo, id est, omnibus impiis, in carcerem, id est, in stagnum ignis ardentis & sulphuris præcipitabitur: Christus verò cum sponsa sua, id est, omnibus electis, cum triumphali gloria in ciuitatē Patris sui cœlestem Hierusalem reuertetur. **D.** Quid est, *Transiens ministrabit illis*? **M.** Hoc est, remota serui formā, talem qualis est, ostendet se illis in Patris gloria, ut dicitur: *Manifestabo illis me ipsum.* **D.** Quid est: *Trahet regnum Deo Patri, & Deus erit omnia in omnibus*? **M.** Id est, Christi humanitas, & tota Ecclesia in diuinitate regnabit, & Deus erit gaudium omnium, & gaudium singulorum. Singuli namque singulare gaudium habebunt, & omnes simul de visione Dei gaudebunt. **D.** Quid postea de mundo erit? **M.** Conflagrabit. Sicut enim olim aqua diluuii mundo præualuit, & super montes omnes cubitis quindecim increuit, ita nunc ignis præualens super omnes montes duodecim cubitis altius ardebit. **D.** Interibit penitus mundus? **M.** Rerum mutabilitas, & pœnæ peccati; scilicet, frigus, æstus, grandines, turbines, fulgura, tonitrua, & alia incommoda penitus interibunt: elementa verò purgata permanebunt: ut dicitur: *Mutabis ea, & mutabuntur.* Sicut enim præsens figura nostrorum corporū transibit, & longè aliam huic incomparabilem habebit: ita præsens *munus* figura penitus interibit, & longè alia incomparabilis gloria forma erit, ut dicitur: *Faciet Dominus cœlum nouum, & terram nouam.* Denique cœlum, Sol, Luna, stellæ, aquæ, quæ nunc festinant cursu irretadabili, quasi cupientes in meliorem statum immutari, tunc fixa stabiliter manebunt & quieta, & mirabili glorificatione immutata. Nam cœlum gloriam Solis induet: Sol septempliciter plus quàm nunc fulgebit, ut dicitur: *Sol habebit lumen septem dierum.* Luna & stellæ vestientur inestabili splendore. Aqua, quæ Christi corpus tangere meruit, & Sanctos in baptisinate lauit, omnem decorem crystalli transcendet. Terra, quæ in gremio suo Domini corpus confouit, tota erit ut Paradisus. Et quia Sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, liliis, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuò decorata. Et hæc est *mutatio dextera Excelsi*: quia terra, quæ erat *maledicta*, & spinis addicta, tunc in perpetuum à Domino erit benedicta: & *labor vel dolor non erit ultra.* **D.** Replesti me bonis domus Domini. dic, qualia corpora habebunt Sancti? **M.** Septies quàm Sol splendidiora, & præ animo angeliora. **D.** In qua ætate vel mensura erunt? **M.** Ut (dicitur) Christus quando resurrexit. Veruntamen cū sit hinc delectabile pueros senibus mixtos, viris mulieres, longis breues iunctos cernere credibile est, multo delectabilius esse ibi singulis ætatibus, singulis mensuris vtrunque sexum virorum & mulierum conspiciere: sicut hinc delectabile est diuersas voces in organis vel in fidibus audire. Vnde magis credendum est omnes in illa ætate & in illa mensura consurgere, & ibi apparere, qua contingit eos hinc migrare. **D.** E-

runt vestiti, an nudi? **M.** Nudi erunt, de omni decore fulgebunt, & non plus de illis membris quàm nunc de gratiosis oculis erubescunt. Salus autem & lætitia erunt illorum vestimēta. nam Dominus induet corpora eorum vestimento salutis, & animas eorum indumento lætitiæ. Et sicut est diuersa gratia colorum, ita creditur fore in corporibus Sanctorum, ut alium colorem Martyres, alium habeant Virgines, & hæc pro vestimentis reputabuntur. **D.** Possunt licenter facere quod volunt? **M.** Nihil nisi bonum volunt, ideo quicquid volunt, liberè agunt: & vbiunque esse volunt, sine mora ibi sunt. **D.** Quid operantur? **M.** Vacant, & vident Deum, & in secula seculorum laudabunt eum. **D.** Quæ est laudatio Sanctorum? **M.** Deum Sanctos ibi laudare, est tantum de visione Dei gaudere. **D.** Recordantur malorum quæ in corpore patiebantur? **M.** Omnium recordantur. **D.** Non habent dolorem? **M.** Imò maius gaudiū habebunt, quòd hæc omnia deiecerunt: sicut aliquis qui olim periculum euasit, & hoc post amicis narrat. **D.** Super altitudinem terræ suscitauit me tua aurea lingua. Nunc eia, dic mihi illorum gaudia. **M.** Gaudia Sanctorum erunt, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. **D.** Quæ sunt hæc? **M.** Vita æterna, beatitudo sempiterna, omnium bonorum sufficientia sine omni indigentia. **D.** Hoc planius edicito. **M.** Septem speciales glorias corporis habebunt, & septem animæ. In corpore quidem pulchritudinem, velocitatem, fortitudinem, libertatem, voluptatem, sanitatem, immortalitatem. In anima autem, sapientiam, amicitiam, concordiam, potestatem, honorem, securitatem, gaudium. **D.** Leuasti me super me. Hæc sunt quæ concupiuit anima mea audire. Rogo te, hæc aliquibus modis exprime. **M.** Placeat tibi si esses ita pulcher ut *Abolon*, in cuius corpore non erat macula, & cuius coma multo pretio ponderabatur præcua? **D.** O gloria! **M.** Quid si cum hoc decore esses tam velox quàm *Asael*, qui cursu pedum præuertebat capreas. **D.** O gratia! **M.** Quid si cum his duobus ita esses fortis ut *Samson*, qui mille viros armatos prostravit in vna mandibula? **D.** O ingens decus. **M.** Quid si cum his tribus esses tam liber quàm Augustus, cui totus mundus seruiuit? **D.** O claritudo. **M.** Quid si cum his quatuor ita voluptate afflueres ut *Salomon*, qui nunquam cordi suo aliquid denegabat quod desiderabat? **D.** O dulcedo. **M.** Quid si cum his quinque ita sanus esses ut *Moyse*, cui nunquam dens motus est, nec caligauit oculus? **D.** O suauitas. **M.** Quid si cum his omnibus habitis deberes ita fieri longæuus, ut *Methusalem*, qui penè ad mille annos vixit? **D.** O magnificentia. Mihi videtur, si cui optio ex his eligendi daretur, vnumquodque pro regno iure eligeretur. si quis autem his omnibus polleret, meritò toti mundo præferendus esset. **M.** Oportet ut interim sileas, dum pretiosiora audias. Quid si cum his omnibus ita sapiens esses, ut *Salomon*, cui omnia abscondita & occulta erant manifesta? **D.** O Deus. **M.** Quid si super hæc omnes homines tibi essent ita amici, ut *Dauid Ionatha*, quem dilexit ut animam suam? **D.** O beatitudo. **M.** Quid si insuper omnes tibi essent ita concordēs, ut *Lælius Scipioni*, de quibus neuter nisi quod alter voluit? **D.** O ineffabilitas. **M.** Quid si ad hæc omnia ita potens esses, ut *Alexander*

Ibidem.

Luc. 12.

Iom. 14.

2. Corin. 15.

Genes. 7.

Psalm. 101.

2. Corin. 7.

Apoc. 21.

Isai. 30.

Psalm. 70.

Genes. 3.

Apoc. 21.

Psalm. 46.

1. Cor. 2.

Math. 13.

Philip. 3.

2. Reg. 14.

2. Reg. 21.

Iudic. 16.

Dent. 34.

Genes. 5.

3. Reg. 4.

1. Regum 16.

A der M
poter
si infu
Genes. 41.
EgytGenes. 5.
Iudic. 11.
sapien. 4.

Math. 13.

Philip. 3.

Marc. 12.

Ader Magnus, qui Asiam, Africam, Europam sibi potenter subiungavit? **D.** O sublimitas. **M.** Quid si insuper ab omnibus ita honorareris, vt *Ioseph* ab *Aegyptiis*, quem adorauerunt vt Dominum? **D.** O celsitudo. **M.** Quid si cum his omnibus ita securus esses vt *Elias* & *Enoch*? **D.** O magnitudo. **M.** Quid si his omnibus habitis tale haberes gaudium, quale is habet, qui cum ad equuleum ducitur, repente in itinere ad regnum rapitur? **D.** O maiestas. **M.** Quid si amicum haberes, quem vt te ipsum diligeres, & hinc similiter vt tu his omnibus abundaret, nonne duplex gaudium haberes? **D.** O immensa delectatio. **M.** Quid si multos amicos haberes, & nihilominus his bonis affluerent, nonne tot gaudia haberes? **D.** O inenarrabilitas. Ita ego delector in sermonibus tuis, sicut in omnibus diuitiis. Mihi videtur, quod si quis quaedam ex his, non dico omnia haberet, dignior toto mundo esset. Si quis autem his omnibus esset plenus, iure videretur esse Deus. **M.** Recte sentis. His omnibus ipsi, id est, Sancti, longe excellentius exuberant. Absalonis namque formositas ibi esset deformitas. Porro illorum speciositas erit vt Solis claritas, vt dicitur: *Fulgurunt iusti sicut Sol*. qui tunc septuplo plus quam nunc fulgescet. Et eis promittitur: *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*. Nemo dubitat quin corpus Christi clarius sit quam Sol, utpote corpus Creatoris quam creature: homines vero templa Dei dicuntur. Si ergo corpora Sanctorum corpori claritatis Christi, qui est splendidior quam Sol, configurantur; & Deus in eis, vt in templis, habitat, necesse est vt templa Dei magis sint perspicua quam Sol. Ecce qualis Sanctorum pulchritudo. **A**sael agilitas esset ibi pigra tarditas. Sancti ipsi ita veloces sunt, vt quam cito oriens Sol in Occidentem venire possit, & quam cito oculus se eleuans visum ad caelum dirigit, tam cito ad terram de caelo, de terra ad caelum relabi poterunt. hoc etenim Angeli facere possunt, quibus ipsi coaequales erunt, vt dicitur: *Erunt aequales Angelis Dei*. Ecce qualis illorum velocitas. **S**amsonis valetudo esset ibi inualetudo: nempe illorum talis erit valentia, vt si montes & omne molem terrae pede vertere vellent, valenter possent, & tam facile, quam nunc videre, hoc enim nemo dubitat Angelos posse, quibus ipsi aequales dicuntur esse. Ecce qualis iustorum fortitudo. **A**ugusti Imperatoris libertas esset ibi captiuitas: qui potuit capi, ligari, claudi. Illorum vero talis est libertas, vt omnia obstantia penetrare valeant, & nulla creatura eos retinere queat, sicut sepulchrum corpus Domini non potuit, quin resurgeret, & ianus clausis intraret. huic ipsi configurabuntur. Ecce qualis illorum libertas. **S**alomonis deliciae essent eis miseriae. O qualis est iustorum voluptas, quibus ipse Deus fons omnium bonorum est insatiabilis satians satietas. Duae sunt beatitudines: vna minor paradisi, altera maior caelestis regni. Quare? quia neutram experti sumus, de eis comparisonem dare nescimus. Et duae sunt miseriae: vna minor huius mundi, altera maior inferni. E quibus quia vnam quotidie experimur, comparisonem de expertis dare nouimus. Sicut igitur ferrum alicuius capiti si esset infixum, & sic candens per omnia membra transfiret: sicut ille dolorem haberet, ita ipsi per contrarium modum in omnibus membris suis interius & exterius voluptatem habent. Hic, id est, in hoc mundo, est vo-

luptas multitudinem virorum ac mulierum speciosarum videre, vestes speciosas, praecleara aedificia cernere, dulcem cantum, sermonem concinnum, organa, lyras, citharas, & talia audire: thymiamata, & alias diuersi pigmenti species odorare: variis epulis deliciari: blanda & mollia tractare: multam pecuniam & varia suppellectilem possidere. haec omnia illis infinite redundant. O qualem voluptatem visus ipsi habebunt, qui ita clausis sicut apertis oculis videbunt? Quibus singula membra vt oculus Solis erunt, qui Regem gloriae in decore suo cernent, omnes Angelos & Sanctos interius & exterius conspicient? Gloriam Dei, & gloriam Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & gloriam omnium Sanctorum vident: suos oculos, suas facies, omnia membra sua interius & exterius cernunt: cogitationes singulorum intuentur: omnia, quae sunt in nouo caelo & in noua terra contemplantur: inimicos suos, qui se olim afflixerunt, in inferno videbunt; & de his omnibus ineffabiliter gaudebunt. O qualis voluptas auditus illorum, quibus incessanter sonent harmoniae caelorum & concentus Angelorum, dulcisona organa omnium Sanctorum. Olfactio qualis, vbi suauissimum odorem de ipso suauitatis haurient, & odorem de Angelis & omnibus Sanctis percipient. Eia qualis voluptas gustus, vbi epulantur & exultant in conspectu Dei: & cum apparuerit gloria Dei: satum abitur, & ab ubertate domus eius inebriabuntur. Voluptas tactus qualis, vbi omnia aspera & dura aberunt, & omnia blanda & suaua arridebunt. O quam magna multitudo dulcedinis diuitiarum, vbi in gaudio Domini super omnia bona sua constituuntur. Ecce tales sunt deliciae Sanctorum. **M**oylis sanitas esset ibi infirmitas. *Salus autem iustorum a Domino*. Quod si tentares impetere ferro, non plus posses nocere, quam nunc radium Solis secare. talis est sanitas iustorum. **M**athusala longaeuitas, esset illis prolixae mortis difficultas. quos mors & dolor fugiunt, & qui in perpetuum viuunt. En qualem habebunt vitae diuturnitatem, qui indeficientis vitae feliciter hereditabunt aeternitatem. Et haec tantum sunt bona corporis. **D.** Sicut dulcis fons humentem agricolam, ita delectabilis fauus de ore tuo distillans meam refocillat animam. Sed o incomparabiliter beati, quia ad tam ineffabilia bona praedestinati. **M.** Verè beati sunt, qui habitant in domo Domini, quia in his omnibus viuunt in seculum seculi. His **S**alomonis sapientia esset magna insipientia. Porro ipsi omni sapientia affluunt: omnem scientiam de ipso fonte sapientiae Dei hauriunt. Omnia quippe praeterita, praesentia, & si qua futura sunt perfecte sciunt. Omnium omnino hominum, siue in caelo, siue in inferno, nomina, genera, opera bona vel mala vnquam ab eis gesta norunt: & nihil est quod eos lateat, cum in Sole iustitiae pariter videant omnia. **D.** Heu quantas lachrymas miseriae meae nunc cogit fundere fons tuae eloquentiae. Scient omnes Sancti quod ego feci. **M.** Vtique, non solum quae fecisti, sed quae vnquam vel cogitasti vel dixisti, aut aliquis homo, siue bonum, siue malum, indelebiliter cognoscent. **D.** Quid tunc valet confessio, & poenitentia peccatorum, si non debebuntur, & si ipsi debent turpia & foeda flagitia nostra scire, quae etiam exhorrescimus cogitare? **M.** Quid abhorres? quid times? An vereris quod de tuis factis ibi cor su-

Esai. 33.

Psalm. 76.

Psalm. 16.

Psalm. 35.

Psalm. 36.

Apo. 9.

Psalm. 83.

A daris? De foedissimis & turpissimis actibus tuis confessis & pœnitentia lotis non plus verecundaberis, quàm si quis nunc narraret tibi quæ olim gessisti in cunis: nec plus erubescas, quàm si vulneribus in prælio acceptis perfectè sanatus esses. Nihil est aliud peccata dimittere vel delere, quàm non punire: per pœnitentiam & cōfessionem remittuntur: sed de Dei & Sanctorum scientia nunquam debebuntur. D. Vellem mihi hoc exemplo probari. M. Nunquid scis quòd David homicidium & adulterium perpetravit? D. Scio. M. Num nosti Mariam Magdalenam peccatricem fuisse, Petrum Christum periurio abnegasse, Paulum Ecclesiâ crudeliter impugnasse? D. Nō. M. Si igitur tu adhuc corruptibilis & fragilis hæc nosti, quanto magis illi nōrunt, qui ab omni corruptione & fragilitate liberi erunt? Non tamen inde nunc verecundantur, sed magis de sua saluatione in Domino gloriātur. D. Non abhorrent Angeli, vel Sancti, tales, qui penè nihil peccauerunt? non habebunt eos peius? M. Nequaquam: sed sicut his amici congaudent qui naufragium vel aliquod graue periculum euadunt, ita Angeli & Sancti de illorum euasione congratulantur, quibus omnia, etiam ipsa peccata, *in bonum cooperantur*. Et sicut Medicus magis de desperato ægro, si eum sanauerit, laudatur: ita Deus vberius de illorum saluatione glorificatur. D. O immensa lætitia. M. Dauid & Iotha amicicia esset illis inimicicia. O quàm dulcis amicicia illos copulat, quos Deus vt filios suos amat, & ipsi Deū plus quàm se ipsos diligunt: Lælii & Scipionis cōcordia esset illis discordia. Sanè concordia illorum est vt oculorū: quòd vnus aspicit, mox se alter illuc flectit. quicquid aliquis illorum volet, hoc Deus, hoc Angeli, hoc omnes Sancti volent. D. Eia, si Deus & omnes Sancti voluerint quòd ego volo: tunc volo similis esse Petro. M. Certè si volueris, continuò eris. Non dico quòd Petrus sis, sed Petro similis. Nam si cuperes Petrus esse, cuperes non subsistere. Si enim tuam essentiam exueres, nihil esses, quamuis nullus ibi plus cupiat, quàm meruerit: sicut nec pes cupit oculus esse, aut manus auris: vel vir esse mulier. Si enim aliquid plus cuperent, *plenum gaudium* non haberet: sed omnes *plenum gaudium* habebunt. ergo nihil plus cupient quàm habebunt. & nihil plus potest adiacere gaudio eorum. Quod enim quisque in se non habuerit, in altero habebit: vt, verbī gratia, Petrus in Ioanne gloriam habebit virginitalis: Ioannes in Petro gloriam passionis. Et ita gloria vniuscuiusq; erit omnium, & gloria omnium vniuscuiusq; erit. Dic igitur quid cupere plus poterit, qui Angelis æqualis erit? Et hæc omnia, quæ commemorauī, & plura habebunt. Alexandri ampla potentia esset illis angusta custodia. Nempe illorum tam efficax erit potentia, vt si aliud cœlum, & aliam terram facere velint, potenter possint. Sunt enim *filij Dei, & coheredes Christi*, & ideo *dij*: vt dicitur: *Ego dixi, dij estis*. Et quia *dij* sunt, omnia quæ volunt possunt. D. Et si possunt, quare non aliud cœlum faciunt? M. Deus nihil imperfectum reliquit: quia *omnia in mensura, numero, & pondere* perfectè absoluit. Et si ipsi aliud cœlum vel aliam terram facerent, esset superfluum: sed nihil volunt quòd sit indecens vel superuacuum. Nos etenim multa possumus, quæ tamen nō facimus, saltare, vel currere. Hæc omnia possunt credi de Apostolis & summis Sanctis. circa nos bene geri-

tur, si nobis in seruitio eorum viuere conceditur. *Q* De omnibus omnino iustis dictum est: *Erunt e-* *quales Angelis Dei*. Sicut igitur si rex prateriens ægrum, quē in cœno iacentem videret, leuari, balneari, vestibus suis indui iuberet, nomen suum ei imponeret, in filium suum adoptaret, regnum ei in hæreditatem daret: ita Deus cernens nos in luto peccatorum, nos inde per fidem leuauit, baptisinate lauit, nomen suæ diuinitatis nobis imposuit, in regnum suum hæredes adsciuit, vt dicitur: *Quotquot receperunt eum, &c.* Quamuis ergo alius alio præstantius, alius alio eminentius gloriam pro meritis fortiantur, tamen omnes vnam domum *Patris*, licet diuersis mansionibus, vnum denarium de visione Dei & confortio Angelorū percipient. Ioseph honor esset eis dedecus. O qualem honorem habebunt ipsi, quos Deus vt filios honorat, Angeli vt principes, omnes Sancti vt deos venerantur: Debitor est enim Deus: quia hoc quòd de eis statuit facere, vt hoc fieret, tota annisu se præparauere. Debitores sunt eis omnes Sancti: quia quòd binam stolam, imò centuplum perceperunt, ex eis ex magna parte habebunt. Debitores sunt eis cœlum, & terra, & omnis creatura: quia quòd tam excellenter immutata sunt, vt hoc fieret, suis meritis festinauerunt. Eliæ & Enoch securitas esset eis timoris anxietas: qui ita securi sunt, quòd nec mortem, nec aliquod infortunium timebunt; & hæc omnia nunquam amittere pauebunt. Deus enim non auferet ab eis, cum sint filij eius charissimi: & ipsi nunquam amittere volent: nunquam igitur ea perdent. De equuleis verò ereptis, & in regnum raptis, ista lætitia esset eis mœlstitia. O qualem lætitiā & exultationem ipsi habebunt, qui *in gaudium Domini* introibunt. O Deus quale gaudium habebunt, qui Patrem in Filio, & Verbum in Patre, & Spiritus sancti charitatē in vtroque, sicuti est, *facie ad faciem* semper videbunt. Gaudium habebunt de confortio Angelorum, gaudium de contubernio omnium Sanctorum. Gaudebunt itaque de bonis Domini interius & exterius, supra se, & intra se, in circuitu & vndique. Ad hæc omnes amicos, quorum multa milia sunt, his deliciis affluere & superabundare gaudebunt. Ecce hoc est *plenum gaudium*: & hæc est omnium bonorum sufficientia sine omni indigentia. D. Ita replesti meum cor gaudio, quòd penè vidi faciem Domini in nubilo, raptus in cœli gremio. Idcirco lætor *super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*. *Psal. 117.* M. Sicut igitur amicus Dei nimium felices in Domino gloriabuntur: ita e contrario, inimici eius nimium miseri & infelices iugiter cruciabuntur. Ecce sicut isti amici Dei decore maximo illustrantur, ita illi maximo horrore deturpantur. Sicut isti summa agilitate sunt alleuiati, ita illi summa pigritia prægrauati. Sicut isti præcipuo robore solidati, ita illi sunt præcipua inualetudine debilitati. Sicut isti angusta libertate potiuntur, ita illi anxia seruitute deprimuntur. Sicut isti immensa voluptate deliciantur, ita illi immensa miseria amarificantur. Sicut isti egregia sanitate vigent, ita illi infinita infirmitate deficient. Sicut isti de beata immortalitate triumphantes lætantur, ita illi de dolenda sua diuturnitate lamentantur. Sicut isti politi sunt splendore sapientiæ, ita illi obscurati sunt horrore insipientiæ. Si quid enim sciunt, ad augmentum doloris sciunt. Sicut istos dulcis amicicia copulat, ita illos amara inimicicia

v. Regum 21.
Marc. 14.
Matth. 27.

Rom. 8.
Psal. 81.

Sapiens. 21.

Matth. 27.

Joan. 1.
Joan. 14.
Matth. 12.

Ezech. 13.

Abacuc. 3.

1. Joan. 2.

Psal. 121.

Psal. 127.

A in
dia
tur
con
Sic
ma
ho
fun
ita
fab
ciu
tur
tas
An
ne
hab
pfi
Oc
cre
pe
lis
co
run
Ide
D.
bi
co
Fil
gre
xit
equ
qu
pra
du
B ge
ci:
Q
fu
fu
de
m
sal
af
m
fi
fi
de
ca
gl
no
ta
op
vi
H
I
q
q
c
P
P
r

A inimicitia ex cruciat. Sicut isti cōcordem concordiam cum omni creatura habētes, ab omni creatura glorificantur: ita illi cum omni creatura discordiam habentes, ab omni creatura execrantur. Sicut isti summa potētia sublimantur, ita illi summa impotentia angustiantur. Sicut isti maximo honore sunt prāditi, ita illi maximo dedecori sunt dediti. Sicut isti securitate egregia tripudiant, ita illi maximo pauore trepidant. Sicut isti ineffabili gaudio iubilantes, ita illi mœrore sine fine eiulantes. Odium enim Dei habent: quia quantum in ipsis erat, ei obfiterentur, ne vnquam ciuitas nec locus eius ædificaretur. Odium habent Angelorum: quia quantum potuerunt, effecerūt, ne vnquam numerus eorum impleretur. Odium habent omnium Sanctorum: quia quantum in ipsis erat, nunquam gaudium plenum habuerunt. Odium à nouo cœlo, & à noua terra, & ab omni creatura habent: quia quantum in ipsis erat, impedierunt, ne vnquam immutarentur. O mirabilis contrarietas: Sicut illorum gaudia sunt inexcogitata, & inenarrabilia, vel incredibilia: ita istorum supplicia sunt incomparabilia & ineffabilia. Ideo vocantur perditī, quia à curru Dei sunt lapsi. **D.** Hoc non intelligo. **M.** Cūm Deus palatium sibi construeret, paries lapsus est, quando Angeli corruerunt. Quem Deus volens restaurare, misit Filium suum viuos lapides ad hoc ædificium congregare. Qui scandens currum, multos conuenxit: lapsos inde reliquit: vt dicitur: *Ascendens super equos tuos: & quatuor adriga tuae saluatio.* Dei quatuor adriga sunt quatuor Euangelista. Equi sunt Apostoli, qui prædicatione sua Christum in hoc curru per mundum traxerunt, & multos ad Dei ædificium collegerunt. **B.** Lapsi de curru sunt hæretici & schismatici: vt dicitur: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Qui autem sunt adducti, vt lapides quadrati à summo opifice in ædificio cœlesti sunt locati. Hi sunt electi, quatuor virtutibus politī, id est, prudentia, fortitudine, iustitia, temperantia, quibus muri Hierusalem sicut reparati: vt dicitur: *Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas.* Quidam verò lapides asperi impoliti ab opifice sunt reprobati, in ignem missi, & in calcem versi: murique his firmati quasi cæmento & ornati. Hi sunt impii à cœlesti ædificio reiecti, & in fornacem gehennæ proiecti: de quorum exitio iusti vinculo charitatis quasi cæmento murus firmus compaginatur: & eorum gloriosius collatione decorati, sine fine in Domino nostro iocundantur. **D.** Iocunditate & exultatione repleat te Dominus Deus omnipotens, optime magister, in glorificatione Sanctorum, & videas regem gloriæ in suo decore: & videas *bonam Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.*

Explicit Dialogus B. Anselmi.

IN LIBRVM QVI IMAGO MVNDI DICITVR, PROLOGVS.

AD instructionem multorum quibus deest copia librorum hic libellus editur: nomenque eius imago mundi vel mappa dicitur, eo quod dispositio totius orbis in eo quasi in speculo conspiciatur. In quo etiam nostræ amicitia pignus posteris relinquatur. Nihil autem in eo pono nisi quod maiorum commendat auctoritas.

Explicit Prologus.

LIBER PRIMVS, QVI IMAGO MVNDI DICITVR, QVI à QVIBVSDAM BEATO ANSELMO, ab aliis Honorio incluso ascribitur: incipit.

De forma mundi.

Cap. I.



MUNDVS itaque dicitur quasi vndique motus: Est enim in perpetuo motu. Huius figura est in modum pilæ, rotunda: sed ad instar oui elementis distincta. Oui quippe exterius testa vndique ambitur, testa albumen: albumine vitellum, vitello gutta pinguedinis includitur. Sic mundus vndique cœlo vt testa circumdatur: cœlo verò purus æther vt albumen, ætheri turbidus aër vt vitellum, aëri terra vt pinguedinis gutta includitur.

De creatione mundi.

Cap. II.

CREATIO verò mundi quinque modis scribitur. Primo, quo ante secula temporalia vniuersitas mundi in mente diuina concipitur, quæ conceptio archetypus dicitur mundus: vnde dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Secundo: cum ad exemplar archetypi hic sensibilis mundus in materia vel forma creatur, sicut legitur: *Quæ in æternum creauit omnia simul.* In materia, vt ex quatuor elementis crearentur omnia corporalia. In forma, vt ad similitudinem Angelorum animæ essent rationales. Tertio, cūm per species & formas sex diebus hic mundus formatur, sicut scribitur: *Sex diebus fecit Deus opera sua bona valde.* Quarto, cūm vnum ab alio, vtpote homo ab homine: pecus à pecude: arbor ab arbore: vnumquodque de semine sui generis nascitur, sicut dicitur: *Fater meus v. g. modo operatur.* Quinto, cūm adhuc mundus innouabitur: sicut scribitur: *Ecce noua facio omnia.*

De quatuor elementis.

Cap. III.

ELEMENTA dicuntur quasi hyles ligamenta: Ehyle autem est materia. Sunt autem quatuor elementa, ex quibus constat omnia: scilicet, ignis, aër, aqua & terra, quæ in modum circuli in se reuoluuntur: dum ignis in aërem, aër in aquam, aqua in terram cōuertitur. Rursus terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem commutatur. Hac singula propriis qualitatibus quasi quibusdam brachiis se inuicem tenent, & discordem sui naturam concordia fœdere vicissim commiscunt. Nam terra arida & frigida aquæ connectitur. Aqua frigida & humida, humido aëri constringitur. Aër humidus & calidus, calido igni associatur. Ignis calidus & aridus, arida terræ copulatur. Ex his terra vtpote grauissima, imum: ignis vtpote leuissimus, supremum obtinet locum. Alia duo medium, quasi quodam soliditatis vinculo: quorum aqua grauior, terræ proximū: aër leuior igni proximum possidet locum. Deputantur verò terræ gradientia, aquæ natantia, aëri volantia, igni irradientia.

*Dialogus
Hic libro non est
Beati Anselmi, vt
qui multa falsis
tenent, quare caute
est legendus.*

A De assimilatione quatuor elementorum cum quatuor temporibus, quatuor qualitatibus, & quatuor humoribus, & quatuor ætatibus.

Cap. IV.

Assimilantur autem hæc quatuor elementa quatuor temporibus, quatuor qualitatibus, & quatuor humani corporis humoribus, & quatuor ætatibus. Connectitur autem terra quæ est frigida & sicca autumno qui est siccus ex præcedenti æstate, & frigidus ex adueniente hyeme. Aqua frigida & humida hyemi. Hyems enim frigida & humida est. Aër calidus & humidus veri. Ver autem est humidus ex præcedente hyeme, calidus ex adueniente æstate. Ignis calidus & siccus ætati colligatur. Est enim calida & sicca ætas. Iisdem qualitatibus est humanum corpus temperatum, & inde homo microcosmus, id est, minor mundus appellatur. Sanguis namque qui est calidus & humidus, aëri & veri comparatur, & hic viget in infantia. Cholera rubea quæ est calida & sicca igni & ætati colligatur, & hæc abundat in iuventute. Melancholia est frigida & sicca, terræ & autumno adaptatur, & abundat in proejectioribus. Phlegma quod est frigidum & humidum aquæ & hyemi connectitur, & hoc dominatur in senibus. Sanguinei sunt hilares: misericordes, ridentes, loquaces, simplices, moderati, blandi, bonæ mentis, corporis pleni. Cholericus sunt macilenti, voraces, veloces, audaces, cito mobiles ad iram & cito pacificatur, agiles, ingeniosi, acuti, subtiles & leues. Melancholici sunt stabiles, graues, dolosi, tarde commouentur ad iram, & tarde pacificantur. auari, inuidi, tristes, somnolenti. Phlegmatici sunt tardi,

De proprietatibus complexionum.

Quibus horis dominentur.

Quibus locis purgentur humores.

In quibus ætatibus regnât humoris.

B somnolenti, obliuiosi, corpore compositi vigilantes, intra se cogitantes, minus audaces & cito senescentes. Sanguis dominatur ab hora noctis vsque ad tertiam diei. Cholera rubea ab hora tertia diei vsque ad nonam eiusdem diei. Melancholia ab hora nona vsque ad tertiam noctis. Phlegma ab hora tertia noctis vsque ad nonam eiusdem. Sanguis habet respirationem per nares: Cholera rubea per aures: Melancholia per oculos: Phlegma per os: Sanguis dominatur in dextero latere sub hepate. Cholera rubea ibi. Melancholia in sinistro latere sub splene. Phlegmatis autem vna pars est in capite & in vesica vel in corde. Phlegma dominatur in pueris cum sanguine vsque ad annos quindecim. Inde cholera rubea vsque ad annos viginti quinque. Deinde Cholera nigra vsque ad annos quadragintaquinque; cum maxima parte sanguinis. Hinc vsque ad summam ætatem dominatur phlegma sicut in pueris. Et nota, quod quædo horum humorum aliquis excrescit: ea hora diei debet principaliter minui in qua regnat.

Quibus nominibus terra nominetur.

Cap. V.

Postquam de quatuor elementis dictum est generaliter, & de quatuor hominis humoribus, nunc quoque aliquid de partibus dicamus: Et primo de terra. Denominatur terra septem nominibus. Terra, Tellus, Humus, Arida, Sicca, Solum, Ops. Terra à terendo dicitur, & totum elementum intelligitur. Tellus quasi tollens fructus, quæ est frugibus apta vel vinetis, fructiferisq; arboribus conita. Humus ab humore, quæ est palustris & inarabilis. Arida inaquosa, quæ semper feruore

folis aret, vt Lybia. Sicca quæ aliquando cõpluta cito exiccatur, vt Iudæa. Solû à soliditate, vt sunt montana. Ops, ab opibas, vbi diuitiæ, scilicet aurum & gemmæ abundant, vt in India.

Quod terra est rotunda, centrum mundi, & Oceano clauditur.

Cap. VI.

Terra forma est rotunda, vnde & orbis est dicta. Si quis enim in aëre positus desuper eam aspiceret, tota enormitas montium & concauitas vallium minus in ea apparet quam digitus alicuius, si pilam prægrandem in manu teneret. Circuitus autem terræ, centum & octoginta milibus stadiorum mēsuratur, quod duodecies mille miliaria, & quinquaginta duo computatur. Hoc centrum in medio mundo, vt punctus in medio circuli æqualiter collocatur, & nullis fulcris, sed diuina potentia sustentatur, sicut legitur: *Non timetis ne ait Dominus, qui suspendi terram in nihilo?* Fundata est enim super stabilitatem suam, sicut aliud elementum occupans suæ qualitatis metam. Hæc in circuitu Oceano, vt limbo cingitur, vt scribitur: *Abyssus sicut vestimentum amictus eius.* Interius meatibus aquarum, vt corpus venis sanguinis penetratur, quibus ariditas ipsius vbique irrigatur. Vnde vbicunque terra infoditur, aqua reperitur.

De quinque circulis, quibus terra distinguitur.

Cap. VII.

Quinq; autem zonas, id est, circulis quinq; terra distinguitur. Quorum duo extremi sunt inhabitabiles algore: medius inhabitabilis D calore, à quo Sol nunquam recedit, ad illos nunquam accedit: Medii duo habitabiles hinc ardore, inde frigore temperati. Verbi gratia, si ignis in hyeme sub diuo accenditur, quinque lineas efficere scitur, vnam in medio feruidâ, duas circumgelidas, duas intra has temperatas. Qui si vt Sol circuiret, quinque nimirum circulos redderet. Ex his circulis primus Septentrionalis, secundus Solstitialis, tertius Equinoctialis, quartus Brumalis, quintus Australis nominatur: sed solus Solstitialis inhabitari à nobis noscitur.

De diuisione terra habitabilis.

Cap. VIII.

Igitur habitabilis zona quæ à nobis incolitur, in tres partes mediterraneo mari dirimitur: quarum vna Asia, altera Europa, tertia Aphrica dicitur. Asia est à Septentrione per Orientem vsque ad meridiem. Europa ab Occidente vsque ad Septentrionem. Aphrica à Meridie vsque ad Occidentem extenditur.

De Asia. Cap. IX.

Asia à Regina eiusdem nominis appellatur. Huius prima regio in Oriente est Paradisus, locus videlicet omni amœnitate conspicuus, inaccessibilis hominibus: quia igneo muro vsque ad cælum est cinctus. In hoc est lignum vitæ, scilicet arbor, de cuius fructu qui comederit semper in vno statu immortalis permanebit. In hoc etiam fons oritur, qui in quatuor flumina diuiditur. Quæ quidem flumina infra Paradisum terra con-

duntur,

Aduntur, sed in aliis regionibus longè diffunduntur. Nam Physon, qui & Ganges in India de monte Orcobares nascitur, & contra Orientem fluens Oceano excipitur. Geon, qui & Nilus iuxta montem Athlantem surgens, mox à terra absorbetur, per quam occulto meatu eurrens in littore rubri maris denuo funditur, Æthiopiam circumiens per Ægyptum labitur in septem ostia diuisus, magnum mare iuxta Alexandriam ingreditur. Tigris autem & Euphrates in Armenia de monte Perchoatra funduntur, & contra meridiem vergentes mediterraneo mari immerguntur. Post paradysum sunt multa loca deserta & obuia, ob diuersa serpentum & ferrarum animalia.

De India. Cap. X.

DEinde est India ab Indo flumine dicta, quod ad Septentrionem de monte Caucaso nascitur, & ad meridiem cursum dirigens, à rubro mari excipitur. Hæc India ab Occidete clauditur: & ob hoc Indicus Oceanus dicitur, in quo est sita Taprobane Insula decem ciuitatibus inclita. Hæc duas æstates & duas hyemes vno anno habet, & omni tempore viret. In hac etiam sunt Chrysa & Argusa Insulae auro & argento fecundæ: & semper floridae. *Ibi inueniuntur bdellium, & Lapis Onyx binus. Bdellium est arbor aromatica colore nigra magnitudine oliuæ. Onyx est appellatus, quod habet in se permixtum candorem in similitudinem vnguis humani. Græci enim vnguem dicunt onychon. Ibi sunt & montes aurei, qui propter dracones & gryphes nõ possunt adiri. In India est mons Caspius, à quo Caspium mare vocatur. In quem & mare, Gog & Magog ferocissimæ gentes à Magno Alexandro incluse feruntur, quæ humanis carnibus & crudis bestiis vescuntur. India habet quadraginta quatuor regiones, populos multos, Garamantes, Orcusas, Coatras, quorum syluæ tangunt æthera. In montanis pygmeos duorum cubitorum homines, quibus bellum est contra grues, qui tertio anno pariunt, octauo senescunt. Apud hos crescit piper, colore quidem albo, sed cum ipsi serpentes qui ibi abundant, flamma fugati, nigrum colorem trahit de incendio. Item habet macrobios, duodecim cubitorum homines, qui bellant contra gryphes, qui corpora leonum, alas & vngulas præferunt aquilarum. Item Agroctas & Brachmanas, qui se in ignem mittunt vitro, amore alterius vitæ. Sunt & alii, qui parentes iam senio confectos mactant, & eorum carnes ad manducandum parant, isque impius iudicatur, qui hoc facere abnegat. Sunt & alii, qui pisces ita crudos edunt, & salum mare bibunt. Sunt ibi & quedam monstra, quæ quidem hominibus, quidam ascribunt bestiis, vt sunt hi qui aduersas habent plantas & octonos in pedibus digitos, & alii qui habent canina capita, & vngues aduncos, quibus est vestis pellis pecudum, & vox latatus canum. Ibi quedam etiam matres quæ semel pariunt, & canos partus edunt, qui in senectute nigrescunt, & longa nostræ ætatis tempora excedunt. Sunt alii qui quinquennies pariunt, sed partus octauum annum non excedunt. Ibi sunt & monoculi qui & Arimaspi, & cyclopes, & sciopodes, qui vno tantum sulti pede, auram cursu vincunt, & in terra politam vmbra sibi planipedis erecta, faciunt. Sunt & alii absque capite, quibus oculi in humeris, pro naso & ore duo fo-*

ramina in pectore, setas habent vt bestia. Sunt & alii iuxta fontem Gangis fluminis, qui solo odore cuiusdam pomi viuunt, qui si longius eunt, pomum secum ferunt: moriuntur enim si prauum fetorem trahunt. Sunt ibi serpentes tam vasti, vt ceruos deuorent, & ipsum etiam Oceanum transnarent. Ibi enim est bestia Leucotrota, cuius corpus asini, clunes cerui, pectus & crura leonis, pedes equi, ingens cornu bifidum, vastus oris hiatus vsque ad aures, in loco dentium os solidum, vox penè hominis. Item est alia bestia Aële, cuius corpus equi, maxilla apri, cauda elephantis, cubitalia cornua habens: quorum vnum post tergum reflectit, cum alio pugnat, illo obtuso aliud ad certamen vibrat, nigro colore horret, in aqua & in terra æqualiter valet. Ibi sunt fului tauri versis setis horridi, grande caput, oris uictus, ab aure ad aurem patet. Hi etiam cornua vicissim ad pugnam producant vel deponunt, omne telum missile duro tergo repellunt, qui si fuerint capti nulla possunt arte domari. Ibi quoque est Manticora bestia facie homo, triplex ordo in dentibus, corpore leo, cauda scorpio, oculis glaucis, colore sanguinea, vox sibilus serpentum, fingens discrimina vocum, velocior cursu quam auis volatu, humanas carnes habens in visu. Ibi sunt etiam boues tricornes, pedes quinos habentes. Ibi quoque Monoceros, cuius corpus equi, caput cerui, pedes elephantis, cauda suis, vnum cornu habens media fronte armatum, quatuor pedum longum, splendens & mire acutum. Hæc bestia nimis ferox, diros habet mugitus, omne quod obstat, cornu transuerberat, capta potest periri, non potest domari. In Gange quoque sunt anguillæ trecentorum pedum longæ. Ibi etiam sunt quidam vermes qui instar cancri, bina habent brachia, sex cubitorum longa, quibus elephantes corripunt, & vndis immergunt. Indicum quoque mare gignit testudines, de quarum testis capacia hospitia faciunt homines. India quoque Magnetem lapidem gignit, qui ferrum rapit. Adamantem etiam, qui non nisi hircino sanguine frangi potest.

De Parthia. Cap. XI.

AB Indo flumine vsque ad Tigrim est Parthia triginta tribus regionibus distenta. Dicitur autem Parthia à Parthis venientibus à Scythia. Est in ea regio Arachosia ab oppido Arachosa dicta. Est in ea etiam Assyria ab Assur filio Sem nominata, qui eam primus incoluit. Est in ea quoque Media à Medo rege dicta, qui ciuitatē construens Mediam nominauit, de qua & regio nomen assumpsit. In ea etiam est Persia à Perseo rege dicta, qui ciuitatem Persepolim edificauit, de qua & regio nomen accepit. In hac primum orta est ars magica. Persia lapidem Periditem mittit, qui manum prementis vrit, & Selmitidem, cuius candor cum luna crescit & deficit.

De Mesopotamia. Cap. XII.

ATigri flumine vsque ad Euphratem est Mesopotamia, à duobus fluuiis Græcè dicta, quod in medio duorum fluminum sit constituta. In hac est ciuitas Ninive, itinere trium dierum à Nino rege constructa & nominata. In hac etiam regio Babylonia à ciuitate Babylone nominata: hanc Nemroth gigas fundauit, sed Semiramis regina reparauit. Cuius muri latitudo est quinquaginta cubito-

Arum: altitudo ducentorum cubitorum: ambitus ciuitatis quadringentorum octoginta stadiorum. Centum portis greis est firmata, flumine Euphrate per medium eius currente irrigua: huius arx Babel quatuor milium passuum alta scribitur: in ea quoque est Chaldaea, in qua primum inuenta est Astronomia: in ea & Arabia, quae etiam Sabba dicitur, apud tou sabin, id est, sacrificare, vel à fluuio Sabba. In hac thus colligitur. Et in hac est mons Sinai, qui & Oreb, in quo lex à Moysè scribitur. Iuxta quem vrbs Madian fuit, in qua sacerdos Iethro praefuit, in ea sunt gentes multae, Moabitae, Ammonitae, Idumaei, Sarraceni, Madianitae, & aliae multae.

De Syria. Cap. XIII.

AB Euphrate vsq; ad mare Mediterraneum est Syria, à quodam Syro rege dicta, in quo est Damascus à Damasco Abrae liberto constructa & dicta. Ibi & Antiochia ab Antiocho rege cognominata, quae olim Reblata vocata. Est in ea Comagena prouincia. Est & Phoenicia, à phoenice aue, quae sola in hac terra inuenitur, siue à Phoenice rege filio Agenoris dicta. In hac sunt ciuitates Tyrus & Sydon sitae. In hac etiam mons Libanus, ad cuius radices oritur Iordanis fluuius. Est in ea etiam Palaestina à ciuitate Palaestim dicta, quae nunc Ascalon vocatur. Est in ea & Iudaea à Iuda filio Iacob: de cuius tribu reges erant nuncupati. Haec etiam Chanaan à Chanaan filio Cham est dicta. In hac est Hierusalem, quam Sem filius Noë construens, Salem nominauit, sed eam Hiebus filius Chanaan inhabitauit. Vnde à Hiebus & Salem dedit ei nomen rex David Hierusalem, quasi Hiebusalem, quam Salomon filius eius auro & argento & gemmis decorauit, & Hierosolymam quasi Hierusalemiam appellauit. Quam à Babyloniis subuersam, Sorobabel reaedificauit. Sed Romanus populus funditus deluit. Hanc postmodum Helius Hadrianus Imperator reparauit, & Heliam nominauit.

De Palaestina. Cap. XIV.

EST etiam in Palaestina regio Samaria à ciuitate Samaria dicta, quae nunc est Sebastia dicta: in hac est quoque Galilaea regio, in qua est Nazareth ciuitas, iuxta montem Thabor sita, in hac est Pentapolis regio à quinque ciuitatibus dicta, in qua olim fuit Sodoma & Gomorra. In hac est mare mortuum, à quo Iordanis fluueta absorbetur: in hac quoq; Sarraceni à Sara dicti, qui & Agareni ab Agar. Item Hismaelitae ab Hismael nuncupati: in hac & Nabathae à Nabaioth filio Hismael dicti, quorum gentes sunt duodecim.

De Aegypto. Cap. XV.

HAE superius dictae regiones ab Oriente incipientes, recta linea ad mediterraneum mare extenduntur, quibus versus austrum Aegyptus conecitur, in qua viginti quatuor gentes esse feruntur: haec in Oriente à rubro mari surgit, terminum suum versus Occidentem in Lybia figit. Haec prius Euxia, id est, bona copia dicta, postea ab Aegypto rege fratre Danaï Aegyptus est vocata. Haec fluuio Nilo vndiq; cineta in modum deltae literae est formata, centum milibus villarum incluta. Hanc nubes non obscurant, pluuiae non irrigant, sed Nilus inundans eam fecundat. In hac est prouincia

Thebaida à Thebis ciuitate cognominata, quam Cadmus Agenoris filius in Aegyptum veniens aedificauit, & Thebas secundum illam, quam in Boeotia construxit, nominauit, regionisq; nomen ab illa mutuauit. In hac Mauricius principabatur, & ab hac Thebei dicuntur. Huic maxima adiacet sollicitudo, in qua olim conuersabatur monachorum multitudo. Cambyfes rex Aegyptum superans, ciuitatem condidit, cui nomen Babylon indidit, quae nunc caput regni illius existit, in hac etiam victor Alexander aliam ciuitatem aedificauit, quam ex suo nomine Alexandriam nuncupauit.

De Caucafo monte. Cap. XVI.

SVPRA scriptis regionibus versus Aquilonem annectuntur haec regiones. Mons Caucasus à Caspio mare orientis attollitur, & per Aquilonem vergens penè vsq; ad Europam porrigitur. Hanc inhabitant Amazones feminae, videlicet vt viri praeriantes. His cohabitant Massagetae & Colchi & Sarmatae. Seres est oppidum orientis, à quo est Serica regio, & gens & vctis dicta. Post hanc est Baetiana, à Baetrio amne vocata. Hanc sequitur Albania à Candore populi dicta, eò quod ibi albo crine nascantur. huic coniungitur Scythia & Bithynia, alias Hunia, quarum gentes sunt quadringenta quatuor. Ibi sunt Hyperborei montes. Huic coniungitur Hircania ab Hircania sylua nominata, in qua sunt aues, quarum pena splendent per noctem: cui conecitur Armenia, in qua est mons Ararath, super quem archa Noë post diluuium requieuit, cuius vsque hodie ibi ligna videntur: huic copulatur Hiberia, illi verò Cappadocia à ciuitate eiusdem nominis dicta. In hac etiam quae à vento concipiunt, sed factus non amplius triennio viuunt.

De Asia minore. Cap. XVII.

ASIA minor post hanc constituitur, quae penè mari vndique cingitur. In hac est Ephesus ciuitas, ab Amazonibus constructa. In qua requieuit Ioannes Euangelista. Prima prouincia Asiae minoris est Bithynia appellata, in qua est ciuitas eiusdem nominis prius Bebricia dicta, post Migdonia, postea à Bithyno rege & Bithynia appellata. In qua est ciuitas Nicaea, in qua magna synodus facta fuit. In hac etiam ciuitas Nicomedia à Nicomede rege constructa & dicta. Bithynia quoque maior dicitur Phrygia, in qua est ciuitas Smirna à Theseo constructa. Hanc sequitur Phrygia à filia Europe Phrygia appellata. Haec & Dardania à Dardano Iouis filio dicta. Huic iungitur Galatia à Gallis dicta, quos Bithynus rex in auxilium euocauit, & post victoriam eis terram diuisit. Est in ea ciuitas eiusdem nominis ab eodem constructa. In hac est etiam ciuitas Troia à Troo rege constructa & nominata. Haec & Ilion ab Illo rege est dicta. Huius Moenia dicuntur Pergama. Huic adiacent Licaonia & Caria, vbi fluit Hermus fluuius, aureis arenis famosus. Inde est Lydia à Lydo rege fratre Tyrreni appellata. In hac est ciuitas Thiathyra: deinde est Isauria ab aura, qua vndique perflatur dicta. Post hanc est Cilicia à ciuitate eiusdem nominis nuncupata, quam Cilix filius Agenoris construxit, & ab illa nomen regio accepit. In hac est mons Amanus, qui & Taurus, in quo est & Tharsis ciuitas à Perseo

constru-

A constructa, Pauli Apostoli in habitatione gloriosa. Deinde est Lycia, Persidia & Pamphilia. Exinde est Pontus regio multarum gentium, à quo & Ponticum mare appellatur, in quo Ouidius & postea Clemens exilio relegantur.

De Europa. Cap. XVIII.

Post decursam Asiam, transeamus ad Europam. Europa ab Europe rege, vel ab Europa Agenoris filia est nominata. In qua primis versus Septentrionem sunt Ryphei montes: & Tanaius fluvius à Thanai rege dictus, & Meotides paludes magno mari iuxta Theodosiam urbem se iungentes. A Tanai fluvio est Scythia inferior, quæ versus meridiem vsque ad Danubium porrigitur. In hac sunt istæ provincie, Alania, Dathia, Gothia.

De Scythia.

De Germania superiore

A Danubio vsque ad Alpes est Germania superior, quæ à Germinando populos dicitur: versus occasum Rheno, versus Aquilonem Albia flumine terminatur. In hac est Suevia regio à monte suaui dicta: Hæc & Alemania ab Alemanno lacu appellata: hæc & Retia dicta. In hac Danubius nascitur, & 60. præcipuis fluvii augetur, & in septem ostia vt Nilus diuisus Ponticum mare ingreditur. Est in ea Noricus quæ & Bauaria, in qua est ciuitas Ratispona. Est & orientalis Francia, cui coniungitur Thuringia: quam sequitur Saxonia. Ab Albia fluvio est Germania inferior, quæ versus Aquilonem Oceano excipitur. In hac est Dacia & Norwegia. A Danubio imo & circa Danubium versus Orientem vsque ad mediterraneum mare, est Mesia à Messium prouentû dicta. deinde Pannonia inferior & Vngaria. Inde Thracia à Thyas filio Iaphet dicta. Hæc habet

B Hebrum flumen & urbem Constantinopolim à Constantino constructam & dictam. A mediterraneo mari est Græcia à rege Græco dicta, Cethim olim vocata, & versus Austrum magno mari terminatur, qui sinus Illyricus vocatur. Et in ea prouincia Dalmatia à dalam ciuitate vocata. Est & Epirus à Pyrrho filio Achillis dicta. In Epiro est fons in quo faces accensæ extinguuntur, & iterum extinctæ accenduntur. Est & Chaonia à ciuitate eiusdem nominis appellata, quam Helenus frater Hectoris ædificauit, & ob amorem fratris sui Chaonis Chaoniam nominauit. Hæc & Molossia à ciuitate Molossa dicta, quam Molossus Pyrrhi filius construxit & à nomine suo Molossam vocauit. Est & ibi Helladia ab Hellene rege filio Deucalionis & Pyrrhæ dicta, ipsa est & Attica ab Atti filia Græci regis, siue ab Attico filio cuiusdam qui quæsiuit, indigena Græciæ: ipsa est & vera Græcia. In hac est ciuitas Athenæ, à Cecrope rege constructa. Ibi est Bœotia, à Boue dicta: quia Cadmus filius Agenoris illuc veniens bouis ductu, eum diis immolans, Thebas construxit, & prouinciã Bœotiam nuncupauit. De hac Thebani dicuntur de alia Thebei. Eadem prouinciã dicitur & Aonia, à fonte Aone, Musis consecrato, siue à rege Aone. Ibi est Peloponnesus, à Pelope rege, & à ciuitate eiusdem nominis appellata. Ibi & Tessalia, à rege Tessalo dicta: Ibi & Macedonia, à Macedone rege appellata. Hæc & Emathia, ab Ematho rege vocata. In hac est mons Olympus, qui excedit nubes. In hac & Tessalonica, à Tessalo rege filio Græci constructa. Ibi est & Achaia ab Acheo rege & ciuitate eius nominis dicta. In hac est Corinthus à Corintho filio Orestis dicta. Ibi & Arcadia, quæ & Sitionia, à Sitione re-

ge nuncupata. Arcadia Asbeston lapidem mittit, qui semel accensus extingui nõ poterit. Deinde est Pannonia superior vsq; ad Appenninum montem. Ad Aquilonem Histria ab Istro fluvio, qui & Danubius vocatur. Italia olim magna Græcia est dicta, postea Saturnia à Saturno: post Latium (eod q Saturnus pulsus à Ioue ibi latuit) est dicta. Deinde Ausonia ab Ausone Rege: tandem ab Italo rege Siculorum Italia nominata. Hæc ab Alpibus surgit, & in magno mari terminum figit. In hac est vrbs Roma, à Romulo Rege constructa, & sic dicta. Antiqui ciuitates suas secundum præcipuas feras formabant ob significationem. Vnde Roma formam leonis habet, qui cæteris bestiis quasi rex præest. Huius caput est vrbs à Romulo constructa. Latericia verò ædificia utrobq; disposita, vnde & Lateranis dicitur. Brundisium autem formam cerui: Carthago bouis: Troia equi figuram habuit. Est in Italia Tuscia Prouincia, à sacrificiis & thure vocata. Est & Campania à ciuitate Capua dicta, à Capi Rege constructa. Ibi est & Apulia, est & Umbria, inde dicta, q imbribus tempore diluuii superfuerit, in iugis Apennini montis sita. Est & Hetruria ab Hetrusco Rege dicta. Hæc est & Tyrrenia à Tyrreno fratre Lidi dicta, qui de Meonia venit ad Italiam. Est & Longobardia à longis bardis vocata. Padus qui & Eridanus Italiæ fluvius, ab Appenninis montibus oritur, ac mari immergitur. Venetia à Veneto Rege prius Hentia dicta, postea Venetia. Gallia à candore populi dicitur. Gala enim græcè lac dicitur: Rhenus in Alpibus nascitur, & contra Aquilonem vergens sinu Oceani excipitur. A flumine Rheno est Gallia Belgica à ciuitate Belgis dicta. Hæc à monte Iouis surgit, & versus Aquilonem Britannicum Oceanum incidit. Hæc & Francia à Franco Rege dicta, qui de Troia cum Ænea veniens, Troiam iuxta Rhenum cõdidit, & terram Franciam cognominauit. Hanc versus Orientem excipit Lugdunensis Gallia, quæ & Comata ob longas comas est dicta. Quæ versus austrum habet Narbonensem Galliam à ciuitate Narbona dicta, quæ & togata à longis vestibus dicta est. Versus Occidentem Aquitaniam, ab aquis Rhodano & Ligere dicta. Inde est Hispania ab Hispano Rege dicta, prius Iberia ab Ibaro fluvio, quæ & Hesperia ab Hespero Rege dicta, hæc versus Occasum Oceano terminatur. Sunt in ea sex Prouincie, Terracona, Carthago, Lusitania, Galitia, Betica, Tingitana: à propriis ciuitatibus dictæ. Contra Hispaniam versus Occasum sunt in Oceano hæ insulæ: Britania, Anglia, Hibernia, Athanatis, cuius terra quouis gentium portata, serpentes perimit: & insulæ, in quibus fit Iostitium Orchades viginti tres. Scotia, tile cuius arbores folia nunquam deponunt, & in qua sex mensibus videlicet æstiuus est continuus dies, sed hybernis mensibus continua nox. Ultra hanc versus Aquilonem est mare congelatum & frigus perpetuum.

De Italia.

De Roma.

De Gallia.

De Hispania.

De Aphrica. Cap. XIX.

Evropam perambulauimus, ad Aphricam transmigramus. Aphrica ab Apher vno de posteris Abraham est dicta. Hæc in Oriete Indi fluminis surgit, & per meridiem vergens in Occidentem tendit. Huius prima Prouincia est Lybia, à Regina eiusdem nominis dicta. Hæc à Parethonia ciuitate, & à montib. Carabathmon sumit initium, & in aris

A & in aris Philenorum finit. De hac Lybicum mare dicitur. Inde est Cyrenaica à Cyrene ciuitate nom. nata, sed à regina eiusdem nominis constructa & dicta. Hæc & Pentapolis à quinque ciuitatibus est dicta: scilicet Beronice, Arfinoe, Ptolemaide, Apollonia, Cyrene, à propriis cōditoribus ita dicta. Inde est Tripolis à tribus ciuitatibus dicta, quæ sunt Occasia, Berete, & Leptis magna. Post hanc Bisace à duabus vrbibus dicta, id est, à Drumento & Bisantio. Deinde est Ceusis, in qua est magna Carthago à Didone, quæ & Elissa constructa, & Carthada à Caritho oppido nominata, sed à Romanis deleta & denuo reedificata Carthago est appellata. Huius muri latitudo fuit septendecim cubitorum. Post hanc Getulia, inde est Numidia in qua regnavit Iugurtha. In hac est ciuitas Hyppone, in qua fuit Augustinus Episcopus. Inde est Mauritania à nigredine dicta, mauron enim græcè est nigrum. In hac est prouincia Sitifensis à Sitifi oppido: alia Cæsariensis à ciuitate Cæsaria dicta. Tertia Tingitanea à Tingi ciuitate nuncupata. Versus meridiem verò est Æthiopia ac Æthere dicta. Vna in Oriente, in qua est vrbis Saba, de qua fuit illa regina quæ in Euāgelio commemoratur à Domino. Altera in Occidente, intra quas Garamantes sunt à Garamma ciuitate dicti. Apud quos est fons tam frigidus diebus vt non bibatur, tam feruidus noctibus vt non tangatur. Quibus versus Orientem cohabitant Troglodyte qui celeri cursu feras capiunt. Ultra Æthiopiam sunt maxima loca deserta ob solis ardorem, & diuersi generis serpentina hominibus incognita. Deinde est maximus Oceanus, qui solis calore dicitur feruere vt cacabus. In extremis finibus Aphricæ versus Occidentem, est vrbis Gades à Phœnicibus constructa, de qua Gaditanum mare dicitur. In ipso vrbis Oceano est mons altissimus Atlas, vnde Atlanticum mare nominatur. Atlas autem rex erat Aphricæ frater Promethei, à quo mons nomen accepit, quia in eo residens Astrologiam descripsit, vnde & cælum sustinere dicitur.

De Insulis maris. Cap. XX.

PEr agratis Aphricæ finibus, ad Insulas maris tendamus. Insulæ sunt dictæ, quasi in Salo sita. In mediterraneo mari est Cyprius Insula contra Syriam, à Cypro ciuitate dicta. Hæc & Paphus dicitur à ciuitate eiusdem nominis. Creta à Creto rege dicta. Hæc & centapolis à centum vrbibus nuncupatur. Hæc sita est contra Lybicum mare, quod & Hadriaticum, ab Hadria ciuitate dicitur. Abidos est Insula in Hellesponto in Europa. Hellespontus ab Helle virgine dicitur. Cous Insula Atticæ. Cyclades dicuntur, eò quod in rotundo sint posita, cyclos enim græcè dicitur orbis. Sunt enim quinquaginta quatuor contra Asiam posita. Harum prima Rhodos à ciuitate eiusdem nominis dicta ad Orientem est posita. In hac fuit olim areus Colossus septuaginta cubitorum altus. Tenedos ad Septentrionem posita, à ciuitate Tene & eius constructore eiusdem nominis est dicta. Carpathos ad meridiem ipsius contra Ægyptum posita: vnde Carpathium mare & Carpathiæ naues. Cytherea ad Occasum est sita, à Cythero monte dicta: hæc & Porphiris dicitur. Delos in medio Cycladum sita, à ciuitate eiusdem nominis dicta. Hæc tempore diluuii sub Ogygio facti primo conparuit. Vnde & Delos nomen cepit: quia delos

manifestum sonat. Hæc & Ortygia dicitur ab ortygométris, id est, coturnicibus, quæ primum ibi visæ sunt. Icaria Insula à puero Cretenfi naufrago est dicta, à quo Icarium mare dicitur. Naxos Insula Dionysii, qui & Bacchus. Melos quæ est stiora rotunda Insula. Paros à ciuitate eiusdem nominis dicta, à Paro Iasonis nepote constructa. Hæc gignit candidissimum marmor quod parium dicitur, & sardium lapidem. Cydon est Insula in qua Mastix nascitur. Samos Insula à Samo ciuitate dicta in Ægeo mari est sita. De hac fuit Sybilla, & Pythagoras, & Iuno. In hac fictilia vasa sunt reperta. Sicilia à Siculo rege fratre Itali dicta prius Sicania à Sicano rege cognominata cōtra Italiam sita. Hæc & Trinacria à tribus montibus acerbis dicitur. In hac est mons Ætna: cuius sulphurea æstuant incēdia. In huius freto est Scylla & Charibdis. In hac olim erant Cyclopes, in hac inuenta est Comœdia. Æoliæ Insulæ ab Æolo rege dictæ iuxta Siciliam posita: hæc & vulcaniæ quia incendio sunt plenæ. Sunt enim nouem stecades Insulæ, contra Massiliam sita. Sardinia à Sardo rege Herculis filio dicta, contra Numidiam sita est. In hac nec serpens, nec lupus gignitur. In ea solifuga animal, vt aranea morsu homines perimens. In ea est herba similis Apiastro quæ comedentibus rictus contrahit, & quasi ridentes interimit. In hac sunt fontes calidi infirmis medelam, furibus inferentes cæcitatem. Corsia à Corfa muliere dicta, cōtra Liguriam sita, quæ primitus taurum suum quæsitura illuc venit, & referens loci fertilitatem à Liguribus inhabitari cœpit. Hæc & Cyrne à Cyrno Herculis filio est dicta, quia ab eo est inhabitata. Ebusus Insula contra Hispaniā, hæc fugiunt serpentes. Ibi est colubraria plena anguibus. Ibi & Balears Insulæ, vbi inuenta sunt fundæ. Gorgones Insulæ sunt in Oceano iuxta Atlantem, in his olim habitauerunt Gorgones. iuxta has Hesperidum hortus, in his insulis oues albi velleris abundant, quæ ad purpuram optime valent: vnde fabulose dicitur auream lanam habuisse. melon enim dicitur ouis. Ultra hac fuit illa magna Insula, quæ Platone scribente cum populo est submeria, quæ Aphricam & Europam sua magnitudine vicit, vbi nunc est concretum mare. Meroë Insula est in Nilo flumine in capite, Æthiopiæ, in qua abstruitur umbra in ætate. In hac est lignum Hebenum. Iuxta hanc est ciuitas Syene, in qua est puteus à philosophis factus sexaginta cubitorum altus, in cuius fundum splendet Sol recto gradu in Iunio mense. Est & quadam Oceani Insula dicta Perdita, amœnitate & fertilitate omnium rerum præ cæteris longe præstantissima, hominibus incognita, quæ aliquando casu inuenta, quæ sita postea non est reperta, & ideo dicitur perdita. Ad hanc fertur Brandanus venisse.

De inferno vbi sit. Cap. XXI.

Insulas circumuimus, nunc inferna petamus. Infernus ideo dicitur, quia inferius est positus. Sicut enim terra est in medio aëre, ita est infernus in medio terræ. Vnde & nouissima terra dicitur. Est autem locus igne & sulphure horridus, inferius dilatatus superius coangustatus. Hic lacus vel terra mortis dicitur, quia animæ illuc descendentes veraciter moriuntur. Hic & stagnum ignis dicitur, quia vt lapis mari, ita animæ illuc immergun-

A immo
mo &
uion
ita ec
latine
rore
tium
tur, g
ne, r
fund
igne
tur b
grau
pro
ne le
tur a
dos
quo
infer
tore
siue
aut v
feru

I
ri
dun
Vnd
lign
tur, p
per a
regi
prof
B Hab
dun
Qui
amb
sequ
imp
& re
cre
in a
vici
gine
prim
reue
in ex
uon
ues
in te
Rup
nos
de s
spira
aqu
tron
rum
etia
incl
mo
Hin
nui
int
bus
aut
ru
cum
del

De abyss.
Genes. 7.

De terram.
Genes. 7.

A immergantur. Hic terra tenebrosa vocatur, & fumo & nebula fœtoris obscuratur. Hic terra oblivionis nuncupatur, quia sicut ipsi obliti sunt Dei, ita eorum obliuiscitur misereri Deus. lethe græcè, latinè obliuio dicitur. Hic dicitur tartarus ab horrore & tremore, quia ibi est fletus & stridor dentium. Hic & gehenna, id est, terra ignis nominatur. gî enim terra dicitur, cuius ignis comparatione, noster ignis umbra esse dicitur. Huius profunditas & recessus dicitur erebus, draconibus & igneis vermibus plenus. Huius os patens dicitur barathrum, quasi atra vorago, vel ideo quod graue punit. Hic & Orcus dicitur, quia est locus prorsus insatiabilis. Hic & Acheronta, quia est sine lætitia: huius loca fœtorem exhalantia, dicuntur acheronta, id est, spiracula, subaudi immunodos spiritus emittentia. Hic etiam dicitur Styx, quod latinè sonat tristitia. Phlegeton est fluuius infernalis ob vicinitatem ignis & sulphuris, fœtore & ardore horribilis. Sunt & alia multa loca, siue in terris, siue in insulis pœnalia, aut frigore, aut ventis horrentia, aut igne & sulphure iugiter feruentia.

De aqua. Cap. XXII.

Ignea inferorum loca perspeximus ad refrigerium aquarum cōfugiamus. Aqua quæ secundum elementum ponitur, ab æqualitate dicitur. Vnde & æquor quod sit planum hoc in mari colligitur, in flumina diffunditur, in fontes diuiditur, per amnes connectitur, per terras dissipatur, per aëra attenuatur. Totam terram cingit, omnes regiones & protinCIAS diuidit. Huius immensa profunditas dicitur abyssus, quasi abest fundus. **H**abet tamen fundum quamuis nimis profundum. Oceanus dicitur quasi zonarum limbus. Quinque enim zonas mundi in modum limbi ambit. Æstus Oceani, i. accessus & recessus lunam sequitur: cuius aspiratione retro trahitur, & eius impulsu refunditur. Quotidie autem bis effluere & refluere dicitur vel videtur. Cùm luna crescete crescit, & cū decrescete decrescit. Cùm luna est in æquinoctio, maiores Oceani fluctus surgunt ob vicinitatē lunæ, cū in solstitio minores ob longinquitatem eius, per decem & nouem annos à principio motus & paribus incrementis, vt luna reuertuntur. Antipostis verò, i. vorago in Oceano, in exortu lunæ maiori æstu fluctus inuoluit & reuomit. Hæc autē vorago, quæ totas aquas & naues absorbet & reuomit, hinc fit abyssus: est autē in terra abyssus profundissima, de qua scribitur: *Rupi sunt fontes abyssi magna.* Iuxta hanc sunt cauernosa loca & spelunca latè patentēs. In his venti de spiramine aquarum concipiuntur, qui etiam spiritus procellarum dicuntur, & hi suo spiramine aquas maris per patentēs terrarum cauernas introrsus in abyssum attrahunt, & ea exundante iterum magno impetu repellunt. De his ventis fit etiam terræ motus. Nam venti concuibus locis inclusi, dum erumpere gestiunt, terribili tremore terram concutiunt, eamq; tremere faciunt. Hinc etiam fit terræ hiatus, dum loca caua continuis aquis fragilia ventis concussa rumpuntur, & introrsus cadentia in hiatus aperiuntur, de quibus multa ciuitates deuorata leguntur. Hoc est autem in terra tremor, quod in nubibus tonitruum. Hoc hiatus quod ibi fulmen. Fiunt autem cum terræ motu inundationes maris, eodem videlicet spiritu infusi, vel residentes sinu recepti.

Vnde tellus Sicilia, quæ cauernosa est & sulphure ac bitumine strata, & ventis penè tota & ignibus patet, spiritu introrsus cum igne concertante, multis sæpe locis fumum vel vaporem vel flammam eructat, vel etiam vento acrius incumbente, arenarum lapidumque moles excitat. Inde montis Ætnæ, ad exemplum gehennæ ignium, tam diuturnum durat incendium, quod insularum incolæ dicunt vndis nutriri, dum aquarum concursus spiritum in profundum secum rapiens, tandem suffocat donec venis terræ diffusis fomenta ignis accendat. Hic etiam scyllii canes latrare finguntur, dum procul nauigantes vndarum tremore terrentur, quas sorbente voragine collidit æstus. Simili de causa in aliis etiam terris incendium surgit & gehennam præostendit. Sicut calor de igne, ita frigus nascitur de aqua. Vnde extremæ partes Oceani, rigido gelu & ppetuo frigore horrent, quia calore solis carent. Pars autē Oceani quæ medium orbē diuidit: ideo iugiter calore feruet, quia Solis iter super se habet. Oceanus fluuiorum occursum non augetur, quia fluuenta dulcia, partim falsis vadis cōsumuntur, vel ventis aut vapore Solis arripiuntur, partim per occultos meatus in suos amnes reuertuntur. Oceanus ideo perdurat falsus tot fluminibus ac pluuiis irrigatus: quia exhausto à Sole dulci tenuique liquore, quem facilius ignea vis contrahit, amnis asperior, crassiorque relinquitur: ideo summa pars maris vnda est dulcior, profunda amarior. Lunæ autem alimentum est in dulcibus aquis; Solis verò in amaris. Mare rubrum de Oceano exit, sed rubeum colorem de terra trahit, quæ tota sanguineo colore rubet, ac vicina littora inficit. Mare dicitur quod sit amarum, hoc per venas terræ occulto meatu discurrit, amaritudinem in terra deponit, dulce in fontibus erumpit, in seipsum iterum refluit, vt scribitur: *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Dicitur tamen quod aqua natura sit duplex, scilicet falsa & dulcis. Falsa maris & grauior, dulcis fontium & fluminum & leuior. Et cum legatur, quod Deus fontem in paradiso produxerit, & in quatuor diuidens, totam terram in quatuor mundi partibus rigare præcepit. Dicitur quod eruptio omnium fontium vel fluuiorum dulcis aquæ de illo fonte, vel fluuiis illis decurrat, & in matricem abyssum eiusdem fontis refluat. Quæ licet vniuersa maria infuat, amaris tamen aquis non commiscetur, sed vtputa leuis super graues aquas labitur & in occultum cursum suum reuertitur. Hinc est quod mare non redundat, cū omnia flumina intrent illud, sed & iuxta supra maris vnda non est adeo amara, quam ea quæ in imo est posita. Quod fontes in hyeme sunt calidi, in æstate autē frigidi, hæc causa est: in æstate calor aëris repellit frigus in terram, & inde fit aqua frigida, in hyeme autem frigus aëris pellit calorem in terram, & inde fit aqua calida. Et cū aqua omnis aut dulcis sit aut falsa, videndum est, vnde quædam erumpat calida vel putida. Sunt quidam specus subterranei naturaliter sulphure pleni, in his cū ventus excipitur eius afflatu sulphur accenditur, quod incendium etiam eructant quædam loca, vt fit in Sicilia. Cū ergo aqua per hæc ignea loca currit, colorem & fœtorem inde trahit, & si prope hunc locum erumpit flammivola ebullit. Si autē longius recesserit, vix tepescit; deinde penitus frigeicit.

De Ætna monte.

De Scylla.

De aquis dulcibus.

De amaris.

De mari rubro.

Eccles. 1.

De locis sulphureis.

Sunt

De abyssu. Genes. 7.

De terræ motu.

A Sunt alia loca serpentibus plena, quæ vicinam aquam inficiunt veneno, quæ dum de terra exurgit, bibentes interimit, vt fons quem Styx facit.

De mortuo mari.

De Piscibus et auibus.

Quod aqua maris mortui à ventis non mouetur, & in se nihil viuere patitur, fit ex fontibus bituminis: quibus ædificata est turris Babel. Bituminis autem natura resistit aquæ, quæ non diuiditur nisi menstruo sanguine. Pisces & aues ideo in aquis commorantur, quia de his facti leguntur. Quod autem aues in aère volant, & in terra habitant, ideo fit: quia & aër est humidus vt aqua, & terra est aqua permixta. Quod verò quædam animalia de terra creata in aquis possunt morari, vt sunt Crocodili & Hippotami, hoc ideo fit: quia aqua est terræ valde permixta. Cùm in nocturna navigatione æs scintillat, & ad remos tempestas se eriget, & cū Delphini vndis sæpe insiliunt, quo illi feruntur inde venti exurgunt, & cùm nubes diffusæ cælum operiunt, de profundis emergimus, modo scriptoriam pennam in aère suspendamus.

De Aère. Cap. XXI.

AER est omne quod inani simile à terra vsque ad Lunam conspicitur de quo & vitalis spiritus hauritur. Et quia est humidus: ideo in eo volant aues, vt in aqua natant pisces. In hoc commorantur demones, cùm tormentis diem iudicii præstolantes, ex quo sibi corpora assumunt, dum hominibus apparent. De hoc procreantur venti. Ventus enim est aër commotus & agitatus, & nihil aliud quàm aëris flatus. Qui in duodecim diuiditur, & quisque proprium vocabulum sortitur. De quibus quatuor sunt cardinales, alii illorum collaterales. Primus cardinalis Septentrio, qui apærtias, frigora faciens & nubes. Huius dexter Circius qui & Tralceas, faciens niues & grandines. Eius sinister est Aquilo, qui & Boreas constringens nubes. Secundus cardinalis Subsolanus, qui & Apeliotes, temperatus. Cuius dexter Vulturius, qui & Cecyas, cuncta desiccans. Eius sinister est Eurus, nubes generans. Tertius cardinalis est Auster, qui & Notus, humorem, calorem & fulmina gignens. Huius dexter Euroauster, calidus. Eius sinister Euronotus, temperatus. Australes venti faciunt maiores tempestates in mari, quia ex humido flant. Quartus cardinalis est Zephyrus, qui & Fauonius, hyemem resoluens, floresq; producens. Huius dexter Aphricus, qui & Libs, tempestatem & tonitrua generans & fulmina. Eius sinister Chorus, qui & Argestes, in Oriente nubila, in India faciès serena. Extra hos sunt duo venti, Aura & Altanus, Aura in terra, Altanus in pelago. Venti sito spiramine aquas in aère trahunt, quæ conglobatæ in nubes pensantur. Dicuntur autem nubes, quasi nymborum naues. Quibus dum inclusi erumpere nituntur, magno murmure concrepant, & nubibus collisis ignem terribilem excutiunt. Crepitus ergo nubium & ventorum est tonitruus. Ignis inde excussus est fulgur, qui ignis ideo quæque penetrat quæ tangit: quia & nostro est subtilior, & magna vi ventorum impellitur. Ab Aquilone fulgat, & ab Euro tonitruus, ab Aphrico tempestas, ab Austro flatus æstium protendit. Arcus in aère quadricolor ex sole & nubibus formatur, dum solis radius caua nubis immittitur, repulsa acie in solem restringitur, sicut dum sol in vas aqua plenum fulget, splendor in tecto redditur. De cælo igneum, de aqua

De Ventis.

De Nubibus

De tonitruis & fulminib.

De Iride.

purpureum, de aère hiacynthinum, de terra trahit colorem gramineum. Imber ex nubibus descendit. Dum enim guttulæ in maiores guttas coeunt, aëris amplius natura non ferente, nunc vento impellente, nunc sole dissolvente ad terras dilabuntur. Lenta autem & iugis defluxio pluuiæ, repentina & præceps nymbus vel imber vocatur. Quæ licet de Iamari aq; maris sit hausta, de solis igne decocta in aère dulcescit, vt marina aqua homo infusa dulcem saporem sumit. Stillæ pluuiæ ventis & frigore congelatæ in aère coagulantur, & in lapillos grandinis mutantur. Nix aquarum vapore, necdum densato in guttas, sed gelu præcipiente formatur, quæ in alto mari non cadit. Ros de aère venit, quando aquis grauatus rigore noctis & Lunæ splendore distillat. Si vehementius est frigus noctis, ros in pruinam versus candidior gelu inalbescit. Nebula fit dum humidæ exhalationes vaporaliter in aère trahuntur, vel radiis solis ad terram repelluntur. Fumus enim ascendit de aqua. Omne namque corpus constat ex quatuor elementis. Lignum autem est corpus quod igni iniectum cùm fuerit, ignis materies quæ ei inest ardet. Terræ verò materies vertitur in cinerem. Aëris & aque materies per fumum euanescit in aërem. Ideo autem est amarus, quia natura aqua est falsa, siue quia terræ permixta. Quod in noctibus videntur stellæ cadere, non sunt stellæ, sed igniculi à flatu ventorum ab æthere in aërem tracti, & mox in madido aère extincti. Pestilentia nascitur ex aëris siccitate, vel calore, vel tempestate corrupta, qui spirando vel edendo perceptus luem mortemq; generat. Hoc totum quod diximus, infra Lunam in aère fit, superius verò semper serenum existit. Aërem transuolauimus iam in ætheris ignem conscendamus.

De Igne. Cap. XXIV.

IGNIS qui quartum elementum describitur, quasi non gignens dicitur: à Luna vsque ad firmamentum extenditur. Is tantum est aère subtilior quantum aër aqua tenuior, aqua terra rarior. Hic etiam æther quasi purus aër dicitur, & splendore perpetuo latatur. De hoc Angeli corpora sumunt, cùm ad homines missi veniunt. In hoc septem stellæ singulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum cursum planetæ, id est, erraticæ dicuntur. Hæ immensa celeritate firmamenti ab Oriente in Occidentem rapiuntur, tamen naturali cursu contra mundum ire comprobantur, sicut musca si in rota molendini circumferretur, ipsa tamè proprio motu contra reuolutionem eius ire videtur. Hæ nunc inferius, nunc superius propter obliquitatem Signiferi vagantes, radiis autem solis præpeditæ anomalæ vel retrogradæ vel stationariæ fiunt. Luna sicut est à diuinis omnibus vltima: in omnibus in nostris terrenisque omnibus prima. Luna est primus planetarum & minima stellarum. Sed ideo maior cæteris videtur, quia proxima terræ in primo circulo fertur. Huius corpus est globosum, natura igneum, sed aqua permixtum. Vnde & proprium lumen non habet, sed in modum speculi à sole illuminatur: & ideo luna quasi lucina, id est, à luce nata nominatur. Quod autem quasi nubecula in ea videtur ex aque natura creditur. Dicitur n. si aqua permixta non esset, terræ vt Sol illustraret, imo ob vicinitatem maximo ardore vastaret. Globus namq; eius funde

C

De Imbre.

De grando.

De niue.

De rore.

De pruina.

De nebula.

De fumo.

De stellis que videntur cadere.

De pestilentia.

De planetis.

De Luna.

De maculis Luna.

Aundo est amplior. Licet ab altitudine sui circula-
ris videatur vix modio maior. Luna lucet ea parte
qua soli est opposita, ea autem parte est obscura;
qua a sole est auersa. A sole vero longius remota
lucet tota. Non enim crescit vel minuitur, sed ob-
leat terra, lumine quod a sole accipit videtur.
Hec licet quotidie violentia firmamenti ab Ori-
ente in Occidentem feratur, tamen contra mun-
dum nitens, omnia zodiaci signa 27. diebus per-
uagatur, circulum autem suum, in 19. annis per-
ambulare affirmatur. Luna quarta si rubeat quasi
aurum, ventos ostendit, si in summo corniculo
maculis nigrescat, pluuium mensis exordium, si
in medio plenilunium serenum. Secundus plane-
ta est Mercurius, qui & Stilbon, forma globosus,
natura igneus, lunam magnitudine vincens, lu-
men a sole accipiens, Signiferum trecentis tri-
gintanovem diebus percurrens. Tertius planeta
est Venus, qui & Hesperus, Aurora & Caphali-
filius, Lucifer & Vesper, rotundus & igneus, con-
tra mundum nitens vt Mercurius, Signiferum
percurrens trecentis quadraginta octo diebus.
Quartus planeta est Sol, inde dictus quod solus
luceat ceteris stellis obscuritatis, vel quod sit su-
per omnia lucens, forma sphericus, natura igne,
magnitudine octies terram vincens, omnib. stel-
lis lumen praebens: hic ab Oriente in Occiden-
tem impetu firmamenti fertur, sed contra mun-
dum nitens per totum zodiacum trecentis sexa-
ginta quinque diebus graditur: circulum autem
suum viginti octo annis perambulare traditur.
Huius praesentia diem, absentia vero eius noctem
efficit. Sicut enim tota die super terram, sic tota
nocte lucet sub terra. Aquilonarem partem caeli
peragrans, facit nobis longos dies & aestatem:
Australi vero percurrens, inducit nobis breues
dies & hyemem. Sol in ortu suo maculosus, vel
sub nube latens, pluuiam diem praefagit. Si pal-
liat tempestuosum. Si concauus videtur: ita vt in
medio fugiens radios ad Austrum & Aquilonem
emittat, tempestatem humidam & ventosam. Si
pallidus in nigras nubes occidat, Aquilonarem
ventum. Quintus planeta est Mars, qui & Pyros,
globosus, igne feruidus, percurret Signiferum du-
obus annis. Sextus planeta est Iupiter qui & Phaenon,
rotundus, temperatus, zodiacum peragrans
duodecim annis. Septimus planeta est Saturnus,
qui & Phaeron, sphericus, gelidus, contra mun-
dum, vt inferiores regiones gradiens, Signiferum
triginta annis percurrens: In exortu Saturni, post
triginta annos, qui imaginem de aere fuderit, lo-
qui vt hominem probat. Omnes autem post quin-
gentos & triginta duos annos circulos suos per-
agunt, & eosdem vt prius repetunt. A terra cen-
tro absides, id est, circuli planetarum altissima
sunt. Saturno in Scorpione, Ioui in Virgine, Mar-
ti in Leone, Soli in Geminis, Veneri in Sagittario,
Mercurio in Capricorno, Lunam in Auiete. Mediis
omnibus partibus, & e contrario a terra centro
humilissima atque proxime suis cuique color est.
Saturno candidus, Ioui clarus, Marti igneus, Lu-
cifero pallens, Hespero refulgens, Mercurio ra-
dians, Lunam blandus, Soli ardens. Mutuat autem
colores a propinquis circulis. Nam frigidior in
pallorem, ardentior in ruborem, ventosus in hor-
rorem, acrior in obscuritatem. Signifer, id est, cir-
culus duodecim signorum diuiditur in duode-
cim partes per latum. Sub his feruntur septem
planetae: Sol sub mediis tantum duabus. Luna per

totum latitudinem. Venus excedens cum binis
partibus. Mercurius sub septem partibus, duabus
in medio, tribus, duabus infra. Mars sub quatuor
mediis. Iupiter sub media & supra eam duabus.
Saturnus sub duabus mediis, vt sol. Hi etiam se-
ptem orbis cum dulcisona harmonia voluntur,
ac suauissimi concentus eorum circuitione effi-
ciuntur. Qui sonus ideo ad nostras aures non per-
uenit, quia ultra aërem fit, & eius magnitudo no-
strum angustum auditum excedit. Nullus enim
sonus a nobis percipitur, nisi qui in hoc aëre effi-
citur. A terra autem vsque firmamentum caelestis
Musica mensuratur, ad cuius exemplar nostra
Musica inuenta affirmatur. In terra namque si,
scilicet: In Luna A. In Mercurio B. In Venere C.
In Sole D. In Marte E. In Ioue F. In Saturno G. in
signifero ponitur, profecto mensura Musica in-
uenitur. Vnde a terra vsque ad firmamentum se-
ptem toni numerantur. A terra enim vsque ad Lu-
nam est tonus. A Luna vsque ad Mercurium est
semitonium. A Mercurio vsque ad Venerem se-
mitonium. Inde vsque ad solem tria semitonia. A
sole vsque ad Martem tonus. Inde vsque ad Io-
uem semitonium. Inde ad Saturnum semito-
nium. Inde ad Signiferum tria semitonia, quae si-
mul iuncta septem tonos efficiunt. Tonus autem
habet quindecim milia 600. 25. miliaria. Semito-
nium vero 7. milia, d. ccc. 12. miliaria & semisse.
Vnde & Philosophi nouem Musas finxerunt, quia
a terra vsque ad caelum nouem consonantias de-
prehenderunt: quas homini naturaliter insitas
inuenerunt. Sic enim hic mundus septem tonis,
& nostra Musica vocibus septem distinguitur: sic
compago nostri corporis septem modis coniun-
gitur, dum corpus quatuor elementis, anima tri-
bus vsus copulatur, quae Musica arte naturali-
ter reconciliantur: vnde & homo microcosmus,
id est, minor mundus dicitur, dum sic consono
numero caelesti Musicae par cognoscitur. A terra
vsque ad Lunam sunt 126. stadia, quae sunt quin-
decim milia, d. 25. miliaria. A Luna vsque ad Mer-
curium, septem milia, d. ccc. 12. miliaria & semisse.
Inde ad Venerem tantum. Inde ad Solem vi-
ginti tria milia, cccc. 36. miliaria. A Sole ad Martem,
quindecim milia, d. c. 25. miliaria. Inde ad Iouem,
septem milia, d. cccc. 12. miliaria. Inde ad Satur-
num tantum. Inde ad firmamentum, triginta tria
milia, cccc. 36. miliaria, sunt itaque a terra vsque
ad caelum, centum milia, & nouem milia, & tre-
centa septuaginta quinque miliaria.

De Calo. Cap. XXV.

Ignem per globos planetarum transcendimus,
Inunc caelestia penetremus: Caelum dicitur quasi
casa helios, id est, domus solis, vel quali vas cala-
tum, quia est stellis insignitum. Est autem caelum
subtilis igneaeque naturae rotundum, & a centro
terrae aequis spacijs vndique collectum. Vnde &
connexum mediumque vbiq; cernitur, & inenar-
abili celeritate quotidie circumagitur. Caelum
si vesper rubet terrenum diem, si mane tempestu-
osum significat. Duae sunt ianuae caeli, oriens qua
sol exiit, occidens qua sol reuertitur. Climata, id
est, plagae caeli sunt quatuor. Orientalis ab ortu
solstitiali ad brumalem. Australis inde ad occa-
sum brumalem. Occidentalis ex hinc vsque ad
solstitialem. Septentrionalis ab occasu solstitiali
vsque ad ortum eiusdem. Oriens ab ortu solis.

A Occidens de occasu eius vocatur. Meridies quasi media dies dicitur. Septentrio autem à septem stellis appellatur. Trion dicitur bos quasi terion; Inde Septentriones, quasi septem teriones, id est, boues. Haec plagæ græcè dicuntur anatoles, disis, arctos, mefembria, de quibus nomen Adam, qui est minor mundus, componitur. Superius cælum firmamentum dicitur, eo quod sit inter medias aquas firmamentum. Hoc est, forma sphaericum, natura aquarum aqueum, stellis vndique versim ornatum, ex aquis instar glaciei, immo cristalli solidatum: vnde & firmamentum appellatur. In hoc sunt duo poli, à poliando dicti. Vnus Borealis, qui à nobis semper videtur. Alter australis, qui nunquam à nobis cernitur, quia in deuexo orbis positi, terræ tumore impedimur. In his cælum vt rota in axe voluitur. Cælum est vndique stellatum, sed ideo in die non apparent stellæ; quia fulgore Solis victæ latent, sicut Sol nube tectus, nobis non lucet. Stella quasi stans luna dicitur. Sunt n. stellæ firmamento infixæ, & non cadunt, eo mira celebritate currēte. Vna autem dicitur stella, sed multæ stellæ simul astrum vel sydus. Sydera dicuntur à confidero, eo quod nauigantes vel itinerantes ea considerēt. Sunt autem omnes stellæ rotundæ & igneæ, quarum dispositio soli Deo cognita est. Vnde qui stellas numerat, quarum quoque nomina solus signa, potestates, curius, loca, tempora nouit. Sapientes verò mundi nomina animalium vel hominum eis imposuerunt, vt ab hominibus dignosci possint.

De duodecim signis zodiaci.

Cap. XXVI.

IN medio firmamenti sunt duodecim signa pertransuersum disposita, equaliter per circuitum distincta. Horum dispositio græcè dicitur zodiacus, latine signifer: eo quod fert signa quæ animalium habent nomina. Zodiion enim græcè, latine animal dicitur. Primum signum est Aries, cōstans ex pluribus stellis. Secundum fabulam is est, qui aureo vellere phryxū & hellen trās mare ad Colchos vexit, qui intra sydera translatus est. Pro signo autem ponitur, quia sicut aries tota æstate in dextro latere, ac tota hyeme in sinistro cubat: sic Sol sub illo signo gradens dextram cæli partem perambulat. Secundum est Taurus, ob id quod Iupiter in raptu Europæ in taurum est versus, & intra sydera translatus. Ob significationem autem quod sub illo signo positos radios suos, vt cornua fortis erexit, terram arabilem reddit. Tertium sunt gemini, scilicet Castor & Pollux, filii Iouis à Troia reuersi, & intra sydera translati sunt. Pro signo autem ponitur, quia sub hoc signo duobus diebus amplius quam sub aliis moratur. Quartum est Cancer, qui maximus Hercule percussit, dum Hydram Lernæ occidit, & ideo sydera permeruit. Significat autem, quod sicut Cancer retrocedit, sic Sol ad illud signum veniens cursum suum retroflexit. Quintum est Leo, qui maximus ab Hercule occisus intra sydera est translatus. Designat autem, quod sicut leo in anteriori parte calidæ naturæ, in posteriori est frigidæ: ita Sol in isto signo Augustum mensem prius facit calidum, ac postremò tepidum. Sextum est Virgo, scilicet Erigone, filia Icaris sacerdotis intra astra raptæ. Ob signum autem ponitur, quia sicut virgo non parit, sic September, illius signum mensis, nihil gignit.

Septimum est de libra, quam tenet Virgo, scilicet Area Astrei Regis filia, ob æquitatē iustitia dicta, & intra sydera trāsata. Merita hominum pensat, & in libra Ioui representat. Hæc pro superiore Virgine ponitur. Signat autem, quod Sol æquinoctium faciat, cum sub illo signo ambulat. Octauum est Scorpion, qui maximus Orionē percussit, dum bestias terræ occideret, & ob terræ gratiam astra meruit. Pro signo autem grandinum ponitur, quæ illo mense, videlicet Nouembre, in quibusdam terris crebrius fiunt. Nonum est Sagittarius, qui & Arcitenens, scilicet Alcon Cretensis, qui Scorpionem, qui filium suum rapuit, sagittauit, nec filium tetigit, & ideo sydera meruit. Designat autem crebros fulminum ictus, qui in Decembre contingunt aliquibus locis. Quod in ferina membra delinit, significat, quod Sol infera petat. Decimum est Capricornus, qui Iouem paruulum à patre proiectū capra clam aluit, quæ ipse post intra sydera transtulit. Est autem significatio, quod sicut capra alta petit: ita Sol tunc ad alta cæli conscendit. Extrema eius pars delinit in piscem: designat finem illius mensis esse pluuialem. Vndecimum est Aquarius, scilicet & Ganimedes de Troia Regis filius, Iouis amasius, ab ipso intra astra locatus, & pincerna Deorū factus. Significat autem, quod solatus niuibus vndosum est illud tempus. Duodecimum est piscis, cum Diu Typhæum Gigantem insequentem fugerent in Aegyptum, Venus & Cupido filius eius versi in pisces latuerunt in aquis. Quumque homines diu pisces deuitarent, ne fortè deos deuorarent, illi duo translati sunt inter sydera. Secundum alios dicitur, quia hoc tempore fit generatio & confriatio piscium, quia tunc naturaliter coeunt potius, quam in alio tempore suo genere coeundi, designat verò illud tempus esse pluuiale.

De Hyadibus.

Cap. XXVII.

Sunt alia stellæ, quæ dicuntur Hyades, quasi pluuiiales. Hyam n. græcè, latine pluuiæ. Vnde latine dicuntur succulæ à succo. Sunt autem 5. stellæ in fronte tauri. Pleiades dicuntur quasi plures, Pleion enim plura. Sunt namque septem stellæ in genu Tauri. Fuerunt a. filia Athlantis Regis & Pleione. A patre autem Athlantes: à matre Pleiades quasi plures, ab insula Hesperides. Hæ autem Vergilia dicuntur, quia verno tempore oriuntur. Ex his vna fuit Maia Mercurii mater. A dextis zodiaci versus Aquilonem sunt hæc signa iuxta axem Arcton scilicet plaustrum, quod sydus etiā Septentrio & Elice nominatur: cuius stellæ maiores traduntur. Fuita. Calisto Lycaonis Regis filia, à Ioue oppressa, sed à Iunone in vrsam versa; à Ioue verò intra astra raptæ. Sequitur sydus Boëtes, i.e. custos plaustrum, quod & arctophilax. Erat autem Calisto filius à Ioue inter sydera positus. Deinde est Arcturus, scilicet minus plaustrum, quod & Cinosura esse dicitur: hæc autem à Ioue oppressa, à Iunone in vrsam versa, à Ioue intra astra est translata. Intra duo plaustra est serpens Phytton, quem maximum post diluuium Latonæ à Iunone immisium occidit, & ob insignem intra sydera transtulit. Iuxta est corona à Vulcano facta, à Baccho v. Adriadne Minois & Paliphæe filia data, & intra astra locata. Inde est Hercules, sydus. Cum gigantes contra deos pugnarent, diis in vnam cæli partem venientibus, cælum tuere voluit. Sed Hercules

Acules hoc cum Athlante sustinuit, ideo cœlum p-
meruit. Huic iuxta est Lyra, à Mercurio inuenta.
Propè hanc Cygnus. Iupiter ob amorem Leda
Reginæ in Cygnū est verius, & intra sydera trans-
latus. Huic coniungitur Cephæus Rex & Cassio-
peia vxor eius. Cui associatur Perseus filius Iouis,
& Danaes, habens iuxta se sydus Andromadæ v-
xoris eius filia Ciphæi Regis. Quibus admiscetur
deltotum, quo & triangulum, videlicet & forma
Ægypti: quia seruauit Deus à facie Typhonis; iu-
xta quod locatur Serpentarius, scilicet Erichonius,
qui & Auriga, qui primus aurigam iniunxit, eò q̄
serpentinus pedes habuit. Vnde & græcè ophiul-
cus dicitur. Ophis enim est serpens. Huic iuxta
ponitur Pegafus, scilicet equus alatus & cornu,
igneum halitum & ferreos habens pedes, à san-
guine Gorgonis creatus. Cui coniungitur Del-
phin, qui Neptuno Amphitritem in coniugium
adduxit, & ideo sydera promeruit. Deinde est A-
quila: Iupiter in aquilam verius, Ganimedem rap-
uit, & intra sydera transtulit. Huic subest sagitta
ab Hercule Philocteti data, per quem expugnata
est Troia. A sinistra Zodiaci versus Austrum sunt
hæc signa.

De Hydra. Cap. XXVIII.

HYdra, quæ habuit quinquaginta capita, ab
Hercule occisa, & ob insigne intra sydera
translata. Super hanc crater, in quo Taygestio, id
est summus Deus in pastam commiscuit, de quo
adhuc animæ letheum poculum bibūt, cum cor-
pora introeunt. Super hanc autem coruus ab A-
polline dilectus, & intra astra raptus. Inde est O-
rion, qui ab Vrina natus intra sydera est traslatus,
Huius stellæ si fulgent, serenum erit: si obscuran-
tur, tempestas. Iuxta hoc Procyon, q̄ & Antiqua-
nis dicitur, qui canis Orionis fertur. Huic conne-
ctitur canicula, quæ Syrius dicitur, & ob hoc dies
caniculares dicuntur. Fuit autem canis Erigone
filia Icaris sacerdotis, quæ dolens patrem necatum
laqueo se suspendit, dum eum canis ductu inue-
nit. Ambo autem sunt intra sydera rapti. Deinde
est lupo, qui à Ganymede agitur à Ioue intra a-
stra translatus est. Sequitur Eridanus fluuius, qui
& Pados. Erat autem Phaeton Phœbi filius, qui
curram patris regere inscius mundum incendit,
& ideo fulmine Iouis in hoc flumine iuterit, qui
in Eridanum mutatus, intra sydera est translatus.
Cui associatur Cetus, quem Perseus occidit, dum
Andromadæ deuorare voluit, Iupiter ob insigne
filii intra astra locauit. Iuxta hanc Centaurus, scilicet
Chiron magister Achillis, ob nimiam virtutem in
cœlo est locatus. Sacrarium autem, i.e. altare, in
quo dii iurauerunt, cum Saturnus & Iupiter con-
tra se pugnaverunt. Inde est Argo videlicet prima na-
uis, apud Argos ciuitatem Atticæ facta, & in cœ-
lum translata. Ad extremum est Pittix & Chimæ-
ra, quæ bestia, capite leo, media capra, draco fuit
cauda, à Bellerophonte occisa, & intra sydera est
translata. Est & Canopus sydus Ægypti præclarū,
quod à nobis minimè videtur, sicut nec à Troglod-
ditis iuxta Ægyptum Septentrio. Ex his signis
semper dimidia pars super terram, dimidia est sub
terra. Et cœli pars quæ sub terra apparet, hemi-
spherium vocatur, id dimidium cœlum. Lactea
autem zona, quia omnes stellæ fundunt in eâ sua
lumina, ideo candida. Cometae sunt stellæ, flam-
mis crinitæ in lactea zona contra Aquilonem ap-

parentes, regni mutationem aut pestilentiam, aut
bellum æstusve portendentes. Cernuntur autem
septuaginta diebus, si diutius, octoginta: Sydera
fabulis inuoluta, imò polluta, perlustrauimus, al-
tius scandentes, astra matutina, Solem q̄; Solis in-
spiciamus. Supra firmamentum sunt aquæ instar
nebulæ suspensæ, quæ cœlum in circuitu ambire
traduntur, vnde & aqueū cœlum dicitur. Supra
quod est spirituale cœlum hominibus incognitū,
vbi est habitatio Angelorum, & per nouem ordi-
nes dispositorum. In hoc est paradus paradiso-
rum, in quo recipiuntur animæ Sanctorum. Hoc
est cœlum, quod in principio legitur cū terra crea-
tum. Huic longè supereminere dicitur cœlum cœ-
lorum, in quo habitat Rex Angelorum.

De Imagine Mundi Liber primus
explicit.

LIBER SECVNDVS, QVI
DE IMAGINE MVNDI
INSCRIBITVR,
incipit.

De Mundo, & eius partibus.
Cap. I.



MUNDI libello globam totius mundi
oculis corporis presentauimus: sequen-
ti iam tempus in quo voluitur, oculis
cordis anteponamus. Euum est ante
mundum, cum mundo, post mundum, hoc ad
solum Deum pertinet, qui non fuit, non erit, sed
semper est. Tempora æterna sub æuo sunt, & hæc
ad archetypum mundum & Angelos pertinent,
qui ante mundum esse cœperunt, cum mundo &
post mundum erunt. Tempus a mundi est um-
bra æui, hoc cum mundo incepit & cum mundo
desinit, veluti si funis ab oriente in occidentem
extenderetur, qui quotidie plicando collectus tan-
dem totus absumeretur. Per hoc extenduntur se-
cula, sub hoc currunt vniuersa in hoc mundo po-
sita; hoc vnusquisq; vita mēsuratur: hoc series di-
erum & annorum terminatur. Tempus enim à
temperamento dicitur, & nihil aliud q̄ vicissitu-
temporum intelligitur. Hoc quoq; in atomos, o-
stenta, momenta, partes, minuta, punctos, horas,
quadrantes, dies, hebdomadas, menses, vicissitu-
dines, annos, cyclos, ætates, secula diuiditur. A-
tomus dicitur infecabile. Est enim illud q̄ in Sole
volat. Est autem minimū temporis spatium, sicut
motio palpebræ oculi, quod & cictus oculi dicitur,
& est trecentesima 76. pars vnus ostenti. Ostentū
dicitur, quod aliquid ostendit aspicientibus. Est
autem 60. pars vnus horæ, habens in se 366. ato-
mos. Momentum est motus syderum: vnde & di-
citur, & est 40. pars horæ, continens ostentum v-
num & dimidium. Partes à partitione zodiaci,
qui in 300. dies per singulos menses partitur. Est
autem 15. pars horæ, habens in se duo momenta,
& duas partes momenti. Minutum est minus in-
teruallum in horologio. Est autem 10. pars horæ,
continens partem vnā & dimidiam. Punctus est
paruus transcūsus puncti in horologio. Est autem
quarta pars in Sole, aliquando quinta in luna ho-
ræ, habes duo minuta & dimidium. Hora est ter-
minus cuiusq; rei. Est a. hora quamdiu aqua stans
à iactu lapidis mouetur, & est 12. pars diei, con-

Astans ex quatuor punctis & decem minutis, partibus 15, momentis 61, ostentis 60, atomis 22, d. 40. Hora autem dicitur series vel umbra, & dicitur ab horologio. Quadrans est quarta pars diei, habens tres horas: naturalis autem diei, sex horas. Dies est septima pars hebdomadæ vulgaris, continens horas 12, naturalis autem 24. Dies eutem dicitur à discernendo, eò quòd lucem & tenebras discernat. Est autem dies àer sole illustratus. Cùm enim Sol est super terram, est hinc dies, cùm sub terra, ibi est dies. Cùm Aquilonarem cœli partem circuit, nobis in deuexo terræ positus, citius surgit, & tardius occidit: & ideo longiores dies facit. Cùm verò australem perambulat, nobis tardius fugere & citius occidere videtur, quia tumor terræ mediæ, quæ rotunda est, visui nostro obicitur, & tunc quod nobis breuiore, illi autem parti longissimos facit.

De Zodiaco. Cap. II.

Zodiacus namque ex 12 signis constans ab Aquilone in Austrum porrectus, flexuoso lapsu cingit cœlum. Sub quo Sol currens mundum in 8. parallelis, id est, circulos diuidit, quibus singulis diuersum diem facit. Longitudo autem zodiaci in 360. partes secatur. Latitudo eius, in 12. partitur. Partium verò sectio nihil aliud est quàm Solis vnius diei progressio: Vnumquodque ergo signum per duas horas oritur, per duas occidit, & in vnoquoque; Sol triginta diebus immoratur. Quicum flexuoso Draconis meatu sub signis zodiaci obliqui mundum circuit, in octo circulos diuidit: Primus circulus ab India versus Austrum, per mare rubrum & Africam ad columnas Herculis peruenit. Hercules enim orbem pertransiens, ibi columnas fixit, vbi finem mundi esse putauit. In hoc ergo circulo æquinoctii die medio gnomon, i. e. radius horologii septem pedum quatuor pedum longam umbram reddit. Dies longissimus 14 horas æquinoctiales habet. Secundus ab Occasu Indiae per Medos vadit & Persas, Arabiam, Syriam, Cyprum, Cretam, Lylibæum montem Siciliae, & Septentrionalia Africae ptingit: umbilicus in æquinoctio 35. pedum, umbram 23. pedum longam reddit. Dies maxima 13 horarum, & quinta partem vnius horæ. Tertius oritur ab Indis Imaio proximus, & per Caspias portas Taurum, Pamphiliam, Rhodum, Cycladas, Syracusas, Catinam, & per Gades tendit. Gnomones cunctæ umbram 38. vnciarum faciunt. Longissimi dies 14. horæ & dimidia, ac triginta vnius horæ. Quartus ab altero latere Imai per Ephesum, mare Cycladum, septentrionalia Siciliae, Narbonensis Galliae, exortiuam Africae maritima tendit ad Occasum. Gnomon vngitiquinque pedum facit umbram viginti pedum. Longissimus dies habet vngitiquatuor horas, & tertias duas vnius horæ. Quinto articulo ab introitu Caspii maris continentur Baetria, Armenia, Macedonia, Tarentum, Tuscum mare, Baleares, Hispania media. Gnomon 7. pedum umbras sex reddit. Maximus dies horarum 15. De 6 circulo. Sextus complectitur Caspias Gentes, Caucasum, Samothraciam, Illyricos, Campaniam, Hetruriam, Massiliam, Hispaniam, Terraconensium, Mediam & inde per Lusitaniam. Gnomonis pedes nouem umbræ 8. Longissimus dies horas quindecim, ad nonam partem horæ. Septimus ab altera Caspii maris ora incipit, & per Thraciam aduersa Venetia

Cremoniam, Rauennam, Transiluanam Galliam, Pyreneum, Celtiberiam vadit. Gnomonis 35. pedes, umbræ 36. Amplissima dies horarum quindecim, quinarum partium horæ trium. Octauus à Tanai per Meotim lacum & Sarmatas, Dacos, partemque Germaniæ Gallias ingreditur. Longissimus dies horarum sexdecim. Gnomon vt supra. Extra hos facit Sol quatuor circulos, duos in Austro & duos in Aquilone. Vnum in Austro per Insulam Merone & Ptolemaidem, rubri maris urbem vbi longissimus dies 12. horarum, dimidia hora amplior. Alterum per Syenam urbem Ægypti, qui est horarum 13. Vnum in aquilone per Hyperboreos montes & Britanniam horarum 17. Alter Scythicum à Riphæis in Tilem, in quo 6 mensibus est dies, 6. alius nox. Adhuc in aliis terrarum locis variat Sol umbram. Nam umbilici qui gnomon dicitur, umbram in Ægypto æquinoctiali die meridie paulò plus quàm Gnomonis dimidiam mensuram efficit. In Roma quarta pars gnomonis deest umbra. In Ancona superest 35. In Venetia iisdem horis umbra gnomoni par fit: in Syene solstitiali die mediæ nulla fit umbra: ibique puteus à Philosophis ad hoc ipsum factus, totus interius illuminatur. In meridie sunt populi Fici diæti, qui umbram ex vtroque latere mittunt. In India super flumem Hipasi in solstitiali die umbra absumitur. Apud Trogloditas 45. diebus ante Solstitium, & totidem post ea umbra penitus absumitur, & his 90. diebus umbra in meridie iacitur: in Meroc insula Nili bis in anno absumitur umbra cùm Sol est in 12. parte Tauri, & in 14. Leonis. In India sunt loca ascia dicta, ibi non sunt umbræ, & Septentrio ibi non videtur. Orizon est quantum aspectus cuiusque; in circuitu circumscribit, & cœlum vndique terræ imminere putat, quod in lato mari melius dignosci potest, vbi nullum obstaculum se præbet. Extenditur autem Orizon in spatium longitudinis 360. stadiorum. Centum enim & 80. stadia non excedit acies cuiusque; videntis; sed visus cùm ad hoc venerit, deficiens in rotunditatem recuruat, hic numerus geminatus in ante & retro orizontem efficit.

De diuisione diei, & nominibus eiusdem. Cap. III.

Dies vulgaris habet 3. diuisiones, mane, meridiem, supremum: mane ab ortu Solis vsque ad quartam horam, dictum à mano, quod est bonum. Nihil enim melius luce: vel à manibus, id est, diis infernalibus, qui diem tora nocte inclusam, mane emittunt. Meridies, quasi media dies, & dicitur à mera, id est pura dies. Supremum est ab hora nona, vsque ad Solis Occasum, & dicitur inde quod supprimat Solis cursum. Hebraei, Chaldaei & Persæ à mane diem inchoantes, in mane finiunt. Ægyptii ab occasu vsque ad occasum. Romani à medio noctis vsque in medium. Umbri & Athenienses à meridie vsque ad meridiem. Christiani à vespera vsque ad vesperam. Sic autem Hebraei nominant dies. Vna Sabbati vel Sabbatorum, vel prima Sabbati, secunda Sabbati, tertia Sabbati, quarta Sabbati, quinta Sabbati, sexta Sabbati, Sabbatum. Pagani verò sic: Dies Solis, dies Lunæ, dies Martis, dies Mercurii, dies Iouis, dies Veneris, dies Saturni. Sed cùm hæc nomina à Planetis habeant, videndum cur non eundem ordinem seruet. Sed hæc causa est. Dies naturalis diuiditur in vngitiquatuor

De primo circulo.

De 2. circulo.

De 3. circulo.

De 4. circulo.

De 5. circulo.

De 6. circulo.

De 7. circulo.

De 8. circulo.

De quatuor circulis Solis.

De septem temporibus vni.

A tuor horas: ex quibus si vnicuique Planetæ per circuitum ter vna hora tribuatur, expensis omnibus, cui Planetæ prima iterum obuenerit, huic & nomen diei ascribitur. Christiani autem sic nominant. Dies Dominica: 2. feria. 3. feria. 4. feria. 5. feria. 6. feria. Sabbatum.

De nocte & eius septem temporibus.

Cap. IV.

NOx dicitur à nocendo, eò quòd noceat oculis. Est autem nox Solis absentia umbra terræ. Fit autem umbra à corpore & luce. Dum enim lux Solis est sub terra, corpus terræ umbram superius parit, quæ vsq; ad Lunam pertingit: dicitur autem umbra quasi obradium Solis, scilicet vbi lux par est corpori, ibi par est umbra: vbi lux maior est corpore, ibi umbra deficit: Vbi lux est corpore exilior, ibi umbra in infinitum crescit. Cum Sol australem cæli partem perlustrat, nobis noctem prològat, cum v. aquilonem, nobis eam breuiat. Cum Luna umbram noctis incidit, à luce deficit, & hic defectus eclipsis dicitur. Sol verò obiectu Lunæ eclipsin patitur, dum videl. Luna sub Sole in eadem linea graditur. Habet autem nox septem tempora, videl. crepusculum, vesperum, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, diluculum. Crepusculum est dubia lux, creperum enim dicitur dubium: est a. inter tenebras & lucem. Vesperum à stella, quæ vesper vocatur. Conticinium est: cum omnia conticent & racent. Intempestum, media nox, cum nō est tempus operandi. Gallicinium, cum galli cantant. Matutinum, cum mane aurora aduentat. Diluculum, incipiens diei lux.

De Hebdomada. Cap. V.

Hebdomada est quarta pars lunaris mensis. Dicitur autem græcè à septenario numero. Hebda autem dicitur septem, latinè autem dicitur septimana, quia septem manes, i.e. septem dies. Hæc habet septem species. Prima est hebdomada diuina, in qua Deus cuncta sex diebus condidit, & in septimo requieuit. Secunda est, in qua hic mundus voluitur, in qua nos exemplo sex diebus operamur. & in septima requiescimus. Tertia est septem hebdomadæ in simul, post quas Pentecosten celebratur, in quo lex Iudæis, scilicet Christianis datur. Quarta est septem mensium, post quos festiuitas tabernaculorū seruabatur. Quinta est septem annorum, post quos annus remissionis agebatur, in quo populus ab opere cessare iubebatur. Sexta est septies septem annorū, post quos annus iubileus feriabatur. Septima est septuagies septem annorū, post quos Christus natus à Daniele, imò ab angelo promittebatur.

De mensibus & eorum nominibus.

Cap. VI.

Mensis est 12. pars anni: dicitur autem à mensura, vel à mene, quod est Luna. Lunaris autem mensis 29. diebus & 12. horis impletur. Solaris verò 30 diebus & decem semis horis. Lunaris mensis est à noua Luna, vtpote ad nouam Lunam. Luna autem peruolat zodiacum 29 diebus, & 12. horis. Bis duodecim sunt 24. q̄ est integer dies, hic quia non potest diuidi, vni mensi ascri-

bitur. Inde est, quòd vnus mensis habet 30. alter 29. secundum Lunam. Solaris mensis est vnus signi p̄gressio. Sol in vnoquoq; signo moratur 30. diebus & dimidio, qui dimidius in duobus signis efficit integrum diem, quia hic non potest in duo partiri, vni mensi ascribitur, & ideo habet mensis vnus 30. alter 29. Hebræi auctore Moysè sic menses nominant: incipientes ab Aprili, in quo Pascha celebratur. Nisan apud nos Aprilis, Iar Maius, Siam Iunius, Thamul Iulius, Dabet Augustus, Etil September, Tesser October, Maceruam Nouember, Casleu December, Thebet Ianuarius, Sabath Februarius, Adar Martius. Aegyptii verò Abraam auctore menses à Septembri computant sicq; eos vocant: Thoat apud nos September, Faphi October, Athir Nouember, Coeach December, Tibri Ianuarius, Mechir Februarius, Femenoth Martius, Farnuti Aprilis, Pacho Maius, Paudi Iunius, Ephili Iulius, Mefori Augustus. Græci autem Phoroneo auctore à Decembri menses inchoat: quos sic appellant, Apuleos apud nos December, Edimos Ianuarius, Pitios Februarius, Bistos Martius, Xanticus Aprilis, Arthemios Maius, Descos Iunius, Panemos Iulius, Loos Augustus, Goipiëos September, Hyperbetëos October Dyos Nouember. Romulus Romanis 10. menses ordinauit: quorum primum Martium à Marte qui in mense hoc in Phrygia natus est, nominauit, cuius se filium falsò prædicauit. Decimum v. Decembrem nominauit. Numa vero Pōpilius duos: Ianuarium sc. & Februarium adiecit: Sunt autem menses Romanorum ab idolis, à rebus, à Regibus à numeris dicti. Primus Ianuarius à Iano deo principii, eò q̄ hic mensis est principium anni, dicitur etiam à ianua, eò q̄ per eum intret annus. II. est Februarius à Februo, i. e. Plutone deo infernali cui hoc mense sacrificabāt, dum ciuitatem in honore eius luminibus lustrabāt: dicitur etiam à febre, i. e. à frigore, quia frigidum est illud tempus. III. Martius à Marte deo belli, patre Romuli auctore Romanæ gentis: cui Marti milites hoc mense sacrificabant, dicitur etiam à maribus, eo quod cuncta animantia tunc mares desiderant. IV. Aprilis ab aphroditæ vel à frili, i. e. Venere dea amoris, cui consecratus est hic mensis; dicitur etiam Aprilis, eo q̄ aperiat terram in flores. V. Maius à Maio, id est à Ioue; quasi à maiestate: siue à Maia matre Mercurii; cui mercatores hoc mense sacrificabant: dicitur etiam à maioribus, sc. principibus Romanorum, qui hoc mense Ioui immolabant. VI. est Iunius à Iunone dea regni dictus: cui erat consecratus; dicitur etiam à Iunioribus, qui armis Romam defendebant, & regni fastigium in Iunone affectabant. VII. est Iulius à Iulio Cæsare, qui in hoc mense Imperator creatus, & in hoc in Deum relatus est. Hic prius Quintilis dicebatur, eo q̄ quintus esset à Martio, qui primus erat constitutus à Romulo. VIII. Augustus ab Augusto Cæsare, qui in hoc mense victor extitit, ideoque deitatem promeruit, hic prius Sextilis est dictus eo q̄ sextus à primo, i. e. Martio esset. IX. Septem-ber, quasi septimus imber. X. October, quasi octauus imber. XI. est Nouember, quasi nonus imber. XII. mensis est December, quasi decimus imber. Sunt enim hi menses pluuiales, & ideo à numero & imbre nomen habent.

De mensibus Hebræorum.

De mensibus Aegyptiorum.

De mensibus Græcorum.

De mensibus Romanorum.

A *De Kalendis, Nonis, & Idibus.*
Cap. VIII.

Kalendæ à kalò verbo, quod est voco, dicuntur. Pontifex namq; nouam lunam regi nūtiare debuit: post cuius sacrificium kalò quinquies vel sexties clamauit. Per hoc quoq; signum populum in Curiam ob hoc kalabre dictam, ad Sacrificiū conuocauit, & ab hoc verbo primam diē mensis kalendas vocari placuit. Inde post nouem dies vulgus de rure conuocatū in urbem Romam conuenit, & ibi feriarum seruandarum cita à Rege vel Pontifice accepit. & inde Nonæ dicuntur: dicuntur etiam à nudinis, i.e. mercimoniis, quæ vel in urbem deferebant vel ibidem emebant. Idus dicuntur quæ menses diuidunt: ab iduare, quod est diuidere. Dicuntur etiam ab idea, quod est species: quia Luna plenā sui speciem in medio mense monstrat. Hebræi & Græci & Ægyptii: nec kalendas, nec nonas, nec idus obseruant, sed tantū dies à noua Luna ad nouam Lunam computant.

De quatuor partibus anni.
Cap. IX.

Vicissitudo in quatuor tempora anni diuiditur, & vnumquodq; tribus mensibus distinguitur. Dicta autem vicissitudo, quia vices mutat in mundo. Ver est quarta pars anni, constans tribus mensibus, dicitur autem à vernando: quia tūc prata virent, siluæ frondent, hoc est humidū & calidum, & in hoc fit æquinoctium. Æstas est quarta pars anni, constans tribus mensibus, & dicitur ab æstu, i.e. calore: hæc est calida & sicca, hæc & messis vocatur, & in hac solstitiū celebratur. Autumnus est quarta pars anni: habens tres menses, & dicitur ab autumno, i.e. colligo, scilicet fructus terræ. Hic est frigidus & siccus, hic etiam Vindemia nominatur, & in hoc æquinoctiū libra æquatur. Hyems est quarta pars anni, & tribus mensibus perficitur, & à rigore vel sterilitate dicitur. Est autem frigida & humida, & in hac agitur solstitialis dies. Hæc autem vicissitudo in nostris tantū partibus agitur. In India verò vbi sunt alii ortus siderum sunt binæ in anno æstates: binæ messes: in medio hyems placida. In Ægypto quoq; nostra media hyeme campus herbis & floribus, sylua frondibus vestitur: quæq; arbor pomis onustatur.

De anno & eius acceptionibus, ac de quadrante. Cap. X.

Anus dicitur ab innouando, eò quòd cuncta transeūtia innouat: dicitur etiam annus quasi annulus, eò quòd in se reuoluitur vt circulus: annus a. multimodè accipitur. Primo Lunaribus annus quinquiesariè dicitur. Primus lunaribus annus, est cū Luna oīa signa zodiaci puolat, qui 27. diebus & horis 8. constat. Secundus 2. diebus & 4. horis prolixior: post quos Luna à Sole reacceditur, qui propriè mensis nominatur. Tertius dicitur cōmunis, qui 12. mensibus, i.e. 364. diebus expletur. Quartus qui embolismalis dicitur, i.e. super augmentum, qui 13. mensibus, i.e. diebus 384. cōficitur. Qui vterq; ab Hebræis à Paschali mense incipit, ibique finit. A Ianuario autem à Romanis luna inchoatur, ibiq; terminatur. Quintus est lunaribus siue decemnouenalis, cū luna post 19. años ad eandem recurrit ætates. Sextus est solaris, cū Sol omnia zodiaci signa perlustrat: qui 365. diebus

& 6. horis constat. Septimus bisextilis, dum quarto anno bisextus inseritur, & vno die longior priorè cognoscitur. Octauus est iterum solaris, cū Sol post 28. annos circulum concurrentium compleat. Nonus est Mercurii, qui 339. diebus completur. Decimus est Veneris, qui 348. diebus completur. Vndecimus est Martis, qui 2. solaribus annis constat. Duodecimus est Iouis, qui 12. constat annis. Tertiusdecimus Saturni, qui 30. annis expletur. Quartusdecimus, qui vocatur magnus annus qui d. 32. annis reuoluitur. Extra hos sunt duo legales anni. Vnus qui dicitur annus remissionis, habens curricula annorum 7. Alter iubilæus 50. annorum. Annus ciuilem i.e. solare, Hebræi ab æquinoctio verno, Græci à solstitio. Ægyptii ab autumno, Romani à bruma incipiunt. Apud Indos vnus mensis. Apud Ægyptios v. olim erat annus 4. mensium. Apud Acarnanas 6. mensium. Apud Latinos 12. mensium. Apud quosdam vnumquodq; tempus anni, sc. ver, & alia pro anno cōputabatur. Vnde & Plato ponit 9. annorum: Tullius 15. annorum. Annus solaris, vt in horoscopo horologii inuestigatum est, 365. diebus quadratè perficitur. Quadrans a. est quarta pars diei, scilicet 6. horæ: in quatuor autem annis 4. quadrantes 24. horas cōficiunt, quod est integer dies. Hic ergo dies in 4. año 6. kalend. Martii intercalatur, & Bisextus nominatur. Hunc Iulius Cæsar interposuit, & totius compoti errorè per hunc correxit: hunc Ægyptii & Græci in fine anni supponunt. Romani autem in Febuario, eò quòd breuior cæteris est, interferunt. Ideo autem non post finem mensis sed infra mensē, quia olim ibi integer mensis intercalabatur; ideo verò nō ante 6. kalend. Martii quia 6. kalend. Martii magno tripudio ciuitatem iustrabant, & nihil eis incipere ante transactam festiuitatem licebat.

De Cyclis. Cap. XI.

Cyclos interdictionalis ab Octobre incipiens 15. annis. Cyclos bisextilis 4. años impletur. Cyclos decemnotenalis à paschali luna inchoas, 19. annis impletur. Cyclos lunaribus à Ianuario incipiens 19. annis impletur. Cyclos solaris à Martio incipiens 28. annis. Cyclos magnus d. 32. annis perficitur.

De Olympiade. Cap. XII.

Olympias sunt quatuor anni. Apud Ælidem ciuitatem Græciæ est institutum post 4. annos ad Olympum montem conuenire, & ibi palestriales ludos exercere: & inde ducuntur Olympiades.

De lustris & indictionibus.
Cap. XIII.

Lustrum sunt quinque anni. Romanis enim ab omnibus gentibus soluebatur tributū. Quinque annis æs. 5. argētum: 5. aurum. Et post quinquentium semper ad Romam veniebant, & iustrabant urbem, & ideo vnumquodque quinquentium lustrum dicitur. Omnes autem simul indictiones ab indicendo dicuntur, quia semper post quindecim annos ad primum censum, id est, æs, redibatur.

De aetate. Cap. XIV.

Aetas vel generatio est vita cuiusque hominis vel 100. anni. Est etiam aetas cum nullus superfuertit qui nunc vivit. Sunt quoque sex aetates hominis. Prima infantia ad 7. annos. Secunda pueritia ad 14. annos. Tertia adolescentia ad 21. annos. Quarta iuventus ad 30. annos. Quinta senectus ad 70. annos. Sexta decrepidus usque ad 100. annum, vel usque ad mortem. Sunt nihilominus sex aetates mundi. Prima ab Adam ad Noe. Secunda a Noe usque ad Abraam. Tertia ab Abraam ad David. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta inde ad Christum. Sexta usque in finem mundi. Saeculum sunt mille anni. Dicitur autem saeculum: quia se sequitur. Inde saeculum saeculi. Saeculum tempus gratiae. Saeculum tempus legis. Inde & saecula saeculorum. Saecula tempora Christianorum: saeculorum Iudaeorum & paganorum. Est etiam saeculum saeculi regnum caelorum, quod sequitur istud saeculum, sicut scribitur: Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.

De decennovenali Cyclo, & eius divisione.

Cap. XV.

Decennovenalis Cyclo dicitur quasi decem & novem annorum Cyclo. Per totum annos pergit Luna cursum suum nitens contra firmamentum. Dividitur autem in duo, id est, in duodecim communes & sex embolismales annos. Communes dicuntur cum duo aequales 12. mensium a lunarium pascha usque ad aliud pascha concurrunt. Embolismus qui supererescens dicitur: est is qui pascha ad aliud pascha 13. menses, id est, 13. novae lunas habet. Hoc totum ideo fit: quia pascha ante aequinoctium & ante 14. lunam Aprilis qui apud Hebraeos primus est: agi non licet. Dividitur adhuc in duo: in ogdoadem & endecadem. Ogdoas sunt octo anni. Endecas 11. Duo enim communes semper praecedunt, tertium embolismum. In octavo autem loco praecedit unus communis embolismus. Hic numerus Ogdoas appellatur. Deinde iterum semper duo communes praecunt tertium embolismum. In 14. loco unus annus tantum praecedit embolismum, & hic numerus endecas vocatur.

De Cyclo solari. Cap. XVI.

Solaris autem Cyclo 28. annis peragitur propter septem Bissextos. Oportet enim ut Bissextus singulos dies septimanam tangat, & sic per eodem recurrat. Septies autem 4. fiunt 28. & 8. Bissextus enim in quarto tantum anno interponitur. Lunarem cursum sic in articulis adiunctis vnguibz computabis. A radice pollicis laevae manus incipe, & per singulos articulos & vngues numeras, & in fine minimi digiti 19. annos habebis. Solarem autem sic in articulis vtriusque manus absque vnguibz computabis. A minimo digito laevae manus inchoa, & per transversum in 4. digitis, numeras in 4. saepe Bissextum nota, in altera similiter manum, & habebis 24. annos, deinde in utroque pollice binos annos, qui prioribus iuncti reddunt 28. annos. Geminus autem est solaris cursus. Unus quo quotidie ab oriente in occidentem firmamentum sequitur. Alter quo contra firmamentum nitens 28. annis graditur. His Cyclis duobus conficitur magnus annus. Nam vicies & octies 19. vel decies & nonies 28. sunt d. 30. duo anni: post quos omnes planetae & omnes stellae ad primum punctum, unde digressi sunt: recurrunt, & per eas-

dem lineas ut prius redeunt. Luna namque quodlibet Zodiaci signum duobus diebus & sex horis ac bisse vnius horae lustrat omnia signa 27. diebus, & 8. horis peruolat. Mercurius autem quodque signum 28. diebus, & sex horis totum zodiacum 327. diebus peruolat. Venus vero quodlibet signum 28. diebus & 3. horis, totum signiferum 348. diebus circumit. Sol 30. diebus ac 10. horis & semisse singula signa lustrat: omnem zodiacum ambitum 345. diebus & sex horis transuolat. Mars quodque signum sexaginta diebus 21. horis, omnia signa duobus annis perlabitur. Iovis stella singulis signis unum annum immoratur: omnia enim signa 12. annis peruagatur, Saturnus in vnoquoque signo duos annos, & 182. dies & 15. horas 1. dimidium annum immoratur, totum autem signiferi circulum 30. annis propter nimiam altitudinem contra caelum: sicut alii currens perlabitur. Cyclos Eusebius Caesariensis primus instituit: postea Theophilus Alexandrinus Episcopus rogatu Leonis papae lucidius exposuit: deinde Dionysius abbas Romae ut hodie habetur, scripto protulit.

De aequinoctiis & solstitiis. Cap. XVII.

Aequinoctia & solstitia faciunt. 4. zodiaci signa in modum crucis aequali spacio locata. Nam signum arietis in quo sol est creatus in Oriente est positum: quod facit vernale aequinoctium, libra in qua luna est condita, est in occidente huic opposita, & facit autumnale aequinoctium. Cancer autem versus aquilonem tenet caelum ubi est altissimum & facit aestivale solstitium. Capricornus vero versus austrum premit caelum ubi est humilimum, & facit hyemale solstitium. Aequinoctium dicitur ab aequa & nocte: Graece vero isemeria ab aequa & die: quasi aequi dies. Vernale aequinoctium non 8. sed 12. Kal. Aprilis habendum, lex & evangelium clamat, ut horologii manifesta inspectio probat. Secundum enim legem non licuit pascha ante aequinoctium celebrari. Qui autem evangelium diligenter legerit: Dominum non 8. sed 10. Kal. April. passum videbit. Si ergo 8. Kal. Aprilis est aequinoctium: tunc Dominus contra legem pascha ante aequinoctium celebrauit, qui legem non solvere sed implere venit. Sed & Iudaei contra patrium morem gesserunt: quia pascha in inconuenienti termino egerunt. Verumtamen cum horum neutrum fuerit: transacto. 12. Kal. April. aequinoctio: Dominus solito more pascha cum Iudaeis 11. Kal. April. celebrauit paschali die, quod erat. 10. Kal. suo sanguine nos redemit. 8. Kal. surrexit. Autumnale quoque aequinoctium non 8. sed 12. Kal. Octobris habendum demonstrat horologium. Solstitium non ideo dicitur quod sol stet: sed quod altius caelum scandere non valens retrò gradum flectat. Aestivale solstitium non 8. sed 12. Kal. Iunii horoscopus habendum clamat horologii, quod noctem breuissimam, diem facit longissimam cum sol scanderit canceri signum. Hyemale quoque solstitium non 8. sed 12. Kal. Ianuarii habendum. Eadem ratione probatur cum sol in Capricorno positus, breuissimum diem & longissimam habere noctem non ignoratur.

De saltu Luna. Cap. XVIII.

Luna a sole recedens post 29. dies, & horas 12. Leum iterum consequitur, sed hora. 12. nondum perfecta a sole reaccenditur. Restant enim ex hora 12. per singulos menses quatuor momenta & vicinia vnius momenti, & vnus atomus. Haec per sin-

Agulos menses augmenta post. 19. annū integrum diem perficiunt. Qui dies numero lunæ subtrahitur: dum prima pro 30. computatur, isq; saltus lunæ nominatur. Ideo autē in. 19. anno, & in Iulio mense fit saltus lunæ: quia & hoc facit mater Astronomiæ Ægyptus.

De minutis. Cap. XIX.

Nam hic sapius minutæ ponuntur, quæ forsitan à plerisq; minus sciuntur. Sciendum quod vna est 12. pars cuiusque rei in 12. diuisa. Semis vel semisse dimidia pars cuiusq; rei in duo diuisa. Bisse duæ partes alicuius rei in tria partita, tertia sublata: qualibet autem pars illarum trium dicitur triens. Rei enim cuiuslibet in quatuor diuisa partes: quarta pars dicitur quadrans: reliquæ tres dodrans.

De regularibus feriarum & concurrentium.

Cap. XX.

Regulares feriales & concurrentes, à Martio sumunt initium, à quo olim Romani habuerunt anni principium. A Romanis enim sunt inuenti. Regulares dicuntur inde quod calculatores regant. Concurrentes verò inde quod regularibus concurrent. Regulares tale exordium habent. Solaris annus 365. diebus peragitur: Sol autem per singula 12. signa, 30. diebus immoratur. Duodecies ergo 30. vel tricies 12. sunt 360. Quinq; remanentes, hi sunt regulares Martii. in cæteris autem mensibus sic oriuntur. Præcedentis mensis dies cum regularibus in septem æquas partes partire: quod remanet, da sequenti mensi pro regularibus. verbi gratia: Martius habet dies 31. & quinq; regulares quod sunt septies quinq; , & remanet vnus, hoc erit regularis Aprilis: sic in cæteris. Concurrentes autem habent hoc exordium. Solaris annus habet Hebdomadas 52. & vnum diem. hic vnus dies erit primo anno solaris cycli concurrens: quia concurrunt cum regularibus ad inueniendam feriam in Kalend. mensium, singulis annis adde vnum vsq; ad septem. Quarto anno Bissextus pro concurrente accipitur: ideo 5. anno vna concurrens transilitur. Bissexti anno verte in Ianuario & Februario, Bissextus pro concurrente: in reliquis mensibus concurrunt. Primus annus in creatione mundi fuit sine concurrente, quota feria fuerit in 19. Kalend. Aprilis vel 6. Kalend. Martii: tot erunt concurrentes illo anno. Coniunge concurrentes regularibus: si infra 7. fuerint: talis erit feria in Kal. cuiusq; mensis. Si septem excesserit 7. sublatis, q; remanet erit feria. hi n. regulares atq; cōcurrentes septenarium numerum non excedunt.

De regularibus & epactis. Cap. XXI.

Regulares lunæ epactæ à Septembri initium sumunt, quæ Ægyptii ponunt anni principium. Ab ipsis n. sunt inuenti. Hi regulares simile hebet exordium: vt superiores, & ideo September habet quinq;. In reliquis mensibus sic inueniuntur. Præcedentis mensis dies cum regularibus sume: si tricesimam habet lunam 30. tolle. quod remanet tribue mensi sequenti pro regulari. Si verò 29. his sublatis quod remanet, erunt regulares. Epactæ verò sic oriuntur: annus solaris 365. dies. Lunaris autem 354. Qui numerus ab 11. diebus superatur. hi. n. epactæ, id est, adiectiones nominantur, quia singulis annis regularibus mensium ad inueniendam Lunam adiciuntur. Singulis ergo annis adde vndecim, si infra 30. fuerit numerus ipse erunt

De Epactis.

epactæ præsentis anni: si vltra 30. tolle 30. q; remanet erunt epactæ. verbi gratia: Primo anno 11. secundo iterum 11. erunt 22. tertio iterum 11. erunt 33. sublatis 30. erunt tres epactæ. Sic deinde, regulares adde epactis si infra 30. fuerit numerus, talis erit luna in Kal. mensium. Si vltra: tolle 30. quot remanet tot erit luna. Primus ergo annus decennouenalis habet 30. epactas: sed ideo dicitur q; nullas habeat: quia in singulis mensibus 30. reiciuntur, & luna solaris regularibus inuenitur. Quota luna fuerit in 11. Kal. Aprilis: tales erunt epactæ anni illius.

Quot horis luna luceat, & in quo signo sit luna.

Cap. XXII.

Luna prima lucet 4. punctis. Secunda 8. Tertia 12. & sic vsq; ad plenilunium quotidie, quatuor puncti adiciuntur. In decrescendo similiter quotidie quatuor auferuntur. In plenilunio tota nocte lucet: cum est triginta nihil: In lunari computo 5. puncti faciunt vnā horam, de vnaquaq; ergo die 4. punctis acceptis, & quinq; vniciue horæ distributis: quot horis luna in nocte luceat citius videbis. Notandum, quod ligna in decrescente luna vel post Iulium & Augustum mensem, præcisa, à vermibus, termētibus, & carie manebunt illæsa. Etatem quamcunque Lunæ quater multiplica, huncq; numerum ter ducito, & quot in summa repereris: tot partibus zodiaci Lunam à Sole noueris distare, & Solem post totidem dies ad eundem locum venturum. Sol cuiuslibet signo 30. diebus immoratur. Vide etiam in quo signo sit, & quot dies adhuc in eo moraturus erit: tot ex prædicta summa eidem signo tribue: reliquos quæ de eadem summa superfuerint, sequentibus signis per 30. dispertes, & cui signo defuerint 30. in eo esse Lunam noueris.

Ad inueniendum annum Domini: Epactas, annum solarum, concurrentes, Bissextum, Cyclum lunarem, Annum nouennalis Cycli & claus terminorum.

Cap. XXIII.

Ad inueniendum annum Domini, ordines Indictionum ab incarnatione eius, qui sunt 80. per quinq; multiplica: addes duodecim, quia tres indictiones annum natiuitatis Christi præcesserant, & fiunt 1120, his adde indictionem præsentis anni, & habebis annum Domini. Ad inueniendam indictionem, transactos annos Domini cum indictionibus tribus, quæ eius natiuitatem præcesserāt, per 15. partire: quot remanserint, tot est indictio, si nihil remanserit, 15. erit. Ad inueniendas Epactas annos Domini per 19. diuide, quod remanserit per 11. multiplica: si infra 30. fuerint, Epacta illius anni erit. Si vltra 30. ablati q; remanet pro Epactis habebis. Quando natus est Dominus 11. Epactæ erant. Ad inueniendum solarem annum, annis Domini adde 8. quia tot anni Solaris Cycli eius natiuitatem præcesserant. Hanc summam per 20. & 8. diuide, quot remanent tot erit. Si nihil remanet, 28. est. Ad inueniendas concurrentes, annos Domini sume, & propter numerum Bissexti quartam partem totius numeri eis adde 4. regulares adde, quia tot cōcurrentes eius natiuitatem præcesserant. Hunc totum numerum per 7. diuide, & quot supersunt, illius anni concurrentes erunt. Si nihil, septē existunt. Ad inue-

A Ad
4. di
Si n
Bissextus.
Cyclus solaris.
Cyclus lunaris.
180
Cyc
ann
cl
nat
eni
per
feri
dec
Pal
alce
cli a
qui
19.
erit
mu
mu
lan
not
Ka
De clauibus
terminorum
inu
& t
26.
iur
ma
sin
iur
ma
sup
ne

T
Et
bi
ni
m
ce
na
pe
Ka
ni
in
sin
m
pr
lit
ad
qu
bo
te
m
m
m
A
A
er
ch
cu
bi
de
A
k
k

De regularibus eiusdem termini.

C

Cap. XXV.

Regulares eiusdem termini sic inuenies: Kal. April. pro prima feria pone, & sic vsque ad terminum eiusdem anni dies numera. quota feria erit terminus, tot erunt regulares: verbi gratia, Kalend. April. da dominicæ, & nonis April. obuenient quinque feriæ: quinque ergo erunt regulares: sic in ceteris: Vel aliter: Quotus est annus nouenalis Cycli: tot dies terminorum à nonis April. in antea computa, & terminum habebis. verbi gratia, Kalend. April. da dominicæ, & nonis April. obuenient quinque feriæ: quinque ergo erunt regulares: sic in ceteris. Porro, si terminus ante Kalend. retro calcula: si post Kalend. in antea computa. Post 6. Idus Ianuarii vbicunque 10. Luna occurrerit: terminus 80. erit; quem sic reperies. Quot diebus paschalis terminus à Kalend. April. siue retro siue in ante abest: tot diebus septuagesimalis terminus à 5. Kalend. Februar. vel in ante, vel retro erit. Post 8. Idus Martii vbi luna secunda obuenierit: terminus quadragesime erit, quem à 12. Kalend. Martii instar paschalis distare comperies. Bissextili anno septuagesimam, à 4. kalen. Februarii: quadragesimam ab 11. kalend. Martii require 80. omni Bissextili anno 40. tunc tantummodo, cum terminus ante Bissextum aduenierit. Terminus rogationum est 20. luna Maii. Hunc require à nonis Maii: vt supra. Terminus Pentecostes est 4. luna Iunii. Hunc verò ad 13. kal. Iunii: require per omnia vt supra. Ad inueniendas ferias terminorum, concurrentes presentis anni regularibus iunge: si infra septem fuerit numerus: D talis erit feria. Si vltra sublatis 7. quod remanet: feria erit. A 5. kalend. Decemb. vsque ad 3. nonas eiusdem: vbicunque Dominica occurrerit, aduentus Domini erit.

De embolismis. Cap. XXVI.

Primus embolismus 4. nonas Decembris: luna prima in secundo anno decemnoualis Cycli. Secundus embolismus 4. nonas Septembris in 5. anno. Tertius embolismus 3. nonas Martii in 7. anno. Eodem anno 3. kal. Maii erit luna 26. & in kalen. Iulii 29. epactis mentientibus. Quartus embolismus 3. nonas Ianuar. in 10. anno. Eodem anno erit luna 28. in kalend. Martii: epactis mentientibus: nisi sit Bissextus. Quintus embolismus 4. nonas Nouembr. in 13. anno. Sextus embolismus 4. nonas Augusti in 16. anno. Septimus embolismus 3. non. Martii in 19. anno. Eodem anno luna erit 28. in kalend. Maii, & in 3. kal. Augusti contra epactas: lunæ saltu in Iulio. Quod si 3. nonas Martii embolismi lunatio negligitur: in 19. anno terminus paschalis 15. kalend. Maii: illo anno non erit.

De diebus Aegyptiacis. Cap. XXVII.

Dies Aegyptiaci ideo dicuntur: quia ab Aegyptiis sunt inuenti: Et quia Aegyptus dicitur tenebre: ipsi tenebrosi inde nominantur eò quod incautos ad tenebras mortis perducere affirmantur. Per descriptum volubile tempus sic voluitur volubilis mundus. Sed nos temporis volubilitatem iam postponamus, & ad stabilitatem animi mente sagaci tendamus.

Explicit liber secundus, de Imagine mundi.

I N V O C A -

Ad inueniendum Bissextum: annos Domini per 4. diuide quod remanserit, tot est annus à Bissextis. Si nihil remanserit, Bissextus erit. Similiter solarè Cyclum sublato anno per 4. diuide, qui remanet annus à Bissextis est. Ad inueniendum lunæ Cyclum: de annis Domini duobus sublatis, qui conato de eodem Cyclo restabant. Decem & septem enim præcesserant, ceteros per 19. diuide, qui superfuert, anni lunaris Cycli erunt, si nihil remanserit 19. erunt. hic propriè est Romanorum, sicut decemnouenalis Hebræorum. Et sicut per istum Pascha, ita per illum cognoscitur quæ est lunaris ascensio. Ad inueniendum decemnouenalis Cycli annum: annis Domini semper vnum adiace: quia secundo eius anno natus est Dominus, ac per 19. annis diuide, quæ remanserint instans annus erit, si nihil remanserit 19. erit. Annos ab initio mundi muta in 15. Kalend. April. quia ibi est primus dies seculi. Annos Domini muta in 8. Kalend. Ianuar. Cyclum solare ibidè. Cyclum decemnouenalem in noua luna Aprilis. Cõcurrentes in Kalend. Mart. Epactas in Kalend. Septem. Indictiones in 8. Kal. Octob. Ad clauas terminorum inueniendas: sume annos decemnouenalis Cycli & septem dies hebdomadæ, qui simul iuncti sũt 26. & hæc est prima clauis. Secundo verò anno iunge 19. cum prima claua fiunt 45. tolle 30. remanent 15. & hæc est secunda clauis. Sic fac per singulos annos vsque ad 19. annum. In 19. anno iunge 18. propter saltum Lunæ, & sic inuenies primam. Hic autem memor esto, vt cum numerus supradictus 40. excreuerit, triginta recisis, remansens est clauis.

De termino Paschali. Cap. XXIV.

Terminus paschalis 14. luna est Aprilis, & pascha Iudæorum. Ergo post vernale æquinoctium, vbicunq; luna 14. occurrerit: ibi absq; dubio terminus paschalis erit, & in sequenti Dominica Pascha nostrũ constabit. Si terminus in Dominica obuenierit: in sequenti Dominica Pascha celebrandum erit. Hunc terminũ per versus Nonæ Aprilis: sed & feriam eius facillime poteris reperire. Termini autem à 12. Kal. April. vsq; ad 8. Kal. Martii sunt requirendi. Quos etiam sic inuenire poteris. Terminum præcedentis anni pone in primo articulo pollicis læuæ manus, & sic per singulos articulos vnquesq; digitorum eiusdem manus dies terminorum computa: qui iterum ad primum articulum occurrit, terminus erit. Vel aliter. A termino cuiusq; anni inchoa, & retro vsq; ad 12. litteram calcula, & habebis terminum sequentis anni si communis est annus, si autem embolismus est, in ante computa vsque ad 20. litteram, & habebis terminum: Verbi gratia: A termino primi anni: qui est in Nonis April. retro numera, & in 12. littera, quæ est 8. kalend. April. terminum secundi anni qui est communis, habebis. Ab hinc vsq; in 20. litteram in antea, quæ est Idus Aprilis computa, & terminum tertii anni: qui est embolismus habebis. Aliter: à radice pollicis inchoa, & per singulos articulos trium digitorũ calcula, & in quarto digito habebis terminum. Verbi gratia, primo anno dic. Nonæ Aprilis. Secundo nonas. Tertio nonas. Quarto nonas. Kalend. April. Secundo kalend. Tertio kalend. Quarto kalend. Quinto kalend. Sexto kalend. Septimo kalend. & Octauo kalend. occurrit terminus.

262 LIBER SECVNDVS DE IMAGINE MVNDI
AINVOCATIO MATRIS
 VIRGINIS MARIE SIMVL
 ET FILII EIVS.

SANCTA & inter Sanctos post Deum singulariter sancta Maria mater admirabilis virginitatis, virgo amabilis fecunditatis: qua Filium Altissimi genuisti: qua perditio humano generi Salvatorem peperisti. O mater salutis. O templum pietatis & misericordiae, tibi se conatur praesentare miserabilis anima mea: morbis vitiorum languida, vulneribus facinorū scissa, vlcerebus flagitiorum putrida: tibi nititur, quātum moribunda valet, supplicare, vt potentibus tuis meritis & piis tuis digneris precib. eam sanare. Sic etenim pia Domina alienata est à se immanitate stuporis, vt vix sensum habeat enormis languoris: sic sordib. & fetore scdatur, vt timeat, ne ab ipsa misericors vultus tuus auertatur: sic tabescit desperando respectus tui conuersionem, vt etiam iam obmutescat ad orationem. Heu pudor sordentis iniquitatis in praesentia nitentis sanctitatis. Heu confusio immundae conscientiae in conspectu fulgentis munditiae. O tu benedicta super mulieres, qua Angelos vincis puritate, Sanctos superas pietate, anhelat moribundus spiritus meus ad tantae benignitatis respectum, sed erubescit ad tanti nitoris conspectum. Horreo Domina parere tibi de immunditiis & horroribus meis, ne tu horreas me pro eis, & non possum (ve mihi) videri sine eis. Eadem enim peccata mea, o Domina cognosci à te cupiunt, ppter curationem: parere fugiunt, propter execrationem: non sanantur sine confessione, nec producuntur sine confusione. Si caelantur, sunt insanabilia: si videtur, sunt detestabilia; vrūt me dolore, terrent me timore. O tu illa pie potes & potenter pia Maria: de qua fons est ortus misericordiae, ne contineas precor tam veram misericordiam, vbi tam veram agnoscis miseriam. Sana ergo clementissima infirmitatem, & delebis, qua te offendit, scditatem. Aufer benignissima languorem, & non senties, quem horres, fetorem. Sana animam serui tui peccatoris, per virtutē benedicti fructus ventris tui: qui sedet in dextera omnipotentis Patris sui. Nunquid tu Domina mea mater spei meae? Nunquid tu obliuisceris odio mei quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam feliciter diuulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus Filius hominis venit perditum sponte saluare, & mater Dei poterit perditū clamantem nō curare? Bonus ille Filius hominis venit vocare ad pœnitentiam peccantem, & mater Dei contemnet precantem in pœnitentia? Sed & si pariter ambo offensi estis, nōne & ambo clementes estis? Fugiat ergo reus iusti Dei, ad piam matrem misericordis Dei: refugiatq; reus offensae matris ad pium Filium benignae matris. Ingerat se reus vtriusq; inter vtrunq; iniiciat se inter pium Filium & Matrem. Pie Domine, parce seruo Matris tuae: pia Domina, parce seruo Filii tui, qui me iniicio inter duas tam immensas pietates, non incidam inter duas tam potentes seueritates. Bone Fili, bona Mater, non sit mihi frustra quod confiteor de vobis hanc veritatem, Non erubescam, q

spero in vobis hanc pietatem. Dic mundi Iudex, Cui parcis; dic mundi Reconciliatrix, quem reconciliabis; si tu Domine damnas; & tu Domina auerteris homunculum bona vestra cum amore, mala sua cum mœrore confitentem.

Ex gestis Anselmi colliguntur forma & mores beatae Mariae, & eius vnici Filij Iesu.

MARIA Dei Genitrix didicit Hebraicas literas adhuc patre eius Ioachim viuente: Erat docilis, amans doctrinam, & circa sacram Scripturam perseuerabat. Opus verò manuum eius erat lanae, lini, & serici. Erat itaq; locus distinctus in domo Domini, scil. in templo, propè leuam altaris. Ibi stabant virgines solae, & diuino officio peracto, ibant omnes ad propria. Maria verò perseuerabat & custodiebat altare & templum, sacerdotib. ministrans. Mos suus erat modicae loquela, expeditae obedientiae, mundae proximationis: sine audacia, sine risu, sine turbatione, sine ira, benigne salutans, eloquentiam eius homines mirabantur. Fuscus habebat oculos, rectos aspectu, nigra supercilia, mediocrem nasum, vultus eius longus, longae manus, longi digiti: mediocris staturae, perseuerans in orationibus, ferens pannum proprii coloris, lectioni, ieiuniis, & labori manuum & omni bonae virtuosaeq; operationi se dederat. Quae cum assumpta erat in caelum, fuit 82. annorum. Qui sic computati sunt: septē educata cum parentibus, & septem annos cum dimidio ministrabat in templo Domini: in domo Ioseph sex menses: in quartodecimo anno annunciatu ei gaudium totius seculi, & in quindecimo anno peperit Christum, & cum eo 33. annis in praesenti D vita: post ascensionem Domini fuit ipsa in domo Ioannis Euangelistae 24. annos, qui simul cōputati sunt 82. anni. Sed Filius eius vnigenitus erat homo magnae virtutis, nominatus IESVS Christus: qui à gentib. dicebatur Propheta veritatis: quem eius discipuli vocauerunt Filium Dei: suscitauit mortuos, & sanauit omnes languores: homo quidem procerus, mediocris & spectabilis, vultum habuit venerabilem: quem intuentes possunt & diligere & formidare. Capillos habuit coloris nucei auellanae praematurae, & planos terē vsque ad aures, ab auribus verò circinos crispas, aliquantulum ceruliores & fulgētiore ab humeris ventitantes: discrimen habuit in medio iuxta morem Nazareorum, frontem planam & serenissimam cum facie sine ruga & macula aliqua, quam rubor moderatus venustat, nasi & oris nulla profusus reprehensio. Barbam habuit copiosam & impuberem, sed in medio bifurcatam. Aspectum habuit simplicem & maturum: oculis glaucis variis & claris existentibus. In increpatione terribilis, in admonitione blandus & amabilis, hilaris, seruaata grauitate. Qui nunquam visus est ridere: flere autem saepe. In statura corporis propagatus: rectas manus habuit, & brachia visu delectabilia. In colloquio grauis, rectus & modestus, *speciosus inter filios hominum.*

**OPVS CVLORVM BEATI ANSELMI
 FINIS.**

